DANIELIS GEORGI MORHOFI
DISSERTATIONES
ACADEMICÆ & EPISTOLICÆ,
quibus rariora quædam argumenta eruditè tractantur, omnes: in unum Volumen collatæ, & Consensu Filiorum editæ.

Accessit

AUTORIS VITA,
quæ tum Lectiones Ejus Academicas, tum Scripta edita & edenda; Elogia item ac Judicia Clarorum Virorum exhibet:


ET

PRÆFATIO
JOANNIS BURCHARDI MAJI,
qua institutum hujus Operis declaratur.

Additi quoque sunt

INDICES
accurati & locupletissimi.

HAMBURGI,
Sumptu GOTTFREDI LIEBERNICKEL.
ANNO M. DC. XCIX.


B S B
MÜNCHEN

Per-Illustri ac Generosissimo
DOMINO,
DNO FRIDERICO
CHRISTIANO,
LIBERO BARONI
de KIELMANNSECK,
Hæreditario Domino in Wandesbeck, &c.
Sacr. Cæsar. Majestat.
Consiliario, & Rever. Capituli
Lubecensis Canonico,

Domino meo clementi.



Ui ſuo ſumptu aliorum libros edunt, id profitentur ferè in initio, ſe opere vel planè finito, vel ad finem mox perducendo, patronum denique reperiſſe, ſub cujus nominis auſpiciis ac tutela illud in publicum prodiret, & à Zoilorum, quos vocant, morſibus, ac Theonino dente omni, tutum exiſteret. Cujus ut, quantum ad præſens hoc opus, me ſemper credidi ſecurum; ita diu eſt, ex quo multorum mori adverſatus Per-Illuſtrem Tuam Excellentiam hujusdem Patronum ego tacitus legi, Eidemq; id multo ante, quàm quicquam ejus traderetur operis, conſecravi. Debeo etiam divinæ gratiæ, quod Per-Ill. Tua Excell. donec perficeretur illud, valuerit optimè, & vivat hodie in ſumma rerum tranquillitate: ut ego nunc adeo voti mei damnas ſim, cum Per-Ill. Excell. Tuæ novo habitu editas

ditas has Diſſertationes ea, qua jus fas eſt, ratione, quaque decet obſervantia, offero, do, dico, dedico. Neque timendum eſt, ne Tu, Per-Illuſtris Domine, confidentiam hanc meam ægrè ſis laturus, conſideranti, quo in pretio tum optimos libros, tum eruditos eorum auctores habeas: id quod inſtructiſſima Tua & numeroſa valde Bibliotheca, ſumma item in libris tractandis diligentia, & literarum aſſiduus uſus, omni teſte firmius teſtantur. Tantum ſcilicet abeſt, ut libri tui aut jaceant, aut, magnatum ferè more, conclavi ſplendoris aliquid tantum concilient; ut dies potius, atque noctes ipſas, iis pervolvendis & cognoſcendis impendas, viva Ipſe Bibliotheca, & Muſeum ambulans. Ceterum Morhofii curæ ſunt, quas offero; at quanti Viri, quamque Tibi, ac doctis omnibus, cari! Cujus pridem proh dolor! erepti apud Te deſiderium lenient ex parte, ni fallor, politisſima

hæc Ejus opuſcula, & inter optimos Tuos & exquiſitisſimos libros locum facile atque honeſtisſimè tuebuntur. Sin, utinam majus aliquod Tibi exhibere, quoque dignisſimus es honore ſummo Te mactare posſim, memor prolixi favoris, & beneficiorum, quibus Tu me immerentem prope tot annos clementer ornas. His quoniam, pro Tuo loco, ac fortuna, reſpondere per rerum mearum tenuitatem non licet; gratum tamen animum hoc demum loco publicè teſtor, Deumque ſupplex oro, ut Te, Per-Illuſtris Domine, ſoſpitem in quamplurimos annos, vivum item ac florentem conſervet, Tuoque ſingulari favore porro frui quàm clementisſimè mihi largiatur.

Per-Illuſtris Excellentiæ Tuæ

obſervantisſimus

Hamburgi, d 30 Martii, anno 1699.

Gottfried Liebernickel,
Bibliopola.



ÆQUO AC BENEVOLO LECTORI S. P. D.

JO. BURCHARDUS MAJUS,
Eloqu. & Hist. Prof.



Uanquam MORHOFIANA Scripta tantæ ubique apud eruditos æstimationis atque dignitatis sunt, ut neque meo neque aliorum præconio ac commendatione egeant: tamen ab editore voluminis hujus oratus & exoratus, honesto illius desiderio deesse nolui, quin de consilii & instituti ejus ratione pauca quædam hîc præmonerem. Et sanè præclarè de re literaria mereri mihi videntur illi, qui doctorum virorum dissertationes & opera varia studiosæ juventutis destinata usui ac commodis, eruditoque orbi perquam grata atque jucunda, vel sparsim antea edi.a, vel in

in ſcriniis deliteſcentia ſollicitè conquirunt, conquiſitaque conjunctim in lucem protrahi curant. Quare bonorum omnium favorem ac laudem merentur egregii publicoque quam maximè profuturi *Gothofredi Liebernickelii*, celebris ac florentisſimi librarii Hamburgenſis, conatus: quippe qui, alia ut taceam, ſuperiori anno laudati Morhofii *Orationes & Programmata*, in Academia Kilonienſi olim propoſita, Filiorum ad paternum decus laudemq; ſummopere contendentium curâ ac ſtudio collecta, ſuis impenſis evulgavit. Quæ cum plurimorum applauſu ac ſuffragio accepta eſſe intelligeret, hoc ipſo non leviter eſt impulſus, ut varias ejusdem diſſertationes antehac ſeorſim editas, & opuſcula alia, partim ê forulis, quorum delicias ab aliquot annis inſigniter adauxerant, deprompta, partim ab amicis benevolè ſuppeditata, in unum volumen redacta, in lucem emitteret. Inter cæteras autem, quæ hic exhibentur, diſſertatio *de Quinta Eſſentia* conſpicitur, à viro eruditiſſimo Detlevo Cruſio, Hamburgi privatam agente vitam, communicata: cui tanquam intimo ſuo, cum viveret, amico Morhofius eam tradiderat, editionisque ſpem diſertis verbis fecerat. Quoniam vero ad beatiora ſtudia translatus, ipſe promisſis ſtare non potuit, nunc per nominatum virum iſthæc implere videtur. *De Latinitate in Digeſtis* diſſertationem Morhofii eſſe, & argumentum & ſtylus abundè indicant: teſtaturque in pleniorem rei fidem vir quidam doctus in Ducatu Sleſvicenſi, & ſacro ibidem munere fungens, qui ſcriptum iſthoc ſummo ſtudio aſſervatum, huic volumini inſerendum editori ultro libenterque permiſit. Diſſertationis *de meritis Germanorum in rempublicam literariam* exiguum quoddam fragmentum, & opuſculi illius tantùm ferè exordium inter ſchedas neſcio cujus ſtudioſi, qui ex dictantis ore publicè exceperat, repertum eſt. Quod tamen nec eruditorum adſpectu pla-

nè indignum, nec Lectori forte ingratum fore putamus: utpote in quo curiosæ raræque eruditionis vir, & merito suo æstimatissimus, demonstrare sibi proposuerat, exteros sine Germanorum industria in re literaria vix eousque fuisse processuros. Dolendum autem omnino est, opus hoc longè utilissimum, totique genti nostræ maximè gloriosum, ad umbilicum non esse perductum. Quod si factum fuisset, haud dubiè habuisset Germania, quæ exteris laudis Teutonicæ parum alioquin cupidis jure opponere potuisset. Quantulum tamen cunque sit, quod de præclaris istis meditamentis superest, invidis tenebris deinceps premere librarius publici amantissimus noluit: satis videlicet gnarus, Germanis præsertim omnibus non posse displicere, quidquid ad illustrandam gentis nostræ gloriam famamque Morhofii pertineret. His omnibus accessit jam dudum impatienter quodammodo desiderata celeberrimi Autoris vita, ab ipso partim consignata, partim â viro quodam docto, qui bibliothecæ ejus forulos ac schedas fere omnes diligenter excussit, collecta atque digesta. Deniq; subjiciuntur complura carmina, & alia quædam in laudem illius composita, quæ, cum ob singularem elegantiam luce omnino dignissima sint, ad exemplum Manium Sturmianorũ, sive Epicediorum in summi viri Jo. Sturmii obitum ab ejus amicis atque discipulis, grati animi memoriæque testandæ caussa, superiori seculo scriptorum, editor subjungi voluit. Tuo certè bono ac emolumento, Lector Benevole, omnis, quæ in edendo libro hoc adhibetur, cura unicè est destinata: quamobrem eundem non sine labore in hanc, quam conspicis, formam collectum concinnatumque non possum quin, pro meo erga elegantiorem literaturam studio, etiam atque etiam Tibi, B.L. commendem, persuasus certissimè, non pauca fore, quæ tibi arridebunt. Si qua vero sint, quæ vel palato minus sapiant, vel desiderio tuo in o-

mnibus non ſatisfaciant, hanc culpam viris commodi tui perſtudioſis condonabis, optimoque ac laudabili eorum conſilio atque conatibus favere perges. Id ſi feceris, alia etiam viri eruditisſimi opera poſthuma propediem publici tuique juris fient. Nunquam enim æquos juſtosque variæ & exquiſitæ in omni doctrinarum genere eruditionis, ac ſummorum ejus in rem literariam meritorum æſtimatores defuturos eſſe arbitramur: & quemadmodum optimi viri beati manes immortalibus apud ſuperos jam fulgent honoribus, ita ſummam nominis ejus famam in univerſas Europæ terras longè lateque diffuſam, quidquid etiam in eo iniqui ac lividi obtrectatores carpant, perpetuo tamen duraturam planè confidimus. Siquidem toti erudito orbi invidendis divini ingenii monumentis ita jam dudum inclaruit, ut, quamdiu literæ artesque, elegantiores præſertim, in pretio erunt, ipſe per ſe poſteritati, verſaturus ſit in animis hominum, æternitate temporum, fama rerum. Scribebam Chilonii, d. XXVII. Februarii, A. O. R. cIɔ Iɔc XCIX.



Syllabus Dissertationum.



In Morhofii effigiem.

SÆpe quidem ſolem
pingit, non lumen,
Apelles;
Hoc pinget radiis ſol
magis ipſe ſuis.
Pictor MORHOFI-
UM pinxit; ſed lu-
men in ipſis
Ipſe magis pinxit lux-
que Pharusq; libris.

HENR. MUHLIUS, P.P.

DISSERTATIONES.

Quod bene vortat!

DIATRIBE JURIDICA DE MORBIS ET EORUM REMEDIIS,

Quam

Sub PRÆSIDIO

Viri Consultissimi & Excellentissimi

DN. HENRICI Rahnen/ J. U. D.

Prof. & Juridicæ Facult. p. t. Decani Spectabilis, nec non Consistorii Ducalis Assessoris gravissimi, Promotoris & Præceptoris sui æternum suspiciendi,

veram non fucatam Philosophiam affectantibus, ventilandam proponet

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS,

VISMARIENSIS, Jurium & Philos. Stud.

AUTOR ET RESPONDENS,

ROSTOCHII,

Ad diem 4. Sept. 1658. in Auditorio majori, horis consuetis.

DIATRIBES JURIDICÆ DE MORBIS ET EORUM REMEDIIS,

PARS PRIMA

eaque

Generalis, continens Præliminaria.

I.



MOrbus ſecundum *Fungerum in Lexico Etymologico* dicitur quaſi *μοῖρα τοῦ βίου* i. e. fatum vitæ; quæ tamen potius aliqua alluſio eſt, quam vera Etymologia. Vero ſimilius eſt illud, *ἀπὸ τοῦ μάρπτειν*, quod capere & corripere ſignificat, deſcendere.

2. Præterea & ad alia quoque iſta Vox applicatur & interdum denotat errores, pravas conſvetudines, & animi vitioſitates. *Cic. 1. de Finib. Animi morbi ſunt cupiditates immenſæ.* Sic *Catullus* de *Egnatio*, qui de candidulis dentibus magnopere ſibi gratulabatur, & ſine ullâ occaſione candoris eorum oſtendendi causâ, ridebat: *habet*, inquit, *hunc morbum, neque elegantem ut arbitror neque urbanum. Horat. Od. 37. lib. 1.* per *morbum cohortis Cleopatræ* impudicitiam & *Sat. 6. lib. 1.* per *morbum Barri* immodicum formæ cultusque ſtudium, & *Sat. 3. lib. 2.* cupiditatem lucri intelligit; *Epiſt. item 1. lib. 1.* avaritiam & cupidinem morbos dicit. Furor quoque Morbus abſolute vocatur *l. 14. ff. de off. præſid. l. 22. §. Si maritus ff. Solut. matrim. l. 6. pr. C. de curat. Furioſ. l. 9. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Transfertur quoque ad res inanimatas. Corruptionem aeris *Virgilius* vocat *morbum cœli* Georg. 3. v. 478. *Lucretius* vocat *morbidum aerem*. Nobis Morbi vox tam late hîc ſumetur, ut quasvis affectiones humanum corpus affligentes deſignet.

3. Cum voce Morbi coincidunt 1. Infirmitas *l. 4. ff. de poſtuland.* quamvis denotet alias quamcunque corporis imbecillitatem & ad res inanimatas quoque traducatur. Sic dicitur infirmitas Ædificii *l. 42. ff. de damn.*

 infect.

infect. Infirma ætas, sc. puerorum, senum & puellarum *l. 121. ff. de Legat. I.* Infirmæ sententiæ *l. 7. C. quand. provoc. non est necess.* Infirmum testamentum *rubr. Inst. quib. mod. testam. infirm.* 2. Ægritudo, quæ primario quidem de animo dicitur *l. ult. ff. si quis aliquem test. prohib. Terent. And. Act. 5. sc. 5. vers. 5. Ægritudo intercedit gaudio.* Interim de corpore etiam sat recte dicitur *Terent. Phorm. Act. 5. sc. 1. v. 24. Ex ægritudine matrem mors consecuta est. Corn. Nep. in Miltiad. Æger erat vulneribus. Ovid. lib. 1. de Pont. el. 4. Nec juvet admotâ perditus æger ope.* Ægritudo corporis dicitur *in l. 3. C. qui test. fac. poss. Cic. lib. 3. Tusc. cap. 10.* adhuc distinctionem facit inter *Ægritudinem* & *Ægrotationem: Proprie,* inquit, *ut Ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet, non sejunctum à dolore.* 3. Valetudo, quæ vox *μέση* est & in utramque partem accipitur *l. ultim. ff. de injust. rupt. irrito.*

4. Jam quis Æger, Ægrotus, Morbosus, Valetudinarius proprie dicatur, determinandum est. *Auson. Popm.* autumat, quod æger dicatur, qui & animo & corpore simul est talis, ægrotus, qui corpore solo. Sed reclamant & multa exempla. Morbosus, me quidem judice, cum Valetudinario coincidit, talemque significat, qui frequenter, dispensante id naturâ propria, ægrotat. *Salmas. de Ann. climact. p. m. 765.* illos dicit morbosos, qui ex morbido semine progignuntur. De Valetudinariis multa est disceptatio. *Mercur. de art. gymn. lib. 4. c. 8.* Valetudinarios eos vocat, qui recenter à morbis evaserunt, facitque eosdem cum convalescentibus. Quidam eos ita definiunt, ac si sint intelligendi, qui tam gravi morbo laborant, ut pedem domo efferre non possint *ex l. ad personas ff. de Jurejur. Cujac. ad l. 8. 9. 10. 11. & 12. ff. de Excusat.* definit eos, qui perpetuâ & pertinaci valetudine afficiuntur. *l. unic. C. qui morbo. Paul. Zacchias. in Quæst. Medico-Legalib. l. 2. tit. 3. quæst. 14. n. 16.* ita definit: qui ob corporis debilitatem promptam habent dispositionem, ut infirmentur facillime & integrâ sanitate non fruuntur: sed sæpissime ægrotant, probatque exinde, quod in *l. 2. §. 4. ff. si quis caut.* Prægnans Valetudinaria dicatur, quia ex facili ac modicâ causâ proclivis sit ad morbos. Verùm non ibi dicitur, prægnantem esse valetudinariam; sed illam, quæ post partum decumbit, esse quasi valetudinariam: Quin & adde, quod in ista lege etiam oppositio fiat inter Valetudinariam & prægnantem, Dicitur enim: *Si non propter valetudinem mulier non steterit judicio: sed quod gravida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait.* Et *l. 14. §. 1. de Ædilit. edict.* dicitur: illam sanam esse, nisi quid extrinsecus accedat; proprium enim hoc mulierum esse officium. Ergo tunc, cum aliquid extrinsecus accedit, potius valetudinaria dicenda esset, cæterum non item. Est igitur morbus potius inspiciendus in actu ipso, quam in potentiâ, deinde ejus atrocitas vel levitas, ut quis Valetudinarius dici mereatur. Necessario illud igitur Judicis arbitrio relinquendum,

dum, cum leges certo illud determinare non possint, secundum *Menoch. de Arbitr. Jud. quæst. cas. 63. n. 1.* quicquid etiam contradicat *Zacchias d. l.* Tales Valetudinarii & perpetuo morbo detenti miserabilium personarum nomine etiam veniunt. *l. unic. C. quand. Imp. inter pupill.*

5. Postquam Nominis naturam inquisivimus, ad rem ipsam veniamus, ita ut Juridicis includamur carceribus, Medicorum autem vineta non cædamus, nisi quantum nobis ad illustrationem necessum erit. *Comenius in Appendice Physic. sua:* nimis generaliter morbum definit: quod sit Entis aliquâ sui parte corruptio & ad totalem interitum dispositio: nam sic quoque rebus inanimatis competeret. Medicis ita definitur: quod sit habitus præter naturam actiones per se manifeste lædens. Dicitur, *præter naturam*, ut distinguatur ab impotentia naturali, ut: Ventriculus potest esse sanus; licet non concoquat lapides: Additur *manifeste lædens*, ut tollantur lenes dispositiones, quæ si essent morbi, homo foret in aeipathia: Dicitur *Per se*, ad tollendam causam, quæ mediante morbo actionem lædit. *Hæc Primerof. in Enchirid. Medic.* Non ita multum abludit ab illâ Jurisconsultorum definitio: Ita enim Ulpian. *in l. 1. §. 7. ff. de Ædil. edict. Est*, inquit, *habitus cujusque corporis contra Naturam, qui usum ejus ad id facit deteriorem, cujus causa Natura nobis ejus corporis sanitatem dedit.* Nil in istâ nostra est, quod ista Medicorum non habeat; quamvis ampliori utatur circumscriptione.

6. Definitio hæc tam communis est, ut includat *Morbum & Vitium.* Sensit enim Ulpianus Ædiles tollendæ dubitationis gratiâ bis *κατὰ τὸ αὐτὸ* idem de eodem dixisse *d. l. 1. §. 7. ff. de Ædil. edict.* At Modestinus in *l. 101. §. 2. ff. de V. S.* distinctionem fecerat. Dixit enim: *Morbum esse temporalem corporis imbecillitatem, vitium vero perpetuum corporis impedimentum.* Utraque admitti sententia potest, nec magni momenti est, quicquid hâc de re controvertitur. Medici laxius vocem Morbi accipiunt & vitium sub morbo comprehendunt: distinguunt enim morbum in tria genera: Similare, Organicum, & Commune; nam sub specie illa, quam Organicam vocant, quæ malam membrorum conformationem respicit, nostri strictius Vitium comprehendunt. Estque secundum Medicos, morbus organicus quadruplex: Compositionis, numeri, magnitudinis, situs. In Compositione sunt tres species: 1. Vitiata figura; ut si pars recta fiat curva & contra. 2. Vitiata superficies ut si pars lævis fiat aspera & contra. 3. In cavitate nimium dilatatâ aut constrictâ: Numerus vel deficiens vel excedens; Injusta magnitudo partium: Situs non naturalis. *Jacob. Primerof. in Enchir. Medic.* Et per tales *παρεκβάσεις*, siquidem à Naturâ contingant, homines monstra potius & vitiosi, quam morbosi dicendi essent: quandoquidem, quæ Philosophis monstra sunt, Jurisconsulti vitia appellant. Nil igitur necessum est, ut tanquam improbam

 rejicia-

rejiciamus hanc distinctionem. Contradicit tamen severe *Paul. Zacch. Q. M. L. lib. 2, tit. 3. q. 2. n. 6. & 7.* & exinde absurditates elicere conatur: *Primò* absurdum putat, quod morbus imbecillum tantummodo corpus reddat, vitium etiam impediat. *Secundò*, quod morbus ad tempus, vitium verò perpetuo lædat: nam 1. imbecillitatem negat esse præter naturam; cum morbus tamen sit præter eam; & non posse esse morbosum, quod est imbecillum; 2. Multos morbos esse perpetuos, multa vitia temporalia. Quoad primum, illi adhuc probandum est, an vox *imbecilli* non pro morboso hic sumatur & tali, quod operationes lædit, uti quoque *Gœdd. com. in tit. de V. S. h. l.* explicuit, & bene: Nam sic etiam *Cicero lib. 4. Tuscul.* accipit: Morbum, inquit, appellant totius corporis corruptionem: Ægrotationem morbum cum imbecillitate. *Subjungit*: Illa duo Morbus & Ægrotatio ex totius corporis conquassatione & perturbatione gignuntur. Si jam conquassatio totius corporis eadem, quam imbecillitatem antea vocârat; annon igitur taliter accepta imbecillitas contra naturam est? Impedimentum majus quid imbecillitate putat, quod falsissimum est. Imbecillitas enim non solùm est impedimentum: Sed præterea etiam actiones lædit: Impedimenta autem sunt sine imbecillitate & consequenter vitia sine morbis *Henning. Wegner. ad tit. de V. S. in d. l. 101. §. 2.* Ad secundum pro responsione sint, quæ satis accurate tradidit *Gôddaus d. l. n. 8.* Morbus, inquit, dicitur temporalis sui naturâ, perpetuus fit ex habitu accidente, vel imperitiâ Medicorum. Deinde, cum vitia quædam sint unâ cum ipso corpore quasi ingenita ac nata; quædam verò ex morbi accidente, ut perpetuo deinceps corpus sequantur; morbos autem eos saltem JCti intelligant, qui non una nati, sed postea exstitêre & durante etiam corpore plerumque cessare vel emendari possint; inde morbum ac vitium à frequentiore, ut solet fieri *l. 3. l. 4. ff. de LL.* distingui τὸ δ᾽ ἀκριβὲς negligi, ait Modestinus. Distinguit quoque inter has voces *Richard. Zouchœus lib. 2. Elem. jurispr. part. 2. sect. 4.* ubi Vitam, Ætatem & Valetudinem justam personarum potestatem, suo philosophandi more, vocat. Non igitur adeo inepta est ista Modestini distinctio, quam rationibus nullis impugnat Zacchias; tolerari tamen quoque potest & Ulpiani sententia.

7. Causa morborum est vel remota; vel proxima. Remota est, quando divino provenit judicio, propter peccata hominum *c. cum infirmitas de pœnitent. & remiss.* ubi Abbas cæterique Dd. sex potissimum causas recensent. *Prima* est: ut justus per patientiam in meritum crescat, ut legitur de beato Job. *Secunda est* ad custodiam Virtutis, ne Virtus nimis superbiat: Sicut in Paulo Apostolo factum est, qui dixit: dum infirmior sum, fortior sum: quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat, *c. nisi cum pridem, de renunc.* *Tertia* causa est ad correctionem peccati *ut in*

d. c. cum infirmitas. *Quarta* causa, ut manifestetur quandoque gloria Dei, ut in cœco, quem Christus sanavit. *Quinta* causa ad initium pœnæ, sicuti in Herode. *fac. text. 7. q. 1. c. cum percussio.* *Sexta* mala dispositio corporis; quæ proxima causa Efficiens est, cæteræ ut plurimum finales. Cæteras causas quæ pro varietate morborum infinitas Protei species æmulantur, heîc intrudere nec scopus nec opus est. Eleganter de quibusdam *Senec. Epist. 94. Multos morbos multa fercula fecerunt. Necesse est itaque inter se tam diversa dissideant & hausta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconstans variusque ex discordi cibo morbus est.* Sed ne extra oleam.

8. Quemadmodum Medici signa Diagnostica habent morborum, ex quibus morbum colligunt: Ita & Jurisconsulti, sua habent Signa, ex quibus morbum adesse conjiciunt, suntque Præsumptiones & Probationes. Considerabimus igitur morborum signa in genere. Pro morbo præsumitur 1. si persona annis sit evecta & annum septuagesimum attigerit *Alciat. in reg. 1. præsumpt. ult. n. 4. vers. potes dicere:* Senectus enim multoties in jure cum infirmitate æquiparatur, de quo vide *Menoch. lib. 6. præsumpt. 46. num. 1. 2. 3. 5.* & tunc senes infirmis æquiparari possunt, quando illi negotio, de quo agitur, non magis superesse possunt, quam Valetudinarii ipsi. *ibid. n. 22. 23. 24. 25. 26. 33.* 2. Si persona semel fuerit morbo isto affecta: Sed tamen hic distinguendum. Aut enim morbus est sanabilis, aut non est; si sanabilis, non præsumitur illum hodie eo esse affectum *Alciat. reg. 2. præsumpt. 19.* & *Menoch. præsumpt. 44. lib. 6.* Si non sanabilis, præsumitur: quod semel eo affectus, adhuc hodie affectus sit *Alciat. & Menoch. ll. cc.* Quod si autem sanatur, non facile, dicit Menochius, præsumi hoc, quod sanitas talis morbi sit quoddam accidens contra ipsam morbi naturam: Accidentia a. non præsumi. 3. Si infirmitas sit in dubio, præsumitur longum impedimentum ex *l. 18. in. pr. ff. de judic.* ut asseruit *Dec. in c. prudentiam. col. 4. post n. 45. vers. Et ad hoc etiam facit textus. de Offic. & pot. jud. deleg.* Contra morbum præsumitur: Si, qui valetudinarius putatur, coiverit: nam apud Jurisconsultos coitus non præsumitur in valetudinario, per ea quæ adducit *Mascard. de probat. concl. 312. n. 16.* & coitus & infirmitas se non compatiuntur, ut notat *Rota in decis. 518. n. 7.* *Probatur* Morbus 1. per Medicorum judicia. *Bart. in l. quæsitum ff. de re judic.* 2. Per juramentum infirmi. *Speculat. in §. 7. vers. quid ergo. column. 2. in tit. de appellat.* Limitatur tamen 1. si morbus non possit probari per testes *Speculat. in sup. cit. loc.* etiam domesticos, si alii haberi non possint. *Bart. d. l. quæsitum.* 2. Si personæ qualitas & causæ conditio juramentum non admittat. *Specul. l. c.* 3. Si alia non concurrant externa indicia *Bart. in d. l.* 4. Si persona sit suspecta, cui juramentum deferendum. *Bald. in l. Eam qui n. 7. in ult. not.*

C. de Procurat. etenim si suspecta est, ejus juramento non est adhibenda fides *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.*

9. Morborum divisio pro variis eorum formis & conditionibus varia est, quæ Medicis relinquenda potius est: Nobis enim hæc non quadrat. Occurrunt tamen in jure aliquoties aliquæ divisiones: Modo enim morbus est vel *totalis*; i. e. totum affligens corpus ut Phthisis, Febris; vel *partialis* s. in certo aliquo membro, ut cæcitas &c. *l. 1. §. 7. ff. de Ædil. edict.* modo est vel *Animi*; vel *corporis* vel *utriusque* simul *l. 1. §. 9. l. 4. §. 4. d. t.* modo *sonticus* i. e. qui graviter nocet vel *non sonticus l. ult. ff. d. t. l. morbus ff. de V. S.*; modo *perpetuus*, quando nulla spes sanitatis subest, & *temporalis*, qui ad tempus durat *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. l. 6. ff. de Ædil. edict.* & si quæ sunt distinctiones similes. Nos potius singula hæc & quicquid de singulis habemus dicere, ad sequentia capita reservabimus, ubi ista distinctius & accuratius ad rhombum venient.

Partis Prioris Pars Specialis

continens quasdam morborum species & eorum effectus.

10. Jam ad quasdam morborum species & Effectuum classes accedamus, quatenus in jure nostro morbi operantur; & hæc omnia considerari possunt vel respectu I. SUBJECTORUM sc. quæ afferant vel onera vel commoda respectu illorum, qui affecti sunt. II. QVALITATUM, quæ respectu variarum morbi conditionum & formarum. III. CAUSARUM extrinsecus advenientium. Hæ tres sunt classes, ad quas omnia morborum genera & eorum effectus juridico quidem modo considerati, commodissime transferri possunt.

Membrum I. de Subjectis,

11. Subjecta sunt I. HOMINES. II. BRUTA.

Articulus I. de Hominibus.

12. Morbi Hominum considerantur respectu trium objectorum juris 1. respectu *Juris Personarum.* 2. *Rerum.* 3. *Judiciorum.*

13. *Personæ* considerantur respectu 1. *Essentialium constituentium.* 2. *Sexus.* 3. *Status.*

14. Morbi Personarum respectu essentialium constituentium considerataram sunt, vel *Animi*, vel *Corporis*, vel *Utriusque* simul.

15. Distinctio hæc desumpta est ex *l. 1. §. 9. l. 4. §. 4. ff. de Ædilit. edict.*

quam

quam & antea thes. 9. indicavimus. Ast, si rem ipsam inspiciamus, & scapham scapham appellemus, accurata hæc non est, cum nullus Animi, quem vocamus, affectus tam solitarius sit, qui non à corporeis procedat causis, aut saltem corporeas operationes habeat comites. *Scalig. Exerc. 307. 5. Mens*, inquit, *implicita corpori per ejus officiales atque administras partes recipit impressiones. Fit ergo tum talis, quales illæ sunt. Ita in tenebris pavitant Melancholici, quia spiritus atri sunt, non anima.* Quomodo Passiones excitentur in animâ beneficio corporis & spirituum, more suo subtiliter tradit *Illustris Renatus des Chartes, in aureo de passionibus Animæ libello part. 1. Art. 36.* Nullus igitur morbus vitiumve, quantillum etiam sit, ex corpore quoque non oritur. Sumamus enim vel levissimo vitio affectos, ut sunt: fatui, stolidi, Obliviosi, &c. Omnes illi ex malâ constitutione humorum hæc habent, ut plurimum enim hîc in causa est Phlegmatis abundantia *Commen. Physic. cap. 11. th. 6. Expl.* Oblivio ut plurimum à morbis longis ac sævis oboritur, ut de Messala Corvino narrat evenisse *Plin. Nat. hist. lib. 7. c. 24.* uti quoque ex Peste illâ sævissimâ, de quâ *Lucret. lib. 6. de Rer. Natur.* dicit.

Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.

Intelligenda igitur est hæc distinctio tantum κατ' τι, quatenus in animo & ejus defectu visibiliter hi affectus se exerunt, & corpus notabili aliquâ imbecillitate non tenetur.

16. Morbi & Affectus *Animi* ab Antiquis uno vocabulo *Insania* vocabantur, seu graviores, seu leviores & quæcunque mentis ægrotatio, quasi dicas insanitatem *Connan. lib. 9. c. 4. n. 10.* Et ejus rei apud Ciceronem testimonia sunt sat multa: Hinc Sanitas apud illum semper dicitur animorum, non corporum. Quod vox illa graves animi affectus notet, ut Furorem & alios, non eget probatione, cum hoc notissimum sit. Ad Leves sæpissime transfertur. *Cic. lib. 3. Tusc.* Sanos, inquit, intelligimus eos, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit. *Ibidem:* Sanitatem animorum positam in tranquillitate quâdam constantiâque censebant, his rebus mentem vacuam appellaverunt insaniam. Sic sæpissime stolidos & fatuos insanos vocamus. Hinc insanire pro iratum tumultuari: Insaniens pro eo, qui est impotens iracundia *Terent. Adelph. Act. 4. Sc. 2. vers. 33.* Hinc insanire specialiter significat excedere modum in sumptibus, vide *Taubmann. super Plaut. Milit. Gloriof. Act. 3. sc. 1. v. 159.* Hinc Insanus morosum & difficilem significat, quemadmodum insanus appellatus est olim Domitius, insignis Grammaticus, quoniam natura erat intractabilior & morosior. *Gellius lib. 18. cap. 7.*

17. Affectuum igitur animi generale nomen erit Insania, cum quo etiam facit *Celsus lib. 3. Medic. cap. 18.* & ex Jurisconsultis *Menoch. Consil. 82. n. 193.*

vol. 1. Paulus Zacch. Q. M. L. lib. 2. tit. 1. q. 1. n. 4. 5. 6. &c. in contraria est sententia, ubi ex quibusdam Medicis probare nititur contrarium, quod Insania speciale nomen sit, quo major & vehementior animi motus describatur, non autem leviores affectus. Sed probat ex Græcis ut plurimum, cum Latina vox erat. Nos antea & diximus & probavimus, Insaniam non solum de vehementi animi morbo; sed etiam de levissimo animi defectu acceptari. Substituit autem ille *Dementiam* pro generali vocabulo, quæ vocis plane est impropria significatio, si Ciceroni credimus qui *3. Tusc. quæst.* definit illam: quod sit affectio, lumine mentis carens, cum non integra mens est & sana; tuetur tamen mediocritatem Officiorum & vitæ communem cultum atque usitatum. Adde quod Jurisconsulti Melancholicos & Mente captos Dementes stricte vocent, ceu infra apparebit. Aliàs quoque demens est is, qui nescit exprimere, quid velit aut nolit. *c. Pastoralis de Cleric. agrot. in 6.*

18. Signa, Præsumptiones & Probationes Affectuum Animi, desumuntur, vel à morbo ipso; vel ab ejus circumstantiis. 1. *A morbo ipso.* Ubi notandæ veniunt istæ vulgatæ conclusiones: Semel furiosus semper præsumitur furiosus. *Archidiac. in cap. Filii num. 1. de haret. Alex. Consil. 92. n. 6. vol. 5. Mascard. conclus. 39. n. 1.* Demens de præterito præsumitur etiam demens de præsenti. *Farin. Consil. criminal. 151. n. 14.* Hæ Regulæ procedunt in ægritudine naturaliter durabili. *Alciat. de Præs. reg. 2. præs. 19. n. 1.* Sed limitantur 1. in dementiis, quæ cum febre eveniunt, aut cum alio morbo, quem febris comitatur, ut in Phrenitide, Lethargo &c. ratio est; cum tales amentiæ sint tantùm συμπτώματα & cito transeant 2. In momentaneis dementiis; nam ut eæ conclusiones veræ sint, evinci debet, fuisse aliquem amentem per tempus successivum, mensem, annum &c. vide *Mascard. d. l. n. 8.* 3. In iis dementiis, quæ ex consensu aliarum partium, non vero principaliter ex morbo, per essentiam in cerebro existente, proveniunt. *Zacch. d. tr. lib. & tit. quæst. ult.* 2. *A Morbi circumstantiis* extrinsecis, quæ consistunt 1. *in Actionibus.* 2. *in Dictis* Insani. *Actiones* sunt vel *naturales* vel *civiles*. *Ex Actionibus Naturalibus* varie agnoscitur Affectus, ut: quando quis lapides projicit per viam *Gloss. in l. si cum dotem. §. si maritus. ff. solut. matr.* si per viam lutosam incedat, cum per bonam posset ire, *Menoch. Cons. 82. n. 228. lib. 1.* quando turpia & inhonesta publice facit *Grammat. cons. 16. n. 8. in criminal.* *Ex Actionibus Civilibus:* ut si quis uno prope tempore bona sua dilapidavit, ea vendendo vili pretio, vel sine causâ donando. *Paris. in cons. 87. n. 19. lib. 3.* *Ex Dictis:* si quis loquitur verba inordinata, fatua & similia *c. legimus 93. dist. l. 4. §. 1. ff. de Ædil. edict.* quando quis ad rem non respondet, ut si de unâ re interrogetur, de alterâ respondeat. *Geminian. in cap. 1. §. si verò. de cler. agrot. in 6.* Sed hæc indicia & præsumptiones latius diducunt *Mynsinger. 3. observat. 77. Mascard. de probat.*

Concl.

Concl. 824. 825. 826. 827. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumt. 75. n. 57. Mayne ad l. 5. de R. I. n. 4. Ludov. Gilhausen Arb. Jud. Civil. cap. 6. part. 7. §. 148. & accuratissime Zacch. Q. M. L. lib. 2. tit. 1. quæst. 3. ubi hæc prolixissime tradit.

19. Morbi animi sunt vel *Leves* vel *Graves*, Leves sunt: *Fatuitas, Stoliditas, Stultitia, Stupiditas, Memoria defectus.*

20. Fatuitas pro simplicitate ac animi puritate usurpatur à Canonistis *c. pen. de his quæ met. caus.* Fatuos insulsos interpretatur *Donat. in Eun. Terent. Serv. in 7. Æneid.* inconsiderate loquentes, à Fatuâ Fauni uxore, quæ hoc nomen à fando i. e. vaticinando sortita est. Tradit quoque originem *Justinus lib. 43. c. 1. ubi Thysius.* Ergo Fatui dicuntur propriè, qui fando suam ostendunt imperfectionem *Bart. de Testib. n. 98.* Atque inde quidam distinguunt fatuum ab insulso, ut illud sit verbis & dictis, hoc corde & animo. Horum aliquot exempla habet *Ælian. lib. 13. variar. histi cap. 15.* & graphice illos depingit *Erasm. lib. de Lingu. usu & abus. p. m. 144.* Insuper Fatuitas est memoriæ cum ratione diminutio, ut placet *Paulo lib. 3. suæ Med. cap. 11.* quamobrem de his intelligendum dictum illud Jureconsultorum, quod Fatuus præsumendus sit, habens memoriam inordinatam *Alex. in l. 39. §. 7. ff. de Legat. 1. & in l. 22. §. 7. ff. solut. matr. Zacch. Q. M. L. lib. 2. t. 1. q. 7. n. 33.* Quidam Jurisconsulti dividunt Fatuos in eos, qui habent judicium, quantum pueri 14. anniorum, & in eos, qui vix judicio æquant puerum decennem *Tessaur. decis. 92. num. 4. Gödd. de contr. stipul. cap. 7. concl. 9. n. 110.* Jure Lubecensi Kindische dicuntur ex sententia *Magnificentissimi Dn. Mevii lib. 1. tit. 7. art. 8. n. 28.* Vide & *Menoch. de A. I. Q. cas. 529. n. 2.* ubi illos ex Syracide aliter dividit: Sed hæc parum ad nos.

21. Affinia sunt his genera *Stolidi & Stulti.* Stulti à Fatuis differunt *Isid. l. 10.* Ego me ipsum stultum etiam existimo, Fatuum esse non opinor, id est: obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Stolidi Stolones quoque dicti in quâdam *Auson. Epistolâ,* adnotante *Turneb. Advers. lib. 2. cap. 23.* Stultitia est inconstantia sanitate vacans, ut tradit *Connan. 9. Comm. 4. n. 10.* seu; ut *Lactant. lib. 2. divin. Instit.* definit: Stultitia est in factis dictisque, per ignorantiam recti ac boni, erratio. Refertur tam ad Juris imprudentiam, quam ad Facti errorem. Sic stultus est, qui emit hereditatem, quæ solvendo non est *l. 3. ff. ad L. Falcid.* Stultissimus est, si omissâ actione, quâ facillime solidum ex contractu consequi possit, se ad difficultatem perducat probandi, in rem domini versum esse. *§. Cæterum 5. Inst. Quod cum eo qui.* De his dicitur: 1. Stultis non solet succurri, sed errantibus *l. 9. §. 5. ff. de I. & F. ignorant.* 2. Non melioris conditionis sint stulti, quam periti *l. 4. ff. Quod vi aut clam. Bart. in l. Quod Nerva. 32. in 3. Opposit. ff. depositi.* Et ne in pœnis quidem, quod quatenus verum sit, vide *cap. nisi specialis, juncto Bald. de Off. Legat. Syntagm.*

tagm. Jur. Tholosan. lib. 13. c. 5. n. 12. 3. Stultè interroganti non semper respondendum civiliter. *Bart. & Bald. in lib. 27. ff. de Testam. Johannes Dauth. in comm. de testam. fol. 531.* Quatenus interroganti stulte, non semper civiliter sit respondendum, vide *Cravettam consil. 679. Joh. Bapt. Weber. distinct. Bartoli. 668. fol. 510.* In quantum stulte quid monstranti civiliter respondendum, aut interpretanda monstratio, vide *l. 2. §. 4. verb. decem constitui. junct. Accurs. in gloss. sub lit. H. ff. de Origine Juris.* ubi tradit: quod stultis stulta quærentibus stulta debeatur responsio. *Nevius add. l. 27. n. 2. ff. de Testam.*

22. Inter stolidos quoque connumerari debent: Surdi, Muti & Cæci à Naturâ, uti & Muti & Surdi simul. Oportet enim illos fatuos esse, cum mediis careant, quibus ad perfectionem intellectus perducitur: Est enim auditus quasi porta mentis, animusque humanus, non nisi consvetudine & disciplinâ, quæ ex auditu habetur, perfici potest. Igitur Jurisconsulti illos infantibus & furiosis æquiparant & absentium loco habent *Bart. de Testib. n. 97. Farinac. pract. crimin. part. 2. tom. 1. quæst. 98. lib. 3. n. 193.*

23. A stultis aliquantum recedunt *Stupidi* & per eos denotantur homines simplices, mediocres, rustici, & illiterati, quorum intellectus est rudis & imperfectus. Tales excusantur à Tutelæ onere. *§. 8. Inst. de Excus. Tut.* Possunt contrahere. *Scheplitz. prompt. Jur. tit. 12. n. 14.* Possunt testamentum condere, attestante Viglio *in §. item Furiosi n. 2. Inst. quibus non est permiss. fac. test. & Magnific. Dn. Mevio in I. L. lib. 2. tit. 1. Artic. 1. n. 19.* Illis jura maximopere favent. Hinc docuit *Cardinal. in Clem. 2. in 2. notab. de Pœnit. & remiss.* Simplicitati succurrendum esse, & *in Clem. 1. q. 39. de privilegiis,* quod aliquando excuset à delicto. Judicis tamen arbitrio ista determinatio est relinquenda. *Barba. cons. 6. col. 9. in fin. lib. 4.* Ad hanc classem referuntur omnes ii, quibus vel ratione ætatis, vel sexus, vel conditionis, defectus rationis est, ut sunt: Pueri & Minorennes, Feminæ, Rustici. De quibus singulis jura bene multa constituta, quæ huc trahere, nimis foret operosum. De quibusdam satis bene *Paul. Zacch. lib. 2. tit. 1. q. 5. per tot.* De Pueris *Menoch. A. I. Q. cas. 427. n. 11. n. 13. cas. 426. n. 4.* De Minorennibus *cas. 171. & passim. Dn. Carpzov. in Pr. Cr. p. 3. q. 143.* De Feminis prolixe *Frid. Bruckman. in tractat. de different. utr. sex. Aymo Cravetta de mulier. indemnitat.* De illarum jure *Martin. Benckendorff. Joach. Wiebelius. Dn. Carpzov. Eichel. in l. 2. l. 110. § 4. ff. de R. I.* De Rusticis & eorum privilegiis uberrime peculiari tractatu *Renat. Choppin.* & *Menoch. de A. I. Q. cas. 194 per tot.*

24. Memoriâ defecti ab *Obliviosis* videntur distinguendi. Obliviosi proprie igitur illi sunt, qui difficulter rerum memoriam conservant: Memoriâ vero defecti, qui nullam omnino, nec multo, nec paulò antè præteritorum, conservant memoriam *Zacch. Q. M. L. lib. 2. tit. 1. q. 7. n. 42. & 43.*

25. Signa

25. Signa memoriæ labefactatæ sunt 1. *Temporis diuturnitas.* Hinc sunt, qui existimârunt, per lapsum Decennii oblivionem præsumi *gl. in l. licet C. de acquir. poss.* quod quidam locum non habere volunt, cum quis juravit. *Marc. Anton. Baveria. in tract. de vi juram. c. 14.* Quandoque per annum oblivio præsumitur *l. 28. ff. de probat.* 2. *Longa absentia,* unde sæpe præsumitur ea nasci *l. 36. §. 1. ff. de Usucap.* 3. *Negotiorum multitudo.* Sic in Principe, Officiali, vel alio multis negotiis implicito, facilius oblivio inducitur & præsumitur, ut docuit *Ripa in l. quod jussit. num. 47. ff. de Re Judic. Alex. Consil. 214. part. 2.* Hinc in Notario magis præsumitur oblivio, quam falsitas *Aretin. in Cons. 47. num. 3.* Omnium enim rerum memoriam habere, potius est divinitatis quam humanitatis *l. 2. §. 14. C. de Vet. Jur. enucl. Arum. in præfat. tractat. de Morâ.* Sed melior est sententia eorum, qui totum hoc Judicis arbitrio committendum putant, quanto tempore oblivio inducatur, qui ratione Personarum, Sexuum, ætatum, negotiorum, infirmitatum, melius omnia hæc dijudicabit & dispensabit, ut recte sentit *Menoch. de A. I. Q. cas. 26. n. 2. &c.* Vide & *Mascard. 3. de probat. concl. 11.*

26. Memoriâ qui planè sunt orbati, non idem juris habere debent, quod obliviosi: Nam priores illi sine dubio recte contrahunt, testantur, bona sua administrant, quod quidem difficulter de illis, qui memoriâ orbati sunt, affirmandum. De iis disputandum adhuc est; an ad officia publica admitti debeant, cum in publicis officiis & prudentiâ & rerum exquisitâ memoriâ opus sit; an ad testimonium dicendum apti sint &c. Igitur necessario hoc arbitrio judicis relinquendum est, ut recte sentit *Zacchias Q. M. L. lib. 2. tit. 1. q. 7. n. 46. & seqq.*

27. Huc pertinerent jam omnes, qui ex commotione aliqua animi in mentis defectum incidunt, ut sunt Iracundi, Ebrii &c. Sed cum hoc pertractare nimis prolixum sit, hic absolvendum non erit. Videantur potius ii, qui hæc vitia & eorum jura luculentius proponunt.

28. Morbi Animi *graviores sunt: Melancholia, Amor, Furor.*

29. Melancholia affecti Jurisconsultis nihil aliud sunt, quam mente capti, ceu satis probat *Paul. Zacch. Q. M. L. lib. 2. t. 1. q. 9. n. 3. & seqq.* & *num. 16.* abunde. Nec obscure illud innuit *Ludov. Gilbaus. Arb. Jud. Crim. cap. 2. tit. 34. §. 4. n. 4.* Mente captus, inquit, à furioso in hoc differt, quod furiosus animi rabie agatur atque vexetur, & ob id furiosus dicatur, quasi mens extra se feratur, unde mentis remotæ dicuntur, qui furore agitantur. Mente vero captus is est, cui pars rationalis animæ vitiata est, nec, ut ille, animi rabie agitur; sed quiete agens nulla furoris indicia ostendit. Hi à dementibus non differunt, quod *probat l. 25. C. de Nupt.* ubi eum, quem mente captum, ad furiosi differentiam, appellavit, mox dementem nominat

 Borcholt,

Borcholt. ad §. *Furiosi. in fin. Inst. de Curat.* Furiosos, inquit, Græci μαινομένους; mente captos sive dementes ἀνοήτους appellant. Ac omnis furiosus est mente captus, sive demens, sed non omnis mente captus sive demens est furiosus. *Scurph. consil. 24. n. 2. cent. 2.* addit, quod differant ut excessum & excedens, cujus distinctionis vim sane non capio, Vide de his *Gödd. de contr. stipul. cap. 7. concl. 9. Mascard. de probat. concl. 502. 826. & 1048. Petr. Gregor. Tholos. 13. Syntagm. jur. cap. 5. Menoch. 6. præsumpt. 15. num. 16. Heig. lib. 2. quæst. 38.*

30. Melancholicis non inepte adjungi possunt *Dormientes & Noctambuli*: nam & Jurisconsulti eos furioso & absenti æquiparant. *Menoch. de A. I. Q. cas. 327. n. 5. Caballus in tract. de omni genere Homicid. n. 182. c. 1. Clem. de Homicid. Tiraq. de pæn. tempor. caus. 5. n. 2.*

31. Amantes (intellige insane & perdite) inter Melancholicos connumerantur. Amor enim sollicitudo est Melancholica similis Melancholiæ, quia non aliter, quam aliæ passiones quævis Melancholicæ, Amor prævertit judicium rationis, ut Medici cum aliis fatentur; & ex jureperitis *Bald. in l. 2. §. 24. ff. de Origine Juris.* Aptissime definit hanc passionem *Hucher. l. 4. de sterilit. cap. de Philtris.* Amor, inquit, dicitur atrabilaria, hoc est, Melancholica quædam animi desipientis ægritudo, pulchritudinis alicujus imagine & iniquâ æstimatione perciti & perturbati. *Zacch. Q. M. L. l. 2. t. 1. q. 10. n. 1. & seqq.* Talis autem Amor nihil aliud est, quam furor vehemens, quem retinere, philosophiæ est perfecta monentis & insilientem atque inhærentem concupiscentiam refrenantis. *Nov. 74, cap. 4. vers. Novimus etiam.* Hinc est, quod tradit *Simanch. de Cathol. Instit. tit. 17. rubric. de defens. reor. n. 45. ex Aristot. lib. 2. magn. moral. cap. 6.* duas esse ejus incontinentiæ species: *Unam* prorumpentem & improvisam, sive confestim provenientem, *alteram* vero imbecillitatem quandam, quæ cum ratione avertente insurgit. Prior illa est, quæ furori comparatur. *Carptz. Pr. Cr. p. 2. q. 61. n. 62.* Amans comparatur ebrio *gloss. Inst. de succ. sublat. §. 1. verb. bacchata.* furioso *d. Nov. 74. cap. 4.* imo & fere ipsam vitam perdit: nam amans in alio corpore vivit. *Mascard. de probat. concl. 89. n. 3. vol. 1.* Hinc Amans à rebus agendis eliminatur, ut tradit in terminis contrahendæ societatis *Felic. de Societat. cap. 7. n. 11.* Hinc excusatur, si aliquid amoris impetu fecerit. Sicuti enim ebriis, furiosis aliisque, ex animi perturbatione aliquâ vel impetu delinquentibus, ignoscitur: sic etiam ignoscendum est ei, saltem ut mitius puniatur, qui amoris impetu deliquit. *Oldrad. cons. 210. n. 4. Alberic. in rubric. C. de hæret. n. 12. in fin.* Et *Clar. 5. sent. q. 6.* Amorem respondet plane à pœnâ non excusare; sed tamen eam elevare, cum id quasi furiosus vel demens fecisse videatur. *Carer. in pract. crim. §. fin. q. 60. n. 7. vers. Est & Amor.* Quod quomodo in quibusdam delictis procedat, docet *Farin. part. 3. pr. crim. quæst. 98. n. 81. & seqq.* Hinc scriptum

ptum reliquit *Joh. Fabri. in §. Soror. Inst. de Inoff. Testam.* Mulierem infamem meretricemve non esse, nec turpem personam, si amore vehementi capta, sui copiam amanti fecerit; & ob id ait, à testatore institui posse, etiam fratre vel sorore præteritis. *ex d. §. Soror.* quoniam meretrix illa proprie dicitur, quæ quæstum meretur, vel absque quæstu palàm se prostituit *l. 43. §. 3. de ritu Nupt. c. Vidua dist. 34.* ubi ridicule glossa addit, quod illa sit meretrix, quæ admiserit 23000. hominum, quod & *Plaut. in Mostell.* confirmat: *Matronæ, non meretricum est uni inservire amanti.* Rationes multas argumentaque cumulavit hâc de re *Menoch. de A. I. Q. cas. 328. à n. 3. usque ad finem, quæ lectu non sunt in elegantia.* Ratio non invalida est, quod Mulieres in libidinem sint pronæ, uti illud late diducit. *Burch Berlich. de Jure Noverc. n. 398. &c.* De Amore scripsit inter alios *Petr. Heig. lib. 2. q. 8.*

32. Signa & Præsumptiones Amoris sunt: Mulieris pulchritudo; *Rota in noviss. decis. 338. n. 4. part. 1.* frequentatio viarum insvetarum. *Paris. cons. 10. vol. 2. num. 32.* Indumenta & Ornatus elegantiores &c. Cætera à Medicis petuntur.

33. Venio nunc ad Furorem & Furiosos. Furorem *Cic. 3. Tusc.* definit: quod sit mentis ad omnia cæcitas. Furiosus est insanus furore agitatus; Mente captus, qui quiete degit; ceu eleganter definit *Corvin. in Posth. Pacian. lib. 4. defin. 156.* Eorum nulla certa est voluntas *l. 40. ff. de R. I.* nulla certa vox *l. 7. pr. C. ad Sc. Trebell.* nullus sensus *l. 22. §. si maritus ff. solut. Matrim.* nullus consensus *l. 2. C. de contr. Empt.* nullusque affectus *l. 1. §. 6. ff. Ne vis fiat.* pro mortuis fere *l. 1. in fin. ff. de bonor. poss. furios. l. Bonorum ff. rem ratam haberi.* absentibus & quiescentibus per omnia habentur. *l. 125. ff. de R. I. l. 2. ff. de Procurat. Magnific. Dn. Mev. in I. L. lib. 1. tit. 7. art. 6. n. 24.* lapidi æquiparantur *Bart. in l. 1. §. item acquirimus ff. de acquir. poss. Nunnez. resp. 35. n. 4. col. 2.* pro ignorantibus habentur *l. 4. ff. de divort.* pro pupillis, dormientibus &c. *Camillus Gallinius in tr. de V. S. lib. 5. cap. 16. n. 194. Böer. decis. 23. n. 47.* Furiosi in jure nostro duûm sunt generum; unum eorum, qui in perpetuo furore sunt, qui (ut ait Macer) *l. 14. ff. de offic. Præsid.* continuâ mentis alienatione omni intellectu carent; alterum eorum, quorum furor intermissus est & qui dilucida habet intervalla, seu inducias *l. 22. §. 7. ff. solut. matr. & l. 20. §. nec furiosus ff. qui testam. fac. l. 6. C. de curat. furiosi.* ubi furorem perpetuum, continuum vocat furoris infortunium; Intervallarem, morbum cum laxamento; Intervalla ipsa, confinium furoris & sanitatis.

34. Vidimus hactenus morbos solius animi, nunc illos animi morbos considerabimus, qui in corpore se quoque exerunt illudque simul infestant. Tales sunt: Phrenesis, Apoplexia, Epilepsia, morbus Lunaticus,

naticus, Rabies, Delirium ex assumpto veneno, ex Philtris, Morbus Dæmoniacus, Fanaticus & plures alii.

35. Phrenesis proprie ita dicta, est perpetuum delirium cum Febri, uti illud definiunt & Medici & Jurisconsulti *l. 1. §. 9. in fin. de Ædil. edict.* cum propter febrem loquimur aliena. *l. 4. §. 1. d. t.* De Phreneticis omnia vera sunt, quæ de Furiosis: nam & adeo sunt mente alienati, ut ignorent, quid agant. *Rodericus Svarez. allegat. 1. num. 7. Menoch. consil. 311. num. 29.* Huic affinis est morbus Paraphrenesis, qui est intervallaris & tempore paroxysmi, furori itidem æquiparatur.

36. Apoplexia est repentina omnium sensuum ruina. Germ. der Schlag. In Apoplecticis omnia sine dubio locum habent, dum in accessu est, quæ obtinent in furente, absente & mortuo. Sed qui ex forti Apoplexiâ evadunt, quod tamen raro fit, per totam ut plurimum vitam infatuantur, qui ex levi, per aliquod tempus, testibus Medicis. Ideo Jurisconsultis videndum, annon actus illorum suspecti sint, & an ad omnes admittendi, an quæcunque ab illis fiant, legitime fiant. Quod Judicis arbitrio relinquendum. Quin & putat *Zacch. Q. M. L. l. 2. t. 1. q. 14. n. 10.* ad alicujus fatuitatem probandam, maximam præsumptionem facere, si constet, illum Apoplexia non adeo levi detentum fuisse.

37. Epilepsia est totius corporis convulsio, cum mentis & sensuum ablatione. *Galen. 3. de loco affect. c. 7. class. 4.* Epilepticus sanus non est, ne quidem his diebus, quibus morbus vacat *l. 53. ff. de Ædil. edict.* & ibi vocatur morbus comitialis. Rationem ejus nominis & aliorum vide *ap. Gothofr. ibid. in notis* Tradit *Bertachin. de Episcop. l. 2. cap.* 45. Epilepticum non posse eligi in Episcopum. *Gartz. de benefic. part. 7. c. 12. n. 20.* Epilepticum non posse obtinere beneficia ordinem requirentia, quia neque ordinari possit & ad sacra promoveri *Gloss. in c. 1. caus. 7. q. 1.* Imo, quod neque promotus possit administrare *Paris. de resignat. benefic. lib. 5. quæst. 65. n. 105.* quod tamen de forti Epilepsia tantum intelligendum esse monet *Zacch. lib. 2. quæst. 14. n. 21. &c.*

38. Morbus Lunaticus est idem ferme cum Epilepsia: sed in hoc differt, quod veniat ad Lunæ motum, quamvis hoc nomen non solum Epilepsiæ, sed in genere omnibus morbis, ad Lunæ motum se dirigentibus, applicari posse adducat ex *Spigelio & Brissonio Calvin. in Lexic. Jurid.* verbo hoc. Sane nil impedit ita accipi in *l. 43. §. 6. ff. de Ædilit. edict.* Cæterum Lunatici non alio, quam Fatuorum jure frui possunt.

39. Rabies ut plurimum venit ex morsu canis, & *Festus l. 16.* hunc morbum caninum vocat. Unde qui à cane rabido mordentur, redduntur rabiosi. In Jure nostro vox illa interdum pro impotente furore sumitur.

Sic

Sic l. 2. C. qui test. fac. poss. Sed aut impatiens doloris, aut furoris rabie constrictus, se præcipitem dedit. Ad Melancholicorum classem referendi sunt juxta sententiam *Zacch. d. tr. l. 2. t. 1. q. 18. num. 25.* Si tamen omnino furentes evadant, ut cæteri furentes habendi.

40. Delirium ex veneno dato nonnunquam oboritur. Talia autem venena propinans, si mors subsequatur, sine dubio, Jure Civili, capitis supplicio afficiendus & si dignior persona est, deportanda est *l. 28. §. 9. ff. de pœn. Const. Carolin. artic. 130.* rotâ contunduntur. Et licet mors non fuerit subsecuta, eâdem afficiendos esse pœnâ vult *Didac. Covar. in Clem. si furiosus part. 2. in pr. n. 6. vers. præter de Homicid.* propterea: quoniam tunc, cum ex latere conantis delictum, nihil superest agendum ad criminis perfectionem, tum conatus in se nomen delicti perfecti habeat. *Bald. in l. 5. C. de Accusat.* à quâ tamen sententiâ discedit cum aliis *Carpzov. part. 1. prax. Crim. q. 2. num. 43. 51. & 54.* Quid ergo statuendum de illo, qui in hunc finem propinaverit venena, ut infatuetur? Jus Civile adversus illum actionem Injuriarum dat. *l. 15. pr. ff. de injur.*

41. Dilirium non rarò ex Philtris datis accidit. Philtrum autem est, quod aliàs poculum amatorium vel amoris vocatur *l. 38. §. qui abortionis ff. de pœnis,* quod tamen *Calvin. in Lexic. sub hâc voc.* confundit cum speciebus ingredientibus ipsum philtrum, dum illud ita definit: Poculum amatorium est potio ex Philtris aliisque herbis ac rebus, ad excitandum amorem, alicujus viri, vel feminæ, confecta. Hæc furorem &, ut plurimum, mortem ipsam conciliant, secund. *Ovid. lib. 2. de arte amand. Philtra nocent animis vimque furoris habent.* Non tamen, qui illa propinat, cum mors insequitur, pœnâ capitali plecti debet, licet multi contrarium statuant *per d. l. & d. §. ff. de pœnis Paul. Ghirland. in tract. de Sortileg. q. 12. n. 3.* Sed illis non adscribit *Carpz. in Pr. Cr. p. 1. q. 21. n. 16.* & ad d. l. reponit: non ibi de simplici philtro dici, quod conciliandi tantum amoris gratiâ datur, sed de tali Philtro, quod Amasiæ, ad impediendam conceptionem, ob libidinem securius explendam, adhibetur, ut genitura simul impediatur, & tunc dolose fecisse judicandus est pœnaque dignus est. Extra hunc casum autem, extra ordinem, relegatione puniendus est *arg. l. 3. §. 2. in fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quæ tamen pœna asperari potest, si vel ad adulterinum congressum, vel ad alium nefarium coitum directa sit intentio, vel si magis prohibitis utatur aliquis mediis, quemadmodum fustigationem cum perpetuâ relegatione fuisse dictatam alicui feminæ, quæ magicis artibus, ad conciliandum sibi alicujus amorem, usa fuerat, refert *Dan. Moller. ad Constit. Elect. Aug. 2. n. 6. part. 4. Carpz. d. l. n. 20.* De Philtris vide ulterius, quid habeat *Majol. dier. canic. tom. 2. colloq. 2.*

fol. 634. Riccius prax. Eccles. fol. m. 726. Besoldus thesauro practico, voce Liebtränckleins *Speckhan. cent. 3. cl. 2. q. 5. Menoch. de A. I. Q. cas. 358.*

42. Dæmoniaci sunt à Diabolo obsessi. Hi Furentibus & insanis sunt æquiparandi, quia mens in istis, ut in illis, ex Dæmonis opera alienata est. Igitur ab Ordinum susceptione & administratione perpetuo excluduntur. *Paris. de resignat. benefic. lib. 5. q. 6. n. 49.*

43. Fanatici sunt, qui quasi quodam furore correpti, in fanis oracula fundebant. Dicuntur &, qui atræ bilis abundantiâ caput jactant, Fanatici. Hi, quando habent intermissiones, sani existimandi sunt. *Sic per l. 1. §. 9. ff. Ædilit. edict.* idcirco servus, qui solummodo per circuitus quosdam ac de raro fanaticus videretur, pro sano pronunciatur, ubi vide *Gothofr.* explicantem latiorem hujus vocis originem. *Zacchias d. l.* Budæum reprehendit, quod Fanaticum non distinxerit â Dæmoniaco. Sane, si quoad nomen illos convenire dixit, nil erravit; Notum enim est: Dæmonium μέσον esse vocabulum & numen aliquando in genere significare, sive bonum, sive malum; nam uterque & Fanaticus & Dæmoniacus Dæmonio quodam sive numine sunt perciti: nam & Autor Synopseos Epilepsiam, sive comitialem morbum, vertit δαιμονιζόμενον νόσον, quo tamen affecti, nullo numine agitati videntur. Tales ad nullos adeo dementes referendi sunt, cumque intermittit hic paroxysmus, sani sunt habendi.

44. His jam recensitis speciebus affectionum Animi, quarum in Jure nostro mentio est, accenseri debent species in illo non contentæ, ut ad illorum similitudinem & de cæteris congrue jus dicatur. *arg. l. 12. 13 ff. de leg.* aut Medicorum judiciis stetur *Arg. l. 12. ff. de Stat. Homin.* 1. Fatuis sunt annumerandi Icti à Fulmine, qui, si restituuntur, per totam ut plurimum vitam infatuantur. Congelati, Cataleptici & Siderati, qui sensu ac motu omni destituuntur & rationalem partem non modo læsam; sed pene obliteratam habent insimulque etiam memoriam. Syncopizantes seu Lipothymi, qui deliquium mentis patiuntur, dum nempe illo affectu tenentur. 2. Ad Melancholicos referendi sunt Hypochondriaci, qui delirant ex Hypochondriacorum morbo & intemperie. Lymphatici, qui ex vanis pavoribus & apparitionibus nonnunquam in Melancholiam incidunt. A Tarantulâ morsi, quæ est genus Araneæ, à Tarento, Appuliæ urbe, ita appellata: De hujus rei mirificis effectibus, scribit *Jonston. Thaumatogr. class. 8. c. 23. Scaliger Exerc. 185.* & uberrime ex omnibus *Athanas. Kircher. in fine tractat. de Magnetism.* Hos, cum circa unum objectum plerumque insaniant, ad Furiosos non poterimus referre; Igitur ad Melancholi-

cholicos referamus, cum *Ardoin. de Ven. lib. 8. c. 5.* Ad Dormientes referendi sunt Lethargici, Carotici, Comatosi. 3. Ad Furiosos spectant Lycanthropici, Cynanthropici & similes, qui se canibus & Lupis associant, omnesque eorum functiones perpetrant, quo morbo Nabuchodonosor quibusdam affectus fuisse videtur. Præstigiati, qui à Dæmoniacis non multum discrepant. Enthusiastæ, qui irritantur tanquam maniaci & in se manus injiciunt. Engastrimathi, qui è ventre loqui videntur, clauso ore, quod Dæmonem in ventre habere credantur. Lecanomantici, qui ad sonitum pelvis vaticinantur. Furentes ex utero. Tales sunt mulieres, quæ adeo interdum Veneris œstro percelluntur, ut ad rabiem usque perveniant. Vide *Jonston Thaumatogr. class. 10. cap. 5. artic. 1.* De singulis igitur illis pluribusque adhuc animi morbis, quomodo interdum, vel dilucida habeant intervalla, vel non, vel infinitis circumstantiis actus nostros vel legitiment, vel invalident, caute & prudenter Judici est circumspiciendum, & ut plurimum ex Medicorum peritorum consilio agendum: Impossibile enim est, omnes istos casus legibus comprehendi *l. non possunt ff. de leg.* Non videor igitur mihi operam ludere, si ex *Zacch. d. l. q. 21. n. 12.* quasi per quendam indicem, excerpam, qui morbi dilucida intervalla habeant, qui non. Intervalla dilucida non habent 1. desipientes ratione infantiæ & pueritiæ. 2. Delirantes ex senio. 3. Mulieres delirantes circa sexus imbecillitatem. 4. Fatui, Stolidi, Stulti, obliviosi. 5. Muti & Surdi à Natura. 6. Ebrii. 7. Lethargici, Comatosi & Carotici. 8. Icti à fulmine, attoniti, congelati, seu cataleptici. 9. Phrenetici. 10. Hydrophobi, seu rabiosi. 11. Ex assumpto veneno insanientes. 12. Ex morbo longo dementati. In cæteris autem morbis omnibus licet sperare dilucida intervalla.

45. Atque sic, quantâ licuit brevitate, perspeximus morbos hominum, respectu essentialium constituentium 1. Animi solius, 2. Animi & corporis simul. Restaret nunc, corporis morbos à nobis pertractari. Sed cum illos omnes huc cumulare instituti nostri non sit, nec Jurisconsultus ad species illorum tam accurate descendat, hic omitti illi possunt, & si quid obiter de quibusdam in specie incidit, ad sequentia reservabimus.

46. Personæ II. considerabuntur nobis, respectu *Sexus & Naturæ*, & sunt vel Mares; vel Feminæ. *Mollenbecc. divis. Jurid. cent. 1. division. 18.*

47. Morbi *Marium* ventilantur, respectu generationis activæ, & sunt Impotentia; vel absoluta; vel relata.

48. Impotentiam absolutam voco, per quam quis, respectu sui ipsius perque se generare non potest. Impotentia autem in genere, est vitium

tium vel defectus naturalis aut accidentalis, quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri. *Hostiens. in summ. lib. 4. tit. de frigid. & malef. §. 1. num. 1. Brunell. de Spons. & matr. concl. 28. n. 2.* Impotens igitur est, qui non potest reddere debitum conjugale *c. 2. de frigid. & melefic.* seu, qui non potest coire mulieri; & agere ea, quæ à naturâ Viris data sunt *cap. 6. novell. 22.* Frigidi autem qui proprie dicantur, multa est disceptatio inter Medicos, nobis non dirimenda. Credo tamen proprie illos dici, qui ob caloris naturalis paucitatem materiâ prolificâ destituuntur, atque sic ad generandum sunt inepti, quod in pueris & senibus accidit, licet illos improprie dici Frigidos contendat *Zacch. lib. 3. tit, 1. q. 5. per tot.* ubi varias variorum Medicorum proponit sententias. Nobis sat erit, si illos cum impotentibus conjungamus.

49. Signa, Præsumptiones & Probationes frigiditatis varia sunt, quæ partim ex Medicis; partim à Jurisconsultis petuntur: & voluerunt Jurisconsulti, frigiditatem tam in viris, quam in feminis, per corporis aspectum probari, ut notat ex pluribus *Mascard. concl. 816. n. 1. lib. 3.* Impotens autem quis censendus non est, licet uno testiculo careat *l. 6. 7. 35. §. 7. ff. de Ædilit. edict.* cum adhuc generare possit *Abb. in c. 2. de frigid. & malef.* Recenset ejusdem signa sat multa *Anchar. in cap. 1. n. 10. & in c. laudabilem. n. 7. de frigid. & malefic.* Præsumptiones & Probationes Impotentiæ non sunt unæ. Pro Impotentiâ Viri declaranda multa sunt indicia. Sed an illa ex Feminarum inspectione haberi possit, dubitatur: Nam 1. Aut mulier non erat Virgo, eo tempore, quo contraxit matrimonium cum Viro, quem nunc asserit esse impotentem. Hoc casu non potest probari ex inspectione mulieris Impotentia Viri. 2. Aut mulier erat Virgo eo tempore, quo nupsit marito, & videbatur tunc ex inspectione ejus Impotentiam Viri demonstrari posse. Quemadmodum quoque obstetricibus, quæ Virginitatis notas explorant, credendum esse vult *gloss. in cap. satis 33. q. 5. & Mascardus Concl. 1410. col. ult.* Sed recte negat hoc *Butrius in cap. 1. de frigid. & malefic. col. pen. vers. Item quia:* Nam & *c. nec aliqua 27. q. 1.* dicitur: manus obstetricum & oculos sæpe falli; Fatenturque id ipsi Medici, quemadmodum illud satis declarat *Zacch. lib. 4. tit. 2. quæst. 1.* Signa igitur à Viro ipso petita magis sunt evidentia & certa. *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 90. per tot.* Poterit insuper & probari, si per trium annorum cohabitationem conjuges non potuerint coire; ex hoc enim satis clare constare dicitur de frigiditate illorum in *cap. laudabilem. de frigid. & malef. & ibi Gloss. super verb. Frigiditas.* Et hoc triennium dari debet, quando aliunde non probari potest. *Ludov. Gilhaus. Arb. Judic. Civil. cap. 6. part. 2. §. 277.* Idem cursus triennii multo magis debet exspectari in corruptâ muliere, quæ non habet ita efficax argumentum pro se, ut habet Virgo, quæ arguit quodammodo Viri impotentiam. Contra impoten-

potentiam Viri præsumptiones sunt 1. Ubi visibilis impotentia in Viro non apparet, Vir præsumitur potens *c. 1. in fin. de frig. & malef. Menoch. de præsumpt. d. l.* 2. Muliere Virum impotentem esse asserente, Viro autem negante, præsumitur Vir potens: quia magis creditur Viro, quam mulieri: nam Vir tanquam mulieris caput dignior est ipsa muliere *d. c. 1. & Can. 3. caus. 33. qu. 1.* 3. Viro se impotentem asserente, Muliere negante, præsumitur Vir potens. *Anchar. in c. 1. n. 4. de frigid. & malef.* ratio prima est, quia in dubio pro matrimonio est pronunciandum *c. ult. de Sent. & re jud.* Secunda: quia cum mulier stimulis carnis agitari soleat. *cap. ult: de eo qui cognovit.* verosimile non sit, mulierem velle stare cum impotenti. *arg. d. c. 1. in fin.* tertia; quod, cum non liceat propriam turpitudinem allegare, non credatur hoc Viro tam facile *arg. l. 30. C. de Transact. cap. inter dilectos de donationibus.* 4. Mulieri, quando post annum, vel semestre, non est conquesta de Viri impotentia, non tam facile creditur; sed potius pro Viro præsumitur. *d. c. 1. versic. Illa autem.* 5. Potentia Viri probatur, si cum aliâ muliere coiverit, ceu id aliquando admissum fuit, sed male. Vide *Menoch. lib. 6. præsumpt. 90. num. 9.* Multa quoque hâc de re habet. *idem de A. I. Q. cas. 519.*

50. Omnis Impotentia est vel à Natura ipsâ; vel ab Accidenti: Naturalis Impotentia definitur *Klingio. de caus. matr. c. 5. n. 54.* quæ ex Naturæ dispositione, sine facto hominis provenit: Ubi videtur Accidentalem vocare, quæ ex facto hominis provenit. Verum sic non Impotentiam, ex morbis contractam, ad accidentalem Impotentiam referre poterimus, quæ tamen neque est naturalis; sed tanquam σύμπτωμα principali morbo accedit, & sic consequenter homini.

51. Naturalis dividitur in Temporalem & perpetuam. Temporalis subdividitur, in impotentiam, quæ ab initio quidem est, sed tempore desinit esse; ut in impuberibus; & illam, quæ ab initio non est, sed tractu temporis naturaliter oritur: ut in Senibus.

52. Impotentia Accidentalis est, quando naturaliter potens ex post facto fit impotens, & est duplex. 1. Manifesta, quæ per violentiam infertur, ut per sectionem. 2. Occulta, quæ provenit, vel ex maleficio & incantationibus, vel ex morbis. vide *Kling. l. c.*

53. Impotentiæ Effectus sunt duplices; aut enim Impediunt matrimonium, aut dissolvunt. I. Impedit Matrimonium omnis Impotentia naturalis & accidentalis, nisi sit facile sanabilis, aut tractu temporis se ipsam emendet, &, uti *in c. fraternitatis 6. versic. nos tamen: Extr. de frig. & malef.* dicitur, si præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo, non poterit removeri. Impotentia naturalis tempora-

poralis, ab initio existens, & cum tempore desinens, est in Impuberibus, ut in masculo ante 14. annum, & in femina ante 12. annum, hæc impotentia impedit matrimonium, *pr. Inst. de nupt. l. 4. ff. de rit. nupt. cap. 6. & 10. Extr. de despon. imp.* nisi malitia ætatem suppleat *c. de illis 7. & c. ult. d. t.* Sed referente *Zacchiâ ex Brunello de Sponf. concl. 28. n. 8. & ex Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 195. n. 5.* si in particularibus, ante determinatum annorum terminum, adveniat coeundi potentia, matrimonium contrahi potest, etiamsi generare non possit, cum ex frequentatione debiti conjugialis sperari possit generatio. Justinianus tamen videtur in masculis 15. annum assignare *Nov. 100. c. 2. vers. novimus*, quemadmodum & *Leo Nov. 74.* feminis 13. annum adscribit, 15. maribus. Sed respondet ad illud *Olemann. add. 1. disp. jurid. Gipban. disp. 3. n. 17. in fine*, distinguendo, inter annum inceptum & completum: Puberes enim dicuntur masculi, qui annum decimum quartum complerunt, & feminæ Viripotentes, qui annum duodecimum excesserunt *pr. Inst. quib. mod. tut. finit.* Ergo per consequens inchoarunt 15. & 13. annum. Licet autem impuberes matrimonia contrahere non possint, possunt tamen sponsalia de futuro, si sunt majores 7. annis. *t. t. de desponf. impub.* & hæc tamdiu valent, quamdiu non perveniunt ad pubertatem, & ante eam non possunt resilire aut pœnitere, *c. de illis. cum seqq. d. t.* ; Habent enim desponsationes impuberum effectum sponsaliorum de futuro, & omnes tractatus sponsaliorum præparatorii, non magis ligant contrahentes, quam desponsationes impuberum. *Dn. Carpzov. in Consist. l. 2. tit. 10. def. 174. n. 6.* Si autem forsan in desponsatione impuberum pæna adjiciatur, puta centum, vel mille aureorum, non servanda est, quemadmodum eleganter eâ de re disserit *Beust. de Sponsal. part. 1. n. 4.* Impotentia Naturalis, quæ ab initio non est: sed tractu temporis oritur, est in senibus, qui propter caloris defectum fiunt impotentes. Illa autem Matrimonii obstaculum non est, nec per illam rescinditur. Cautum quidem fuit L. Papiâ, quod masculus, sexagenario major, non contrahat cum muliere, majore, vel minore quinquagenariâ; & contra major quinquagenaria non contrahat cum majore, vel minore sexagenario. Sed sublata est hæc lex per *l. Sancimus C. de Nupt.* cum matrimonium in senibus sit legis obsequium & humanitatis solatium. *c. nuptiarum cum gloss. ibid. in verb. quibusdam 27. q. 1. gl. in cap. quod sedem. in verbis: Impotent. de frigid. & malef.* Finis quidem conjugii primarius hic cessat: sed cum secundarius etiam finis sit mutuum adjutorium, & is aliquis esse possit in tali conjugio, merito hoc conceditur, licet cum quâdam dissvasione id fieri debeat, si personarum conditiones illud exposcant. Discutit hoc ab utraque parte *Dn. Carpzov. in Consist. l. 2. tit. 1. defin. 13.* Impotentia Accidentalis manifesta, quæ per violentiam infertur, per quam quis

amit-

amittit virilia & Spado fit. (Spadonum enim vox generalis est *l. 128. ff. de V. S.*) impedit interdum matrimonia, interdum non. Non impedit, si forsan vitium tam grande non sit, ut possit tamen generare, sique sanabile sit, quemadmodum illis accidit, qui unum testiculum amiserunt *l. 6. l. 7. l. 35. §. 7. ff. de Ædilit. edict.* Illud autem vix obtinet, quod *Melchior Kling. de caus. matrim. c. 5. n. 82.* ex Glossa ad *can. 11. qui. 25. caus. 32. q. 7.* adducit, etiam castratos, quibus potestas est coeundi, licet ad generandum sint inepti, matrimonia posse inire, cum tamen procreatio liberorum sit finis matrimonii, adeoque potius potentia generandi, quam potentia coeundi sit inspicienda. Quæ autem sectio tam violente illata est, ut plane de illius restitutione dubitetur, & ut is generationi nullo modo aptus esse possit, cui obtigit, si præcesserit matrimonium, impedit contrahendum dirimitque contractum per *text. in d. c. quod sedem junct. gloss. in verb. impotentes in fine. de. frigid. & malef.* Nullo igitur modo impedit Matrimonium impotentia ex morbis, cum speretur restitutio. Sed si inveterati & longi morbi sint, ut vix ac ne vix quidem ad valetudinem & potentiam redigatur aliquis, credo secus esse de matrimonio contrahendo. Certe, morbos hominem reddere impotentem ad generandum, probat *l. 6. in fin. ff. de his qui sunt sui.* & *lib. 15. §. 2. ff. de Adopt.* quod tamen de omnibus verum non esse tradit *Zacch. l. 3. tit. 1. q. 4. n. 7.* Cessant autem omnia hæc impedimenta, si quis sciens contrahat cum impotente: Tunc enim tenetur cohabitare. Quamvis enim Vir hoc casu, mulierem impotentem non possit habere in uxorem, & mulier Virum in maritum, tenetur tamen habere, ut sororem & fratrem. *c. consultationi 4. & & seqq. de frigid. & malef.*

54. Dissolvunt Matrimonium; seu potius nullitatem ejus declarant: Nam proprie hæc dissolutio non est divortium: sed declaratio, ut alii sciant, illam societatem non esse conjugium *Schneidewin in tit. Inst. de Nupt. part. 4. n. 22. Conrad. Mauser. in eund. tit. ad §. Sunt & aliæ. sub fin.* Non enim est verum matrimonium, quod imprudenter cum impotente contrahitur; quia nil consensui magis contrarium, quam error *l. 15. ff. de Jurisd.* & errantis nullus est consensus *l. 9. C de I. & F. ignor.* Atque ita deceptus in materiâ nunquam in eam consensit: voluit enim Vir ducere mulierem, quæ Viripotens esset & apta ad procreandam sobolem; Mulier contra nubere Viro potenti & ad generandum non inepto. Cum igitur hic neque sit vera causa Essentialis, nec vera causa finalis Matrimonii, matrimonium hîc nullo pacto subsistere potest. *Basilius Monner. de matrim. c. 11. n. 2. 3. &c.* De tali igitur Matrimonii dissolutione I. In Impotentiâ Naturali perpetuâ notetur, quod, si ex manifestissimis signis possit collegi, è vestigio permittatur separatio; quia in certis nullus est conjecturis locus *l. 137. §. 2. V. O.* & frustra

poralis, ab initio existens, & cum tempore desinens, est in Impuberibus, ut in masculo ante 14. annum, & in femina ante 12. annum, hæc impotentia impedit matrimonium, *pr. Inst. de nupt. l. 4. ff. de rit. nupt. cap. 6. & 10. Extr. de despon. imp.* nisi malitia ætatem suppleat *c. de illis 7. & c. ult. d. t.* Sed referente *Zacchiâ ex Brunello de Spons. concl. 28. n. 8. & ex Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 105. n. 5.* si in particularibus, ante determinatum annorum terminum, adveniat coeundi potentia, matrimonium contrahi potest, etiamsi generare non possit, cum ex frequentatione debiti conjugialis sperari possit generatio. Justinianus tamen videtur in masculis 15. annum assignare *Nov. 100. c. 2. vers. novimus*, quemadmodum & *Leo Nov. 74.* feminis 13. annum adscribit, 15. maribus. Sed respondet ad illud *Olemann. ad l. 1. disp. jurid. Giphan. disp. 3. n. 17. in fine*, distinguendo, inter annum inceptum & completum: Puberes enim dicuntur masculi, qui annum decimum quartum complerunt, & feminæ Viripotentes, qui annum duodecimum excesserunt *pr. Inst. quib. mod. tut. finit.* Ergo per consequens inchoarunt 15. & 13. annum. Licet autem impuberes matrimonia contrahere non possint, possunt tamen sponsalia de futuro, si sunt majores 7. annis. *t. t. de desponf. impub.* & hæc tamdiu valent, quamdiu non perveniunt ad pubertatem, & ante eam non possunt resilire aut pœnitere. *c. de illis. cum seqq. d. t.* Habent enim desponsationes impuberum effectum sponsaliorum de futuro, & omnes tractatus sponsaliorum præparatorii, non magis ligant contrahentes, quam desponsationes impuberum. *Dn. Carpzov. in Consist. l. 2. tit. 10. def. 174. n. 6.* Si autem forsan in desponsatione impuberum pœna adjiciatur, puta centum, vel mille aureorum, non servanda est, quemadmodum eleganter eâ de re disserit *Beust. de Sponsal. part. 1. n. 4.* Impotentia Naturalis, quæ ab initio non est: sed tractu temporis oritur, est in senibus, qui propter caloris defectum fiunt impotentes. Illa autem Matrimonii obstaculum non est, nec per illam rescinditur. Cautum quidem fuit L. Papiâ, quod masculus, sexagenario major, non contrahat cum muliere, majore, vel minore quinquagenariâ; & contra major quinquagenaria non contrahat cum majore, vel minore sexagenario. Sed sublata est hæc lex per *l. Sancimus C. de Nupt.* cum matrimonium in senibus sit legis obsequium & humanitatis solatium. *c. nuptiarum cum gloss. ibid. in verb. quibusdam 27. q. 1. gl. in cap. quod sedem in verbis: Impotent. de frigid. & malef.* Finis quidem conjugii primarius hic cessat: sed cum secundarius etiam finis sit mutuum adjutorium, & is aliquis esse possit in tali conjugio, merito hoc conceditur, licet cum quâdam dissvasione id fieri debeat, si personarum conditiones illud exposcant. Discutit hoc ab utraque parte *Dn. Carpzov. in Consist. l. 2. tit. 1. defin. 13.* Impotentia Accidentalis manifesta, quæ per violentiam infertur, per quam quis amit-

amittit virilia & Spado fit, (Spadonum enim vox generalis est *l. 128. ff. de V. S.*) impedit interdum matrimonia, interdum non. Non impedit, si forsan vitium tam grande non sit, ut possit tamen generare, sique sanabile sit, quemadmodum illis accidit, qui unum testiculum amiserunt *l. 6. l. 7. l. 35. §. 7. ff. de Ædilit. edict.* Illud autem vix obtinet, quod *Melchior Kling. de caus. matrim. c. 5. n. 82.* ex Glossa ad *can. 11. qui. 25. caus. 32. q. 7.* adducit, etiam castratos, quibus potestas est coeundi, licet ad generandum sint inepti, matrimonia posse inire; cum tamen procreatio liberorum sit finis matrimonii, adeoque potius potentia generandi, quam potentia coeundi sit inspicienda. Quæ autem sectio tam violente illata est, ut plane de illius restitutione dubitetur, & ut is generationi nullo modo aptus esse possit, cui obtigit, si præcesserit matrimonium, impedit contrahendum dirimitque contractum per *text. in d. c. quod sedem junct. gloss. in verb. impotentes in fine. de. frigid. & malef.* Nullo igitur modo impedit Matrimonium impotentia ex morbis, cum speretur restitutio. Sed si inveterati & longi morbi sint, ut vix ac ne vix quidem ad valetudinem & potentiam redigatur aliquis, credo secus esse de matrimonio contrahendo. Certe, morbos hominem reddere impotentem ad generandum, probat *l. 6. in fin. ff. de his qui sunt sui.* & *lib. 15. §. 2. ff. de Adopt.* quod tamen de omnibus verum non esse tradit *Zacch. l. 3. tit. 1. q. 4. n. 7.* Cessant autem omnia hæc impedimenta, si quis sciens contrahat cum impotente: Tunc enim tenetur cohabitare. Quamvis enim Vir hoc casu, mulierem impotentem non possit habere in uxorem, & mulier Virum in maritum, tenetur tamen habere, ut sororem & fratrem. *c. consultationi 4. & & seqq. de frigid. & malef.*

54. Dissolvunt Matrimonium; seu potius nullitatem ejus declarant: Nam proprie hæc dissolutio non est divortium: sed declaratio, ut alii sciant, illam societatem non esse conjugium *Schneidewin in tit. Inst. de Nupt. part. 4. n. 22. Conrad. Mauser. in eund. tit. ad §. Sunt & aliæ. sub fin.* Non enim est verum matrimonium, quod imprudenter cum impotente contrahitur; quia nil consensui magis contrarium, quam error *l. 15. ff. de Jurisd.* & errantis nullus est consensus *l. 9. C de I. & F. ignor.* Atque ita deceptus in materiâ nunquam in eam consensit: voluit enim Vir ducere mulierem, quæ Viripotens esset & apta ad procreandam sobolem; Mulier contra nubere Viro potenti & ad generandum non inepto. Cum igitur hic neque sit vera causa Essentialis, nec vera causa finalis Matrimonii, matrimonium hîc nullo pacto subsistere potest. *Basilius Monner. de matrim. c. 11. n. 2. 3. &c.* De tali igitur Matrimonii dissolutione I. In Impotentiâ Naturali perpetuá notetur, quod, si ex manifestissimis signis possit collegi, è vestigio permittatur separatio; quia in certis nullus est conjecturis locus *l. 137. §. 2. V. O.* & frustra

ſtra exſpectatur tempus, cum eventus nil operatur *l. 13. §. 2. ff. Ad. Sc. Velleian.* Quâ ratione in Impotentia, quæ manifeſtis ſignis deprehendi non poteſt, ad diſſolutionem matrimonii procedatur, & quæ hic cautelæ & circumſtantiæ attendendæ, vide *Melchior. Kling. d. t. c. 5. n. 66. & ſeqq. Menoch. de A. I. Q. caſ. 519. Zacch. lib. 3. t. 1. q. 5. Sanchez. de matr. lib. 7. diſp. 92* II. In Impotentia Naturali temporali ab initio exiſtente notetur, quod matrimonii diſſolutio non concedatur, priusquam ſummam & perfectiſſimam pubertatem attigerint, & præterea arbitrio judicis longius tempus determinandum relinquitur, ne tam cito ad ſeparationem proſiliant, per ea quæ habentur & notantur *in c. fin. de frigid. & malef.* & *in c. puberes. de deſp. impub.* De Senibus impotentibus præcedenti theſi ſatis diximus: nam illorum matrimonia plane non diſſolvuntur. III. In Impotentia Accidentali manifeſta notetur: Si ſectio violenta præceſſerit matrimonium, contractum matrimonium ſine dubio dirimit; Secus eſt, ſi ſubſecuta ſit matrimonium. IV. In Impotentia Accidentali occulta nota 1. Si maleficiatus ſimpliciter eſt impotens, trium annorum ſpatium exſpectare debet, & ſi non ceſſat, ſolvitur matrimonium; tunc enim præſumitur maleficium perpetuum eſſe, ſi ceſſat, temporale erit. 3. Si maleficiatus erga unam tantum eſt impotens, non erga alias, ſeparantur, & permittitur illis ab utrâque parte novum Matrimonium *vide Kling. d. l. n. 87. & ſeqq.*

55. Hinc elici poſſunt iſta conſectaria. I. Impotentia Conjugis excuſat à pœna ordinaria adulterii, ratio: 1. quia cauſa, quæ matrimonium impedit, contractum aliquo modo alterat. 2. quod copula carnalis, tanquam conſummatio matrimonii, adhuc non ſit facta. 3. quod ignoſcendum ſit ei, qui causâ aliquâ commotus & irritatus delinquit. *l. 38. §. 8. ff. ad l. Jul. de Adult. l. 14. §. 6. ff. de bonis libert.* vide *Dn. Carpzov. Pr. Crim. part. 2. quaſt. 61. à numero 14. usque ad 28.* II. Conſectarium eſt: Quam quis, ob impotentiam Conjugis viventis, imprægnavit, eam, poſt mortem ejus, in uxorem ducere, ſine adulterii metu poteſt. Suadet hoc 1. perſonæ violatæ ratio, quo ſeducta in viam reducatur, ne in pejus ruat; 2. Conjugii prioris imparitas & nullitas. Late hoc diducit *Henric.* Rebelſtrū *decision. 13. per tot.*

56. Ceſſat diſſolutio matrimonii. 1. Si poſt matrimonium ſupervenerit impotentia. *Carpzov. Conſiſt. l. 2. tit. 11. defin. 202. per tot.* diſſentiens in hoc à *Corraſ. in l. Patre furioſo ff. de ſtat. hom. n. 4.* 2. Si impedimentum ſit temporale & facile ſanari poteſt. 3. Si ſcienter Impotentes contraxerint matrimonium: Nam & tunc matrimonii ſeparatio non fit, etiam invitis contrahentibus.

57. Im-

57. Impotentia respectiva est, quæ non simpliciter & absolute, Impotentia est; sed respectu Conjugis; vel unius; vel utriusque, cum respectu aliarum personarum aptissima ad generationem existat. De hâc vide *Zacch. lib. 3. tit. 1. quæst. 6. n. 3.*

58. Morbi Feminarum, respectu generationis passivæ, sunt in Conceptione, & post Conceptionem. In Conceptione est Impotentia seu inhabilitas feminina.

59. Impotentia seu inhabilitas feminina est defectus in muliere, propter quam non est apta ad amplexus viriles. Ea est vel Communis; vel propria.

60. Communis est, quæ mulieribus cum Viris communis est, utpote, quæ est naturalis & temporalis, ratione defectus ætatis: ut Tempus Impubertatis & Senectutis. Hic applicari possunt ea, quæcunque supra de viris diximus.

61. Propria est in ipsâ feminâ & illa iterum vel absoluta; vel respectiva. Absoluta vel per extrinsecam; vel per intrinsecam feminæ constitutionem oritur.

62. Quoad constitutionem extrinsecam est Arctatio, Clausura & Coalescentia. De his vitiis, cum pudor & ætas vetet accuratius differere, remittimus lectorem ad *Zacch. l. 3. t. 1. q. 7.* & *Kling. d. c. 5. n. 73. &c.*

63. Inhabilitas Feminæ, quæ per intrinsecam ejus constitutionem accidit, est Sterilitas. Sterilis est, quæ in ætate habili, viro fœcundo debite utens, nunquam, vel rarissime, concipit, aut conceptum fœtum nunquam absolvit, vel mortuum in lucem profert. Illa autem Matrimonium nullatenus dissolvit. *cap. tantum 32. q. 7.* ratio est quia 1. semper speratur restitutio 2. cum causæ sint tam incertæ, adeo ut determinari non possit, an perpetua; an temporalis habenda sit, testibus Medicis ipsis. 3. quia expresse est prohibitum, & à Theologis & ICtis ferme omnibus. Nam quod expresse est prohibitum, non manet permissum *arg. c. cum apud. d. sponsal.* De jure tamen veteri, (quod etiam in Pandectas relatum est) Sterilitas justam præbebat divortii causam *l. 60. in fin. de donat. inter Vir. & Uxor.* vid. *Rittersh. diff. Jur. Civ. & Can. l. 2. c. 13. Senec. 2. contr. 6.* Uxorem sterilitatis nomine dimittendam dicit, intra quinquennium non parientem. Ista consectaria autem, quæ supra th. 45. deduximus, hic quoque applicari possunt.

64. Inhabilitas seu Impotentia respectiva Feminarum. De qua vide *Menoch. de A. I. Q. cas. 519. num. 27. Kling. l. c. num. 62. & quæ nos superius.*

65. Post conceptionem est Prægnantia, estque tempus, quo mulier prægnans est. Prægnantia autem non proprie est morbus; sed quasi morbus, quoniam proclivitas quædam est prægnanti ad morbos; licet ideo morbosa non sit dicenda. Istarum jura varia & multiplicia sunt, quæ nos inpræsentiarum tangere vetat materiæ prolixitas. Videatur *Thomas Actius integro tractat. de Prægn. privileg. Mascard. de probat. concl. 1147. n. 16. & 1208. n. 6. & 7. Bossius in prax. crim. tit. de partu supposito n. 10. Zacch. lib. 3. tit. 2. quæst. 8. Gilhausen Arb. Judic. crim. cap. 6. part. 1. §. 40. Besold. thesaur. pract. voce* Schwängerung *num. 65. Althus. 1. Dicæolog. cap. 72.*

66. Sub finem hic quædam monenda essent de Hermaphroditis, & an illi ad matrimonia admittendi. Sed videantur *Cl. D. Habn. Observ. Wesenbec. ff. de stat. homin. n. 3. Zacch. lib. 3. tit. 1. q. 9. n. 2. Paul. Cypræus. de Sponf. c. 9. §. 13. n. 46. Dn. Carpzov. Consistor. l. 2. tit. 1. def. 6. Menoch. de recup. poss. remed. 9. n. 15. Gödd. ad l. Ostentum de V. S. Besold. præcognit. Pand. ad tit. 5. & 6. lib. 1. quæst. 9.*

67. Personæ III. dividuntur respectu *Status.* Is est, vel Publicus; vel Privatus. Sunt igitur Personæ, juxta hunc, vel publicæ; vel privatæ: nam cum omne jus hominum causâ constitutum sit, *§. final. Inst. d. I. N. G. & C. l. 2. ff. de Stat. Hom.* Jus autem sit publicum; vel privatum §. 4. *Inst. de Just. & Jur.* oportet personas quasdam esse publicas; quasdam privatas; & statum quendum publicum & privatum.

68. Personæ publicæ sunt vel sacræ; vel profanæ, *Geilfus. in meth. jur. public. num. 24.*

69. Personæ sacræ uno vocabulo vocantur Clerici suntque, qui in Ecclesiâ Christi deserviunt *dist. 21. cap. cleros in pr.* vel qui divino cultui ministeria religionis impendunt *Cod. Theodos. 5. tit. l. 2.*

70. Morbi sunt I. Impedimenta Clerici promovendi, si dubitatur de ejus convalescentia *Abb. in c. cum inter Canonic. de Elect. in 1. col.* Neque enim conferri possunt beneficia, nisi valido integroque corpore Clericis *c. hinc etenim 49. distinct.* Non promoventur ad Clerum 1. castrati, ex propria voluntate, carnali vitio repugnare nescientes; licet credant, se obsequium præstare Deo *c. significavit. Extr. de Corpore vitiat. c. his qui 55. distinct. c. 2. distinct. 33.* Limitatur tamen in illo, qui vel vi, vel casu, vel necessitate talis est. *c. 3. de corpore vitiat. c. Eunuchi dist. 55. c. 5. c. 6. d. dist.* 2. Vitiosi aliqua parte corporis. Sic qui partem digiti volens sibi præcidit, non est ordinandus; *c. 6. d. dist. 55.* Secus est, si casu factum sit *d. l. & c. 11. d. dist.* si leve quoddam sit digiti vitium, ut si careat forsan ungue pollicis, dummodo

modo fortis sit in pollice ad frangendam Eucharistiam. *c. 7. de corpore vitiat.* vide *cap. exposuisti. c. & c. 2. fin. d. t. c. Presbyterum de cler. ægrot.* Nec si oculi levis sit macula, prohibetur à clero. *c. 2. de corp. vitiat.* Nec qui medicorum incisione claudus efficitur, *c. 10. dist.* 55. Dæmoniaci & Epileptici plane prohibentur *c. 3. & 4. dist. 33. c. cum inter Canonicos, de Electione. vide & thes. nostram 37. & 42.* II. Morbi sunt Impedimenta clerici jam promoti. Nam aut quidam plane illum de officio removent; quidam tantum suspendunt. 1. Plane illum ab officio removent, quos ille propriâ sibi contraxit maliciâ, ut si forsan se castraverit ipse, vel passus sit se castrari *c. 9. dist. 55.* Si grandis est defectus, & ille in promotione fraudulenter celatus fuerit *c. 6. de corpore vitiat. c. 13. dist. 33.* Ex dispensatione tamen Episcopi interdum multa permittuntur. *c. 1. de corp. vitiat.* 2. Qui illum de officio suspendunt, aut de parte officii suspendunt; aut de toto. Quæ illum de parte officii suspendunt, sunt quædam Symptomata & vitia corporis, quæ usum membrorum, ad sacra peragenda necessariorum, impediunt, ut medietas palmæ cum duobus digitis abscissa *c. 2. de cler. ægrot.* caducus morbus *c. 1. & 2. caus. 7. q. 2.* Qui de toto officio illum suspendunt, sunt morbi tam graves & incurabiles, ut clericum divinis inservire impediant, paralysi fortasse, nodosâ podagrâ, leprâ aut alio morbo laborantem *c. fin. & 4. de cler. ægrot. cap. unic. eod. in 6.* si sit Dæmoniacus *c. 3. dist. 33.* III. Morbi dant privilegia & commoda clericis ægrotis. Sed intellige casuales, non voluntarios, aut propriâ malitia contractos. 1. Tempore sinceritatis adepta dignitas, sequente debilitate non adimitur *c. 12. dist. 55. c. 4. caus. 7. q. 1.* quandoquidem viventi Episcopo alius succedere non potest *c. 5. d. caus. 7. q. 1.* Injustum enim foret, tam gravem afflicto afflictionem addere *l. 14. ff. de off. præsid. l. 1. § propter casum ff. de postul.* & flagellatis à domino, non addi debet afflictio *c. 2. d. 7. q. 1.* 2. Clericus infirmus integre percipit fructus beneficii sui; quia si alii ejus exemplo essent deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri; sed secundum ejus ordinem, quæcunque ei, si sanus esset, poterant ministrari, præbeantur ægrotanti *c. 1. de cler. ægrot.* Hinc salario non cadit Professor, qui morbo detentus aut senio impeditus legere non potuit *arg. l. 4. §. 5. ff. de stat. liber. l. ult. §. 1. ff. ad l. Rhod. de Jactu. Limnæus lib. 8. jur. publ. c. 3. n. 28. & 29.* nec enim conveniens est benemeritos ætate ingravescente removere. *cap. quamvis triste 7. q. 1. cap. 1. de paroch.* Si autem jam sit emeritus, & non habeat in propriis, unde se alat, nec ut se familiamque suam sustentare queat, de alimentatione illi prospiciendum; si secus, se ipsum sustentare debet, nisi Patronus vel Parochiani adeo liberales existant, ut etiam opulentis pastoribus emeritis de alimentatione prospiciant. vide

vide *Theodor. Reinking. de Regim. Ecclesiast. l. 3. class. 1. c. 8. n. 4. Carpzov. Consist. l. 1. t. 10. def.* 153. Idem quoque observandum est de Ædituis & Custodibus, Organicis, Cantoribus cæterisque personis Ecclesiæ inservientibus, qui sub clericis omnes comprehenduntur. *c. clerus in pr. & §. cantor. dist.* 21. *Carpzov. d. l. def.* 154. *num.* 4. 3. Clerico ægroto datur substitutus s. coadjutor *c.* 13. 7. *q.* 1. Unus, vel plures *c. unic. de cler. ægrot. in.* 6. Non autem intelligendum hoc est de Pastoribus, quorum convalescentiæ bona spes restat: sed de iis, qui morbo incurabili affecti sunt & qui decrepitæ sunt ætatis. *Carptz. d. t.* 10. *def.* 153. *n.* 1. ut si sit leprosus. *c.* 3. *de cler. ægrot.* si Paralytico morbo laborat & officium linguæ amisit *c.* 6. *d. t.* 4. Excusantur ægroti clerici à jenunio, & licitum illis est promiscue carnes edere *c.* 2. *in fin.* 7. *q.* 2. necessitas enim excusat à peccato *cap.* 2. *de Observ. jejun.*

71. Personæ, respectu status publici profani, sunt Magistratus. Et hi I. Impedimentum officii ineundi, ob morbos & affectiones parvas sentiunt: ut Exempli gratiâ, Judex, seu magistratus, seu pedaneus. Hic non potest dari, si est mutus & surdus; naturâ enim tales impediuntur ad munus istud subeundum *l.* 12. §. 2. *ff. de Judic.* De Cæco tamen variatur, an is judex esse possit? & respondeo quod sic, quicquid etiam contradicat Accursius & Bartolus, qui putant, ab initio dari cæcum non posse, verum eum, qui non erat cæcus, datum, ob supervenientem cæcitatem, non esse removendum. Sed prænotanda est distinctio inter Judicem Magistratum & non Magistratum: Quilibet enim Magistratus, uti & Judex, qui est magistratus, si cæcus est, retinere quidem potest cæptum Magistratum; adspirare autem ad novum penitus prohibetur *l.* 1. §. 5. *in fin. ff. de Postul.* Sed de Pedaneis alia res est, qui etiam admitti possunt ad judicis officium, nondum cæptum. 1. Probamus per textum *in l.* 6. *ff. de judiciis*, ubi expressa sunt verba: licet alii intelligant hunc locum, sub hâc limitatione: si cæcitas supervenerit judicio jam cæpto: sed nimis extra limitem limitant: textu enim non distinguente, nostrum non erit distinguere *l.* 8. *ff. de Publ. in rem act.* 2. Possunt judices dari, qui non prohibentur *l.* 12. §. 2. *ff. de Judic.* Atqui nullâ unquam lege cæcus prohibetur dari judex. Proinde & esto. Sed an hodie quoque judex cæcus dari posset? Putat quod non *Hunnius in Treutl. vol.* 1. *disp.* 8. *q.* 7. *p. m.* 526. Sed bene Scotanus in contraria sententiâ est, etiam hodie id fieri posse, *in Colleg. Jurid. Disp.* 22. *th.* 4. Magis enim, inquit, morum probitatem, eruditionem, consilii ac mentis integritatem, quam oculorum sensum inspici debere: solere enim ut plurimum visus defectum præstantiam animi in aliis supplere. Vide de hâc quæstione & *Arum. disp.* 5. *ad Pandect. th.* 3. *Duaren.* 1. *disp.* 23. Cæterum omnes illi morbi,

bi, quocunque veniant nomine & quos supra recensuimus, qui mentis genuinum usum subtrahunt, & perpetuo incommodo parique semper vehementia & atrociâ, sive corpus, sive animum affligunt, à munere Magistratus impedire censendi sunt. Et hoc prudenti judicis arbitrio committendum est. Si Judex Furiosus datus sit, inspiciendum est, an continuo furat, an per intervalla: Si per intervalla, judicium tamen erit, ut scilicet suæ mentis effectus, quod sententiæ dixerit, ratum sit *l. 39. ff. de Judic.* II. Interdum, quando ipse Magistratus infirmus est, collega illi substituitur, uti in Manumissione, quæ alias ad Consulem spectat, quam collega potest ejus causâ expedire *l. unic. §. 1. de Off. Consul.* Non enim morbus jurisdictionem tollit, sed impedit *l. 46. ff. de Jud.* Quemadmodum & qui furere cœpit, statum ac dignitatem suam videtur retinere, quam qui dominium rei tenet *l. 20. ff. de stat. hom.* Si levis autem est morbus, non adeo magni impedimenti afferre putem. Ita à muneribus decurionatus non excusat podagræ valetudo *l. 13. C. de decurion.* quamvis hoc limitandum censeo: nisi ita pedum valetudine affectus sit, ut rebus propriis intercessum commodare non possit, *l. 3. C. Qui morbo.*

72. Respectu Status Privati, Personæ dividuntur, ratione potestatis; vel ratione officii. Potestas est vel dominica; vel patria.

73. Sub Potestate Dominicâ sunt Servi. Et illis quidem ægrotantibus, in jure nostro, satis provisum est: nam 1. Nihil nocere illis debet calamitas, quæ illis accedit, & æquissimá est Pauli sententia *l. 4. §. 5. ff. de statu liber.* de statulibero, qui, si per annum servierit, liber esse jussus est: ubi asserit, quod, etsi quibusdam diebus, aut valetudo, aut alia justa causa impedimento fuerit, quo minus servierit, ea anno imputari debeat. *Servire* enim, ait, *nobis intelligantur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur.* 2. Hinc subveniendum est illis à Dominis. Et si Domini servos ægrotantes ob infirmitatem deseruerint, vel à suâ domo publice ejecerint, neque ipsi eos procurarint, nec alii commendarint, nec consveta illis præbuerint salaria, neque in Xenonem miserint, competit servis ob id libertas & Domino jus patronatus in libertos denegatur & ab eorum substantiâ plane segregatur. *l. 2. ff. Qui sine manum. l. unic. §. 3. C. de Lat. libert. tollend.* 3. Impensæ Valetudinis minores, in servum ægrotum commodatum facti; ad commodatarium pertinent: Si autem majores sint, agi potest commodati adversus Dominum *l. 18. §. 2. ff. commodat.* 4. Servi ægroti etiam excusantur à torturâ, si Domino occiso ob corporis imbecillitatem subvenire non potuerint, si ætate defecti, si surdi, si muti (sc. quando Vocis tantum auxilium superfuit) si furiosi, si cæci &c. fuerint. *l. 3.*

in pr. §. 7. 8. 9. 10. de Sc. Syllan. 5. Licet ægroto servo non utamur, tamen ejus usufructum retinemus *l. 12. §. 3. de Usufr.* Nulla tamen servi debilis æstimatio est *l. ult. §. 1. de oper. servor.* 6. Si post petitas operas æger esse servus cœperit, legatario peribunt operæ. *l. 7. ff. de Usu & Usufr.* Hîc notandum est, excusari quoque libertos, si valetudine impediti operas præstare non possint *l. 15. ff. de oper. libert. l. 23. §. 1. l. 34. eod.*, ubi de illis sat sufficienter disponitur. Ad horum similitudinem *Martin. Schikhard. Logic. Jurid. loc. 19. reg. 1.* colligit: quod Vasallus ægrotans à præstatione servitiorum interim excusetur.

74. A Servis quidem distant Famuli nostri; sed hîc commode de illis disquiritur, & est inter quosdam controversa quæstio: An Famulis ægrotantibus debeatur merces integra? Jus Lubecense de illis ita disponit *lib. 3. tit. 8. Art.* 11. Geschehe Knechten/ Mägden und Jungen/ in ihrem Dienste/ ohne des Herrn schuld/ Schaden an Leib und Gesundheit/ deß bleibet der Herr ohne Schaden; doch muß er ihnen voll Lehn geben. *Ad quem locum elegantissime Magnific. Dn. Mevius.* Et nos affirmantibus calculum nostrum addimus. Rationes pro nobis militant non unæ: probat hoc sat manifeste text: in *l. 38. ff. locat. conduct.* ubi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quo minus operas præstet.* Videtur abire ab hâc sententiâ nostrâ *Martin. Schickhard. Logic. jurid. loc. 3. reg. 2. n. 26. in fin.* & contrarium vult probare per *d. l. 18. §. 2. ff. Commod.* Sed loquitur lex de impensis majoribus valetudinis; ab illis autem nemo ad mercedem non solvendam potest argumentari. Quæcunque autem alii movent objectamenta, unicâ responsione absolvit *Magnific. Dn. Mevius l. c. n.* 14. quod nihil inferant de iis, qui cœpto & durante servitio in morbos incidunt; sed qui post contractum conductiones, antequam servire incipiunt, illis implicantur. Ex priori igitur assertione, tanquam consectarium, fluit; quod durante infirmitate neque per substitutum servire, neque sequente anno operas supplere cogantur. *Dd.* De Valetudinis impensis quæritur? & distinguendum est inter modicas & magnas, ceu thesi præcedenti quoque innuimus. Docet autem, quid magnæ & modicæ impensæ sint *Sprenger. tract. de Modico p. m. 61. n. 19.*

75. Ampliatur ista assertio: Si hoc casu Dominus Famulo mercedem denegaverit, ut Domino neganti solutionem, quantum debetur, liceat subtrahere, nec in eo furtum committatur. vid. *Magnific. Dn. Mev. lib. 2. tit. 8. Art. 5. n. 40.* Limitatur, si non casu fortuito & in peractione servitii malum istud obtigerit, sed culpâ & malitiâ propria. Hinc adjicitur *in d. l. 38. ff. Locat. si per eum non steterit*, & in Statuto Lubecensi verba: In ihrem Dienste.

76. Sequi-

76. Sequitur Poteſtas Patria, quæ nobis conſiderabitur ut conſtituenda, conſtituta, & ſolvenda. Conſtituenda eſt vel per Nuptias; vel per Adoptionem; vel per Legitimationem.

77. Nuptias præcedunt Sponſalia. Illa quoque impedimenta ſua experiuntur à morbis I. Mutilatio, clauditas membri, vitium corporis poſt Sponſalia ſuperveniens, diſſolvit ſæpe illa. Rationes ſunt: 1. ne matrimonium difficilem ſortiatur exitum *cap. 17. de Sponſal.* 2. quia ſponſalia ſub hâc ratione cenſentur eſſe celebrata, ſi res & conditio perſonæ in eodem manſerit ſtatu *Paul. Cypr. de Sponſ. c. 13. §. 67.* II. Morbi contagioſi & graves impediunt & diſſolvunt Sponſalia. Talis eſt lepra in *c. ult. de conjug. lepros.* Epilepſia, Paralyſis, lues Gallica *Hemming. de Conjug. fol. 154.* rationes ſunt: 1. ne morbi contagioſi in liberos devolvantur, & ſic, Reip. damno, latius malum ſerpat 2. Cum ea ſit morborum iſtorum turpitudo & vehementia, ut alter alterius congreſſum exhorreſcat, ſicque obtineri finis matrimonii non poſſit. III. Furor vehemens uſumque rationis exterminans ſponſalia diſſolvit. *l. 8. ff. de Sponſal.* Ratio eſt: Quod conſenſus, tanquam eſſentiale matrimonii, hîc vacillet *l. 16. §. 2. ff. de ritu nupt.* Oportet autem, ut furor ille talis ſit, de cujus reſtitutione dubitetur *l. 23. §. 7. verſ. ſin autem. ff. ſolut. matr.* Unde differenda eſt diſſolutio, usque dum appareat de curâ furoris deſperata, vel in annum, biennium, triennium & ulterius pro rei ratione & circumſtantiâ *l. 17. ff. de Sponſ.* Ceſſat hæc Sponſalium diſſolutio. 1. ſi morbus ſit curabilis. *Cypr. de Sponſ. c. 13. §. 6. 7.* 2. Si amice poſſunt inter ſe conciliari partes, quod prius tentandum eſt, quam ut diſſolutio tam abſolute concedatur: quod autem limitandum omnino eſt in morbis contagioſis, ne tam facile hoc concedatur, licet altera pars parata ſit inſano conjungi. *Joh. Gerhard. in loco de conjug. §. 167. p. 250.* Videatur omnino *Carptzov. Conſiſt. l. 2. tit. 10. def. 180. 181. 182. 183.*

78. Cum Nuptiis aliter ſe res habet: Impediunt quidem illas morbi graves, contagioſi, incurabiles, pari modo, ut in ſponſalibus, nunquam autem diſſolvunt. *c. 1. & 2. de conjug. lepros.* quia nihil humanius fideique conjugii convenientius, quam adverſæ fortunæ caſuumque fortuitorum conjuges ex æquo eſſe participes. *l. 22. §. 7. ff. ſolut. matr.* Quanquam eâ lege, etiam diſſolutio interdum concedatur, & per *Novell. Leon. 112.* Furor mariti quinquennalis matrimonium ſolvebat. *per Novell. Leon. 111.* uxoris furor triennalis. De Jure Canonico tamen aliter proviſum eſt. Hinc conjux ex ſocietate conjugali obligatus eſt competentem curam & medicamenta adhibere alteri, ut de furioſo conſtitutum eſt *d. l. 22. §. 8. ff. d. t.* Quod ſi mari-

tus

tus uxoris furiosæ dotem conetur dissipare, illam sequestrari oportet, ut mulier ex eâ habeat competens solatium. Quin & si maritus diligentiam suam in tuendâ uxoris valetudine prætermisit, uxoris hereditate est indignus *l. 3. ff. de his quæ ut indignis.* Verum quod pœnâ uxoricidii plecti debeat, nunquam evincet *Fromman. hypotyp. jur. furios. p. m. 26. th. 16.* ex *Carpzov. Pr. crim. p. 1. q. 12. n. 1.* Simpliciter enim ibi de illo dicitur, qui uxorem dolo & violenter occiderit, non qui furiosam neglexerit. Impediret quoque matrimonium auris abscissio, si credendum est, quod *Cellarius in Polit. lib. 2. c. 10. n. 11.* asserit: Dicit enim, quod pœna auris abscissionis introducta sit ideo, quod vena quædam ibi lateat, quæ γονιμὸν contineat semen, quâ abscissa vis procreationis simul tollatur.

79. Adoptionem, tanquam alteram speciem constituendæ patriæ potestatis, quam analogicam paterni filialisque juris potestatem vocat, *Franc. Jul. Chop. in Philos. Jur. l. 2. c. 7. n. 16.* impediunt nonnunquam morbi. I. Qui ex vitio incurabili generare non possunt, nec possunt adoptare *l. 16. ff. de Adopt.* Non igitur adoptant castrati, quamvis *Leo Nov. 26. & 27.* illis hoc permisit, & omnes Impotentes, quæ manifeste restitutione ullâ destituuntur: Spadones autem adoptare non prohibentur. *§. 9. Inst. de Adopt.* Spadonis vox 1. generalis est, & includit castratum, Thlibiam & Thlasiam *l. 128. ff. de V. S. junct. l. 39. §. 1. de jur. dot.* 2. Specialis, & notat illum, qui propter sanabile temporale vitium pater esse nequit. *l. 6. pr. de lib. & posth. hered.* aut qui generare quidem potest, sed unum (sit venia) testiculum habet *l. 6. ff. de Ædilit. edict.* Posterior acceptio est hujus loci: qui in priore sunt, adoptare non possunt. vide *Baechov. comm. ad Inst. d. §. 9. de Adopt. Dn. Hahn. in observat. Wesenbecian. ff. eod. num. 4. annotat. 5. Georg.* Pulbitzky *in tr. de Jur. Pers. th. 54.* II. Morbi consensum impedientes & Adoptionem ipsam impediunt. Unde Furiosi nec adoptare possunt nec adoptari, quoniam consensus in illis deficit. Cæcus & adoptare & adoptari potest *l. 9. ff. de Adopt.*

80. Ligitimationem, tertiam speciem constituendæ Patriæ potestis, omnino impedit furor; non enim potest legitimare filium per subsequens matrimonium, si furiosus sit, *per ea, quæ supra diximus.* Multo minus per rescriptum principis, cum pater furiosus causam petitionis exprimere debeat. vide *Fromman. in Hypotyp. Jur. Furios. p. m. 24. th. 13. & p. 20. th. 2.* ubi de furioso legitimando quoque agit.

81. Patriam Potestatem Constitutam nulli tollunt morbi *arg. t. t. Inst. Quib. mod. patr. pot. solvit.* De Furore res certa est. Furiosus semper habet liberos suos in potestate, non habitâ ratione, an vel ante, vel post furorem,

rem, vel in ipso furore, concepti native sint, *l. 8. ff. de his qui sunt sui.* Dantur autem quædam Impedimenta specialia, quæ patriam potestatem, tum respectu Patris, tum respectu filii furiosi impediunt. Dantur & quædam lucra & commoda, quæ cum speciatim hic pertractanda, nimis prolixa sunt, adi *Fromman. in d. tract. p. 19. & seqq.* ubi hæc ordine & summa cum accuratione recenset, ut ea hic exscribere nihil opus habeamus. Præterea etiam Liberi Parentes quovis morbo gravi detentos, si se ipsos sustinere non possint, tenentur alere & curam eorum habere, si facultates istorum id patiantur, *per l. ult. §. ipsum autem. C. de bon. quæ liber. l. 5. C. de Patr. potest. l. 1. & 2. C. de alend. liber.* & filii emancipati coguntur patrem alere *l. 5. §. 1. ff. de agnoscend. & alend. lib.* Sub alimentis autem medicamenta quoque comprehenduntur *l. 22. §. 8. ff. solut. matr.* Naturali enim nititur ratione, quâ benefacienti quilibet tenetur benefacere *l. 25. §. consuluit. ff. de hered. petit.* cum id quoque liberi vicissim à parentibus debeant exspectare *l. 3. & 4. C. de alend. liber.* Pœna quidem in delinquentes non est statuta: sed relinquitur Judicis arbitrio *d. l. 3. & 4. d. t.* Assertionem hanc ex jure & æquitate naturali deducit *Eichel. in tract. de jure Parent. & filior. part. 2. n. 20.* vide & *Carpzov. p. 2. Const. 11. def. 29.*

82. Patria potestas solvi non potest, per Patris furiosi emancipationem. ex rat. *l. 3. C. de Emancipat.* nec per dationem in adoptionem, quod ex supra dictis notum est. De filio furioso emancipando aliter putat esse *Fromman. d. tr. p. m. 22. th. 9.*

83. Personæ ratione officii distincti sunt e. g. Tutores & Curatores. Illos Morbi sontici perpetui, per quos neque sua administrare possunt, aut rebus propriis superesse, excusant à Tutelâ suscipiendâ, ut si cæcus, surdus, mutus & furiosus factus fuerit *§. 7. Inst. de Excus. Tut. l. 12. 10. 11. & . 40. ff. eod.* Quod si morbus non perpetuus, sed temporalis præsumitur, Curator Tutori adjungitur, donec restituatur *d. l. 12. ff. d. t.* Imperitia quoque literarum, cum stupiditate conjuncta, excusat à tutelâ *§. 8. Inst. junct. l. 6. ff. de excus. tut.* Quid jam hic faciendum de memoriâ orbatis, obliviosis & id genus stolidis aliis, prudenti judicis arbitrio sine dubio committetur, cum neque quid agant, satis intelligant & in damna pupillos per oblivionem suam injiciant.

84. Venimus nunc ad secundum juris objectum, nempe *Res*, absoluto Personarum jure. Res considerantur, respectu 1. Acquisitionis. 2. Alienationis. 3. Obligationis.

85. I. Acquisitio Rerum. Furiosus, quatenus furiosus, acquirere non potest, ratio est: Cum duo requirantur ad alicujus rei possessionem, nimirum & corporis & animi possessio: hæc autem desit furioso *l. 1. §. 3. ff. de*

E *acquir.*

acquir. poss. Unde etiam Dominus furiosum servum mittens, ut possideat, nequaquam apprehendit possessionem *d. l. 1. §. 10. ff. d. t.* Per Traditionem furiosus quoque non acquirit, licet is, qui tradiderit, possidere desierit *l. 18. §. 3. si furioso ff. d. t.* & si quis jam sanæ mentis incipiens possidere, postea furere cœperit, non potest possessionem amittere. *l. 27. ff. d. t.* De cæteris morbosis, si modo intellectum habeant, quod acquirant, nullum dubium est.

86. Acquisitio fit vel singulariter; vel universaliter. Singularigulariter, ut 1. per usucapionem. Non igitur & usucapere poterit furiosus: Nam sine possessione usucapio non contingere potest *l. 25. ff. de usuc.* etiamsi autoritas curatoris accesserit *Hænon. l. 2. disp. 11. th. 4. in expl. circ. fin.* Quid autem de rebus furiosorum dicendum, an & illæ usucapi possunt. *Vide l. 2. §. 16. ff. Pro Emptore & l. 7. §. 2. ff. de Publ. in rem act. Bronchorst. cent. 4. Ἐναντ. assert. 10. Pac. cent. 7. Antin. 3.* 2. Per Donationem: Neque ex illâ furiosum acquirere posse credo, adductus ratione, quæ est in *l. 9. §. 3. ff. de donat.* quod donari nil possit, nisi ejus fiat, cui donetur. 3. Per Legata & fidei commissa. Ex quibus furiosus acquirit non solum *l. 18. §. 1. ff. Qui test. fac. poss.* Sed & obligatur, ex aditione hereditatis *arg. l. 24. ff. de O. & A.* Hinc legitime illi mortis causâ donatur: Omnibus n. mortis causa capere permittitur, qui legata accipere possunt *l. 9. ff. de mort. caus. donat.*

87. Universaliter fit Acquisitio per Successionem hereditariam, vel ex Testamento, vel ab intestato, idque jure civili & Prætorio.

88. Ex Testamento I. Jure civili fit acquisitio 1. si defertur ab illo, cui est suus heres. Et succedit furiosus in omnia jura Patris *l. 7. §. 1. C. de curat. furios.* & est suus heres. An ergo & in furore moriens hereditatem potest transmittere? Puto quod sic *cum Gothofredo in not. ad d. l. 7. §. 2.* Cessat autem hæc acquisitio, si exheredatus *sit d. l. 7. §. 5.* Filius furiosus, mente captus, surdus, cæcus, claudus vel aliter imperfectus, quomodo in feudis succedat, eleganter disquirit *Rittershus. in partit. Feud. lib. 1. c. 15. quæst. 25.* 2. Si ab extraneo heres institutus sit, ipse per se solus illam adire non potest, sed per servum aut filium acquirit. *l. 63. ff. de acquir. hered.* II. Ex jure Prætorio datur bonorum possessio furioso, muto, surdo & cæco. Furioso quidem vel per curatorem; vel si quem in potestate habeat, is, si curatori visum fuerit, potest nomine furiosi agnoscere possessionem, sub conditione subsecuturæ ab ipso furioso, (si convaluerit,) ratihabitionis *d. l. 7. §. 3. & 9. C. de Curat. Furios.* Muto, Surdo & Cæco, si intelligant, quid agatur. *l. unic. ff. de bonor. possess. furios.*

89. Ab Intestato. Quid hic obtineat, nos late non evolvemus. Tu vide

vide *d. l. 7. §. 6. C. de curat. furiof.* Multa namque invitis nobis prætermittenda ſunt, quæ accuratiorem merebantur diductionem.

90. Ab Acquiſitione deſcendimus ad Alienationem. Alienationem autem in genere furioſis non licere, neminem puto eſſe, qui illud negatum iverit, cum ex ante dictis illud ſatis ſufficienter conſtet. Alienatio autem omnis fit vel inter vivos, vel mortis causâ.

91. Inter Vivos eſt Traditio, quæ â furioſo facta nulla eſt, tam rerum corporalium, quàm incorporalium *§. 41. I. de R. D. l. 55. de O & A. l. 5. ff. de ſerv. U. P.* Donatio. Non poteſt donare furioſus *l. Modeſtium in fin. ff. de donat. p. m. 732.* Mutus autem & ſurdus quod donare poſſint, nulla eſt dubitatio. *l. qui id quod. ff. d. t.* Cæteris ægrotis licet quævis alienatio *l. 27. C. de Transact.* Nota autem hic inſignem differentiam Juris communis â Lubecenſi & Saxonico. Eo jure multis ægrotantibus & infirmis non permittitur alienatio bonorum. Jure Saxonico. *Weichbild art. 20. & 65.* Landrecht *lib. 1.* Jure Lubecenſi *lib. 1. tit. 10. art. 3.* Er mag ſich mit dem Gute/ ſeines gefallens/ gebaren/ als mit ſeiner fahrenden habe; Doch ſo ferne er zu wege und ſtege gehet / und ſeiner Sinnen und Gliedmaß mächtig iſt. & in ſpecialiori ſtatuto Lubecenſi in den Vögtey-Rechten eſt: Wann ein Mann / ſo redlich iſt ſeiner Sinne / und mächtig ſeiner Glieder / daß er ein Marck-Pfund lötiges Goldes heben und böhren kan von einer ſtäte auf die andere / ſo mag er ſein wolgewonnen Gut geben/ wem er wil. vide *Magnific. Dn. Mevium hic in commentariis*,

92. Alienatio mortis causâ fit in ultimis Voluntatibus.

93. Ultimæ Voluntates, vel ſunt Perfectæ, vel Imperfectæ. Perfectæ ſunt Teſtamentum ſolenne, Imperfectæ, Codicilli.

94. Teſtamenti factio licita eſt Valetudinariis, vel in genere; vel in ſpecie.

95. In Genere Valetudinariis quibusvis licita eſt; præter furioſos & mente captos: quod ægritudo iliorum non impediat teſtamenti factionem, cum teſtamenti validitas & invaliditas non pendeat â corporis valetudine; ſed â mentis ſanitate *l. 3. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Teſtarique poſſunt etiam in agone conſtituti *l. 29. pr. C. de Teſtam. l. 11. §. debilitas corporis de Vacat. mun.* Hinc licet unicuique, ob gravem infirmitatem, mortis causâ donare *l. 3. ff. de donat. mort. cauſ.* Et infirmus præſumitur facere actum ultimæ Voluntatis, non inter vivos *ſec. gloſſam. in l. 1. C. de falsâ causâ* ut ſic donatio per infirmum in dubio dicatur causâ mortis *Alex. in l. quæ dotis. ff. ſolut. matrim.* quod negat *Joachim.* Schultze *Synopſ. juris vol. 2. notab. 7. q. 4. p. m. 41.* per *l. 42. §. ult. ff. de mort. causâ donat.*

96. In ſpecie licita eſt teſtamenti factio: 1. Cæco. Non quidem admittitur ille ad condendum teſtamentum in ſcriptis; Sed nuncupativum, ſi modo audire & loqui valeat *Cl. Dn. Sithman. Nucl. Inſt. tit. quibus non eſt permiſſ. fac.* Debet enim, coram Notario & ſeptem teſtibus, aperte Voluntatem ſuam declarare, initio facto ab heredis inſtitutione: quæ Voluntas unico contextu in ſcripturam redigenda, & ab omnibus teſtibus præſentibus confirmanda eſt ſubſcriptionibus *l. 8. C. qui teſtam. Scotan. Exam. Jurid. p. m. 650.* Leo tamen *Novell. 69.* conſtituit, ut ſecreto, id eſt, in ſcriptis teſtari poſſit. Cur autem tot ſolennitates hic requirantur, id eam ob cauſam putant eſſe factum, ut evitentur falſitates, quæ his in teſtamentis committi ſolent *d. l. 8. in verb. ultim. C. d. t.* An autem, ſi ceſſet illa falſitatis præſumptio, & ſi quædam ſolennitas omiſſa ſit, valet teſtamentum cæci? Ait *Menoch. 4. Præſumpt. 7. n. 2.* Limitantur & iſtæ ſolennitates, ſi ad pias cauſas teſtetur, ubi duobus teſtibus res abſolvetur, *Dd. ad d. l. 8. C. d. t.* II. Muto & Surdo *1. Separatim.* Surdus eſt â Natura; vel â caſu. Surdus â naturâ teſtari poteſt, ſi ipſi vox conceſſa eſt, quod tamen raro eſt. A caſu; poteſt omnia facere, ſine obſtaculo. Mutus & â natura, & â caſu, ſi peritus ſcripturæ eſt, recte teſtatur. *2. Conjunctim* Muti & ſurdi â naturâ ad nullum talem actum celebrandum idonei ſunt. Tales caſu, ſunt, ſi literas ſciverint *l. 10. C. qui teſt. fac. poſſ.* An mutus & ſurdus â naturâ posſit teſtamentum ad pias cauſas facere, vide *Tiraquell. privileg. 9. piæ cauſæ.* De Jure antiquo aliter erat: nam tunc ne eo quidem caſu, quo mutus ſcribere & ſurdus loqui potuit, teſtamentum facere poterant, niſi Principis indultu *l. 6. §. 1. & l. 7. ff. qui teſtam. fac.*

97. Non licita eſt teſtamenti factio 1. Mutis & ſurdis â Naturâ, uti diximus, 2. Furioſis & mente captis. Limitatur 1. in illo, qui hebetioris eſt ingenii, & fatuus aliquomodo eſt, licet plane non mente captus, ubi magnâ tamen judicis circumſpectione opus eſt. *Heig. part. 2. q. 38. n. 28. & Henon. in l. 5. q. 3. ff. de R. J. 2.* in Teſtamento tempore intervalli condito, modo talia ſint intervalla, quibus mentem ipſis conſtare, plane conſtat *l. 9. C. qui teſtam. fac.* 3. In eo, quod ante furorem factum eſt *l. 1. §. 9. ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* etiamſi â teſtatore, in furorem poſtea converſo, teſtamentum inciſum ſit *l. ult. ff. de Injuſt. rupt.*

98. Codicilli, tanquam imperfectæ Voluntates, permiſſæ ſunt illis, quibus perfectæ *l. 6. §. 3. ff. de Jur. Codic.* & contra *l. 2. §. 3. ff. eod.*

99. Sequuntur Obligationes, quæ naſcuntur, vel ex Contractu; vel ex delicto.

100. A Contractu ſine dubio excluduntur omnes, qui mentis uſum ami-

amiserunt, cum consensus substantiale omnium contractuum requisitum sit. Itaque Furiosi contrahere non possunt *l. 5. ff. de R. I.* cum nihil agere censeantur *l. 47. de acquir. vel. omitt. hered. l. 40. ff. de R. I.* quod idem verum esse potest de mente captis & aliis id genus fatuis, quorum tamen cauta consideratio debetur judici. Furiosi namque absentibus comparantur per omnia *l. ult. ff. de V. S. l. 2. §. pen. de Jur. Codicill. l. 124. §. 1. de R. I.* ubi eorum praesentia opus est *Philipp. Matth. comment. ad l. 5. ff. de R. I. Busius ad l. 4. ff. de procurat. Pac.* Ἐναντιοφανῶν *cent. 2. Alciat. & Godd. in l. ultim. ff. de V. S.* Absentes enim multifariam dicuntur, ut habet *Godd. ad l. 199. n. 4. de V. S.* Quandocunque autem furiosus desiit furere & habet intervalla furoris, tunc potest omnia gerere, quae alii gerunt, qui facultate intelligendi sunt instructi *l. 22. §. 7. solut. matr. l. 20. §. 4. ff. Qui testam. fac. poss.* A quibusdam Contractibus muti & surdi excluduntur. Nam ad quosdam contractus, praeter consensum, quoque externa signa requiruntur; ut verba inter praesentes prolata, scriptura & facta ipsa. Hinc mutus & surdus stipulari non potest *§. 7. I. de Inut. stipulat.* quia verba inter praesentes requirit. Quae vero tantum praesentiam requirunt, aut ne hanc quidem, ubi non voce opus est, illa bene ab illis geruntur *d. l. 124. ff. de R. I.* Unde & Emptionem & Venditionem, caeterosque contractus, in quibus verba necessario non requiruntur, inire tam mutus quam surdus potest. Hinc & tacite pacisci possunt de invectis illatis, ut pignori sint *l. 4. de pact.*

101. Contractus est vel Verus; vel Quasi. Verus est vel Realis; vel Verbalis; vel Consensualis.

102. Realis Contractus est: 1. Mutuum. Ex hoc contractu oritur actio, quae condictio certi vocatur. Haec Furioso conceditur utiliter, si accipiens abeo, crediderit esse compotem mentis: Nam ex quibus causis ignorantibus nobis actiones acquiruntur, ex iisdem etiam furioso acquiruntur *l. 12. ff. de Reb. cred.* Nam licet furiosus pecuniam credendo non faciat accipientis, si tamen ea consumpta est, mutuum convalescit *Gothofr. in d. l.* Ubi enim consensus, vel expressus, vel tacitus non requiritur, furiosus obligari potest, item alios obligare *Bart. ad d. l. 12.* Ita quoque alienam pecuniam, credendi causa, donans, & in furorem incidens, condictionem habet; Item si servo quis crediderit, & is furere coeperit, deinde servus in rem domini verterit, condicitur furiosi nomine *l. 24. §. 1. & 2. de obl. & act. & d. l. 12. de reb. cred.* 2. Commodatum. Ex eo est Actio commodati. Haec in furiosum non datur: sed actio ad exhibendum, ut res exhibita vindicetur *l. 2. ff. Commod. Heideman. in thesib. Pand. disp. 24. th. 2. lit. D:* Non datur ob morbum commodati, si non culpâ Commodatarii factum est, & is talem adhibuerit

industriam, qualem rebus suis *l. 5. §. 4. ff. commod.* 3. Depositum. Depositum reddere depositarius tenetur, ad compellationem Deponentis, etiam ante tempus, pacto forte constitutum *l. 1. §. 45. & seqq. ff. Depos.* Fallit autem in hoc casu, si is, qui gladium deposuit, postea furiosus factus istum repetat: Manifestum est, tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur *c. nequis 22. q. 2.* Et *Ulpian. l. 7. §. 6. ad L. Aquil.* in improvidum ejusmodi depositarium, si damnum, re depositâ receptâ, furiosus dederit, actionem non quidem Legis Aquiliæ; sed in factum concedit. Huic geminum est illud *Ciceronis 3. Offic. Si gladium apud te quis sanâ mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, non reddere officium. Vide Habn Observ. Wesenbec. h. n. 5. in fin.* & *Mozz. de deposit. p. m. 194. n. 5.* 4. Pignus. Pignus morbosum esse non debet. Tunc igitur, quoniam â debitore in pignore deceptus est, contraria pignoriticia creditori competet. Si autem sciens creditor accipiat, illi non competet *l. 16. §. 1. ff. de pignor. action.*

103. Verbalis contractus, vocaturque Stipulatio. Falsissimum equidem axioma hic invenio apud *Mozzium de stipulat. tit. qui possint stipulari n. 1.* quod omnes illi possint stipulari, qui possint contrahere. Nam ecce muti & surdi possunt contrahere, ubi non voce, sed consensu & præsentiâ opus est, ut antea satis declaravimus: Nullo autem modo illis permittitur stipulatio, ut supra affatim diximus. Interim qui tardius audit, & difficulter loquitur, non excluditur â stipulatione *l. 1. §. 15. ff. de V. O.* Furiosus stipulari non potest *d. l. 1. §. 12. d. t.* Ad stipulationem tanquam principalem obligationem, accedit accessoria; nimirum fidejussio, unde consequens est, illos qui stipulari non possunt, ut sunt muti, surdi, furiosi, neque posse fidejubere. Furiosus autem, licet promittendo non obligetur; stipulando tamen sibi acquirere potest *l. 6. ff. de V. O.*

104. Consensuales Contractus sunt 1. Emptio-Venditio. Hic necessum est, ut illa res, quæ tradi debet, careat vitio, tempore Venditionis, inprimis tali, quod si Emptor scivisset, rem non emisset *l. 48. §. 4. ff. Ædil. edict.* Quod si secus est, datur Redhibitio. Vitia & morbi, ob quæ redhibitio fit servorum, debent esse. 1. Non solius animi, & leviores quidem. Non redhibentur enim, leves, superstitiosi, iracundi, contumaces, timidi, cupidi, avari, iracundi, fanatici, melancholici, aleatores, Vinarii, &c. Sed actio ex empto admittitur, si callida venditoris dissimulatio & reticentia intercesserit, *l. 1. 2. 4. §. 3. ff. d. t.* si ignoravetit, competit æstimatoria actio, seu quanti minoris. *Scotan. Exam. jurid. p. m. 531.* Si promiserit animi vitium se præstiturum venditor, redhibitoriâ quoque tenebitur *d. l. 4. §. 3. ff. d. t.* Si autem vitium animi simul impediat usum corporis, ut mixtum evadat vitium, redhibitio locum habebit *d. l. 4. §. 4. ff. h. t.* 2. Corporis Vitia

morbi-

morbique, quæ aut 1. Impediunt contubernium servile; aut 2. Usum servitii. Utraque sunt vel levia; vel gravia. Levia conjunctionem servilem impedientia non admittunt redhibitoriam: quemadmodum est spado, qui unum testiculum habet *l. 6. §. 2. h.* sterilis â naturâ *l. 14. §. 3. h.* Prægnans autem & puerpera his non accensetur *d. l. 14. §. 1. & 2. h.* Gravia, si castratus sit *l. 7. h.* si sterilis sit ex vitio, *d. l. 14. §. 3.* Si mulier fieri non possit *d. l. 14. §. 7.* si vel bis, vel nunquam, in mense purgetur, *l. 15.* 2. Usum servitii impediunt. 1. Vitia levia, quorum quidem respectu morbosum non potest dici subjectum, si tamen servitia impediunt, admittunt redhibitoriam, ut abscissus digitus, membra lacerata *l. 10. pr. & §. 1.* Digitorum conjunctio *l. 14. §. 6.* quo & pertinent clavosi, polyposi, crus & latus brevius & longius habentes *l. 12. pr. & §. 1.* Non autem patiuntur redhibitoriam, protervi (Gothofr. legit pectorosi) gibbosi, curvi, pruriginosi, scabiosi, difficulter loquentes & audientes, levi lippitudine, auriculæ dentisque dolore, mediocri ulcere, febriculâ levi affecti *l. 4. §. 6.* Impetiginosi, *l. 6.* balbi, blæsi, atyphi, *l. 10. §. 5.* gutturosi, alterum oculum, vel alteram maxillam majorem habentes, scævæ, hircosi, strabones, ore olido laborantes, (nisi ex pulmonis aut jecoris affectu id accidat) *l. 12.* Quæ mortuos parit, (secus, si matricis vitio accidat) *l. 14. pr.* Qui urinam facit, (secus si vesicæ vitio accidat) *d. l. 14. §. 4.* Cui dens abest, *l. 11.* &c. Gravia ob quæ redhibitio datur, si quis sit claudus, *l. 13.* mutus, *l. 9.* myops, luscitiosus. *l. 10. §. 3. 4.* & si quæ sunt similia, quæ ibi prolixo ordine leguntur. De Brutorum vitiis videbimus *Artic. secundo.* 2. Locatio-Conductio. Hic notandum 1. Si locator furiosus fuerit factus, finito locationis tempore, reconductio tacita, quæ alias semper fingitur, hic facta non intelligitur. *l. 14. ff. Locat.* 2. Qui operas suas locavit & adversâ valetudine detentus operis moram injecerit, integram capit mercedem. *l. 38. ff. d. t.* Et Advocati honoraria sua eo casu legitime sumunt *d. l. §. 1.* 3. Si Nauta, morbo impeditus, navigare non potuit, Conductori non tenebitur actione Locati *l. 10. §. 1. vers. Idem juris in eodem. ff. ad l. Rhod. de jactu.* 4. Competit hæc actio Patri adversus Magistrum, qui filium suum enormiter læsit & vulneravit, non actio injuriarum *l. 13. §. 4. Locat.* quamvis & Actio L. Aquiliæ competat *l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* 4. In Contractu Emphyteutico, qui locationi & conductioni valde similis est, id notandum est: Quod, si canonem non solvat furiosus Emphyteuta, non cadat ab Emphyteusi. *Carpzov. I. F. p. 2. cap. 28. d. 1.* 3. Societas. Hic Furor simpliciter non rescindit societatem, sed curator furiosi licentiam habet societatem furiosi dissolvere, & sociis licet furioso renunciare *l. 7. C. Pro Socio.* 4. Mandatum. Ex hoc Furiosum non posse obliga-

obligari, satis manifestum est, ex superius dictis. Furor autem ejus superveniens, qui negotium pro alio sanæ mentis gessit, ratihabitionem domini non impedit. *l. 24. §. 1. ff. Rem ratam haberi.*

105. Sequuntur Quasi Contractus, ex quibus aliquis, non tanquam ex vero contractu sciens, sed ignorans obligatur §. *1. Inst. de Obl. quæ ex qs. contr.* Hîc cum Furioso aliter se res habet, per rationem, quæ est *in l. 46. ff. de O. & A.* Si ergo Furiosi negotia gesserim, competit mihi adversus eum negotiorum gestorum actio *l. 3. §. 5. ff. de negot. gest.* & illi ego vice versa obligor. *l. 24. §. 3. ff. de O. & A.* Si Furiosus indebitum solverit, generaliter repetitioni locus est, & si quidem existant nummi, vindicabuntur, si consumpti sint, condictio locum habebit. *l. 29. ff. de Cond. indeb.* Amplius brevitatis gratiâ non addimus.

106. De Obligationum dissolutione respectu morbosorum, ut sunt solutio, acceptilatio, novatio, delegatio, pactum de non petendo, hîc monere quædam conveniret: Sed nunc non erat his locus, cum in hanc angustiam omnia hæc compingere non possimus. Tu vide interea *Fromman. d. tr. p. m. 60. th. 27.*

107. Altera Species Obligationum est illa, quæ est ex delicto. Hîc generales pono regulas I. Omnes ii, qui genuino mentis usu destituti delicta perpetrârunt, pro certis circumstantiis, aut plane delicto non tenentur; aut pæna eorum moderabitur, ratio satis aperta est in *l. 14. ff. de Off. præsid.* Ampliatur 1. Ut ne quidem ob delictum, ante istum morbum perpetratum, teneatur in tali statu *Andr. Gail. lib. 2. observ. 10. n. 22.* 2. Si ad sanam mentem redierit, nulla est ei indicenda pæna, imò nec aliqualis pænitentia *Dec. in l. in negotiis ff. de R. I.* Limitatur 1. Si furor sit prius probatus *l. 2. C. qui test. fac. poss.* vide *Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 145. n. 28.* 2. Cum quis suâ culpâ sibi accersiverit dementiam, pænâ sed mitiori plectitur. *Menoch. d. A. I. Q. cas. 325. n. 9.* 3. Si tempore dilucidi intervalli, quæ intervalla juxta magis & minus variant, delictum patratum sit; nam tunc furiosus sapere dicitur. *l. 6. C. de Curat. furios.* 4. Si jam ad sanam mentem redierit, dum delinquit 5. Si jam condemnatum furor invaserit. *Menoch. d. l. n. 13.* 6. Si insania sit simulata, quæ quomodo detegatur, vide *Zacch. Q. M. L. lit. 3. tit. 2. q. 5.* II. Omnibus, qui vel gravi morbo sunt affecti, vel decrepitâ senectute sunt evecti, per pænæ mitigationem, subveniendum est. *Limitatur* 1. Si senes sint robusti, agiles & perspicaces *Sfort. Odd. de rest. in integr. p. 2. q. 80. n. 116.* 2. Si sint pænæ pecuniariæ *l. Semper. ff. de Jur. immun.* 3. Si morbi sint facile curabiles. Vide hîc omnino *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 144.*

108. Delicta sunt, vel vera; vel quasi. Delicta Vera, vel Privata, vel Publica.

109. Delicta Privata sunt: 1. Furtum. Suspendii pœnâ non punitur, qui ob morbum suum curandum, vel medicamenta, ex inopiâ furatus fuerit, vel pecuniam, ad illa sibi paranda, sustulerit. *arg. l. 22. §. 8. ff. solut. matr.* & *text. in art. 166. Ord. Crim. Carol.* Furiosi furtum non faciunt *l. 2. ff. de cond. furt.* At Condictione furtivâ tenentur *d. l. 2.* & Furtum illis fieri posse nullum dubium est. 2. Rapina. Specialiter hic notandum, quod si quis imbecillitate impeditus, prohibere non potuerit, ne sibi rapiatur, Furti tantum actionem habeat. *l. pen. ff. de Furt. junct. l. 1. ff. 10. quod vi aut clam.* 3. Damnum Injuriâ datum. Ex quo furiosus non obligatur *l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* & vice ejus tenebuntur, qui illum negligentius custodierunt, *arg. l. 7. §. 6. d. t.* Ipsi autem impune damnum fieri non potest. per *l. 24. de O. & A.* De damno dato, per inflictionem vulneris, infra aliquid dicetur 4. Injuria. Furiosus eam facere non potest, sed pati *l. 3. ff. de Injur.* Filius patris furiosi, ob injuriam sibi ipsi illatam, recte agit. *l. 17. §. 10. & 11. ff. d. t.* Injuriarum tenetur, qui ex propinatione medicamenti alicui mentem alienavit. *l. 15. pr. ff. d. t.*

110. Delicta Publica, quorum quasdam species summo digito tangemus, ne nimis simus prolixi.

111. 1. Crimen læsæ majestatis. Ab hoc excusatur furiosus *l. un. C. Siquis Imperat.* Extendi & hoc potest ad crimen Blasphemiæ, seu læsæ majestatis divinæ. 2. Homicidium. Ab illo excusatur Furiosus, quemadmodum & infans, cum alterum innocentia consilii tueatur, alterum fati infelicitas excuset. *l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar.* A Pœnâ homicidii muti & surdi aliquando excusantur, quatentus autem illud obtineat, & quæ limitationes hic habendæ sint, habet *Carptz. P. C. p. 3. q. 147.* Excusatur furiosus quoque in parricidio *l. 9. §. 5. ff. ad leg. Pompej. de parric.* Pœna Infanticidii, quæ de Jure Saxonico constituta est, ob morbum Epilepticum, ne reus sc. in executione pœnæ in Epilepsiam incidens duplici affligeretur pœnâ, mitigata fuit, teste *Carptz. P. C. p. 1. q. 18. n. 54.* Pœnâ αὐτοχειρίας quoque liberantur furiosi & melancholici; & honesta illis sepultura denegari non debet: Quemadmodum id exemplo quodam sententiâque Collegii Jurid. Witeberg. probat *Georg. Schultzel in Synops. Inst. de rer. divis. lit. f.* Adulterium, stuprum, raptus. Hic *1. excusant à pœna 1. Furor.* Nam furiosum his criminibus teneri non posse, manifestum est; neque furiosam. *2. Amor insanus* excusat à pœnâ ordinaria, quod tamen limitatur in eo, qui scalas de nocte ad

alienam domum apponit, animo mulierem vitiandi & carnaliter cognoscendi. *Vide Carpzov. Pr. Cr. p. 2. q. 61. n. 63. Farin. part. 3. Pr. Cr. quæst. 98. n. 89. Gilhausen A. Jud. Cr. cap. 5. Ramusc. 3. 142. & seqq. 2. Exasperant pœnam 1. Furor.* sc. à parte patientis, si quis sanæ mentis homo stupraverit furiosam, tunc in illo exasperatur pœna. *Carpz. p. 4. Const. 26. def. 1. P. C. p. 2. q. 69. n. 33. 2. Morbus sensum impediens:* Ut si quis forsan stupraverit deliquium patientem, aut poculum somniferum dando, scelestum opus peregerit. Non equidem illum aliâ pœnâ dignum esse arbitror, quam si istam violenter compresserit. Atque hæ species inpræsentiarum sufficiant.

112. Sequuntur Quasi delicta. Quasi delictum est, quando is, ex cujus cœnaculo aliquid dejectum est, quod alteri nocuerit, aut illum vulneraverit, tenetur. *l. 1. ff. de his qui effud.* Restituere enim debet mercedes Medicis præstitas, & omnia impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operarum, quibus caruit aut cariturus est, ob id, quod inutilis factus est: Cicatricum autem deformitas nullam recipit æstimationem. *l. 7. ff. d. t.*

113. Absoluto Personarum & Rerum jure, breviter & succinctè, quantum poterimus, ad *Judicia* progrediemur, & præcipua, quæ hic occurrunt, summatim delibabimus.

114. Judicia nobis considerabuntur: ut Constituenda & Constituta. Constituenda requirunt Personas illud constituentes. Atque hæ sunt, vel Principales; vel Accessoriæ.

115. Principales sunt I. Judex, qui dari non potest, mutus, surdus & furiosus *l. 12. §. non autem ff. de Judic.* Ampliatur 1. si â principe dati sint, quod nec possint judicare; *Sebast. Vant. d. Nullit. ex def. jurisd. deleg. n. 40.* 2. Si de facto pronuncient, sententia nulla est, etiam parte non opponente. *Vant. ibi. n. 41. Ilico Umm Disp. proc. 1. th. 8. n. 44.* De cæco quid statutum sit, *vide supr. th. 71.* De Judice Furioso habet *Fromman. d. tr. p. 73. & nos supra d. th. 71.* II. Actor non potest esse furiosus & mente captus. *Vant. de Nullit. ex defect. habilit. n. 15.* Mutus & surdus. *Vant. d. l. n. 19. & 25.* vide *Ilic. Umm. d. disp. 1. th. 4. n. 21.* III. Reus. Rei itidem esse non possunt, Muti, Surdi & furiosi.

116. Personæ Accessoriæ accedunt, vel Judici ipsi; & sunt Assessores. De his vera sunt illa, quæ de judicibus ipsis; vel Litigantibus, & sunt 1. Advocati. Excluduntur simpliciter ab hoc munere, Muti: ratio est: cum in Advocato debeat esse facundia, *Ilic. Umm. disp. 2. th. 5. n. 22.* Surdi, cum decretum Prætoris exaudire non possint *l. 1. §. 3. vers. propter casum ff. postul.* Secundum quid excluduntur Cæci, ita ut pro aliis postulare non possint, licet pro se non prohibeantur; *d. l. 1. §. 5. vers. Casum.* Verum

an

an hæc hodie ita obſerventur & obſervari debeant, in medio relinquo 2. Procuratores, & hi *primo* poſſunt dari à Mutis & ſurdis *l. 43. pr. ff. de proc.* Quid autem, ſi natura mutus & ſurdus ſit ſimul? Talis etſi intellectu non careat, quia tamen in eo operatio intellectus deficit, procuratorem dare nequit. *Georg. Obrecht. diſp. 10. de procurat. c. 2. propoſit. 14. Harprecht. part. 2. diſp. ad Inſt. 22. aſſert. 4.* Si autem quis caſu mutus & ſurdus fiat, tunc ſi literas ſciat, putat *Ilico Ummius* procuratorem dare poſſe. *Diſp. proc. 3. th. 3. n. 8.* Non poſſunt procuratores dari à furioſis *l. 1. §. 12. cum §. ſeq. ff. de O. & A. Secundo* Procuratores non poſſunt eſſe, Furioſus, Mutus & Surdus vide *Harpr. d. l. aſſert. 12.*

117. Ad Judicia conſtituta ſpectat ipſe Proceſſus, cujus tres ſunt partes. 1. Præparatoria. 2. Proceſſus ipſe. 3. Sententia.

118. Ad Judiciorum præparatoria pertinet Citatio. Hic notentur Regulæ: I. Infirmus citatus non tenetur comparere *c. ſi ægrotans. 5. quæſt. 3. c. ſi Epiſcopus 18. diſt.* Neque furioſum oportet vocare in judicium. *l. 4. ff. de in jus voc.* neque prægnantem. *d. l. 2. §. 4. ff. ſi quis caut.* & per conſequens infirmitas excuſat à contumaciâ *c. 2. de Proc.* Ampliatur hoc 1. in infirmitate ſuorum *Alex. l. non exigimus §. 2. num. 1. ff. ſi quis caut.* & *Carpzov. p. 1. conſt. 9. def. 9.* 2. In cauſâ criminali, etiamſi fuerit inquiſitus de cauſâ capitali *Grat. conſ. 98. n. 2. volum. 1.* 3. In morbo Advocati *Carpz. d. conſt. 9. def. 9.* 4. Tempore peſtis. *Gail. lib. 1. obſerv. 52. n. 11.* Limitatur 1. Ut impedimenta allegata debeant eſſe vera non fictitia. *d. l. 2. §. ult. ff. ſi quis caut. l. 3. §. 6. ff. ad ſc. Syllan.* 2. Ut infirmitas ac morbus advocati non excuſet, ſi de facili alius Advocatus haberi potuerit *Zanger. de Exc. part. 2. cap. 9. n. 13.* 3. Ut impedimenta iſta probari debeant teſtibus ad minimum duobus. *Zang. d. c. 9. n. 12.* aut per literas & teſtimonium Medici. *Damhoud. in prax. crim. c. 25. n. 9.* teſtimonium Obſtetricis, ſi prægnans ſit citata *Marant. ſpec. part. 6. rubr. de contum. n. 2.* 4. Ut ſit morbus gravis ac ſonticus, non levis quædam febricula, aut talis & tam vetus quartana quæ permittit ægrum omnibus negotiis ſupereſſe *l. 53. l. 60. ff. de re judicat.* II. Infirmus & longo morbo fatigatus habet privilegium ad ſupremum Tribunal, adeoque ipſius Principis, alios vocandi; Non autem vocari poteſt. *l. unic. C. quand. Imp. inter.* & hæc evocatio procedit, etiamſi lis coram Judice ordinario ſit cœpta. *Scotan. exam. Jurid. p. m. 235.* Vide & *Menoch. de A. I. Q. caſ. 66.* ubi hoc privilegium extendit ad cæcos, ſenes, mutilatos membris.

119. Si citatus non comparet propter impedimenta, conceditur dilatio. Durante enim Impedimento, judicii dies manet diffiſus *l. 2. §. 3. in fin. ff. ſi quis caut.* idque ex lege 12. Tabb. deſcendit. Sic enim ibi: *Si quid*

borum fuit vitium Judici, arbitrove, reove, dies diffisus esto. Formula autem hæc fuit Prætorum, si enim morbo sontico impediti, per amicum se excusassent, Prætores dicebant: *Hic dies diffisus esto.* Quod si non tam gravis morbus erat, jumentum ægrotis, vel arcera i. e. vehiculum dabatur, ut commodius coram judicio se sisterent; Sic enim ait Lex: *Si in jus vocato morbus ævitasque vitium sit, qui in jus vocassit, jumentum dato: si volet arceram, ne sternito.* Tale autem impedimentum cum sit facti, non præsumitur, sed probari debet *Bart. in l. 60. ff. de Re Judic.*

120. Ad Processum ipsum spectat Probatio. Respectu ejus considerari possunt morbi, vel Objective; vel Effective. Objective dico illos considerari, quatenus ipsi probari debent. De his generaliter tenendum est. Morbum qui allegat, debet illum probare, ut specialiter quoque in furore constitutum est *l. 2. C. qui test. fac. poss.* ratio est 1. quod ajenti & affirmanti incumbat probatio. 2. quod, quæ naturaliter non adsunt, sed potius ex accidenti superveniunt, non præsumantur. Unde quilibet præsumitur sanus, non ægrotus, ut è converso semel ægrotus, deinceps talis præsumitur, si modo morbus sit durabilis. *Alciat. reg. 2. præsumpt. 19.* Senex præsumitur ægrotus, si 70. annum excesserit *Alciat. reg. 1. præs. ult. n. 3.* quia hoc naturaliter illi ætati accidere solet; ut & olim furiosus hodie furiosus præsumitur, si quidem fuerit continuus, nec intervalla habuerit furor. *Alciat. d. tr. præsumpt. 18.* Quomodo autem & probentur & præsumantur morbi, docuimus in genere supra in signis diagnosticis omnium morborum, & in specie quorundam. Effective considerari possunt morbi 1. quatenus aliquem à probatione repellunt. 2. quatenus privilegio quodam afficiunt.

121. Non igitur admittuntur quidam 1. Ad Juramentum, ceu unum probandi modum: Nam istud deferre non possunt furiosi & mente capti, adeo, ut ne quidem accedente consensu curatoris recte deferant, quia non intelligunt, quod agunt, ut sive delationi Juramenti consentiat curator, sive non, perinde fuerit. *Umm. disp. process. 14. th. 1. n. 8.* Sed an mutis bene defertur? quoad intellectum quidem, qui in illis non deficit, concederem; sed quoniam Juramentum etiam articulatam & expeditam linguam requirit, videtur dissentiendum. Infirmi, quomodo juramento suam valetudinem declarent, vide *supr. th. 8.* & quomodo infirmo moribundo juranti de mensurâ suæ substantiæ credatur, vide *Novell. 48.* 2. ad Testimonium. Cæci. Sed eatenus tamen, si quæ ante cæcitatem viderunt, post cæcitatem â notis hominibus audiverunt *Accurs. Nov. 1. c. 2. §. 1. vers. si vero. in verb. vidisse. Speculat. de Test.* Muti & Surdi, si simul ita

sint,

sint, hos plane excludit à testimonio *Ummius disp. proc. 16. th. 1. n. 7.* Sed contrarium statuo, si literas noverint; si surdus solùm sit, modò literarum non ignarus, bene testatur, si mutus solum, excluditur â quibusdam simpliciter; ut *ab Umm. d. l.* Sed quid si literas noverit, annon per scripturam testimonium deponere poterit? vide *Rutg. Ruland. de Commiss. p. 1. l. 2. c. 16. n. 2.* Furiosi. nisi tempore dilucidi intervalli testentur, & tunc possunt testari etiam ante litis contestationem, contra communem juris regulam, ne veritas occultetur & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, quin & senes, valetudinarii & alii testes, de quibus ex aliquâ rationabili causâ timetur. *cap. 5. ut lite non contestatâ.* Atque hæc, quæ de illis, qui â testimonio prohibiti sunt, diximus, confirmat quoque statutum Dithmarsc. prout habet illud *Gisebert. peric. statut. Art. 5. p. m. 234.* To Tügen mögen geleidet werden frame erlicke Lüde / de mit gesunder Vernufft unde Sinnen ock betimmert un betümet sin / ock mögen nene Afffinnige / nene Blinde effte Doven zc. to rechte tügnüß geven.

122. 2. Morbi interdum privilegia in probationibus concedunt. 1. Testis ægrotus & infirmus non tenetur comparere in judicio. Amplia 1. in Grandævis & decrepitis *l. 5. de jur. immunit. Dd. communiter* 2. in Prægnanti, si partui sit vicina *Nov. 124. cap. 1. l. 15. de jure jur.* 3. In causâ criminali: Sed tunc Judex ipse ad illius domum se conferre debet *Treutl. vol. 2. d. 5. th. 6. lit. c. Sichard. ad l. 18. C. de fide Instrum. n. 67.* alias in causis civilibus debet fieri in ægrotantis ædibus, per actuarium judicii. *cap. si testium. de Testibus.* De publicâ famâ testes infirmi nihil deponere possunt, cum non præsumantur scire id, de quo est publica fama, sicuti nec absens. *Bar. in l. 15. ff. de acquir. hered.* 2. Testis moribundi & agonizantis assertio, prævalet testium vivorum assertioni. Ratio est: quoniam tunc, cum memor salutis æternæ existimetur, majorem vim ad faciendam fidem habeat *l. fin. C. ad. Leg. Jul. Repet. c. sancimus 7. q. 1. cap. significavit. de homicid.* Hinc confessio facta in testamento, licet simulate facta præsumatur, attamen, si confessus juraverit, valet, quia dum cogitat de morte, non præsumitur pejerasse, uti *Alciat. probat ex l. cum quis decedens §. Codicillis. Legat. 3. & ex Auth. quod obtinet C. de probat. reg. 3. præsumpt. 4. in fin.* Secus tamen est 1. Si agatur de præjudicio alterius tertii. Sic non creditur Judici falsam sententiam, quam pronunciavit, asserenti, ad præjudicium ejus, de quo lata est sententia. *Treutl. vol. 2. disp. 23. th. 5. lit. d.* ubi *Baechov. & Hunn.* Neque Testi fallum testimonium se dixisse asserenti. *Jure Lubecensi* statuitur *lib. 2. tit. 2. artic. 24.* quod testator in articulo mortis constitutus, odii invidiæque causâ, proximum heredem abnegare extraneumque instituere non debeat

beat 2. quando exſtat ſuſpicio fraudis in contrarium, ut quando teſtator fatetur, ſe aliquid debere perſonæ non capaci &c. Vide plura ap. *Menoch. lib. 4. præſ. 5. & 29. n. 3. & 4. Loccen. Exerc. jur. ult. th. 55.* & *Synopſ. jur. diſſ. 30. q. 11. Giſebert. in peric. ſtatut. Art. 11.* & alios. 3. Morbi excuſant â quæſtionibus ſeu tormentis. Sic torqueri prohibentur, Muti, Surdi, Cæci, Furioſi, certis tamen adhibitis conditionibus. Sed nobis illa pertractanda nimis prolixa ſunt. Vide interea *Dn. Carpzov. Pr. Cr. q. 118. Ludov. Gilhauſen. A. Jud. crim. c. 6. part. 7. ſect. 1. n. 5. & ſeqq.*

123. Sequitur ipſa Deciſio ſeu ſententia. Hæc plane furioſo dici non poteſt *l. 9. ff. de Re Judic.* Nec valet, ſi lata ſit 1. Contra eum, quia ſententia contra abſentem lata non valet *l. 47. ff. de re judic.* Atqui furioſi pro abſentibus habentur, ceu diximus th. 100. 2. nec pro eo, niſi præſente curatore *l. 49. ff. de recept. arbitr.* vide *Broncborſt. cent. 4. Enant. Aſſert. 15.* Denique reſcindit rem judicatam quivis morbus ſonticus, utputa Febris ſuperveniens. *l. 60. ff. de re judic.*

Artic. II de Brutis.

124. Atque ſic quoque tertium juris objectum breviſſime perſpeximus, & ſimul unam ſubjecti partem, in quo morbi aliquid operantur, nimirum Homines. Nunc ad Bruta deſcendendum eſt, & obiter videndum, quid de illis obtineat.

125. Bruta morboſa & vitioſa vendita redhibentur. *l. 38. ff. de Ædil. edict.* Limitatur 1. Si ſit leve vitium. vide *Spreng. tr. de Modico p. 80. n. 32.* unde nec animal caſtratum redhibetur, niſi ſit exinde factum imbecillius *d. l. 38. §. 7. ff. d. t.* 2. Si vitium poſt contractum ſupervenerit *l. 54. ff. d. t.* 3. Si emptor vitium ſciverit *l. 1. §. 6. d. t. arg. l. 1. §. 5. ff. de injur.* quid contra obtineat, ſi venditor ſciens illud malitioſe celaverit, vide *l. 37. ff. de dolo malo. l. 13. pr. ff. de act. empt. & vend. l. 1. C. de ædilit. act.* 4. Si ſexaginta dies huic actioni præſtituti â tempore ſcientiæ jam defluxerint, niſi forſan convenerit, ut in perpetuum redhibitio fiat *l. 31. §. 22. ff. de Ædil. edict.* 5. Si morbus fuerit patens & viſibilis, in cujusvis oculos incurrens *l. 14. §. 10. ff. d. t.* Vide hic copioſius *Magnific. Dn. Mevium. in I. L. lib. 3. tit. 6. art. 14. & Dn. Carpzov. part. 2. Conſt. 34. definit. 15. 16. 17.* ubi venditorem Equi, in foro Saxonico, non niſi de tribus vitiis teneri monet. Huc pertinent animalia mordacia, rabioſa aut feræ, quæ ob nimiam feritatem nocent & damna infligunt, & datur ob id, actio de pauperie, ex ædilitio edicto, & ſi dolus hominis acceſſit, datur etiam actio de dolo, ſi alterius culpa, actio Legis Aquiliæ. Nos latius hæc diducere poteramus. Sed nolumus. Tu vide *t. t. Inſt. & ff. ſi quadrupes*

drupes pauper. l.42. ff. de Ædil. edict. l. 7. §. 2. & 6. ff. de dol. mal. C.A. lib. 4. tit. 3. th. 27. & 28. l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil. Jus Lubec. lib. 3. tit. 11. Artic. 1. & 2. & ibi Magnific. Dn. Mevium. Oldendorp. class. 16. act. 13. & alios passim. Bruta Vulnerata incidunt 1. per vulnerationem in dominium nostrum, si accedat occupatio *l. 5. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. §. 13. I. de R. D. vide Harprecht. super Inst. part. 1. disp. 10. assert. 7. Georg. Mobr. in tract. de Jur. Venand. part. 1. cap. 8. n. 5. &c.* 2. Vulnerata aliorum culpâ vel occisa domino dant actionem Legis Aquil. *vide pr. & §. 13. I. de L. Aquil.* Quid jure Saxonico obtineat, vide *Carpzov. part. 4. const. 37. def. 8.*

Membrum II. de Morbis secundum Qualitates divisis.

126. Morbos, secundum Qualitates divisos, in jure nostro potissimum taliter invenio. Morbi sunt vel Veri; vel Simulati.

127. Morbi Veri sunt, vel Graves; vel leves. Leves sunt, quæ libet vitia tam animi, tam corporis leviora, & Vitiosi vocantur, his qui afficiuntur. vide *Edon. Neuhus. in Theatr. Ingen. humani. lib. 1. c. 2. p. m. 38.* Gravis morbus aut Ægritudo dicitur, quando æger ex ea moritur, vel ubi per Medicos, vel communiter præsumebatur moriturus ex illo morbo. *Abb. in l. filia mea. ff. Solut. matr.*

128. Morbus gravis est, vel perpetuus; qui exponitur, quando nulla spes sanitatis subest *l. 22. §. 7. ff. solut. matr.* vel temporalis, qui ad tempus durat *l. 6. ff. de Æd. edict.*

129. Temporalis dividitur in Non Sonticum & Sonticum. Falsa proin est eorum sententia, qui morbum sonticum, & perpetuum non differre volunt. Morbus enim sonticus est, qui impedit, ne quis rebus illis superesse possit, de quibus agitur. *l. Morbus ff. de V. S.*

130. Sonticus Morbus est, vel non Contagiosus; vel Contagiosus. Contagiosus est 1. Pestis. Hujus quosdam effectus, sed breviter, indigitabimus, I. In Contractibus 1. Pestis præstat privilegium colono recedendi à loco conducto *fac. text. in l. 13. §. ff. locati.* teneturque Dominus de pensione pro ratâ temporis aliquid remittere *arg. l. 27. §. 7. fin. ff. d. t.* vide limitationes *ap. Sebast. Medic. tract. de Fort. casib. part. 2. q. 6. n. 37.* 2. Excusat à cursu præscriptionis *arg. c. 13. caus. 16. q. 3.* vide *eundem n. 38.* II. In ultimis Voluntatibus 1. Testamenti tempore pestis confecti solennitates in jure civili non sunt remissæ nisi quoad conjunctionem testium *l. 8. C. de testam.* De Jure Saxonico sufficiunt duo aut tres testes, etiam si levis fuerit pestis.

vide

vide *Carptz.p.3. Const.4.def.1.* 2. Feminæ etiam testes esse possunt in tali testamento *Carptz.ibid.def.6.* Quin nos prætereа hic nihil addimus. Tu vide *Carptz.d.const.4.per tot.* ubi sat multa singulariter circa pestem constituta invenies III. In Judiciis 1. Judicia sæpe impediuntur & in alia loca transferuntur, ob periculum pestis. Confirmat quoque id *Ordinatio Summi Tribunalis S.R.M.Svec.part.1.tit.1.§.3.* Wann sterbens oder Krieges-Läufffte einfielen/ derohalben das Gericht zu Wißmar nicht sicher gehalten werden möchte/ sollen Præsident, Vice-Præsident und Beysitzere macht haben/ damit an einen andern sichern und wolgelegenern Ort zu verrücken/ so lange/ biß solch sterben und Krieges-Läufffte auffhören/ und das Gericht wiederum/ an berührter seiner gewöhnlichen Stätte/ sicher gehalten werden kan. 2. Citatus ad pestilentem locum excusatur, si non compareat *Gail.lib.1.obs.52.n.11.* 3. Si Judex, ad quem gradatim est appellandum, esset in loco pestifero, potest appellari ad alium, omisso medio, juxt. *Bart. in l.1.§.si quis ff. de Appell.* & *in leg.19.ff. de tutor.* Plura hîc prolixissimæ materiæ non addimus. Tu vide integros tractatus de peste *Francisci Ripæ, Hieron. Donzelinuti. Johann. Neldelii. Hieron. Prævitelli. Andr. Dentzel. Christoph. Binder. Joseph. Quercet. Unzeri. Item Besold. Thesaur. pract. voce* Pest. *Paul. Zacch. Q.M.L. lib.3. tit.32.* Morbus contagiosus est Lepra. De hâc vide *t.t. extr. de Conjug. leprof.*

131. Morbus simulatus is est, qui falso simulatur interdum ob evitandam pœnam aliquam, aut onera aliqua effugienda, de quâ materia amplam hic haberemus differendi copiam. Sed remittimus lectorem ad *Paul. Zacch. Q.M.L. lib.3. tot. tit.* 2. ubi elegantissime hæc diducuntur. Furor est fictus interdum ab ipsâ lege, omnesque repræsentat testatores, contra officium heredes suos excludentes *l.2. l.5.§.1. ff de inoffic. test.* vel per dolum alicujus *l.6.ff. de curat. furiof. l.13.§.1. de off. præsid.*

Membrum III. de Morbis divisis respectu causarum extrinsecus advenientium, remissive tractatum.

132. Quæ extrinsecus adveniunt; vel ex malitiâ, aut culpâ hominum, vel ex pauperie, â bestiis illatâ, obveniunt, circa quam materiam hic per omnes juris articulos divagari liceret. Sed sufficiat nobis, si remittamus nos ad certos Autores, qui rem illam sufficientissime tractârint. De Vulneribus videatur *Menoch. de A.I.Q. caf.533. Bald. conf.136. col.2. Bernhard. Suevius de Vulnerum inspect. Besold. Thesaur. pract. voce* tödtliche Wunden *n.28. Carptzov. P.C p.1.q.26. Idem p.4. const.43.d.12.* De Venenis & Veneficiis *Paul. Zacb. Q.M.L. lib.2. tit.2. per tot. Gödelman. tract. sing. Carptzov. P.C.q. 20. & 21.*

PARS

PARS SECUNDA DIATRIBES.

De Remediis Morborum; ut plurimum remiſſive tractata.

133. A Morbis transgredior ad eorum Remedia Juridica, ſuntque vel Præſervativa; vel Curativa.

134. Remedia Præſervativa voco, quæ ante ipſum morbum â quâvis Republicâ ſemper conſtituuntur, ſuntque 1. Medicorum conſtitutio, qui ſemper â magiſtratu uniuſcujusque loci curandis morbis præponuntur. De illorum jure vide *tot. tit. C. de Med. & profeſſ. Tholoſan. ſynt. jur. lib. 18. c. 25. n. 2. Beſold. theſaur. pract. voce* Artzt *Daniel Otton. de jure publ. c. 19. Limnaeum de jur. publ. c. 4. num. 18.* A Romanis olim conſtituti fuerunt Triumviri Valetudinis, qui ut bene curarentur morbi, providebant. vide *Roſin. lib. 7. cap. 28. Antiq. Rom.* 2. Hoſpitalium conſtructio, taliumque locorum, ubi imbecilli, miſeri, ægroti, ſenes & ſimiles aluntur & â perſonis, certâ mercede conductis, curantur, qualia ſunt Noſocomia, Xenodochia, Ptochotrophia, Gerontocomia, Leproſariæ, &c. de quibus quædam habentur *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Vocantur quoque loca illa Valetudinaria. Hinc *Columella lib. 2. cap. 1. Si alter languidior eſt, in Valetudinarium confeſtim deducat & convenientem ei cæterum curationem adhiberi jubeat.* Hinc Medici *νοσόκομοι* vocantur Medici Valetudinarii, Spitalärtzte. vide *l. 6. ff. de jure immunitat. & Gothofr. ibid.* De illis vide ulterius *Beſold. theſaur. practic. voc.* Spital *num. 99. Pet. Gregor. Tholoſan. Syntagm. juris lib. 15. c. 28. Remigium de immunit. Eccleſ. ampliat. 17. verb. Hoſpitalia. Anton. Gabriel. de piâ causâ concl. 2. Sfortiam Oddum de reſtitut. in integrum p. 3. quæſt. 3. art. 6.*

135. Remedia Curativa in ſpecie ſunt quorundam morborum, ut e. g. *Furoris:* Solet enim Furioſis dari Curator; De quâ materia affatim haberemus, quod diceremus, ſed cum illa nimis ampla ſit, pro noſtro inſtituto, remittemus Lectorem ad *tot. tit. D. & C. de curat. Furioſ.* &, qui accuratiſſime hæc omnia tractavit, *Frommann. in Hypotyp. Jur. Furioſ. p. m. 33. & ſeqq.*

136. *Peſtis* Remedia itidem vel ſunt, Præſervativa; vel Curativa. Præſervativa remedia ſunt: 1. eligere locum ſaluberrimum *arg. l. 1. §. 15. ff. ſi quid in fraudem patr.* 2. Aquæductus, fiſtulas, lacus &c. puros ſervare *l. 10. C. de Aquaduct. l. 1. §. 1. de extraord crimin.* 3. Locum ab omni putredine immunem conſervare, quod obtinetur, ſi cloacæ & purgentur & reficiantur, quorum utrumque, & ad ſalubritatem civitatium, & ad tutelam pertinet: nam & cælum peſtilens, & ruinas minantur immunditiæ cloacarum *l. 1. ff. de cloacis.* 4. eſt interdictum: *Ne quid in loco publico,* quod competit contra illos,

qui immunditias in viam publicam immittunt *l. 2. §. 29. Ne quid in loco public.* 5. sunt sepulchra & quidem extra mœnia. *l. 3. §. 5. de sepulchro violat.* 6. Prævidere, ne putridæ carnes & hujusmodi fœtentia vendantur, *arg. l. 1. §. 11. ff. de off. præf. urb.* Curativa Remedia sunt. 1. Ut infecti exportentur *Bald. & Paul. de castr. in l. 2. C. de summ. Trinit. arg. text. in c. 24. caus. 23. q. 4.* 2. Illorum bona contagiosa purgentur, 3. ut locus mutetur. *Veget. de re milit. lib. 2.* 4. Medicorum auxilium *arg. c. fin. de pœnit. dist. 7.*

137. Si jam ad specialiora descendere vacaret, multa me hujus argumenti adhuc adducere posse, nec inutilia, nec injucunda, quilibet videt. Multa sane consulto omisimus, multa cancellis inclusimus, ne nimis immanem molem hîc struere videremur. Quæcunque ad jus publicum spectant, de Imperatore, Electoribus, ægrotantibus, furiosis &c. ne tetigimus quidem, uti & Materiam Feudalem (ubi tamen Instituti nostri bene multa erat materia,) oportunitati commodiori id reservantes. Interea nos abrumpimus & Morbum hunc valere jubemus.

TANTUM.

Ad B. Lect. Admonitio.

PEssimè de libris merentur, qui denuò illos edentes priscas fere Præfationes & Dedicationes, cumque his sæpe multa, quæ utilissimè monuerant auctores, omittunt datâ operâ chartæ, si Diis placet, ita parcentes. Cujus abominatione dignissimi moris ne quis & nos agat reos, majore cum reverentiâ exhibemus quæ nostra non sunt, adeoque nomina Nobiliss. & Ampliss. Virorum, quibus Morhofiani ingenii hæ primitiæ fuerant dicatæ cum ipsa dedicatione, supra in voluminis fronte, ob causas domi notas, non ponenda, honoris ac memoriæ ergò hic adjicimus.



VIRIS

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS

DN. JOACHIMO Rhatken.
DN. JOHANNI Schumacher.
DN. HENRICO von Deylen.

CONSULIBUS.

DN. HERMANNO WERNERO,

JCto & SYNDICO.

DN. BRANDANO Schmidt.
DN. CASPARO Trendlenburg.
DN. MARCO Burmeister.
DN. DANIELI Maken.
DN. MICHAELI Kerckdörff.
DN. CHRISTOPHORO Gröning.
DN. JOHANNI Nieman.
DN. CHRISTOPHORO Bockhäuser.
DN. JOHANNI Köppen.
DN. CYRIACO Burmeistern.
DN. DANIELI Odewahn.
DN. DANIELI Hertzberg.

SENATORIBUS inclutæ Reip. Wismariensis & Patribus Patriæ meritissimis.

DN. GERHARDO Schlaff.

ejusd. Reip. PROTONOTARIO ET SECRETARIO.

Dominis, Patronis, Promotoribus & Fautoribus singulari observantiâ amplectendis

Exercitationem hanc submisse offert

AUTOR.

Tandem denique, Viri Nob. & Ampl. Morbum vobis parturio. Itane vero Morbum? Ita eſt. Et talem quidem, cujus Aſtræa mater eſt, non Morbona. Sed quid hoc ad rhombum? dicet Orbilius:

Delphinum ſylvis appingis, fluctibus aprum.

Bona verba! Nec enim Medicorum juſcula morbis præſcripſimus: ſed Juriſconſultorum jura. Medica, ſi quæ hic ſunt, ſunt modica. Multa hic eſſe non tam accurata cauſabitur? Prothymæ hoc largimur. Sciat primitias primitias eſſe, & quod hæc Diatribe

--- --- --- --- debentia dici

Pleraque differat & præſens in tempus omittat.

Nemo enim à nobis requiret, ut tam ſucciplena ſit, quemadmodum Chereæ Terentiani Pamphila, modo oſſibus hæreat, ut Ægonis Virgiliani oves. Hæc igitur prima laboris noſtri Juridici documenta de Ægrotis, ſurdis, mutis, furioſis, & id genus aliis, ſub rabioſo Sirii ſidere nobis nata, quos agnoſcant cenſores alios, quam Vos? Debeone hoc Patriæ, quæ me

--- --- --- --- tellure cadentem

Excepit fovitque ſinu?

Nonne vobis, Viri Nob. & Ampl. Studiorum meorum Patronis & Promotoribus? Ipſam me dixeris impudentiam & impuriſſimum ſcelus, ni grato quodam affectu atque animo hæc ſignificanda duxerim. Sumite igitur Morbum noſtrum: ſed miti, ſed ſanâ fronte atque vultu. Veſtræ Cenſuræ hoc quicquid eſt opellæ ſubmitto, credens, tam convenienter me vobis offerre munus, ac ſi Phœbo teſtudinem, Dianæ Venabulum, Jovi fulmen & Veneri columbas offerrem. Valete Viri Nob. & Ampl. & Morbo noſtro favete, cum æternante & mentis & corporis ſanitate.

Veſtr. Nob. & Ampl.

deditiſſimus ac obſervantisſimus

Q. F. F. Q. S.

ΤΑ ΠΡΩΤΑ

TRACTATIONIS JURIDICÆ

DE

JURE SILENTII,

Synopticis thesibus summariè delineata,

Et ex Autoritate Magnifici D. Rectoris

VIRI

Admodum Reverendi, Ampliss. & Excellent.

DN. NICOLAI ARNOLDI,

SS. Theol. Doct. & Profess. Celeberrimi, ac

Concionatoris Academici,

UT ET,

Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimi

ICtorum Ordinis decreto,

Pro impetrandis summis in utroque jure privilegiis & honoribus, in Illustri Frisiorum Academia, publicæ ventilationi ad diem 26. Septembris, Anno 1661. in Templo Academico, horis consuetis proposita.

A

DANIELE GEORGIO MORHOFIO,

Wismar. Poës. in Academia Rostoch. Profess. Publ.

& Ordinario.

VIRIS.
MAGNIFICIS. NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS.
ET. CONSULTISSIMIS.

DOMINIS.

CONSULIB.
SYNDIC.
SENATORIB.
SECRETAR.

INCLITÆ. ROSTOCHIENSIUM. REIPUB.
PATRIÆ. SUÆ, POST. NATIVAM. ILLAM.
ADOPTIVÆ.
PARTUM. HUNC. RUDEM.
SEU. POTIUS.
PARTUS. PARTEM.
INTEGRO. TAMEN. ANIMO.
VOTIS. SARTIS. TECTIS.
OFFICIOSE. OFFERT.
ET. NE. SILERET.
SILENTIO. HOC. AFFECTUM.
TESTATUR.

AUTOR.

DISPU-

DISPUTATIO INAUGURALIS DE JURE SILENTII.

§. 1.

Silentium secundum Frontonem ab St literâ & sibilo illo St! dicitur, qui plerisque linguis familiaris est. Hebræis שָׁתַק Græc. σιγῶ, Germ. schweigen / stillschweigen. &c. Accipitur pro quâvis cessatione. *Flor. lib. 4. c. 2. n. 80.* Festus Silentium pro nocte mediâ, item pro absentiâ vitii in auspiciis usurpat, de quo & *Turneb. Adverſ.* 5. 19. Pro latitatione alibi dicitur, ut: Silentium Lunæ, quod φθίσις σελήνης Aristoteli: silentes surculi, qui nondum germinant, Columellæ. *l. 2. c. 2.* & *l. 10. c. 6.* vulgus silentum, pro Manibus. *Senec. Med. act. 4.* Sic Hebræis vox דומה & silentium & sepulchrum est. *Ps.* 115, 17. Aliquando pro amicâ disceptatione dictum est, uti & apud Græcos σιλέντιον teste *Meurs. in Gloss. Græcob.* Peculiari significatu legitur apud Zonar. tom. 3. p. 147. εἰς μὴ δυνηθῆναι τὸν αὐτοκράτορα τῇ συγκλήτῳ περὶ νηστείας τὴν συνήθη διάλεξιν, ἣ καλεῖται σιλέντιον, ita ut non potuerit Imperator in Senatu sermonem solennem habere de jejunio, *quod dicitur silentium.*

§. 2. Nec silentium, quà Philosophæ notionis est, & Taciturnitas morum magistris dicitur, hic nostri objecti est. De quâ tamen passim in jure; ut *l. 13. §. 3. ff. de Act. Empt. & vend. c. ponderat. dist. 30. l. 19. §. 3. ff. de Ædil. edict. l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* In Politicis quid Taciturnitas, silentium circa mortes Principum, clades Exercitus, &c. obtineat, multi eleganter disquirunt. De Amyclis proverbium natum est, τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή. Unde & silentium sæpè damnosum. Vid. *Gataker. Adv. Misc. c. 30. p. m.* 327. Sed hæc nunc extra scopum nostrum sunt constituta.

§. 3. In jure accipitur itidem varie. 1. pro præteritione sui heredis in testamento, *l. 10. C. de testam. milit.* §. 7. *l. de Exher.* 2. Silentium longum pro quinquennio interpretatur *Gothof. in l. 3. C. si Maj. fact. al. rat.* 3. Pro Latitatione & absentia: *l. 7. ff. fam. ercisc.* 4. Pro tacito consensu, quomodo *l. 15. ff. Locat.* dicitur silentiô convenire.

§. 4. Silentii synonyma sunt Taciturnitas, Scientia. *l. 1. §. 3. ff. de*

Tribut.

Tribut. act. Patientia. *l. 6. §. si passus ff. Mandat. d. l. 1. §. 3. ff. de Tribut. act. l. 5. C. ad SC. Vell.* Voluntas *l. 7. fin. ff. de supell. legat.* Consensus nudus l. 52. §. 9. ff. de O. & Act.

§. 5. A Silentio sunt silentiarii, qui duûm sunt generum. 1. Servi, qui silentium imperabant in familiâ cæterâ. *Salvian. de Providentia. l. 4.* Gloss. veteres Græco latin. Ἡσυχοποιός silentiarius. 2. Ministri Principis ad ea, quæ silentii quietisque sunt, interiores & excubitores in domo Principis, arcanorum ejus conscii. *Procop. l. 1. de bell. Persic.* De his & eorum privilegiis exstat *tot. tit. C. de silentiar. & decur. cor.*

§. 6. Quod sileri debet, Secretum dicitur. Alias Secretum, σήκρητον, locus, ubi servabantur publica. *Meurs. in Gloss. Græcob.* Secretarium in jure est locus judicii *l. fin. pr. C. ubi sen. vel clariss. l. fin. C. de off. divers. judic. l. 2. C. de prox. sacr. scrin.* quod aliàs Auditorium *l. 40. ff. de Reb. cred.* Secretaria Terræ vocat *Apulej. de Mundo* Terræ venas. Secreto fiunt, quæ amicis intervenientibus fiunt *l. pen. pr. C. Qui pot. in pign.* Secretò testari, est in scriptis *Leo Novell. 69.*

§. 7. Restat Definitio, quæ nunc informanda erit. Papias: *Silentium nihil est, sed ubi vox non est, silentium dicitur, sicuti tenebræ nihil sunt, sed ubi lux non est.* Nobis tamen ita definietur, vel describetur potius: Silentium est actus voluntatis internus, quo nobis jus facimus. Quæ si Dialecticorum Regulis æqua forte non videbitur, ego ne ciccum quidem interduim.

§. 8. Nec in Dividendo ero κυμινοπρίστης. Divido silentium 1. In *Probabile*, quod voco Tacitum consensum. 2. *Culposum*, quod cum læsione alicujus est conjunctum. 3. *Pœnale*, quod pro pœna à Judice imponitur. Secundum tres illas divisiones, tres sectiones adorno, quarum primæ partem primam tantum in compendium redactam sequentibus pagellis delineo, reliqua, quæ per totum juris latifundium divagantur, ad tractationem ipsam remittens.

SECTIO I.

DE SILENTIO PROBABILI: SEU CONSENSU TACITO.

Pars I. Continens Generalia.

§. 9. Causa Consensus Taciti, seu Silentii est Voluntas, omnium actionum parens. Atque heic pro principio primo esto Regula Juris tertia: *Ejus est non nolle, qui potest velle.* Lectio hæc Florentina est, quamvis vulgaris diversa, Illius sensus: Qui potest expresse, potest etiam tacite consentire. Probat hanc Lectionem *Ravardus & Robert. l. 1. animad. jur. c. 3. & in notis lib.*

l. c. 3.

-1. c. 3. contra *Cujac. l. 5. Obs. 39. & 15. obs. 23.* Velle est expresse consentire. Nolle, expresse refragari. Non-nolle, intermedium inter hæc duo, est tacite consentire. Confirmat hanc lectionem *l. 1. §. 3. ff. de Tribut. act.* Sic & *Cic. XII. ad Attic. 22.* Proximis tuis literis primum id te non-nolle cognovi, i. e. *pati.* Similia sunt exempla *l. pen. §. 2. & 3. ff. de I. & F. Ignor. l. 7. §. 11. ff. de Pact. ubi Bachovius. l. 1. § 2. ff. de Aq. pluv. arcend. Magnific. Dn. Tabor in notis ad th. 3. C. A. de I. & F. ignor.* Vide de his vocibus *Menoch. de A. I. Q. l. 2. cas. 496.* Aliter tamen hunc terminum *Non-nolle* explicat *Hipp. à Coll. in comm. ad R. I.* 4. quod diducit *Rennemannus de Princ. Jurispr. disp. 19. th. 16.* Attamen & vulgaris illa Regulæ lectio : *Ejus est nolle, qui potest velle* tolerari potest, id est: Qui liberam habet voluntatem, id quod velle potest, potest etiam nolle, quod & Aristot. ait : illam liberam esse voluntatem, quæ velle possit opposita *l. 3. Eth. c. 7.* Sic *Senec. l. 2. de benef. c. 18.* Si vis scire, an velim, effice, ut possim nolle.

§. 10. A Voluntate actio voluntaria est. Forma Voluntarii vel substantialis est; vel Accidentalis. *Illam* voco, quæ actu interno vult, & in actu, ut vocant, elicito subsistere potest, seu consensu tacito. Unde quæritur hic : an actus interni ad Jurisprudentiæ objectum pertineant? Negat *Kleinsmid. in præcogn. Jurispr. tr. 3. s. 1. n.* 178. Statuendum tamen omnino est: actus civiles internos de ejus objecto esse, non æque morales, qui Theologiæ substernuntur. *Hæc* est, qua manifestatur voluntas per externa illa indicia, quæ patefiunt, vel inter præsentes, vel absentes, per Verba coram, vel per nuncium prolata, per Scripturam ; vel communem, vel Crypticam, Literas Hieroglyphicas, Sigla, σίγγλας, quorum usus prohibitus à Justiniano *l. 1. §. 13. C. de V. I. E. in Const. ad Antecess. §. 8. & §. 22. Const. ad Tribon. §. 13. Nov. 47. c. 2.* quæ notæ olim, & harum scriptores Notarii dicebantur. De his *Panciroll. vol. 2. t. 14. Brod. l. 4. Misc. c. 9. Lips. cent. 1. ad Belg. Ep. 27. Wouwer. Polym. c. 6.* & inprimis *Duret. de L'Histoire des Langues de cest univers. chap. 19.* Huc pertinent picturæ & res quævis aliæ, annuli, chirothecæ, claves &c. *Rennemann. de princ. Jur. disp. 19. th. 20.* χειροτονία manuum porrectio *Sigon. de Rep. Athen. l. 2.* Per Facta itidem. ut : Decapitatio papaveris Tarquinii. Per Nutus. *l. 2. de pact. l. 52. §. 10. ibique Dd. de O. & A.* Hac ratione & mutus potest expresse voluntatem edere, & dicitur *l. 7. ff. de supell. legat. Nemo sine voce dixisse existimatur, nisi forte eos, qui loqui non possunt, conatu ipso & sono quodam, καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ, id est, inarticulatâ voce, dicere existimamus l. Nutu. de Legat. 3. l. 17. de delegat.* Cessantibus illis signis, quibus consensus expressus declaratur, nec ubi quis signa contradictoria voluntatis exprimit, cum debuisset hoc, voluntas in actu interno perseverat, & accedente interpretatione, pro vero consensu habetur. Huc spectant Regulæ : *l. 142. ff. de R. I.*

& l. 43. eod. in 6. quod qui taceat, consentire videatur. Scitè *Euripid. in Menalipp.* Silentium vocat obscurum sermonis interpretem. Germani: Schweigst du still/ so ists dein will. Keine rede ist auch eine rede.

§. 11 Colligitur hinc: Quæcunque requisita sunt consensus expressi, regulariter etiam sunt taciti. Quemadmodum itaque ad consensum seu expressum seu tacitum requiritur, ut sit voluntarius: Voluntarium autem ex duobus constat, secundum Aristotelem, principiis: Principio sc. in agente, seu Libertate actionum, & scientia circumstantiarum, de his primo videbimus.

§. 12. SCIENTIA est, qua negotia legitima, quæ gerimus, & gerere debemus, recte intelligimus, & certâ animi destinatione agimus. Principium petitur *ex l. 76. ff. de R. I.* ubi vide sis *Dn. Eichel. in commentar. & in l. 16. ff. de R. I.* Ad consensum tacitum hæc omnino requiritur, ut potissimum illum absolvat.

§. 13. Scientiæ contraria est Ignorantia, contraria itidem consensui, tam expresso, quam tacito. Fit tamen, ut nonnunquam Ignorantes jura nobis acquiramus, vel perdamus, quibus consentire credimur. Sed hic consensus fictus est.

DE CONSENSU FICTO.

§. 14. Differt Consensus Fictus à Tacito, quod ille soleat præsumi de ignorantibus, imo & invitis: hic tantum de volentibus & scientibus. Vultejo Fictus consensus est à lege propter factum aliquod, cum quidem de utriusque partis consensu non constat, eo ipso tamen, quod quid fictum, utraque consensisse fingitur, ob naturam & rationem negotii, quod inter utrumque est. Consensus fingitur aliquando de iis, quæ nec scire nec ignorare possunt, ut Brutis animalibus, quæ in alium Dominum consentiunt, quando animum revertendi abjiciunt, atque ad alium migrant. *§. 15. I. de R. D.* Ratio Fictionis hujus est UTILITAS vel NECESSITAS. De illa Regula est: Deficientibus signis expressis aliud ostendentibus, quisque commodum suum velle fingitur. Hoc modo consentire creduntur furiosus, pupilus prodigus &c. quibus illæsa mens non est, etiam ignorantes & inviti *l. 24. ff. de O. & A. l. 16. §. 1. ff. Qui testam. fac. poss. l. 22. l. ult. §. ult. C. de Admin. Tutor. l. ult. C. Quando decreto non est opus.* Cum enim de commodo eorum agitur, æquum est, ne illis sua noceat calamitas; Nec consensus eorum omnino requiritur *l. 101. pr. de cond. & demonstr. l. 17. §. 4. de Ædil. edict. l. 4. ff. de acquir. hered. l. 209. Comm Titio. ff. de V. S.* quoniam in ea conditione sunt, ut nec velle possint utilia. Sic & ex contractibus sæpe obligamur ignorantes, per hominem seu instrumentum nostrum. Videmur autem hic non

omni-

omnino ignorantes consensum interponere, quoniam ab initio etiam de hoc consensu interponendo consentire voluimus, generaliter concessâ libertate agendi. Licet enim hic scientia specialis non sit, est tamen illa, quâ παχυμερέστερον, pingvius & solutius scimus *l. 7. §. 2. ff. de pecul.* Vocabo consensum mediatum & immediatum. Eadem utilitas publica me delinquentem fingit consentire in pœnam, etiam invitum, tum & in delicta servorum, animalium & instrumentorum meorum, quia illa sunt capacia directionis â voluntate meâ procedentis, uti eleganter de illis *Pufendorff. Elem. Jurispr. univers. lib. 1. def. 1. §. 2.* Quin & consensus noster, seu fictus, seu tacitus intercedit in illis, quæ ignoramus, sed scire debebamus. Unde: scire qui potest, nec scit, idem est, ac si sciret *c. ult. X. de clandest. despons. l. 48. pr. de Fidejuss. l. 9. §. 5. ff. Locat. Vult. 1. Consf. Marp. 17. n. 24.* Secundo NECESSITATIS ratio consensum sæpe fingit. Sic qui alteri quid agendum commisit, censetur consensisse in ea, quæ ille extremâ coactus necessitate agit. De quâ infra amplius.

§. 15. Media inter scientiam & ignorantiam est Opinio, quam definit *Scaliger. Exerc. 307. s. 33.* assensum non-necessario necessarium. Puto tamen & esse posse, imo & esse debere assensum, seu necessario; seu non-necessario non-necessarium. Opinio hæc consensum non tollit vel impedit. Confunditur in jure sæpè cum Errore, à quo tamen distincta est.

§. 16. Scientiam & Opinionem præcessit Dubitatio, quæ est motus animi indifferens ad utramque partem, ex æqualitate rationum contrariarum proveniens. Mediam inter Scientiam & ignorantiam facit *Ungepaur. Exerc. Inst. 7. quæst. 2.* Dubitans itaque, quà dubitans, consensum non interponit, nisi tum, cum actum impedire posset. *l. 142. de R. I.*

§. 17. Ignorantiam & Opinionem sequitur Error, qui est rei falsæ sub Veritatis specie apprehensio. Quemadmodum jam Dubitatio inter duo hæret, quibus consentire ob paritatem rationum velit, ita Error in illud, in quod consentit, tacite quasi dissentit, & in quod dissentit, tacite consentit. Nec iste consensus, qui intercedit, verus est, quemadmodum nec scientia, quæ falsa scit, est scientia, nec objectum verum est, in quod persuadente falsâ opinione ducimur. Ergo abest quoque consentiendi animus, & per consequens verus consensus. Differentias Ignorantiæ & Erroris vide apud *C. A. de I. & F. ignor. th. 16.*

§. 18. Alterum consensus tam expressi, quam taciti requisitum est LIBERTAS ACTIONUM, quæ est facultas naturalis, per quam agere possumus, quæ volumus. Libera itaque voluntas probe definitur à Rennemanno *de princ. Jurispr. disp. 19. th. 10.* quæ facto cujuspiam præbere adsensum requisita, suffragium suum vel dat, vel dare recusat, in quamvis partem liberri-

 berri-

berrimum, nullis omnino cogendi terminis in hanc vel illam partem circumſcriptum.

§. 19. Libertati actionum contraria eſt, 1. *Vis*, quæ eſt neceſſitas impoſita, contraria Voluntati, majorisque rei impetus, qui repelli non poteſt *l. 1. & 2. ff. Quod met. Cauſ.* II. *Metus*, qui eſt inſtantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio juſta & præſens *l. 1. l. 2. l. 9. d. t.* Metus ergo omnino conſenſum impedit, nec obligationem naturaliter parit, quamvis aliter hoc viſum eſt Grotio, de *I. B. & P. l. 2. c. 11. n. 7.* Excipiendus autem eſt metus, qui injuſtus non eſt, qualis eſt, quem vocant reverentialem, quia nec velle creditur, qui obſequitur imperio patris vel Domini *l. 4. ff. d. R. I.* Hoc reſpectu, Patre cogente, filius videtur maluiſſe *l. 22. ff. de Rit. Nupt. l. 14. §. 3. ad SC. Trebell. l. 21. §. 5. ff. quod. met. cauſ.* ex occaſione belli juſti illatus, vide Bodin. *de Rep. l. 5. c. 6. f. 929.* qui jure gentium nihil vitii habet. Beſold. *l. 2. polit. c. 8. §. 43.* Purgat tamen & metum injuſtè illatum patientia illius, cui illatus eſt. Socin. *conſ. 219. n. 8.* Bald. *in l. 2. C. Quod met. cauſ. Pariſ. conſ. 19. n. 60. vol. 1.*

§. 20. De principiis conſenſus dixi, ſequitur *Subjectum.* Illi itaque, qui expreſſe conſentire poſſunt, poſſunt & tacite. Excluduntur inde Furioſi & ii, qui mentis uſum amiſerunt, quatenus tales. Falſus ergo eſt *Morla in Emporio juris p. 1. t. 9. de contr. Empt. & vend. n. 71.* ubi aſſerit, quod furioſus per non-diſſenſum conſenſum ſuum poſſit interponere. Plane eodem jure cenſendi ſunt muti & ſurdi ſimul à naturà Bart. *de Teſtib. n. 97.* Separatim autem conſiderati tam expreſſe quam tacite conſentiunt. Quare & tacite paciſci mutus poteſt de invectis illatis *l. 4. §. 1. ff. de pact.* quæ tamen lex non ita accipienda eſt, quaſi non poſſit etiam expreſſe paciſci, vide Bachov. *ad τὰ πρῶτα in tit. ff. de Pact. p. 618. n. 1.*

§. 21. Lege prohibetur conſentire tam tacite, quam expreſſe, is cui bonis interdictum eſt *l. 40. ff. de R. I.* Sed lege, ajo, quia naturaliter obligari dubium nullum eſt, & nihil in contrariam partem argumenta Goddæi inferunt de *contrahend. ſtipul. c. 7. concl. 40.* Tu vide integras paginas hac lite refertas apud Hering. *de Fidejuſſ. c. 5.* qui tamen ipſe adhuc intricatiorem dimittit. Nimis quoque ſeverè ibidem cum Prodigo agit Goddæus, quem nequam & improbum hominem appellat, atque ideò jure naturæ illi bonis eſſe interdictum, cum tamen Ariſtoteles *Eth. 4. dicat.* οὐ μοχθηροῦ οὐδὲ ἀγεννοῦς τὸ ὑπερβάλλειν διδόντα, καὶ μὴ λαμβάνοντα. Certe Prodigo abſolute conſiderato non poteſt bonis interdici, niſi lædat ſocietatem civilem, liberos, conjuges &c. Idque jure Naturæ perſpicuum eſt. Rectiſſimè Grotius de *I. B. & P. l. 2. c. 20. n. 20.* non puniendos eſſe legi actus oppoſitos virtutibus, & diſputat Seneca *lib. 3. de benef. c. 6.* An ingrati vitium ſit puniendum? quod

quod negat: Non enim, inquit, gloriosa est res gratum esse, nisi tutum est ingratum fuisse. Quid vero dicendum: *An tam expediat Reip. avaro bonis interdici, quam prodigo?* Sed de hoc in ipsâ tractatione uberius. Huc referendi itidem sunt Pupilli, qui nec nolle, nec velle in eâ ætate intelligunt *l. 109. ff. de R. I.* Quare à tutoribus rationis & rerum usus in illis supplendus est, usus ajo: Habent enim jus, ut de Pueris loquitur Plutarchus, in κτήσει non in χρήσει. Rectè itaque de illo dicitur: *Pupillus pati posse non intelligitur l. 110. §. 2. ff. de R. I.* Hic pati est tacitè consentire. Cum enim Major ex patientiâ obligetur, si patiatur vicinum opus facere, ex quo ei aqua pluvia noceat *l. 19. ff. de aq. pluv. arc.* si patiatur conductorem finito conductionis tempore in fundo morari *l. qui ad certum. l. seq. ff. locat.* colligitur recte: pupillum in his non obligari, & si qui casus sunt similes. Huc spectant & illi, qui subjiciuntur potestati, tam Dominicæ, quam Patriæ, qui non possunt tunc consentire vel expresse vel tacite, cum à potestate superiore impediuntur. Filius familias velle non creditur, cum parere necesse habet *arg. §. 1. Inst. de Jur. Pers. l. 4. ff. de R. I.* Notanda tamen est limitatio: cum parere necesse habet: Aliàs enim ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur *l. 39. ff. de O. & A. l. 57. ff. de judic.* de quo inprimis vide Excellentiss. D. Wissenbach. *ad tit. de Sc. Macedoniano. th. 27.* Et Voluntas ejus consideranda est respectu trium illorum temporum, quorum meminit Aristoteles & Grot. *de I. B. & P. l. 12. c. 5. n. 1.* &c. & distinguendum quoque inter militem & paganum *l. 5. ff. de Castr. pecul.* Idem de servis dicendum, quorum voluntas plane subjicitur voluntati Domini in acquisitionibus, contractibus &c. quod autem limitandum eo in casu, quando meliorem rem faciunt *l. 133. ff. de R. I.* Improprie tamen dicitur à Rennemann. *de jur. rer. disp. 1. th. 14. lit. D.* quod ex personâ Domini jus acquirendi servus habeat: Acquisitionis enim jus servo non competit, quamvis uti illo Dominus, tanquam instrumento possit. Illos tamen consentire & obligari naturaliter verum est *l. 14. de O. & A. l. 32. de R. I. l. 13. de Cond. indebiti.* Huc referendi etiam servi pœnæ, Deportati, ad gladium, bestias, metallum, & opus metalli damnati, captivi, qui quidem civiliter consentire nec expresse nec tacite possunt, jure tamen gentium omnes contractus celebrant *l. 15. ff. de interdict. & relegat. l. 17. §. unic. de pœnis. l. 7. §. ult. de bon. damnat.* quo pertinent etiam Banniti ab imperio & exbanniti ab imperatore, Camerâ Imperiali, aut comitiis Principum ac statuum imperii. Gœdd. *de contr. stip. c. 7. concl. 3. & 4.*

§. 22. Post Principia & subjectum de consensu tacito ipso agimus. De hoc exstant duæ Regulæ. I. Tacens non fatetur, sed nec utique negare videtur *l. 142. ff. de R. I.* II. Qui tacet, consentire videtur *c. 43. de R. I. in 6.* Tacere itaque quasi medium est inter consentire & dissentire. Sic accipi

videtur *in c. 3. X. de Cognat. Spir.* Potissimum tamen consensus per taciturnitatem probatur, illaque obligat, ut & actionem & exceptionem ex eâ dari posse credam, quamvis aliter sentiat *Bachov. in Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 1. lit. B.* Imò Tacitus consensus interdũ plus operatur, quam expressus. Sic juramentum calumniæ tacito consensu potest remitti, non autem expresso. l. 2. §. Sed quia veremur. 4. C. de Jurejur. propter cal. dando. *c. 1. de juram. Cal. in 6.* Actus legitimi expresse conditionem non recipiunt, sed tacitè *l. 77. ff. de R. I.* Sit igitur Regula: *Qui tacet, consentire videtur.* AMPLIATUR. I. Quando cum taciturnitate actus alius est conjunctus, E. g. quando taciturnitas concurrit cum receptione literarum *l. si filius fam. 16. ff. ad Sc. Macedon. clem. 1. de procurat. Cravetta de Antiq. temp. part. 1. p. m. 58. n. 24.* II. In causâ Favorabili. Favorabilis causa est vel nostra vel aliena. In nostra quis consentire nos neget? neque requiritur præsentia, quam velle videtur Menoch. *præs. 42. n. 6. l. 5.* nam vel absentes utilia concupiscimus. In alienâ: ut Pupilli, Reipublicæ, piæ causæ, tacite consensum nostrum interponimus, licet nobis hoc sæpè non expediat *l. cum ostendimus 4. §. ult. de Fidejuss. Tutor.* vide Petrum Peck. *de jure sistend. c. 45. n. 17.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 417. n. 15.* Tiraquell. *de privileg. pia caus. privileg. 131.* III. Quando concurrit conjunctionis ratio. Vide Menoch. *l. 6. Ps. 99. n. 33. &c.* IV. Quando expressus consensus semel intervenit, *l. 13. §. 11. ff. de Locat.* LIMITATUR I. in odiosis, in quibus consentire non credimur. Si tamen præsentia judicialis accedat, consensus tacitus validus est. Atque sic statuendum est contra *Heringium de Fidejuss. c. 7. n. 41.* qui indistincte negat consensum tacenti & præsenti, nec juvat illum allegata *lex pen. ff. de Furt.* agitur enim ibi de præsentia extrajudiciali. Consentimus quoque in præjudicio modico. *l. 19. ff. de Aq. pluv. arc. l. 13. §. 7. ff. de damn. infect. Quid si negotium sit partim onerosum, partim utile?* Eligendum credo, quod præponderat, quamvis aliter statuat *Alex. Cons. 132. n. 9. lib. 7.* Excipitur, si quis dolose tacuerit præjudicio aliquo magno, qui tunc consensisse potius creditur *l. 2. C. si aliena res pign. l. 5. C. ad Sc. Vellejan.* vide *Magnific. Dn. Mevium ad I. L. l. 3. t. 4. art. 5. num. 20.* & *Christin. ad LL. Mechlin. t. 13. art. 23. n. 3.* Sed hoc ad sectionem tractationis nostræ secundam pertinet. II. In iis, quæ expressum consensum requirunt. Exemplum solet adduci *c. statuit. §. nullo. de rescr. in 6.* vide *Menoch. Præs. 99. l. 6. num. 50. & seqq.* III. In actu successivo. Semel præstitus consensus non sufficit pro toto negotio. *Dd. in l. Corruptionem C. de Usufr.* IV. Quando actus repugnat juris communis dispositioni: E. g. quando patior, ut quis de re meâ testetur, tunc nihil actum est. *gl. in c. plerumque 2. quæst. 7.* V. Quando agitur de præjudicio tertii *Jas. in l. qua dotis. n. 101. ff. solut. matr.* VI. Quando obstat vis vel metus. *l. 50. ff. de R. I. l. 4. ff. de Noxal. act. l. 4. C. eod.* Sed Judicis arbitrio multa hic relinquenda.

§. 23.

§. 23. Digredior ad partes Consensus Taciti. Eæ sunt vel Principales, vel Accessoriæ.

§. 24. Partes principales sunt Scientia & patientia, sine quibus tacitus consensus subsistere non potest. Bart. *in l. Quæ dotis. circa fin. ff. solut. matrim. l. 2. C. de acquir. poss. l. 13. §. fin. ff. Locat. Natt. cons. 274. n. 11. vol. 2. & cons. 257. n. 7. vol. eod.* Scientia itaque sola, nisi sit conjuncta cum patientiâ, vel præsentiâ, vel facto, consensum non importat. Wesenb. *p. 1. cons. 41. n. 121. Menoch. l. 1. de præs. quæst. 23.* statuit: consensum tacitum patientiâ solâ absque scientiâ induci posse, ceu actu negativo. Sed quomodo patientia possit esse absque scientia? Quod enim ignoratur, quà ratione hoc permittitur? nec video, quomodo sola patientia actus negativus possit dici. Exempla, quæ citat, non quadrant: nullum enim horum absque scientiâ est. Quod enim de Societate ait: quod, si finitâ illâ, sortem quis apud socios reliquerit, non præsumatur per nudam patientiam tacite inchoata, nihil ad rem. Ipse tamen contra se pugnat *præs. 57. l. 3. n. 3. & seqq. & cons. 121. l. 2. n. 7.* quod vide sis.

§. 25. Partes consensus Taciti accessoriæ sunt, quæ abesse interdum possunt, nec ad consensum tacitum absolute consideratum requiruntur, suntque CIRCUMSTANTIA & FACTUM.

§. 26. Circumstantiam voco hic: vel LOCUM; vel TEMPUS.

§. 27. Respectu Loci est: vel PRÆSENTIA; vel ABSENTIA.

§. 28. PRÆSENTIA est legitima loci definitio. Hæc est vel I. *Physica*, seu vera, cum quis est in loco illo, de quo quæritur, qui varie determinatur ob varietatem negotiorum, E. g. In Usucapionibus *l. ult. C. de præscr. long. temp.* In stipulationibus *l. 1. ff. de V. O.* vel II. *Interpretativa vel Ficta*, secundum quam præsentes dicuntur, qui mentem habent integram & consensum possunt interponere, quod non possunt furiosi, pupilli, dormientes, ignorantes, inviti, absentes, qui mentem corruptam habent, non attentâ locali præsentia, vide *l. 2. §. 3. ff. de jure Codicill. l. 24. §. 1. ff. de O. & A. l. 209. ff. de V. S. l. 27. §. 5. de Recept. arbitr. l. 47. & 49. eod. l. 1. §. 3. ff. de acquir. poss. l. 1. §. 1. ff. de aut. Tutor. l. 14. ff. Eod.* Præsens quis fingitur, cum de commodo ejus agitur. *l. 78. pr. ff. de legat. 3. l. 20. §. 6. ff. de instr. & instrum. legat.* Si jam Præsentia cum scientia & patientia concurrat, validiorem facit consensum tacitum. Tres itaque hic Regulæ statuantur.

§. 29. I. PRÆSENTIA (judicialis inprimis) ADDITA ETIAM VIM TACITI MANDATI HABERE CREDITUR. Alex. *in l. Sæpe 63. n. 93. ff. de Re judic.* Mascard. *de probat. concl. 1008. n. 18. 19. 20. & seqq.* Quo pertinet & Senecæ illud in Troad. *act. 2. vers. 289.*

Qui non vetat, vetare cum possit, jubet.

§. 30.

§. 30. II. PRÆSENS ET PATIENS ALIQVID CONTRA SE FIERI, IN ILLUD CONSENTIT, SIBI PRÆJUDICAT ET JURE SUO RENUNTIAT, seu ut Gothofr. *in l. 8. C. de remiss. pign.* effatur: Præsentia tertii tacentis in actu alterius, eidem tertio nocet. Ad renuntiationem juris sui, quæ non facile præsumitur omnino præsentia requiritur nec facile illa ex conjecturis adstrui debet. Menoch. *cons. 1. n. 312.* Quid autem ad renuntiationem juris requiratur & quo pacto fieri possit, ut qui naturaliter juri possit renunciare ita tamen civiliter obligetur, ut illud facere non valeat, notat Rob. Scharrock. *Hypoth. Eth. de Offic. cap. 9. n. 5.* Quare etiam Magnific. Dn. Mevius im rechtlichen bedencken über die Fragen/ so zwischen Grundherren &c. *n. 68.* asserit, quod conductor non credatur renunciasse remissioni pensionis per verba generalia, nisi admodum apertæ exstent conjecturæ. Sic Præsens, ubi Dominus Feudum, in quo jus prætendit, alteri concedit, consentire videtur & jus suum à se abdicare *§. praterea. 1. ubi gl. in verb. regressum lib. 1. t. 5. Quib. mod. feud. amittatur.* Contra tamen sentit Wesenb. *p. 1. cons. 41. n. 119. &c.* LIMITATUR tamen I. Si præsens non intelligat quid agatur. II Si vel metus vel vis obstent. *l. 1. §. 3. ff. de aut. tutor.* III. Si expressus consensus necessario requiratur, ut in tutelâ *l. 3. ff. de aut. tutor.* in stipulationibus, in contractibus mulierum & minorum. IV. Quando quis scit jus suum sibi salvum remanere: *l. 8. §. 15. ff. Quib. mod. pign. vel Hypoth. solvit.* Quid tamen dicendum ad *l. 8. C. de remiss. pign.?* An Fiscus peculiari jure hic utitur? An de præsentiæ creditoris casu tantum loquitur lex? quod non apertè declarat textus: an in absentia peracta possint retractari? Placet illud Gothofr. *in not. ad l. 6. C. d. t. lit. g.* Sic Divisio coheredum præsenti legatario non nocet *l. 34. §. 2. de legat. 2.* Nec factum heredis præsenti fidei commissario *l. 92. ff. de legat. 1.* quod aliter se habet inter coheredes. *l. 12. ff. de Evict.* Socios *l. 28. ff. communi divid.* vicinos novum opus facientes *l. 19. ff. de Aq. pluv.* V. Quando quis præsens est actui, ut testis, & ipse etiam subscripserit & subsignaverit. Distinguendum tamen est inter negotium proprium & alienum in illo consensus præsumitur: non autem in hoc. *l. 6. C. de Fidejuss. l. 39. ff. de Pign. act.* alia tamen ratio est in filio, qui patre jubente subscribit, vel subsignat metu reverentiali compulsus *l. 26. §. 1. ff. de pign. & hyp.* VI. Quando quis casu in judicio præsens, non ratione actus illius, qui geritur. Menoch. *l. 6. præs. 21. n. 5.*

§. 31. III. PRÆSENTIA CUM SILENTIO AD INTERROGATA CONJUNCTA ADHUC FORTIUS OBSTRINGIT ET FERME EXPRESSUM OPERATUR CONSENSUM. Vocat hanc patientiam geminatam Hering. *de Fidej. c. 7. n. 48.* Ubi & de Fidejussore interrogato. *l. 39. in pr. ff. de Procur. c. 2. de confessis in 6. l. 4. cum ostendimus §. ultim. ff. de Fidejuss.* Tutorum Facit *l. 11. §. qui tacuit. 4. ff. de interrog. in jur. faciend.*

§. 32.

§. 32. ABSENTIA eodem modo varia est, vide Alciat. *ad l. 13. §. 1. de V. S.* Bachov. *in τὰ πρῶτα ad tit. Ex quib. caus. maj. n. 1.* Wegner. *in l. 173. §. 1. ff. de V. S.* Citatus contumaciter absens habetur pro consentiente. Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1159. n. 26.* Et contumacia habetur, pro præsentia. *Auth. quà in provinciâ. C. ubi de criminibus. l. 13. §. 2. C. de judic.* Menoch. *A. I. Q. cas. 36. n. 9.* Absentes quoque finguntur consentire in negotiorum gestione, acquisitione per alios &c. Sed de hoc supra.

§. 33. TEMPUS est duratio, secundum quam res principium & finem habet. Kleinsmid. *de præcogn. Jurispr. tr. 3. s. 1. n. 209.* In genere hic notandum, quod tempus & mora sæpe nos consentire faciant. Bald. *in l. si filius C. de petit. hæred.* Hunc consensum tacitum expresso esse fortiorem statuit Cravett. *consf. 640. n. 10.* Juris renunciationem inducit *l. 1. §. sed videndum ff. de success. edict.* Hering. *de Fidejuss. c. 28. n. 4.* Distinguunt tamen hic vulgo inter jus quæsitum & quærendum. Tempus dividitur in definitum & indefinitum. Definitum tempus est vel ad præscriptum Naturæ, vel ad præscriptum Legis. Illius sunt: Momentum, hora, dies, biduum, triduum &c. Mensis, Annus, Biennium, Triennium &c. quorum omnium temporum duratio sua jura habet, & consensum tacitum diversimode in usucapionibus & præscriptionibus inprimis importat. De quibus abunde in tractatione ipsa. Hac ratione dividitur etiam in Præsens, Præteritum & Futurum, ad quam divisionem consensum quoque colligimus. Sic à præsenti factô vel non factô elicitur consensus ad præsens & præteritum tempus. A præterito colligitur consensus temporis præsentis. Ex præsenti quoque & præterito consensus futurus. vide Menoch. *de præs. lib. 1. quæst. 23. numer. 9. & quæst. 24.* Tempus definitum ad præscriptum Legis, est vel à lege Conventionali, vel Civili. Illud est, quando à partibus in illud convenitur, fitque vel Extrajudicialiter vel Judicialiter. Extrajudicialiter fit e. g. in commissorio pacto de pretio intra certum diem solvendo *l. 4. pr. ff. de L. Commiss.* In datione in solutum *l. 9. C. de resc. vend.* In pacto pignoris *l. 4. pr. de pign. act. &c.* Judicialiter in formâ processus termini sæpe pro arbitrio partium vel dilatantur vel angustantur *auth. si tamen. C. de apell.* Tempus definitum ad præscriptum legis Civilis est 1. vel breve vel longum, quia sc. respectu civili ad certum aliquod tempus determinatur. Quid breve & modicum tempus sit, vide Sprenger. *tr. de modico. p. m. 112. & seqq.* Longum quoque diversimode appellatur perque gradus distinctum est, jam quinquennium *l. non tenetur. §. præscriptio. ff. ne de stat. defunct.* jam inter præsentes decennium, inter absentes vicennium *pr. I. de Usuc.* Tempus longissimum 30. vel 40. annorum *tit. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* Sequitur dein tempus immemoriale vel antiquum. 2. Dividitur in continuum & utile.

§. 34. Altera consensus taciti pars accessoria est FACTUM, quod potius ad consensum expressum pertinere videtur. Facto non minus consensus elicitur, quam verbo *l. 5. ff. Rem ratam haberi.* Et plus aliquid esse dicitur, facto ratificare, quam verbo *c. dilecti filii. 12 de appellat.* Factum est vel omissionis, vel commissionis. Illud negligentia est, quæ differt à Patientiâ. Per patientiam volentes consentimus: per negligentiam quodammodo inviti. Quodammodo dico. Voluntas enim remissa hîc est. In Patientiâ remisse volumus, in negligentia remisse nolumus. Per negligentiam itaque jus nostrum censemur remittere *d. c. 1. X. de appell.* De his varia jura. Factum commissionis consistit etiam in mandato, consilio, auxilio, autoritate seu defensione, per quæ facta consensum negotio principali interposuisse censemur. De hoc alibi fusius.

DE CONSENSU TACITE LIMITATO.

§. 35. Hactenus de consensu absolutè tacito, nunc de tacitè limitato. Consensus tacitè limitatus oritur ex repugnantiâ consensus emergentis cum voluntate, sive absolute spectatâ conditione rerum humanarum, sive comparando personam & rem, de quâ agitur, cum ipso fine actus. Est autem ille, quo, positis quibusdam manifestis & expressis, in quædam, quæ non sunt posita, ratione rei ipsius vel consequentiæ consentimus, reque aliter se habente, dissentimus.

§. 36. Tacitus atque Universalissimus omnibus negotiis, tam publicis quam privatis, limes est positus, ut censeantur acta sub illâ conditione, *si res in eodem statu permanserint.* Dicitur quoque conditio novæ causæ, ob quam à veteri dispositione discedere juri consentaneum est. De hâc eleganter Seneca *lib. 4. de Benef. c. 39. Subest tacita exceptio: si potero, si debebo, si hæc ita erunt. Effice, ut idem status sit, cum exigitur, qui fuit, cum promitterem. Destituere levitas non erit, si quid intervenit novi; quid miraris, cum conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia præsta & idem sim. Vadimonium promittimus; tamen deseritur, Non in omnes datur actio, deserentem vis major excusat.* Status ille vel Personarum est vel rerum. Ille quomodo jus mutet, pulchrè exprimit *l. 38. ff. de solut.* vide Donell, *l. 5. Comm. c. 12, 20. a.* Status rerum vel publicus vel privatus est. De illo quid non dicitur? quid non scribitur? addo etiam pugnatur. Nomen hoc status seu standi peculiariter apud autores passim de Rebuspubl. & earum curâ accipitur; pulchrè notat Geisser. *De stat. polit. c. 1. §. 3. & 4.* Rectissimè Excellentiss. Dn. Slüter. *Animad. in Hippol. à Lapide p. 2. c. 1. p. 685.* de ratione status: quod sit Reipublicæ honestè ac beatè conservandæ & amplificandæ generalis conditio seu requisitum. Videndum tamen, ne hæc larva sit omnis injuriæ & libidinis dominandi. Quà de graviter

ter Forstn. *not. in lib. 3. Annal. Tac. p. m. 292.* Quare probe attendendæ conditiones, quas quatuor ponit Excellentiss. Dn. Böckel. *de prot. clientel. p. 3. c. 8.* ubi de eâ multa præclare, uti omnia, disserit. Sic fœdera vel nova condi vel vetera aboleri hàc ratione possunt. Zuch. *de jur. inter gent. p. 2. sect. 3. quæst. 13.* Exempl. *ap. Polyb. hist. l. 7. sect. 1. p. 508. & l. 4. sect. 3. p. 283.* Tale fuit fœdus Venetorum cum Turcis initum absque sociorum scitu. Vide Heig. *p. 1. quæst. 11. n. 13.* ubi idem aliud adducit. Vide & apud Cambden. *Hist. Brit. in anno* CIↃ IↃ XCX. Nostro quoque seculo illa non incognita. Non autem temere hæc, sed summa adigente necessitate agenda, ne audiamus Plauti illud: *Pactum non-pactum est, non-pactum pactum est cum illis lubet.* In Privatorum negotiis indies hoc evenit, etiamsi juramento confirmata sint. Setser. *de jumm. l. 1. c. 26. n. 3.* quod per omnes contractus diduci possit, si ejus nunc esset otium. Videatur Modestin. Pistor. *p. 4. quæst. 149. n. 78.* Carptzov. *2. Jurispr. For. 35. def. 23.* Grot. *d. I. B. & P. l. 2. c. 16. §. 27.*

§. 37. Specialiore nomine vocabitur hæc conditio: NECESSITAS, quam respectu reipublicæ Geisser. *de stat. Pol. c. 6. §. 10.* definit, quod sit Vis cogens Magistratum ad temperamentum Reipublicæ. Orta quidem hæc ex causâ contingente effectum tamen habet necessarium. Hæc est juris fæcundævi, ut vocant, parens. Oportebat enim aliter se habere jura, ubi aliter se habebant actiones humanæ. Ex illa lites natæ. De quibus Hesiod. *initio Ἔργ. καὶ ἡμέρ.*

——— ὅτις τήνγε φιλεῖ βροτὸς, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
Ἀθανάτων βουλῇσιν ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν.

Hæc supra legem est, omnique legi tacitam parit exceptionem, ut omne justum fiat, quod est inevitabile, nec sine omnium periculis corrigendum, Magnific. Dn. Mevius *discurs. de Amnestia. O. 2. b.* Ubi prolixius de ejus efficaciâ agitur. Per hanc sæpe Justitiæ tam distributivæ, quam commutativæ ordo alteratur, delicta atrocia non puniuntur, *Idem ibidem.* Inter Municipalis Angl. Juris regulas recenset Wingatus. In actionibus veniam facit lex, ubi faciendis adfuit necessitas. *Max. 110. Tract. of the reason of the common. Law.* NECESSITAS hæc est vel I. NATURÆ in actionibus naturalibus consistens. Spectant huc morbi animi & corporis &c. de quibus cum antea in Diatribe singulari Juridicâ dixerim & imposterum integro volumine, bono cum Deo, dicam, hic non recoquo. Spectat huc quoque necessitas famis, quæ excusat à furto, cujus præclaram rationem reddit Hugo Grotius *l. 2. c. 2. n. 16. de I. B. & P.* quod sc. bona tunc per necessitatem ad communionem juris pristini deducta esse videantur, quò pertinet Consilium, quod tempore famis Mompelgardensibus dedit Forstner. *de quo ille not. in Tacit. Annal. lib. 12. c. 41. p. 217.* Eadem ratio forte poterit probare furta, ex totius gentis placito, per-

I 2 missa

missa uti Ægyptiorum, de quibus *Diodor. Sic. Bibl. l. 1. p. 2. p. 73.* Spartanorum &c. Qua de re nuperrimè disseruit Robert. Scharrock. Anglus *Hypoth. Eth. de Officiis. cap. 3. num. 3.* Aliter Menoch. *cons. 31. n. 31. Qui alienum,* inquit, *accipit ob necessitatem, accipere dicitur ex tacito consensu, qui ob id, quod tenetur succurrere, videtur accipienti consentire.* NECESSITAS est II. LEGIS, secundum quam actiones dirigere debemus, necessitate, non quidem absoluta, sed hypotheticâ, sub qua etiam tacite gesta putantur omnia. Unde ea, quæ contra bonos mores & leges fiunt, ea nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de Const. Inst.* Leges autem ipsæ honestati & justitiæ sint conformes, & facessat hinc *Hobbesii* assertum: nullam legem posse esse injustam. NECESSITAS est III. CASUS, quæ itidem tacite limitat negotia. Est enim talis, quem nullum ingenium humanum providere potest *l. 2. §. 7. ff. de adm. rer. ad civit. pertin.* ut sunt, incendia, ruinæ, naufragia, rapinæ &c. Casus itaque fortuitus regulariter exceptus est in damnosis *l. 6. de pign. act. l. 23. in fin. de R. I.* non vero in illis, quæ prosunt, ut inventio thesauri, *§. 39. I. de R. D.* Aliquando tamen aliter se hæc habent.

DE CONSENSU INTERPRETATIVO.

§. 38. Levi tantum differentiâ hic à priori discrepat. Est hic: quo alicujus consensum, quem non expressit, ratiocinio colligimus. Paul. Slevogt. *Disp. de Volunt. th. 38. & 39.* consensum interpretativum duplicem facit: unum cum cognitione rei, quæ geritur; alterum sine illa, ad cujus bonitatem sufficit, si non sit contra Voluntatem alterius, à quo pendet. Eo modo interpretamur Voluntatem legislatoris, quam præsumimus futuram fuisse in aliqua re, si eam cognovisset. Hic dupliciter distingui potest. Est enim *Necessarius* vel *probabilis.* Ille, quo quis necessario sic sensit nec aliter sentire potuit, ut etiam ejus interpretatio sit necessariæ consequentiæ. Atque hinc patet veritas duorum Canonum: *Taciti & expressi par virtus: & Taciti & Expressi non eadem virtus.* Prior enim est de illis, quæ necessariam inter se connexionem habent, & quando omissa per naturam actui insunt. Posterior de posteriori membro vera est. Ergo illa tacitè subintellecta, vel conjecturis legum eruta pro expressis habentur. *l. unic. §. 1. C. de Rei Uxor. act.* Menoch. *præsumpt. 134. lib. 3. n. 33.* Paurmeist. *de Jurisd. l. 6. c. 6. n. 221.* Excipe tamen illa, quæ sunt stricti juris & quæ expressum consensum requirunt. Sic in stipulationibus omissum habebitur pro omisso *l. 93. 97. 135. ff. de V. O. l. unic. ff. si tab. test. exstab.* Benè definit hoc Cravetta *in de Antiq. temp. in tert. partic. primæ part. n. 38.* Expressum tunc ex conjecturis dici, cum illud ex aliis expressis & scriptis colligitur. Everhard. *loco à Tacit. ad Express.* novem modos constituit, quibus tacitum habeatur pro expresso, qui ad duos hos commodè reducun-

ducuntur: Consensus interpretativus necessarius est, vel ex necessitate actus ipsius vel legis. Ex necessitate actus ipsius est: qui secundum materiam subjectam, finalem causam, aliasque circumstantias firmiter colligit. Sic qui consentit in genus, tacitè consentit in speciem *l. 147. de R. I. l. 127. ff. de V. S. l. 68. de legat.* 3. Qui consentit in plus, tacitè consentit in minus, seu quantitate, seu jure tale *l. 110. l. 21. de R. I. §. 8. Inst. de Mandat. l. 1. §. 4. ff. de V. O. l. 165. 156. §. 1. l. 41. 26. ff. de R. I.* Sic colligimus à thesi ad antithesin, & contrà *l. 1. ff. de off. ejus cui mand.* à toto ad partem *l. 133. ff. de R. I. l. 6. ff. de R. V. l. 30. ff. de Usurp. & Usuc.* à principali ad accessorium *l. 187. ff. can. 42. de R. I. in 6.* ab antecedente ad consequens *can. 39. de R. I. in 6.* à connexo ad connexum *l. cum actum. C. de Negot. gest.* à Correlato ad correlatum. *l. fin. C. de Indict. vid.* Necessitas Legis est, vel Ἀκριβοδίκαιον vel τὸ Ἐπιεικές. Illa absoluta; hæc conditionata. Quemadmodum ergo Æquitas, quæ & ratio legis dicitur, vel amplior est, vel strictior: ita quoque ratione tacitâ Voluntas legis vel extenditur vel angustatur. Hinc nulla lex contra jus Naturæ & bonos mores aliquid statuisse præsumitur. Illa enim, quæ justa & æqua sunt, necessario debemus velle.

§. 39. Probabilis interpretatio est, quæ mentem alicujus tacitam non necessario explorat, sed conjecturis probabilibus colligit. Versatur circa ambigua & obscura. Obscuritas est vel in verbis, vel in rebus. In Verbis ἀμφιβολία, in Rebus Ἀντινομία. Huc spectant *l. 152. 67. 9. 56. 41. §. 1. l. 114. 168. §. 1. ff. de R. I.*

DE OMISSIS.

§. 40. Circa illa, quæ omissa sunt, Interpretatio ut plurimum versatur: Quorum quidem prolixa tractatio est. Sunt per Errorem, Ignorantiam, Oblivionem, Casum, Negligentiam, Culpam, Dolum, Omissa, variasque pro variis illis distinctionibus conditiones accipiunt. Sed non licet hæc omnia mihi nunc tam plenè & ἁπλῶς persequi. Quare concludam nunc, bono cum Deo, partem primam, membri primi, sectionis primæ, quam modo contractam & ὡς ἐν κεφαλαίῳ delineatam intra paucas has pagellas coëgi. In animo quidem erat, cùm admoverem calamum, singula exactius diducere. Sed vidi materiam sub manu natam, sua mole turgescere, ut inter tot selecta carpenda ignorarem

τὶ πρῶτον, τὶ δ' ἔπειτα ——— ———

Nunc tantum exhibeo hoc, seu σκίλετον, seu umbram, aut nebulam aliquam pictam in pariete publicæ atque Inaugurali Disputationi, solidum atque succiplenum corpus aliquando daturus, si Deus, Vita & fortuna faverit. Jam ergo impono silentium meo hoc silentio, sed, uti *Æthra apud Euripid. in supplicib.*


Οὐδὲ σιωπῶν, εἶτα μέμψομαί ποτε
Τὴν νῦν σιωπὴν, εἰ σιγηθῇ κακῶς.

FINIS.

Τὰ τρία πάντα, καὶ τὸ τρὶς πάντη. *Arist. de Cœlo lib. 1. cap. 1.*

COROLLARIUM.

SCripſerat Cl. Dn. *Andreas Frommannus in Hypotypoſi Juris Furioſor*: p. 26. th. 16. *de Marito uxoris furioſæ hæc:* Quod ſi eam neglectam perire ſiverit, præter pœnam communem, privationem ſc. lucrorum dotalium, hereditatisque ex ſtatuto debitæ, Uxoricidii quoque pœnâ in eum animadvertetur, de quâ vide Carptzov. Pr. Crim. p. 1. q. 12. n. 1. *Contra hæc ego in Diatribâ meâ Juridicâ: De morbis & eorum remediis, Roſtochii, ante triennium habitâ* pag. 37. th. 74. Si maritus diligentiam ſuam in tuendâ Uxoris valetudine prætermiſerit, Uxoris hereditate eſt indignus l. 3. ff. de his quæ ut indignis auferuntur. Verum quod pœnâ Uxoricidii plecti debeat, nunquam evincet Frommanns hypot. Jur. Fur. p. 26. th. 16. ex Carptzov. Pr. Crim. p. 1. q. 12. n. 1. *Hæc Ego, nec vano contradicendi impulſus ſtudio, ſed veritatis ratione inductus ſenſi, ab opinione illius diverſus. Et rectè quidem: cum nullâ Juris ratione, multo minus praxi ipsâ aliud obtineat. Imo ex ipſo Carptzovio cit. loco, & ex totâ illâ quæſtione ne minimus quidem apex produci poteſt, qui illud affirmet. Quin potius tela hæc ipſam Dn. Frommanni theſin jugulant, uti inſpecturo apparebit. Conqueſtus tamen eſt ille in publicâ inaugurali quæſtione, Argentinæ habitâ, de injuſtâ meâ cenſurâ. Titulum quæſtionis iſtius è programmate, quod per amicum habeo, vidi. De argumentis ipſius nihil conſtat. Quare ſi illa Tractatui ipſi, quem propediem edendum promiſit de eadem materia, uti ſpero, inſeret, plene reſpondebitur. Me interim adhucdum non pœnitet theſeos meæ, ſed hac vice eandem in publicam ſcenam produco, ut arbitrentur de eâ, qui velint.*



DE

DE
ENTHUSIASMO,
Seu Furore Poetico
DISSERTATIO,
Lectionibus publ. in Claudiani de Raptu Proserpinæ libros, mense Novembris 1661. præmissa.

QUando nunc primum cathedram hanc Professoriam ascendo, munerique huic, quod ante annum impositum est, primas auspice DEo admoveo manus; commodè, dum Lectiones publicas per aliquod tempus interruptas resumo, in mentem incidit, quod apud Areopagitas lege sancitum fuit: *μηδὲν ἐξεῖναι λέγειν ἔξω τοῦ πράγματος; ne quid fas esset dicere, quod ad rem & propositum non attineret.* Cum enim de crepidâ suâ sutor disserat, ventos & tempestates spiret navita, Mercurii alumno ζεὺς ὁ χρυσοῦς ut in arca, sic in ore, sit, & unusquisque id agat, quod suis convenire putat moribus & genio. Nos quoque nostri memores extra Parnassos, Pindos, & Helicones nostros non prorogabimus imperium, extra chorum Musarum nostrarum non saltabimus. Atque ut absolvam denique, de re Poëticâ mihi nunc aliquid dicendum esse video. Quanquam in tantâ rerum copiâ, quid potius sit dicendum, animus mihi admodum fuerit diversus. Versabar inter materiem illam velut in farris acervo curculio, aut inter florum agmina apis, aut in cœnâ dubia liguriens conviva, quid primum illorum, quid ne postremum apprehenderem incertus. Artem ipsam quis non laudat, ut pueri Junonis avem? quis non præ superbâ arrogantiâ sæpe contemnit? ut aut pro illâ dicere, aut in hos fabam cudere potuissem; nisi vel hanc ingenita majestas extolleret, vel illos sua inscitia refutaret. Et verum hoc quidem est, quod ad aliquam Poëseos dignitatem aspirantibus sæpe obstet invidia ingens,

ingens, gloria nulla; sæpe etiam pulcherrima ingenia, quæ se & studia illa contemni sentiunt, primum negligere, mox etiam odisse incipiant. Sed passim audiuntur illæ doctorum virorum querelæ nec hic repetendæ: Nobis nunc in profundiorem ejus naturam inquirere, & quæ alii admirantur potius, quàm animo adsequuntur, curatius explicare constitum est. Atque ut sciatis rem penitius, *Enthusiasmum Poëticum* in theatrum produco. Sed miramini, *Auditores*, quid rei hoc sit? Pandam ergo hoc horribile secretum. Artem vos docebo, qua superiora inferis miscere, cœlum terræ inferre possitis: Monstrabo viam, quæ supra cœlestes illas domos uno momento evehere possit, infra Ditis cunabula rursus deprimere. Per hanc non minus ubique sumus, quàm superi, accumbimus epulis Divûm, & ipsi non tàm Dii, quàm Diis superiores, qui & sæpe cœlum suum nobis debent; futura prædicimus, mortales immortalitate donamus, homines in feras mutamus, & formas corporibus suis subtrahimus; loca nullis colonis habitata, nullis adeunda mortalibus, pervadimus soli, jamque adeo in ipsa Tartari penetralia irruimus, & in sontes umbras merum illud & magnificum exercemus imperium. Hæc Magia nostra est, quæ quasi fascino quodam ligat animos. Sunt & nobis incantationes, sunt carmina, sunt characteres certi, est virgula quædam divina, quæ etiam invitos in stuporem rapiant ac defigant. Hæc omnia cum non aliter, quàm à vi majore & Numine quodam aliàs agi credantur, solus autem post Numina actiones illas imitetur Poëta; non falsò illum divino quodam afflatu & ἀπορρόιᾳ agitatum dixêre etiam ipsi summi Philosophi: inter quos Plato est, qui & Poësin τὸ ὅλον s. *universum* vocavit. Qua de re cum dicere nunc quædam sit animus, facile quivis intelligit, nemini huic muneri fore parem, præter Poëtam. Quod quidem augustissimum nomen quamvis mihi non tribuam, agam tamen nunc quod Vulcanus, qui faber quidem armorum fuit, Hectorem tamen ipsum non interfecit; ac similis sim statuæ Mercuriali, quæ aliis viam monstrat, licet ipsa sit immobilis. Vos autem, *Aud. opt.* emancipate nunc aliquantum sensus vestros, & animum ipsi Enthusiasmo quodam ab aliarum cogitationum adversione seducite, & non tam aures, quàm mentes huic meo Enthusiasmo concedite: qui licet fucato verborum splendore non diffluat, (nolo enim hic declamatorem agere, sed docere;) audietis tamen, quæ nec dicere mihi intempestivum, nec vobis ingratum.

Quod Cicero olim, qui hominis nomen exuit, ut Eloquentiæ indueret, id nunc de Poësi dicendum mihi videtur. Ergo Poëta homo non est? Non est; quia, dum hoc fit, mente privatur: homine major est, quia à majore impellitur. Prima ejus pars est *à DEO agi*; secunda *cum hominibus scire*. *Duo* scilicet veteres Philosophi constituerunt, ad quæ omnia alia referrent,

rent, *DEum* & *Poëtam*: ita ut illius existimarent munus, quotidie agere; hujus, quotidie imitari. Utrumque homini opponit Plato. Nam & homo tum præstat, cum mente suâ utitur; Poëta, cum mente sua caret. Ita autem mente sua caret, ut plane non sui compos tum videatur, sed alterius esse, à quo impellitur, ducitur, trahitur. Quare cum tam miros tantorum ingeniorum effectus viderint, non nisi Numini id adscribendum putabant. Hinc Θεῖον πνεῦμα dictus fuit Impetus ille à Juliano desertore, cujus Epistolam citat Suidas; & Ἐνθουσιασμὸς, vel Ἐνθουσιαστικὸν πάθος. Et ita Plato vocat. Quemadmodum jam τὸ ἔμπνεον significat quod vento repletum, τὸ ἔμφρον, quod sapientiâ: ita Plutarchus Ἐνθουσιασμὸν secum ferre putat plenitudinem & communicationem divinæ potestatis. Hunc DEi Spiritum etiam requirit Tullius, qui in Epistolâ quad. ad Q. Fratrem, ubi se purgat, quod non mittat promissum carmen, sic se excusat: Sed abest etiam Ἐνθουσιασμὸς: Et pro Archiâ, divini spiritus afflatum illum ipsum interpretatur. Quare Claudianus de se in princip. de Raptu Proserpinæ:

Jam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit, & totum spirant præcordia Phœbum.

Et Lucan. l. 5.

---- ---- ---- ---- Artus
Phæbados irrupit Pæan, mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore.

Et Petronius Hominem & Poëtam sibi opponit: Sæpius, inquit, Poëticè, quàm humanè locutus es, i. e. divinè. Carmina enim nostra non esse humana, sed divina, i. e. Apollinis & Musarum, docet Lucianus ἐν Διαλέξει πρὸς Ἡσίοδον. Qua ratione Apulejus vocem *inhumanus* pro *divinus* accepit, qui libro 5. inhumanæ mensæ lautitias vocat dapes cœlestes. Videatur & hac de re Casaubonus in Athenæum lib. 9. c. 7. Inde illa Poëtarum consuetudo fluxisse videtur, quod soleant ipsi istam Numinum potestatem invocare, sacrosque illorum afflatus sollicitare; nec hoc in initio carminis tantùm, sed & in medio. Virgil. Aen. 9.

Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.

Atque Valerius Flaccus:

Eripe me populis, & habenti nubila terræ,
Sancte Pater.

Reprehenditur ideò Ovidius à Barthio, quod non desideret illum afflatum, sed suo animo omnia tribuat, cum ait:

In nova fert animus mutatas dicere formas, &c.

uti & Lucanus:

Fert animus, caufas tantarum expromere rerum.

Sed de hâc cenfurâ alibi videbimus. Pulchra quoque in hanc rem funt Democriti verba, quæ adducit Dio Chryfoftomus, Orat. LIII. quæ eft de Homero: Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων, ὡς οὐκ ἐνὸν ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως, οὕτως καλὰ καὶ σοφὰ ἔπη ἐργάσασθαι. i. e. Homerus fortitus naturam numine afflatam omnigenorum carminum ornatum fabricatus eft: ut fieri non potuerit, quin absque divina & afflata natura ita pulchra & fapientia carmina componerentur. Hos Μουσοπατάγους vel Μουσοπατάκτους, (ut quidam legere malunt) i. e. Mufis percuffos, vocat Cicero l. 2. ad Quint. fratr. Ep. 9. Μουσολήπτους Pollux. In hoc negotio totus verfatur ille Platonis Dialogus, Ἴων, ἢ περὶ Ἰλιάδος. Quàm præclara enim illa funt, quæ ex Græco Latina damus: *DEUS*, inquit, *Poëtis mentem surripiens ipsis tanquam ministris utitur, & oraculorum nunciis, & divinis vatibus, ut nos, qui audimus, percipiamus, non eos esse, qui tam digna referunt, cum suæ mentis compotes non sint, sed hac DEum loqui, & per hos nobis hæc inclamare.* Probat deinde hoc Tynnichi Chalcidenfis poëtæ exemplo, qui, cum antea poëma nullum memoriâ dignum compofuiffet, Mufarum infpiratione correptus hymnum in Apollinem pulcherrimum confecerit. Non canebant itaque Poëtæ, nifi numine aliquo recepto. Avienus:

--- --- --- DEus intrat Apollo
Pectora.

Claudianus de Bello Getico:

Quis Mufis, ipfoque licet Pæane recepto,
Enarrare queat?

Papinius XII. Thebaid.

Vix novus ifta furor rediensque impleffet Apollo.

Lucianus περὶ θυσιῶν: παρακαλέσαντες τὰς μούσας συνῳδοὺς ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπῶν, ὑφ' ὧν δὴ ἔνθεοι γενόμενοι, ὡς τὸ εἰκὸς, ᾄδουσιν. h. e. Erafmo interprete: Invocatis, ut adfint canentibus, in exordio poëmatum, Mufis, à quibus tandem velut afflati numine, id quod apparet, hujusmodi quædam cantant. Tum primum enthei dicebantur, cum numen recepiffent pectore. Avicenna à Dæmonio quodam afflatum iftum procedere putat, qua tamen opinione nil opus eft. Et fomnia aliquid conferre credita funt. Meminit Perfius Sat. 1. Allufit autem ad Ennium, qui in I. Annalium cecinerat: Sibi in Parnaffo dormienti in fomniis vifum Homerum, ex quo didicerit, animam ejus per pavonem fe infinuaffe in fuum corpus. A quo non abludunt & illi actus, quibus in templis & delubris Deorum excubantes captabant

bant per somnia rerum eventus: quam fatuitatem sæpe irridet Lucianus, qui mentem sine pondere ludere ait. De Aesculapio, qui sibi in somniis appareat, meminit in Epist. suis Hippocrates. Elegantissimus est locus in præfatione Claudiani nostri in Sext. Consulat. Honorii, ubi graphice describit Enthusiasmum in somno sibi oblatum. Juvat quædam huc afferre:

Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assvetis sollicitare solet.
Namque poli mediâ stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Jovis.
Utque favet somnus, plaudebant numina dictis,
Et circumfusi sacra corona chori.

Claudit tandem:

Fingere nil majus potuit sopor, altaque vati
Conventum cœlo præbuit aula parem.

Paria sibi in somnis evenire narrat Lucretius lib. 4. Et memini me de quopiam Poëta, an Taubmanno, an alio, nunc non succurrit, legere, illum, cum de materiâ carminis cogitasset pridie, nocte tandem in somniis carmen composuisse sæpissimè cum è lecto surgeret describendum. Quod quidem uti præter solitum est, ita non potuit non felicissimum genium significasse. Tum & animus eô tempore quam maximè sibi relictus eò magis patet divino huic afflatui. A Wormio, in Append. Literat. Runicæ, refertur, quod motus ille ingenii Poëticus, seu Enthusiasmus apud priscos illos Gothos in novilunio habitus fuerit ferventissimus. Illum impetum ii dixere *Skalhwingl*, i. e. poëticam vertiginem. Qui impetus animi cum tam mirabilis visus fuerit omnibus, non satis apta nomina huic exprimendo invenire potuerunt. Cum enim mens à seipsâ quasi sequestrata, omnibusque aliis actionibus, huic soli intendatur, *θείαν μανίαν*, *divinam insaniam*, vocavit Plato; & alii *Furorem*, catachresi quidem aliquâ, sed tamen, ut illi putant, voce significantissima; quia tunc homo extra se rapiatur, suique immemor alium hominem induat, ejusque cogitationes & sermones aliis exhibeat. Aristoteles: *δι' ὃ εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ, τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί εἰσιν.* Unde Juvenalis Scholiastes ad Sat. 8. vers. 221. Hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit. Unde & maximè insanivit, quia Poëta fuit. Et Cicero in de Divinat. testatur, quod supra sensus humanos intelligentia furor & insania dicantur. Plato in Phædro suo distinxit furorem in divinum & humanum; Divinum in quatuor, scilicet in Vaticinium, Mysterium, Poësin, atque Amorem. Sapientiam divino furore infusam humanæ sapientiæ longissimè anteponit. *Τὰ*

 μέγιστα,

μέγιστα, inquit, ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας θεία μὲν τοι δόσει διδομένης. Atque hoc prolixissime ibi agit Vir divinus, generatim quidem in Phædro; speciatim verò de amatorio furore in Convivio; de Poëtico furore in Dialogo, qui Jon inscribitur. Quæ profectò cum lego, sic sæpe extra me rapior, sic afficior, ut sanctissimam ejus Philosophiam mirari satis non possim. Quare & Petronio Poëtæ dicuntur à se exire; Claudiano, Oblivisci sui; Boëthio, ex se exstirpari; Apulejo, suum non esse; Martiali, se non habere. Idem quoque vult Symmachus in Epist. Videor vobis, inquit, mente insipere, atque adeo in Poëtas nomen dedisse. Præclarè etiam Seneca, in de Tranquill. animi, c. ult. Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens; cum vulgaria & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tum demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat suum, eoque ferat, quo per se timuisset ascendere. Similiter Autor Christianus, qui nomen fert Dionysii Areopagitæ, l. 7. de Divin. (nomin.) statuit, ἄνουν σοφίαν, sive amentem sapientiam, esse causam omnis mentis, rationis, sapientiæ, & intelligentiæ. Atque hæc Furoris seu Insaniæ appellatio erat ab ipso animo petita, translatis tamen nominibus illum efferunt sæpe. Cum autem in rerum hac serie nihil invenirent, quod accuratè satis cum illo conferri posset, ad subtilissima corpora comparationem instituêre, ignis scil. & Aëris. Aristides vocat πῦρ, θέρμην. Καὶ ποίας μάχης τοσαύτην θέρμην φήσεις ἡγεῖσθαι, ὅσην τῶν ἐμψύχων λόγων καὶ ἀληθινῶν; & post pauca: Λόγων αὐτὴ πηγὴ μία, τὸ ὡς ἀληθῶς ἱερὸν καὶ θεῖον πῦρ τὸ ἐκ Διός ἐστιν. Duabus hic utitur vocibus: θέρμη, quæ calorem, & πῦρ, quod ignem significat. Ipse noster ille animus ignis nomine venit, uti & sapientia, & διάνοια nostra. Hippocrates libro περὶ σαρκῶν, vel, ut alii, περὶ ἀρχῶν, illam vocat τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ. Ἐν τούτῳ ψυχὴ, νόος, φρόνησις. (Virgilius vocat: aurai simplicis ignem.) Quin & ipse DEUS illi, est τὸ θερμὸν, calidum. Δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθανατόν τε εἶναι, καὶ νοεῖν πάντα, καὶ ὁρᾶν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα, καὶ τὰ ἐόντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. De calore illo Ovidius:

Sic ubi mota calent sacro mea pectore thyrso,
Altior humano spiritus ille malo est.

Vocatus etiam est Ardor, ardor animi, ardor mentis, ζῆλος. Cicero de seipso: Nulla me ingenii, sed magna vis animi, inflammat, ut me ipse non teneam. Ab aëre aut æthere multa quoque nomina invenere, quibus denominavere impetum illum. Hinc afflatus, Inspiratio, Spiritus, Aura,

Aura, & multa alia, quæ nunc nobis non excutienda. Iis enim nominibus soliti sunt denotare illa, quorum causa ignorabatur, nec modus aut ratio rei perspiciebatur. Quare de Fulminibus, morbis contagiosis, operationibus rerum sympathicis & occultis dicuntur. Serv. Aen. I. Est fulmen, quod terreat, quod afflet. Claudianus:

---- ---- ---- Afflataque curru
Sidera Tænario.

De pestilenti sidere πνεῦμα videtur accipiendum in Epistola Artaxerxæ Regis Magni, ad Pætum: πολὺς ἅλυς, πνεῦμα μέγα καὶ πυκνὸν ἔχων. De Odore Papinius, libro II.

---- Ogygii si quando afflavit Jacchi
Dulcis Odor.

Ἀπόῤῥοια illa quoque non ineptè vocanda: unde & contagio pestilentiæ λοιμικὴ ἀπόῤῥοια. Veteres Philosophi χρόας ἀποῤῥοίας esse dicebant, atque ita visum fieri. Magnetis ἀποῤῥοίας Lucretius vocat Flamina. De Caniculæ sidere & illius ἀποῤῥοία Alexander in Problematis. Sed de hac legi potest Salmasius in de Annis Climactericis pag. 880. & sequ. magno volumine, ast quod dolendum, nec in libros, nec in capita distincto. Ubi & disquiritur, Annon Spiritus ille Dei, qui omnia implet & pervadit, qui omnibus infunditur, à quo omnia vegetantur, ἀπόῤῥοια ejus dici possit. Atque hæc hactenus de Furore illo, quem divinum vocavit Plato; qui verò ab humanis morbis venit, huc non spectat. Quorsum autem hoc referendum sit, quod apud Lucianum, in princip. ejus libri, quem scripsit de Legibus in Historiâ observandis, me legere memini, ignoro equidem. Tradit ille lepidam narrationem de Abderitis; eos repentè continuâ febri fuisse correptos, quæ septimo die finiens in quibusdam cum fluxu sanguinis è naribus, in aliis cum sudore copioso genuit mirificam & ridiculam animi affectionem, ut omnes ad poëtandum quasi instinctu Numinis incitarentur.

Diximus, nisi fallor, affatim, quod sit Enthusiasmus ille, quem supernaturalem vocant, & qui à principio & potestate majori in Poëtarum propagatus animos tam admirandos edat effectus. Quid autem sit ille, & qui obveniat, nostrum non erit nunc disquirere. Ut autem in re magis manifestâ laboremus, de Naturali nunc videamus. Scilicet non parum & huc afferre poterit ipsa animi διάθεσις & habitudo. Aristoteles in ipso Poëta requirit temperiem naturalem, & acrimoniam humoris Melancholici. Certè oportet illum esse εὐφαντασίωτον, ut conceptus sibi commodos formare, omniumque rerum ideam sibimet impressam varie varieque agitare, & charactere nativo & genuino exprimere

 possit.

posſit. Phantaſia autem eſt affectio in animo oborta rem perceptam ſimul cum percipiente repræſentans, ut cum percipimus viſu alborem, affectio oritur à viſu in animo noſtro, cujus ſubjectum nominare poſſum alborem. Græcâ origine Phantaſiæ vox ad lumen cedit: nam ſicut lumen & ſe oſtendit, & ea, quæ ipſo comprehenduntur: ita Phantaſia & ſeſe, & id, unde affecta eſt, demonſtrat. Suidas illam dictam putat quaſi Φαόςασιν, i. e. Φαινόντων ςάσιν, ſive, ſtationem ſimulachrorum. Elegantisſimè Johannes Franciſcus Picus, in libello de Imaginat. Quoniam de Senſu phantaſia proficiſcitur, viſusque ſenſuum omnium præcipuus eſt, ob id vis hæc animæ apud Græcos Phantaſiæ nomen, de lucis videlicet argumento obtinuit, ſine qua videre non eſt. Diſtinguenda autem eſt Phantaſia à Phantasmate. Phantasma vocat Numenius in libr. de Nat. Hominis, c. 6. inanem cogitationem illius rei, quæ non eſt in naturâ. Plutarchus libro 4. de Placit. Philoſ. c. 12. Vanam imaginationem, ad quam trahimur inani tractu Phantaſticæ motionis. Attingit quoque hæc ſummatim Laërtius in vitâ Zenonis. Phantasma, inquit, viſum animi eſt, cujusmodi in inſomniis fit: Phantaſia verò eſt formæ in animum ingreſſio, hoc eſt, mutatio, ſicut Chryſippus, in XII. Commentationum, putat. Statuendum autem hic eſt, tam Phantaſiam, quàm Phantasma, ad Poëtam pertinere. Phantasmata autem illa ita inſtituenda ſunt, ut à conformitate aliquâ cum re ipsâ non abhorreant, ne videlicet violentur leges veroſimilitudinis; quod ſi fit, non tam Poëmata hæc, quàm deliria cenſenda. Quemadmodum enim, qui â mentis uſu excluſus eſt, illas rerum imagines ſibi oblatas non rectè apprehendit vel applicat, aut phantasmata, quæ ille tanquam vera concepit, vel confundit, vel ad normam τῶν ὄντων non dirigit: ita etiam Poëta, qui figmenta inducit, quæ cum rebus ipſis ſunt ἀσύςατα. Quare & vel ex eo colligere licet, cur Furoris nomine illa vis naturæ efferatur. Quemadmodum enim mens furioſi Phantasmate vario imprægnata eſt; ita & Poëtæ, cujus unicum negotium hoc eſt; differt autem in illo, quod furioſus nec diſcernat iſtas imagines, nec dirigat. Rectè proin docet Plato in Phædone, Poëtam non occupari περὶ τὰ ὄντα, ſed περὶ τῶν ὄντων εἴδωλα, circa rerum exiſtentium ſymbola vel ſimulacra. Quo circa & Poëticam alibi μιμητικὴν imitatricem rerum per fictionem, alibi εἰκονοποιὸν, effectricem imaginum, appellat. Unde & Poſſidonius apud Laërtium in Zenone definit: Ποίησίς ἐστι σημαντικὸν ποίημα μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπείων; *Poëſis eſt ſignificativum figmentum imitationem complectens divinarum humanarumque rerum.* Veriſimilitudo autem rerum duplex dari poteſt, Hiſtorica, & Figurata. Illa eſt rerum geſtarum, quando eâ ratione exponuntur, quâ geri potuerunt,

licet

licet non sint ita gestæ. Hæc rerum est, quæ in se fictæ videntur, licet ad rei veræ similitudinem, aliam tamen à se diversam veritatem significant. Ea rursum dividitur in propriam & metaphoricam. Propria est ficta quædam imago rei, quæ nunquam fuit, esse tamen ejusmodi, ut fingitur, potuit. Talis Equus Trojanus: Metaphorica est, quæ rem à se dissimilem translatè repræsentat, pro exemplo est Pallas è cerebro Jovis nata. Ad hanc classem pertinent imagines illæ variarum rerum, Ventorum, Urbium, Fluviorum, Virtutum, Vitiorum, Rerumpubl. Ætatum, Affectuum, quas pro lubitu nostro adornare nobis concessum est, ita tamen, ut in rem ipsam non peccemus, aut quidpiam absurdi affingamus. Ita Cupido puer, cæcus, alatus; Fama oculis & auribus plena à Poëtis inducitur. Solent autem plerumque hæc & alia sub specie humana concipi, & Affectus quidem, quod in corpore & moribus hominum tantùm à nobis observari possint. Cum igitur similius nihil hisce affectionibus sit, quàm externus corporis habitus, quo oculis animorum illæ qualitates queant objici, symbolis illis significativis eleganter admodum utuntur Poëtæ. Nec ineptè Urbes, Regiones, Respubl. personæ habitu inducuntur, cum & Politicis hoc familiare sit. Tum & Tempora & Ætates, quippe quæ & aliàs illa forma notantur. Plerumque autem similitudo ab homine, vel Deo, vel excellentiore aliqua re traducta in quibuscunque rebus, animatis inanimatis, fingendis, omnique phantasmate, optimum Poëtis est fundamentum. Sic si Rosam schemate Poëtico depingere volueris, dices virginem Rhodoën: quicquid autem rosæ, seu ex naturâ, seu ex adjunctis effectibusque potest competere, hoc per humanas actiones accommodè licebit exponere. Atque inde nata puto tot Gentilium εἴδωλα, non quod seriò sic sentirent Poëtæ ethnici; sed quod ex lege Poëseos excogitare talia debuerint. Contra hæc sæpissimè debacchantur multi, & ineptissima edunt judicia, cum tamen Poëticam sæpe æquè intelligant, atque ego Linguam Sclavonicam. Miror tamen, in illam de tollendis veterum Poëtarum fictionibus, sententiam etiam incidisse elegantis aliàs judicii virum, Jacobum Masenium, qui illis usitatis Deorum nominibus substituenda suadet certa Geniorum nomina, quæ commodè fingenda sint: quasi verò non idem velint illa Poëtarum commenta, & unusquisque hæc ænigmata caperet. Atque hæc dicta sunt de habitudine ipsius animi & conceptione Phantasmatum ad Poëticum Enthusiasmum necessariis: Dispiciendum nunc hic esset, quemadmodum mens sublevetur simul cum Phantsiâ, & quemadmodum supra Phantasiam erigatur; sed cum pleniorem ejus mate-

materiæ tractationem ſuſcipere in animo ſit, illi reſervabitur. Jam vero præter primum illum Naturæ impulſum alia quæpiam ſunt, quæ illum faciliorem reddunt, magisque movent: quæ *inſtrumenta* non ineptè vocaveris. Primo loco omnino recenſeamus lætitiæ datorem *Bacchum* tot vatibus decantatum. Certè Scaliger in divino Opere alteram illam Poëtarum ſpeciem conſtituit, quos acuit meri exhalatio educens animi inſtrumenta, ſpiritus ipſos à partibus corporis materialibus. Nec verò Poëtas efficit vinum; tunc enim & aſinos poſſemns habere Poëtas: ſed ſpiritus illos torpentes excitat, non tamen & ἀμυστὶ hauſtum. Atque hoc vel ex Ariſtotele diſcimus, qui miros recenſet Vini effectus illo in loco, ubi illos cum Melancholiæ effectibus comparat. Carmina non ſcribuntur aquæ potoribus, nam non tam ſubtilibus illa ſpiritibus & corpus vegetat, & animum inſtruit. Horatius illo Enthuſiasmo prægnans:

Quo me, Bacche, rapis tui plenum?

Apud Lucianum legimus, Aeſchylum Tragœdias in vino ſcribere: Et Alcæus Lyricus, & Ariſtophanes Comicus ebrii ſcripſere poëmata, ut eſt apud Athenæum lib. X. Placet optimè ſententia Merici Cauſaboni, Jſaaci fil. cujus verba ex Anglico idiomate verſa hic adjicio: Rarò, inquit, Boni Poëtæ ſunt, qui ad nutum & libitum carmina ſcribunt. Omnes autem boni Poëtæ variam nacti ſunt corporis temperiem: quare, pro variâ illa temperie, magis minusve vino utentur tanquam inſtrumento excitandi ſpiritus. Addo ego, animum aliquando ſeverioribus ſtudiis diſtractum non poſſe aliter ad illum impetum reduci, quàm medio tali vel alio. Secundo loco meritò locabo *Muſicam*. Quæ quantum commercii cum Poëſi habeat, ſi hic demonſtrare conarer, dies me citius deficeret, quàm materies. Quare & fuit apud Veteres, & adhuc dum eſt, perpetuum illarum artium connubium. Experimento eſſe poteſt: Si Poëta Muſices peritus carmen ad harmoniam præviam, ſecundum quam cani debeat, componat, felicius non ſolum ſcribat, ſed & animoſior ad ſcribendum ſit. Quomodo & cantica Olympi, celebris Muſici, ὁμολογουμένως ποιεῖ τὰς ψυχὰς ἐνθουσιαστικάς, ut eſt apud Ariſtotelem. Tertiâ ſede *Affectus* pono, qui & ipſi diſertos faciunt. Ira annon ſæpe carmina expreſſit, Satyras, Jambos, Diras? quæ profectò placido & miti genio non ſcribuntur. Et rectè Poëta:

---- ---- Facit indignatio carmen.

Amor autem, quos non jocos, ſales, baſia, ocellos extudit? Unde plures ineptiæ etiam & nugæ, quàm ab hoc? Quàm fœcundi hoc in argumento omnis generis ſunt Poëtæ, ut nec vel monere eâ de re opus ſit.

Deni-

Denique etiam non minimum eſt parandi impetus inſtrumentum præſtantiſſimorum *Poëtarum Lectio.* Fit enim, ut ab illâ ſimilis fiat & adæquatus tunc animus; numerusque & vis ipſa carminis eâ proportione moveat Spiritum interiorem, diſpoſitum tamen ad hoc, ut ſuis quaſi carceribus liber in carmen ſe effundat ſuâ ſponte. At tunc inebriatur, quaſi & imbuitur animus, & paulatim in pectora irrepit ſacer ille furor, quo incitatur atque extra ſe rapitur mens, ſuperque ſe reflectitur. Non obſcurè hoc de ſe Grotius, maximus idem Poëta, in Præfatione Poëmatum: Accedit, inquit, quod ingenium mihi ſit ſequax & ductile; ut, à cujusque Poëtæ lectione incaluerat; ita ad ejus imitationem rapiebatur. Agnoſco me ipſe alibi Lucani ſpiritu plenum; interdum Manilii plus quàm ſatis eſt, ſtudioſum; non nunquam caſtigatius aliquid ad Statii vel Claudiani inſtar conantem. Pertinent huc quoque omnes illæ Enthuſiasmi Poëtici conditiones, uti Locus; Solitudo hic maximè conducere putabatur: Sylvæ, Luci, Horti. Qui & Philoſophis nonnullis, ut eò melius cogitationibus inſiſterent, placuere. Ripæ fluminum, Suſurri aquarum, Umbræ. Tempus commodum credebatur potisſimum nocturnum, aliis matutinum. Geſtus varii erant, ut murmura. Fulgent. de Allegor. libror. Virgilii: Quales vatum imagines eſſe ſolent, dum aſſumtis ad opus conficiendum tabulis ſtupidâ fronte arcanum quoddam latranti intrinſecus tractu ſubmurmurant. Petronius de Poëtâ carmen ſcribente: Audimus murmur inſolitum. Statius de ſe ad Uxor. lib. 3. Sylv.


---- ---- Tu procurrentia primis
Carmina noſtra ſonis totasque in murmure noctes
Aure rapis vigili.

Puto & hinc Barritum eſſe Poëtarum Gallorum, de quo Jſaacus Pontanus in Gloſſario Gallico. Huc pertinet torvum ſupercilium, quod Poëtis attribui ſolet; quod ungues præmordeant, aures ſcalpant, & ſimilia. Atque hæc nunc obiter, & more ſcholaſtico, de divinâ illa animorum poteſtate & impetu diſſeruimus. Poſt conſideratas cauſas illas Enthuſiasmi, tam ſupernaturales, quàm naturales, tam principales, quàm inſtrumentales, reliquum eſſet, quædam de cauſis illius internis huc conferre, niſi tempus abrumpere juberet. Sed cum & olim in inaugurali Diſſertatione de Genio carminis, prolixius me eâ de re dixiſſe meminerim; & in ipſo noſtri Enthuſiasmi Poëtici volumine, quod ſub manu eſt, vel etiam in aliâ de Characteribus Linguarum Diſſertatione, plenius fortè exequar, Diſſertationem finio. Proximâ hebdomade (nam craſtinus dies feriis pœnitentialibus deſtinatus eſt) die Lunæ, hâc ipsâ horâ,

L volen-

volente DEO, ad ipsius nostri Claudiani lectiones progrediemur. Habebitis ibi, si ullibi, fæcundissima Poëtici Enthusiasmi exempla; de quibus monente ipsâ poëmatis manuductione uberius dicemus. De Genio autem Claudianæi carminis, deque ejus virtutibus, quibus ille aliquando inter omnes, etiam heroëm illum Virgilium, excellit, (nam ineptiunt, qui unum Poëtam in omnibus pro normâ esse volunt;) sed & quando nonnunquam humani aliquid patiatur, tum quoque videbimus. Vos modo A. O. segregate vos ab illo cœtu, quibus nunc inter artes est artes contemnere; & frequenti vestrâ præsentiâ animos mihi date, ut eò magis insistere operi coepto queam. Spero enim, me multa forte allaturum, quæ ad illum Poëtam non dicta sunt, tum & quæ sic satis probam utilitatem afferent. Palmarium erit, ut ad ipsa poëtica artificia Autoris nostri præsentes semper inducamini.

FINIS.



THEO-

THEOLOGIÆ GENTIUM POLITICÆ
DISSERTATIO PRIMA.
DE
DIVINITATE PRINCIPUM,
Resp. Herone Hersenio erud. exam. subj. Rostoch. mens. Aprili. 1662.

PROOEMIUM.

Distinxerat Augustinus è Varrone *de Civit. Dei, lib. 6. c. 5.* & Tertullian. *ad Nat. lib. 2. c. 1.* Theologiam Gentilium in Physicam, Politicam & Poëticam. Physica illa est, de quâ passim Philosophi disserunt, cum Deum è naturæ operibus contemplantur, atque ex illis ei sua assignant nomina. Politica, quæ Deos populares considerat, certis regionibus & populis præfectos. Poëtica, quam soli Poëtæ fabulis suis in vulgus invexerunt. Physica docebatur in Scholis; Politica tenebatur â populis; Poëtica decantabatur in theatris. Prima nitebatur ratione; secunda traditione; tertia fictione. Inter ea tria Theologiæ genera Politica sola fere est, quæ Polytheismo & Idololatriæ omni causam dedit. Politicus enim Regum cultus, qui etiam vivis exhibebatur, tanquam Diis quibusdam præsentibus, mortuos illos Diis cœlestibus transscribebat. Hinc fœcunda illa Deorum seges, & omnia Gentilium numina, quæ primo Deorum Indigetum nomine colebantur, deinde quasi quodam successionis jure ipsis Diis consentibus & summis adnumerata sunt. Nec hi Dii peculiares tantum quibusdam gentibus fuere, qui propriè Politici vocantur, sed â peregrinis quoque cœlo donati & culti. Hinc tam immensa prodiit Deorum multitudo, & quemadmodum fertile error malum est, parturitque ex se, ut araneæ; ita & hîc fœcundus quam maximè fuit. Nos quidem nunc illam Theologiam politicam, quo apud Augustinum sensu accipitur, nobis pertractandam non sumimus, sed tamen aliquam, quæ ab illâ

diversa parum est. Illa pertinet potissimum ad Principum inter Deos relatorum cultum. Nostra viventium Principum divinos cultus quoque exhibet. Percensebitur igitur hic â nobis Principum cultus divinus & Idololatricus, quem Theologiam politicam vocamus. Et primum nobis considerabitur Divinitas Principum, deinde tituli illorum divini, & cultus.

CAP. I.

PRINCIPES DII.

Idololatriæ politicæ causa, Potestatis abusus, Adulatio. Vitium gentis. Imperator non est Deus. Adulatio Callisthenis ad Alexandrum M. ἰχὼρ Deorum sanguis. Adulatio Atheniensium delusa. Christianorum Imperatorum Divinitatis affectatio. Domitianus Dominus & Deus dici voluit. Dominus Κύριος pro Deo. Κύριε ἐλέησον Gentilium quoque preces. Adonis Κύριος. Domina. δόμνος, δόμνα, δάμαρ. Domini civilis appellatio. Patriæ nomen Divinum. Vera Principium Divinitas in cultu veri Dei. Dii in sacris literis dicti Judices, Angeli, qui & Heroes. Cur non & Principes? quorum Divinitas abundè demonstratur. Divinitatis titulus Principi â civilitate Aulicorum, Poëtis, & oratoribus. A Principum beneficiis illis attributus. Benefici Dii dicti. Reges Ευεργέται. Divinitas Principum â summo Sacerdotio, quod cum potestate politica conjunctum. Campanella, Filesaccus & Gretserus notati. Divinitas Principum â Dei erga illos curâ. Rex sui Rex divinissimus.

QUeruntur tam Theologi, quam Philosophi causas secundas & primas sæpe inter se confundi. Inde omnium Errorum seminarium. Hinc omnis ferè Idololatriæ Origo, dum in Dei sede collocantur, qui ejus vicariam potestatem gerunt. Hinc pro Diis tot seculis culti principes, ut & maximam Theologiæ Ethnicæ partem absolverit illa Idololatria. Separabimus itaque nunc Politicam illam Idololatriam â genuino Principum cultu, & causas utriusque seorsim perpendemus. Idololatriæ causas potissimum tres statuo, abusum potestatis, adulationem, & vitium gentis. Potestatem enim cum summam habeat Princeps, omnium illi rerum adsit copia, licentia ejus nullo limite sit definita, facile hinc intumescet animus Regius, rerumque suarum & potentiæ securus insolentius se efferet. Hinc facilis â secundâ ad primam Majestatem μετάβασις, & postquam jam arrogans factus est Princeps, paria quoque cum Deo meditabitur. Ita ille apud Senecam: *Quod Jovi, hoc Regi licet*, & Memmius apud Salustium: *Impune quid libet facere id est Regem esse.* Altera huic succedit causa Adulatio, quæ malum illud in privato Principis ingenio enatum sed delitescens continuo elicit, educit atque educat. Accedit deinde ipsius gentis vitium, quæ uti ad ser-

vitutem sæpe nata, ita vel in adulationes prona, vel metu adacta divinitatem illi defert, quando moderatum & debitum honorem supergreditur. Quo verè referas illud:

Primus in Orbe Deos fecit timor.

Ita ipse Tiberius, (sub cujus imperio adulationibus sordida erant omnia) Romanos Senatores sibi blandientes Dominumque salutantes vocabat homines ad servitutem natos, uti videre est apud Tacit. *Annal. lib. 2.* Harum causarum quasdam tangit Vopiscus in *Aureliano*, cum ait: *Et quæritur quidem: quæ res malos Principes faciat? Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia. Amici præterea improbi, satellites detestandi, Eunuchi avarissimi, Aulici vel stulti, vel detestabiles* &c. Hoc adulandi genere potissimum excellebant Græci, unde & Augustin. *Epist. 56.* Græculum flatum vocat. De Romanis quoque Carnotensis Episcopus *Policrat. lib. 3. c. 10.* ait: *Romanus omnis adulatione corrumpitur, aut corrumpit.* Idem de Romanis Tertullian. in *Apologet. c. 28. Majori formidine & callidiori timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem. Et meritò, si sciatis. Quid enim? ex viventibus quilibet non mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis, potius quam respectu præsentaneæ potestatis. Adeo & in isto irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini, cum plus timoris humano Domino dicatis. Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Idem cur Imperatorem vocare Deum nolit, habet in *Apolog. c. 33. Non Imperatorem Deum dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici, si homo sit. Interest homini Deo cedere. Satis habet appellari Imperator. Grande & hoc nomen est, quod à Deo traditur. Negat illum Imperatorem, qui Deum dicit. Nisi homo sit, non est Imperator.* Atque hæc satis pulchrè disputata á Tertulliano, qui hominem aut Imperatorem esse non posse dicit, si Deus sit: nec Deum, si Imperator; cum homo â Deo longo distet intervallo. Nam uti Philo in *Legat. ad Cajum* de simili re ait: θᾶττον γὰρ ἂν εἰς ἄνθρωπον θεόν, ἢ εἰς θεὸν ἄνθρωπον μεταβαλεῖν. *Facilius est Deum in hominem mutare, quam hominem in Deum.* Exagitat eo in loco Philo Caij insaniam, quod Deus haberi voluerit. Quam ambitionem cum omnium iniquissimè tulerint Judæi, divinumque ei honorem exhibere recusârint; in magnum ejus incurrerant odium. Semper enim â tali Idololatria abhorruerunt Judæi, quod Seldenus de Jure Natur. Hebræor. *lib. 2. c. 8.* prolixè demonstrat. Illa autem εἰρωνικῶς ita describit Philo: Refert enim adulantium vocibus haud dubiè inductum, ut eum, qui præstantissimæ hominum parti præest, hominibus majorem crederent, sicut est opilio ovibus, bubulcus bobus. Quod quidem argumentum, quamvis ridiculum, suum tamen fecit Campanella *in Philos. Real. part. 3. c. 3. aph. 6. Princeps bonus* (ait) *tantum debet præcellere subditos virtute, quantum pastor gregem,*

qui est superioris speciei. Sed quæ addit, suo more dixit: *Homo autem hominem specie non superat, nisi divinus sit Deoque plenus, vel Angelus, vel Deus visibilis factus, ut Christus.* Ridet quoq; Philo Cajum, quod Apollinem, Martem, Mercurium, nulla virtutum aut meritorum æmulatione, voluerit æquare. Imò ipsius Jovis nomen expetivit. Historiam leges apud Sveton. *c. 22.* Huc referri poterit illa an urbanitas an adulatio Callisthenis, qui in Alexandrum, cum Deus vellet haberi, & tamen vulneratus esset, viso ejus sanguine, hos vibravit jocos: mirari se quod non esset

Ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι

Sanies quædam, qualis à Diis immortalibus effluit.

Quem versum ex Homeri *Iliad.* E. de Venere â Diomede vulneratâ adduxerat. Credebant enim gentiles Diis suis non esse sanguinem, sed liquorem quendam *ἰχῶρα* sanguini similem. Quia enim non cibo nobis familiari, sed nectare & ambrosiâ pascebantur superi, ergo & *ἀναίμονες* credebantur & exangues. Sed gravissimas Callisthenes temeritatis suæ pœnas dedit. Et omnino turpissimum hoc est, si â Principibus ipsis hæc affectetur insania. Ita Antonius Liberum se patrem dici voluit, & hoc nomen statuis subscribi jussit, habitu quoque & comitatu Liberum imitatus est, cui venienti occurrêrunt Athenienses, eumque *Διόνυσον* salutarunt? At cum illi adularentur dicerentque, se despondere illi Minervam in matrimonium, ducturum se ille respondit: sed non nisi cum dote mille talentorum. Ita pulchrè ars arte delusa. Commodus quoque cum ad Senatum scriberet, inter alios titulos usurpabat & istum: *Ῥωμαῖος Ἡρακλῆς Romanus Hercules*, uti & Dio tradit & Lampridius in ejus vitâ. Qualis ille Herodis Agrippæ fastus? cui populus dicenti acclamabat: *Vox Dei non hominis.* de quo *Actor. 12.* Quanta Alexandri insania? qui ad Græcos â victoriis suis turgidus scribebat, ut se Deum facerent, cui Laconicè & salsè responderunt (Æliano teste l. 2.) Lacedæmonii: *Quoniam Alexander Deus vult esse; esto Deus.* Quanta Pacati Drepanii adulatio in Panegyrico ad Theodosium Magnum? *Fidem constare* (inquit) *nescimus auditis, DEUM dedit Hispania, quem videmus.* Et planè impium, quod Deum ibidem participem Majestatis Imperatoriæ faciat, quod Imperatorem adorandum dicat, vota illi toto terrarum orbe facienda, quod fata hominibus distribuat. Mauri omnium impudentissimi, qui manifestè Reges tanquam Deos colunt, nec ullo velamento hoc nomen prætexunt, ut Cyprianus *de vanitate gentium testatur.* Inprimis autem Juba cultus, vel quod primus ille & potissimus, vel quod commune omnibus Regibus nomen fuerit. Ouzelius *Animadversionibus suis in Minuc. Felic. p. 134.* affinitatem quandam inter hoc nomen & *τετραγράμματον* יהוה agnoscit, ut ex hoc factum illi videatur. At quis ferat ambitiosas illas Christianorum Imperatorum

torum de ſe voces? *Noſtra Divinitas. Noſtrum divinum præceptum. Sacrum Oraculum. Cæleſte Oraculum. Noſtrum Numen. Divinum verbum noſtrum. Divina beneficia. Divina Domus. Manus divina. preces altaribus Imperatorum fuſa. Juſtiniani divinum numen. l. 3. C. de ſumm. Trinit. l. 5. C. ſi. cont. jus vel utilit. l. 10. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. 8. & 11. C. eod. l. 2. C. de mandat. princ. l. 5. C. de diverſ. reſcript. l. 10. C. de LL. Novell. Theodoſ. tit. 25. Novell. Anthemii. A. tit. 1. Novell. conſt.* 128. Intolerabilior ferè illi Chriſtianorum Imperatorum, quam ipſorum Ethnicorum inſolentia. Notatur ab omnibus illa impudens Domitiani arrogantia, de quo Xiphilinus, quod imperio ejus factum ſit, ut & in Epiſtolis & formulis omnibus *Dominus & Deus noſter* appellaretur. Se ipſum quoque ita vocavit, quod habet Sveton. *c. 43. Cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret Epiſtolam, ſic cœpit: Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Excipiebant hoc continuò Poëtæ, genus ad adulationem natum & ad propagandam politicam illam divinitatem præclara inſtrumenta. Stat. de eo *lib. 4. Sylv.*

En hic eſt Deus, hunc jubet beatis
Pro ſe Juppiter imperare terris.

At Martialis ſingulis fere paginis jam Deum jam Jovem nominat, à quo plura quam à Jove ipſo exſpectabat. Geminabat & ille voces *Domini* & *Dei*, ut accuratè edictum obſervaret. Sic ille *lib. 5. Epig. 8. Edictum Domini Deique noſtri.* Dominus autem idem qui Deus. Unde & Commodo Herculis nomen ambienti â Senatu aliquando acclamatum eſt: Κύριος εἶ *Dominus Deus es.* Ita Gentiles inter alias precandi formulas etiam hanc habuere: Κύριε ἐλέησον *Domine miſerere*, quâ precandi formulâ nihil nunc quoque Chriſtianis eſt frequentius. Arrian. in *Epictet. l. 2. c. 7.* Τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ: Κύριε ἐλέησον. *Deum invocantes precamur eum: Domine miſerere noſtri.* Quare & diſplicet ille Imperatoris titulis Tertull. *Apologet. c. 34. Dicam planè* (inquit) *Imperatorem Dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor, ut Dominum Dei vice dicam.* Duplicem ergo ejus vocis acceptionem innuit Tertullianus: unam quâ communis: alteram quâ divinus titulus eſt. Diis illud nomen datum plura docent Exempla. Ovidius Dominum Jovem vocat. Ita apud Julian. in Cæſaribus legis δεσπότην Δία. Ita Adonin Lacones Κύριν i. e. Κύριον dixere. Heſychius: Ἄδωνις δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων Adonis Phœnicibus Dominus eſt atque ipſum ארון V. Bochart. *Georg. ſacr. part. alt. lib. 2. c. 11.* Eliam Sched. *de Dîs German. Synt. 1. c. 4.* Ita â Phœnicibus, teſte Philone, Deus κύριος οὐρανοῦ בעל שמים vel, ut lingua Phœnicum profert Βεελσαμὴν dicitur. Vide de eo erudita apud Voſſium in *Etymologico ſub voce Balſamum.* Ovid. *4. Faſtor.* & Magnam matrem Cybelem Dominam vocat, quod ei proprium nomen fuiſſe Varro teſtis eſt. Ita Plato de *Leg. 3.*

Terram

Terram & Patriam θεὸν δέσποιναν Deam Dominam vocat. Eodem Dominæ titulo peculiariter Reginæ & Augustæ Regum & Imperatorum Uxores vocatæ, ut Græcis δέσποιναι. Turnebum vide sis *lib. 21. c. 6.* & Cæl. Rhodigin. *lib. 24. c. 17.* Hinc illæ acclamationes: *Domino & Dominæ feliciter!* Græci postea adsciverunt vocem δόμνον & δόμναν, quæ deinde & cognomina facta sunt, quod notat Salmasius in *Æl. Spartian. p. 142. D. E.* Idem δάμαρ Græcis, ab imperando ita dictum. V. Germ. Val. Guellium. *in Virg. Æn. 6. v. 397.* Martianus Capella *l. 2.* Mercurium Dominum vocat: *In fanis*, ait, *omnibus soliditate cubicâ Dominus adoratur.* Sacrificantes apud Persas ad ignem ajebant: *Comede Domine Ignis*, quia summum illum Deum habebant. *Jul. Firmic. libr. de Errore profan. Relig. Bulengerus. Eclog. Arnob. c. 5.* Ad illam mentem illud Horatii quoque capias: *Od. 1. l. 1. Terrarum Dominos evehit ad Deos.* Divinum ergo nomen Dominus est, & ut Tertullianus ait, Dei cognomen: Ad quæ notat P. Georg. Ambianas Observ. 1. *Deus est nomen, Dominus cognomen. Illud nuncupat; istud demonstrat. Deus cum sit omnium creator, etiam solus possessor.* De voce illa, quomodo apud sacros autores pro Deo ipso capiatur, vide Ludov. de la Certa. *Advers. sacr. c. 106. §. 8. & c. 112. §. 14.* Pro communi tamen more se Imperatorem Dominum appellaturum dicit Tertullianus. Ita quemcunque appellabant civili aliquâ significatione, quæ quotuplex sit, notat *P. Georg. Ambianas* eo in loco, *Lips. ad 2. Annal. Tac. c. 87. Torrent. ad Sveton. August. c. 53. Bulengerus de Imperat. Rom. lib. 1. c. 32. Rader. ad Martial. l. 1. Epigr. 67.* (82.) In Divinis quoque nominibus Patris vox est, quam Gentiles quoque usurparunt. Vide Lactant. *lib. 4. divin. inst. c. 3.* Eo etiam Imperatores honorati. Apud Euseb. *l. 4. Histor. Evang. c. 8.* Minucius Fundanus Proconsul Asiæ scribit, ἐξ ἐπιστολῆς τοῦ μεγίστου καὶ ἐπιφανεστάτου Καίσαρος Ἀδριανοῦ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν. *Ex Epistola maximi & illustrissimi Cæsaris Hadriani Patris omnium nostrum.* Pertinaci acclamatum in Senatu: Patri Pio, Patri Senatus, Patri omnium bonorum. Statius l. 4. Sylv. Domitianum vocat parentem mundi. Pausanias Antoninum vocat πατέρα ἀνθρώπων Patrem hominum. Eustathius, quatenus hæc vox de Deo & homine dicitur, diversa etyma assignat: ὁ μὲν θεὸς παρὰ τὸ πάντας τηρεῖν πατὴρ λέγεται. πατὴρ δὲ ἄνθρωπος παρὰ τὸ τοὺς παῖδας τηρεῖν. Sed hæ ineptæ subtilitates. At quoniam hic titulus etiam aliis communis est, sine ullo Idololatriæ metu Principes eo dicentur.

Atque hæc affectata illa Principum divinitas, quam Idololatriam vocamus, de quâ hactenus diximus, quæ nunquam sine manifestâ quâdam turpitudine & impietate fuit, & quam boni Principes semper declinant, qui tamen eò magis divini dicendi, quo minus divini esse volunt. Neque enim hoc nunc agimus, ut suam Principibus divinitatem, quam illis â sacris literis quoque concedi scimus, denegemus. *Veri enim Principes* (ut est apud

apud Tertullian. Apologet. c. 30.) *sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes Deos. Quidni? cum super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antestant.* Et augusta est Principum divinitas, si veritate nixa sit, si divinæ conformitati studeant. Deos illos vocatos in sacris literis quis nescit? Nam & Judices Elohim dicuntur. Et cur illis nomen Deorum denegemus? quod potestatibus minoribus tam cœlestibus quam terrenis datum, tam in sacris literis, quam etiam apud Philosophos veteres scimus. Ita & apud Platonem & alios Philosophos Angeli vel Genii Dii dicuntur, quod præclarè demonstrat Augustinus Steuchus Eugubinus in perenni de perenni Philosophiâ opere *l. 8.* Sic Plato in Phædone ait: Viros bonos post mortem proficisci πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς θεοὺς ἄλλους, σοφούς τε καὶ ἀγαθούς. ἔπειτα καὶ παρ' ἀνθρώπους τετελευτηκότας ἀμείνους τῶν ἐνθάδε, *ad Deos quidem alios sapientes & bonos, tum homines jam vitâ functos, longè his, qui apud nos sunt, meliores.* Per Deos autem illos Angelos intelligit, quos in *Convivio* Dei interpretes & nuncios fecerat. Deos, Dei filios & amicos vocat Maximus Tyrius *dissert. 1.* οὐ γὰρ τρισμύριοι μόνον θεοὶ θεοῦ παῖδες καὶ φίλοι, ἀλλ' ἄληπτοι ἀριθμῷ. *Nec enim tantum triginta Deorum millia supremi illius Dei filii & amici sunt, sed innumeri.* Ibidem: Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατήρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ θεοῦ παῖδες συνάρχοντες θεῷ. Veterum Heroas quos Semideos fecerunt, inter Hominem & Deum medios, Angelos fuisse prodidit Philo περὶ Φυτουργ: *In summo, prope ipsum aethera*, inquit, *esse animas purissimas, quas Græcorum Philosophi Heroas vocant, Moyses ex re Angelos vocat.* Non aliter *1. Corinth. 8, 5.* Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοί, καὶ κύριοι πολλοὶ) Hic Θεοὺς ἐν οὐρανῷ vocat Angelos Θεοὺς ἐπὶ γῆς, & Κυρίους Principes. Vide omnino Heins. *Exerc. sacrar. lib. 7. c. 5.* Nam si Dii dicuntur Angeli, cur non eo sensu quoque dicantur Principes, quos omnibus vivis & mortuis antistare dicebat Tertullianus? Eam quoque ob causam mysterium vocat imperium & principes Deos Gregor. Nazianz. orat. Εἰς ἑαυτὸν, καὶ πρὸς τοὺς λέγοντας ἐπιθυμεῖν αὐτὸν τῆς καθέδρας Κωνσταντινουπ. Verba è Latinâ versione damus. *Vos Reges reveremini purpuram (nam & legum conditoribus hæc oratio legem dicit) agnoscite, quantum sit, quod vobis commissum est, & quid sit ingens illud circa vos MYSTERIUM. Totus vobis orbis subest, parvoque diademate ac brevi panno continetur. Superna quidem solius Dei; inferiora etiam vestra sunt, atque, ut aliquid audacius dicam, DII estis facti civibus vestris.* Ita etiam Salvator noster ipse *Matth. 22.* Deo Cæsarem non tam subjunxit, quam conjunxit, quo eminentiam ejus notabat, ipseque cum in terris ageret Majestatem ejus honoravit, quam tamen illi dederat. Pulcherrima est & docta explicatio ejus Divinitatis Ecphantis in libro de Regno apud Stobæum:

Ἐν τᾷ γᾷ ἀριστοφυέστατος μὲν ἄνθρωπος, θειότερος δ' ὁ βασιλεὺς ἐν τᾷ κοινᾷ φύσει πλεονεκτῶν τῶ κρέσσονι. Τὸ μὲν σκᾶνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιος, οἷα γᾶ γεγονὼς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας ὑπὸ τεχνίτα δ' εἰργασμένος λῴστω, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. *In terris homo quidem optimam sortitus est naturam: At inter homines Rex divinior est, multumque communem naturam supereminet, corpore quidem reliquis non absimilis, ex eadem quippe materiâ factus; ab optimo autem artifice fabricatus, qui formavit ipsum archetypo ex se sumpto.* Ad eandem mentem Synesius Orat. de Regno. *Deus ipse sese in intelligibilibus rebus archetypum prabens providentiæ suæ quandam imaginem tribuit, inferioraque ista jubet ex sublimiorum rerum imitatione temperari. Proinde summi Regis amicus est, qui hic eadem cum illo appellatione gaudet, nisi nomen ementiatur.* Admitti ergo illa Deorum appellatio potest, ob potestatem â Deo concessam, & summum illud judicandi & imperandi munus, quod Deus ipsis quasi de manu in manum tradidit. Atque sic potissimum divinitatem suam ostendet Princeps, si illum semper suis titulis præfigat, cujus vicarius est. Ita laudabili more Græci Imperatores eo sibi titulo placebant, quod se vocarent βασιλέας ἐν χριστῷ *Reges in Christo.* In exordiendis quoque Edictis & Epistolis scribebant: ἡ ἐκ θεοῦ βασιλεία ἡμῶν Majestas nostra divinitus constituta. Vide *Jus Græco-Romanum. l. 2. Novell. Basil. de struendis ecclesiis.* Præclara sunt illa pietatis Regiæ Exempla, quæ in vetustissimarum Legum Anglo-Saxonicarum corpore, quod congessit Gulielm. Lambardus, passim reperias, quæ quia vulgata non sunt, cur non citemus huc veneranda illa rudera? Ita Rex Inas, qui regnare cœpit anno â Christo nato 712. leges suas incipit: Ic Ine mid godes gyfe West seaxna Cyning. *Ego Inas Dei beneficio occiduorum Saxonum Rex.* In fœdere Aluredi & Guthruni Regum conjungitur divina & Regia Misericordia: And mid athum gefæstnod. for hi sylfe. and for heora gingran ge for geborene. ge for ungeborene. the godes miltse recce. oth the ure *in quod præterea singuli non solum de se ipsis, verum etiam de natis suis, ac nondum in lucem editis (quotquot tantum misericordiæ divinæ & regiæ velint esse participes) jurârunt.* Æthelstanus Rex se Dei vicarium & dispensatorem bonorum, quæ subditi possidebant, facit, quos ut sibi de suis relargiantur, adhortatur, ne in offensionem divinam & regiam incurrant. Gif Ic eow ealla eowra thinga geunne. on tha gerade the gene mine georniath. warnath eow. and hig the eowe to belimpath. thár Drihtenes eorres. and mines. *Etenim cum eâ ego vobis lege benignè vestra omnia largitus sim, ut mea mihi vos itidem concedatis, prospicitote sedulo, ne quis vestrum, neve eorum aliquis qui vobis paruerit, offensionem aut divinam aut nostram concitetis.* Præclare hoc confirmat Synesius, qui lib. 1. de Provid. *Regi omnia terræ, aeris, aquæ munera Deos dedisse* asserit: *Regem vero usum earum rerum populo indulsisse, reservatis sibi pro commu-*

ni felicitate curis & laboribus: Idem Plutarchus docet in libro: *quod in Principe requiratur doctrina.* Principes sc. esse ministros Dei ad curam & salutem hominum constitutos, ut quæ in nos bona contulit, partim distribuant, partim conservent. In fœdere Edovardi & Guhtrumi Regum est: and bete georne de tham the seo dæd sy Crist and Cyning. *Fraudator vero (prout feret maleficii ratio) Christo & Regi satisfacito,* quam formulam sæpius ibi observes. Canones quoque sub Edgaro Rege dati prohibent cultus hominum divinos, qui ibi vocantur man weorthunge. Imprimis autem in Legibus Canuti Regis, de Deo, Religione & Rege, de pace Dei, Regis & Ecclesiæ, de Pii Regis misericordiâ & justitiâ ad Divinæ exemplar instituendâ præclara habentur. Concludit demum leges suas obtestatione summâ & piissimâ, tanquam Dei vicarius: Nu bidde ic georne and on GODes naman beode manna gehwylene, that he inweardlice heortan buge to his Drihtne. *Nunc denique omnes obtestor, ac singulis in Dei immortalis nomine præcipio, ut verè atque ex animo ad divinum convertantur numen.* En tibi veram Principum divinitatem, quæ in vicariâ Dei potestate consistit! Hos Φιλοχρίστους, εὐσεβεστάτους & θεοφυλάκτους nominabant, *Christi amantes, piissimos & à Deo servandos.* Sed de sanctitate Imperii plura nobis dicentur in *Fato politico* & in dissertatione de *Titulis principum divinis.*

Hic ergo verus Princeps, qui Dei gratiâ se principem esse novit, ille inter homines quidam quasi Deus, quem gratia Dei conjungit cum Deo; *Sic enim omnibus major est* (inquit Tertull. ad Scap. c. 2.) *dum solo vero Deo minor est. Sic & ipsis Diis major est, dum ipsi sunt in potestate ejus.* Hæc vera illa Divinitas, quam ipse Deus illis confert, cujus existimationem ille subditorum animis immittit, non quam ipse sibi arrogat, non quam aulicorum palpus obtrudit. Sed negandum tamen non est, non adulatione semper, sed quâdam aulicorum civilitate, quam ab adulatione diversam esse sana svadet ratio, tum & Rhetorum & Poëtarum figuris multa ejus generis originem traxisse, nolentibus ipsis Principibus, licet sæpe quorundam Principum accesserit insania, qui quod illis ultrò offerebatur, pro lege recipiebant, & immodesti oblatâ modestia fiebant. Hanc quoque causam agnoscit Böclerus in *dissert. de Auspicio Regio c. 2.* & in *dissertatione de Elegantia Moris Civilis & Aulici.* Interdum quoque Principum ipsorum Bonitas & Liberalitas à Civibus amata, qui Principes (ut *Seneca lib. 1. de Clem. c. 4.* ait) sæpe ultra privatas etiam necessitudines amant, vel rerum gestarum amplitudo illis vel nolentibus addidit elogium, quod nec in aliis insolitum erat, qui ob beneficia sua Dii audiebant. Jul. Firmic. de Error. profan. Religion. *Amat Græcorum levitas eos, qui sibi aliquid contulerunt; vel qui consilio, vel qui virtute se juverunt divinis appellare nominibus, & sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur,*

ut Deos dicant, qui sibi aliquando profuerunt. Idem Philo asserit in proloq. Euseb. in 1. præpar. Evang. *οἱ παλαιότατοι τῶν βαρβάρων, ἐξαιρέτως δὲ Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι, παρ᾽ ὧν καὶ οἱ λοιποὶ παρέλαβον ἄνθρωποι θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὴν βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ καὶ κατά τι εὖ ποιήσαντας τὰ ἔθνη. Εὐεργέτας τε τούτους, καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ὡς θεοὺς προσεκύνουν.* Eam quoque significationem inter quintuplicem Dei notationem refert, Tzetz. *ad init. lib. 1. Hesiod. ἐργ. καὶ ἡμέρ.* & ex eo, (uti videtur) Muretus *in Catull. p. 55.* qui etiam addit Sapientes Deos vocari solere. Ad illam rationem Ennodius Ticinnensis Panegyrico ad Theodoricum Regem Gothorum: *Inter Deos agnovisse proximè qui præstitit, eddidisse est beneficium.* Ita Antiocho Dei cognonem primò fuit inditum â Milesiis, quod Timarchum tyrannum expulisset, & revertens â victoriâ exceptus est non humanis solum, sed & divinis honoribus, uti refert Appian. in Syr. Atque ideo, quia, Dei nomen nomen sit liberalitatis & Magnificentiæ, & â dando dictum, putat illud nomen potissimum in Principes atque Patronos collatum Martinus Roah *Singular. l. I. c. 9.* Inde est, quod Reges *εὐεργέται* vocantur tam sacris profanis literis. Sic in illo loco *Prov. 8. v. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* In Hebraicis est vox נרבים i. e. munifici. Græci verterunt *τύραννοι.* Aquila & Theodotio substituerunt *ἑκουσιαζόμενοι* i. e. sponte munifici. Apud Homerum multa ejus rei sunt, solennisque apud eum venerationis formula est, quæ beneficos & viros fortes vocat Deos. Sic *Iliados I.*

--- --- --- *σὺ δ᾽ ἄλλους περ παναχαιοὺς*
Τειρομένους ἐλέαιρε κατὰ στρατόν, οἵ σε θεὸν ὣς
Τίουσι ---

Alibi Ulyssem fingit Minervam pastoris formam indutam sic alloquentem. *Odyss. N. 239.*

--- --- --- *σοὶ γὰρ ἔγωγε*
Εὔχομαι ὥς τε θεῷ καὶ σεῦ φίλα γούναθ᾽ ἱκάνω.

Nam *ὡς θεῷ εὔχεσθαι* de iis qui *σωτῆρες* quovis modo fuerunt, dicebatur. Sic est *ὡς θεὸν δέχεσθαι Il. χ. 433. & Odyss. η. 69.* Idem de Viro forti *Il. 483. Odyss. ζ. 36. θ.* & infinitis locis aliis: Imò ipse Jupiter tanquam Deos honorare dicitur, quibus ille beneficia exhibet *Il. ξ. 73.* Imò nec ipsæ sacræ Literæ abhorrent â tali loquendi genere. Ita *Exodi 4, 16. Erit tibi pro ore & tu eris ei* לאלהים Genes. 33. 10. *Vidi faciem tuam ac si viderem DEI* אלהים Gr. *θεοῦ.* Ob rerum gestarum magnitudinem C. Jul. Cæsar Deus dictus. Diodor. Siculus libr. 1. *Γάιος Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ διὰ τὰς πράξεις προσαγορευθεὶς Θεός.* Joannes Tzetzes lib. 1. Histor. 68.

ὅθεν

ὅθεν θεὸς Ἰούλιος ἐκλήθη τοῖς Ῥωμαίοις
Ταύτην καλὴν ἐκ πράξεων ἔχων ἐπωνυμίαν.

At Dio Cassius libr. 44. apertè de J. Cæsare refert, quod templa sibi vivo exstrui passus sit & honores divinos sibi exhiberi permiserit. Quod observari potest, ne imponant nobis, qui Augustum primum Divinis inter Principes titulis, dum viveret, & honore divino donatum esse putant. Deus Augustus vivus vidensque dictus est, quamvis per modestiam primum templa sibi exstrui non sit passus, quæ tamen deinde admisit. Virgilius illum Deum dixit *Ecl. 1.* cui adulatio quædam subest, quicquid etiam neget Servius. Ita apud *Athen. l. 5.* est: Πᾶσα δὲ πόλις ταῖς ὑπὲρ ἀνθρώπων τιμαῖς ὑπαντῶσα καταχαλεῖται τὸν θεὸν βασιλέα. *Obvia Universa Civitas Regem ipsum appellat DEum, honore ultra mortalem.* Sed hæc vocabula, quæ à divinitate transferuntur, quamvis illa præclarus quidam in Principes affectus sæpe excogitet; facile tamen in adulationem degenerant, & ab hâc in idololatriam. Quare cautus in illis admittendis erit Princeps Pius.

Venio nunc ad aliam causam, quam ego maximum ad divinitatem principum adjumentum attulisse credo. Ea est: quod summum sacerdotium principatui conjunctum fuerit apud plerasque omnes gentes. De Ægyptiis Plutarch. *lib. de Isid. & Osirid.* Οἱ βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς ὄντες. *Reges, qui iidem sacerdotes.* Eodem teste, avocatis jam Regibus ab administrandâ Religione, Reguli sacrorum & Religionis curam susceperunt. Dionysius quoque meminit *lib. 2.* ubi describit constitutionem Regni factam â Romulo: *Ac Regis quidem munia eximia esse jussit, primum, ut sacrorum & sacrificiorum principatum haberet, & omnes res divina ac pia per eum agerentur.* Certè Zozimus *lib. 4. hist.* tradit omnes Imperatores Romanos ab Augusto ad Gratianum usque non modò Pontificis Maximi titulum libenter usurpasse, verum etiam Pontificatus insignia. Reges quoque olim Sacerdotum munere fungebantur, sacrificabant, immolabant. Sic Virgilius Æneam passim sacrificantem inducit. V. de la Cerda *in III. Æn. v. 21.* Hinc illa Principatus divinitas. Sed ab eo more inde discessum, quod eam ob causam factum putat Grotius *in Dissertatione postumâ de summo Sacerdotio*, quod ætate superiori Reges plerosque ipsa licentia corruperit, ut inde Sacerdotum contemptus sequeretur, illum ipsius Religionis neglectus; qui ne ulterius dimanaret, sequestrata quodammodo hæc fuêre munera. At ineptiæ & nugæ sunt, quas somniat exinde Campanella *Philos. Real. part. 3. c. 8. omnia ad primum statum naturalem divinumque reverti debere, postquam sectæ omnes religionesque immutatæ fuerint, ubi regnet Rex unus idemq; sacerdos cum Senatu optimatum.* Verum hæc Enthusiasmum sapiunt & quæ ibi de Monarchiâ Hispanicâ adduntur futilia commenta sunt. Nec tamen Filesaccus audiri debet, qui

in dissertatione *de Sacrâ Episcoporum autoritate c. 7. §. 7.* perstringit Græcos, quod Imperatori suo summum Pontificatus titulum attribuerint, eosque adulatores vocat & homines ad servitutem natos; cum tamen eo ipso demonstret se potius adulatorem & servum primatus Pontificii. *Balsamoni quoque* vehementer ob id succenset Gretserus *lib. 3. comm. in Codin. c. 9. n. 18.* Aliqui quoque Reges spiritu Prophetico afflari à DEo putant, moti illo, quod est Proverb. Salom. c. 6. *Divinatio est in labiis Regis*, quod tamen de εὐστοχίᾳ quadam & sagacitate in subodorandis rebus occultis, judicandis caussis perplexis interpretatur Pet. Molinæus in Vate *lib. 1. c. 20.* Inter caussas divinitatis quoque referri meretur cura & providentia circa Reges divina, quâ illos manu quasi suâ ducit. Sed de hoc fusè præclarè disserit Vir Cl. Joh. Henr. Böclerus in elegantissimâ dissertatione de auspicio Regio. Dicemus & nos nonnulla in *Fato* nostro *Politico.*

Verum ea omnia nunc non diputamus intimius, ne Theologorum vineta cædere videamur. Nos tantum ea verosimiliter attulimus ad caussas divinitatis Regiæ investigandas, de quibus hactenus. Nos illis Divinitatem vicariam non denegamus. Sint illi divini, nisi divinitatis titulum in dæmonis larvam permutent. Sint Reges sui ipsius, tunc erunt Dii inter homines. *Primum omnium* (inquit Synes. Orat. de Regno) *Regem, duce ac principe Deo, ipsum sui ipsius regem censeo esse oportere, monarchiamque sibi quandam esse in animo constituendam. Sciat se uni debere esse subditum, ut imperet omnibus, temperetque se inferior potestas, ad normam sublimioris.* Perpendant se esse homines, nec Divinitatem stultè affectabunt. *Nemo potest* (ait Senec. l. 1. de Clement.) *personam diu facere, facta citò in naturam suam redeunt.* Imò *Ut cæterorum hominum* (quod Plin. in Paneg. ad Trajan.) *ita principum illorum omnium, qui sibi Dii videntur, ævum omne & breve & fragile.*

CAP. II.

PRINCIPES SEMIDEI.

Principes Diis genitos se fingebant. Varronis eâ de re præceptum expenditur. Heroes dicti illi & Semidei. Plato quoq; illarum fabularum assertor. Origo earum videtur ex loco Moysis non rectè intellecto hausta. בני־אלהים *qui dicantur? Fabulæ de Heroibus sensus verus. Familiarum origo â Diis Anaces. Principes Dei filii. Deorum Cognati. Cœlo lapsi. Cœli & terræ filii. Ejus appellationis rationes tres. Solis filii. Infamia natalium sæpe sub illâ fictâ divinitate tecta. Terræ filii. Gigantes. Theuth Germanorum. Non est Chaos. Anses* die Hänse *Germanorum Semidei. Ansibarii.* Bat *Pontanus notatus. Principes Semidei Draconibus geniti. Draconum apud Gentiles cultus. Qui Principes verè Semidei?*

A primo

A Primo Divinitatis Politicæ gradu, venio ad secundum, sed qui ducit ad primum; ab eo tamen distinctus est. Qui se Deos nominare non audebant, fingebant se Diis genitos, & SemiDeos, aut ut παρῳδία Ovidiana loquar:

SemiDeosque Viros, Semivirosque Deos.

Notat illum inter alios morem Seneca l. 4. de Benef. c. 48. *Non est, quod Te isti decipiant, qui cum majores suos recensent, ubicunque deficit nomen illustre, illicò Deum fingunt.* At pessimè Varro, Religionis Politicæ Architectus callidissimus apud Augustin. de *Civit. Dei. lib. 3. c.* 4. utile hoc esse civitatibus dixit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex Diis genitos esse credant, ut eo modo animus humanus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipsa securitate felicius. Exempla ad eum locum notavit Ludovicus Vives in commentario, Scipionis & Alexandri. Ille nunquam elevari illam hominum existimationem voluit, quod Divino semine ortus esset. Apud Lucianum Alexander utile sibi ad res gerendas dicit fuisse, quod Filius Jovis Ammonis sit habitus. Timebatur enim, nec aliquis repugnare ipsi audebat, nempe quem crederent Deum. Οἱ βάρβαροι, inquit, κατεπλάγησάν με καὶ οὐδεὶς ἔτι ἀνθίστατο, οἰόμενοι, θεῷ μάχεσθαι. ὡς τι ῥᾷον ἐκράτουν αὐτῶν. Sed malè pereat profana illa Varronis Theologia, qui id tantùm agit, ut vanâ quâdam Religionis specie Reipublicæ imponat, eamque in ordinem redigat, de Religionis veritate interim securus. Non quidem Heroibus Divinum illud denegamus commercium, & plusquam humanos impulsus, quodque iis erecti mortalibus sæpe viribus majora agant & audeant. Omnino enim Dei quædam vis hic est necessaria. Sed fabularum illarum gentilium caussam non dicimus, quæ hîc nescio quos Dei & hominis concubitus somniant, ex quibus Heroes & SemiDei nati, quales plurimi Regum habebantur & colebantur. Propterea & Plato in Cratylo ἥρως deducit ab ἔρως, quod ex amore immortalis Dei adversus mortalem feminam, aut immortalis feminæ adversus mortalem virum geniti videantur. Sed planè alia ratione Heroas vocat Hesiodus 1. ἔργ. καὶ ἡμέρ. quod notum est: Labeo autem apud Augustin. de C. D. l. 2. c. 14. SemiDeos etiam Heroibus anteponit. In Apologia Plato dicit Dæmonas aut Deos esse, aut filios Deorum nothos ex Nymphis. Quare mihi non persvadebit Steuchus, Platonem hæc seriò non dixisse, sed tantum ceu quasdam Poëtarum fabulas allegasse. Ita enim ille sensit in libro octavo æterni operis. Nec rectè Vossius contrariæ illius sententiæ Platonem defensorem facit, quod illi in mentem nunquam fuit: Illud enim Platonis in Symposio: θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, Vir summus interpretatur de commixtione Venereâ *Inst. Orat. l. 1. c. 2. sect. 3.* cum de

quoli-

quolibet commercio Plato intelligat. Verum sensum dabit locus integer. Ita ille habet: *Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι. Καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς, δαιμόνιος ἀνήρ. DEus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesq; conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus. Quicunque harum rerum peritus, δαιμόνιος id est felix Vir & sapiens nuncupatur.* Sed quicquid illarum fabularum tam apud Philosophos gentiles, quam Poëtas reperitur, omne id originem ducere puto â loco illo apud Moysen *Genes. 6. v. 1.* non rectè intellecto. Cui accessit Scriptum illud ὑποβολιμαῖον Enochi, quod illam rem multo cum apparatu tradit, cujus fragmentum exhibet Annotationibus suis in Eusebium Scaliger & Athanasius Kircherus in immortali opere Oedip. Ægypt. Gymnas. Hierogl. *class. 2. Gramm. c. 2. §. 4. p. 69.* Illi בני־האלהים quos Angelos plurimi interpretantur omnes has fabulas extuderunt. Certe in errorem duxit etiam SS. Patres, Lactantium, Augustinum, Tertullianum &c. Confirmat quoque Joseph. l. 1. Antiq. c. 4. Confirmavit ipsa LXX. Interpretum versio, quæ in multis exemplaribus habebat: Ἄγγελοι θεοῦ. Theodoretus contra illos quam maximè pugnat, & per filios Dei intelligit filios Seth, qui ita ob eximiam illorum pietatem dicuntur. At Chrysostomus filios Seth, per quos intelligit γίγαντας, ἥρωας, ὑψηλοὺς interpretatur filios Dei: Filios autem Cain ταπεινούς. Locum integrum tibi dabit Steuch. *comment. in Genesin ad illum locum.* Hoc præclarè illustraret sententiam illam veterum, qui proceram Heroibus suis staturam assignabant, & propterea pulchros illos vocabant, ipsos quoque Deos augustiore forma hominibus apparere credebant, ut & quidpiam divini hoc in principibus viris putârint, si illi communem staturam excederent. Secundum eam Indi & Æthiopes reges suos eligebant, quod nec ipse improbare Aristoteles videtur: Nam lib. 1. de Rep. c. 4. ait: *Ἐπεὶ τοῦτόγε φανερὸν, ὡς εἰ τοσοῦτον γένοιντο διάφοροι τὸ σῶμα μόνον, ὅσον αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες, τοὺς ὑπολειπομένους πάντες φαῖεν ἂν ἀξίους εἶναι τούτοις δουλεύειν. Nam hoc quidem in promptu est; si qui nascantur, tantò aliis corpore excellentiores, quantò simulacris hominum antecellunt Deorum imagines: reliquos ab omnibus dignos pronunciatum iri, qui his serviant.* Sed de hoc alibi differemus luculentius, & redimus ad nostros Semideos, quorum historia accuratius nobis pertexenda erat. Platonem certè, divinissimum Philosophum, fabularum illarum assertorem vidimus, nec negare id possumus, quamvis labem illam ab eo amovere tentet Steuchus. Sed profectò non tam indignè ideo tractari meretur Summus Philosophus â Bangio, qui in *Cœlo orientis* ob hæc & alia quædem de Dæmonibus asserta, Philosophiam ejus vocat impuras scaturigines, detestandam, impiam: cum

tamen

tamen nec pia magis lucem aspexerit; nec Platoni magis imputari ille Error possit, quam ipsis SS. Patribus, qui ipsi errores illos admiserunt. Variè Heroes illi & SemiDei â veteribus dicti sunt. Vel enim intelliguntur Homines â Diis geniti, quales Æneas, Romulus, & alii; vel qui ob præclara vel merita vel inventa cœlo transscripti sunt post mortem. Dicti etiam sunt ita Genii, Dæmones, Lares, imò omnes post mortem animæ. Sed his omnibus enumerandis otium nostrum non impendimus. Dicemus aliquando σὺν θεῷ in tractatione de *Heroibus*. Sed quicquid demum sit de illis seu fabulis seu sententiis veterum, non illas, uti referuntur, omnino intelligi debere mihi persvadeo. Multa danda colori illi Poëtico, qui forte nihil aliud intendit, quam ut illud Principum & præstantissimorum virorum cum Deo commercium exprimat luculentius. Ita putat quoque Gellius libr. 15. c. 21. Ita ipsos Poëtas & Homerum inprimis explicat Aristoteles *Eth. Nicom. lib. 7. c. 1.* quem locum, quia ad rem nostram maximè facit, adscribamus Πρὸς δὲ τὴν θηριότητα μάλιστ᾽ ἂν ἁρμόττοι λέγειν τὴν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀρετὴν ἡρωϊκήν τινα καὶ θείαν, ὥσπερ Ὅμηρος περὶ Ἕκτορος πεποίηκε λέγοντα τὸν Πρίαμον. ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθός,

— — — οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

ὥστ᾽ εἰ, καθάπερ φασὶν, ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ δι᾽ ἀρετῆς ὑπερβολὴν, τοιαύτη τις ἂν εἴη δηλονότι ἡ τῇ θηριώδει ἀντιτιθεμένη ἕξις. *Feritati autem aptissimè dicere possimus opponi eam, quæ supra nos est, heröicam quandam ac divinam Virtutem: quemadmodum Priamum Homerus de Hectore loquentem facit, quoniam bonitate ac virtute præstabat:*

— — — namq; illum haud esse putares
Mortali genitore satum, at genus esse Deorum.

Itaque si (ut ajunt) propter excellentiam præstantiamque virtutis Dii ex hominibus efficiantur, talis erit profectò is animi habitus, qui habitui illi ferino opponitur. Hæc causa illa forte dici possit, cur Heros inter Deos & homines medius esse dicatur, cur ille, ut Lucianus ait, ἐξ ἀνθρώπου καὶ θεοῦ σύνθετος fingatur, quia conditionem hominum altius supergressus divinoque numine actus ea agit quæ intendit, quod certè de Principibus, in quibus singularis illa Dei cura ejusque impetus in omnibus elucet, quam verissimum. Vide sis Andream Gorrutium *de provident. divin. lib. 12. c. 2.* Sed superstitio inde fabulas illas pro quâdam Theologiæ parte assumpsit. Hinc illi Jovis, Martis & aliorum filii. Imò ex hoc fonte omnes Dii. Hinc familiæ veterum â Diis traxerunt Originem, quod inter alios notat Heins. in *Aristarch. sacr. c. 1.* Ab Hercule ἡρακλεῖδαι, ab Apolline Ἀπολλωνίδαι, καὶ Ἀπολλώνιοι, â Neptuno ποσειδώνιοι, â Jove Δῖοι καὶ Διογενεῖς. Putat ergo eo in loco Heinsius, Διόνυσον

N dici,



dici, quasi διὸς υἱὸν: Illum postea uno vocabulo appellatum esse Διόνυσον, ex eo postea Διόνυσον esse factum. Eadem in sententia est Vossius in de Idololatr. l. 1. c. 19. additque illum Liberum dici, quod sit filius Jovis, uti κόρη Proserpina, Libera seu filia. Hinc sunt illi Διόσκουροι, quo nomine potissimum Castor & Pollux notati: idque διὰ τὴν ἀνδρείαν, ut loquitur Apollodor. Biblioth. *lib. 3.* plurimos tamen ejus nominis fuisse dicit Cicero *lib. 3.* de Nat. Deorum, quorum quidam *Anaces* dicti. Plutarchus in Theseo Castorem & Pollucem eodem nomine vocat, à quo Cicero illos excludere videtur. Idem quoque Theodoritus asserit *lib. 8.* Græcanicarum affectionum. His Dioscuris templum Ἀνακεῖον & festa Ἀνάκεια Athenis dicta. Unde autem illi Anaces? An ex Hebræo ענקים *Anakim?* quomodo dicuntur viri principes & strenui, qui genus ducebant à gigante ענק *Anak.* Ita placet Vossio de *Idol. l. 1. c. 8.* & Bocharto Geogr. sacr. *part. 2. lib. 1. c. 1.* qui Asterii cujusdam Herois meminit è Pausaniâ in Atticis, cujus Pater fuerit *Anax* terræ filius, Eustathius ejus in Iliad. *α.* meminit, qui cœli & terræ filium nominat. Inde factum esse putat Bochart. quod apud Poëtarum antiquissimos nomen Ἄναξ in honore sit tanquam sacrum & augustum, regibusque & heroibus peculiare, & Dioscuros ideo Ἄνακας dictos, quod staturâ & majestate cæteris mortalibus antistarent. Vide & Reinesium ἱστορικ: Lingv. Punic. *c. 8. n. 16.* Ouzel. ad Minuc. Felic. *p. 126.* Ad Historicos jam & Poëtas si accedimus, semper divina illis in ore generatio: Theocr. Εἰδ. 7. Ἐκ διὸς ἔρνος, *ex Jove ramus vel surculus.* Ita Mamertin. Paneg. Maxim. c. 2. *Siquidem vos Diis esse genitos, & Numinibus quidem vestris sed multò magis virtutibus approbatis, quorum infatigabiles motus & impetus ipsa vis Divinitatis exercet, quæ vos tantis discursibus toto quem regitis orbe deducit.* Homerus vocat Viros Principes διοτρεφεῖς *Jove nutritos* Iliad. *α.* ubi Eustath. Διοτρεφεῖς τοὺς βασιλεῖς λέγει, ὃν τρόπον καὶ διογενεῖς. Huc spectat & illud, quod apud Barthium est *Adverf. l. 1. c. 18.* qui Martialem Epigrammate *27. l. 10.* quod in Diodorum scripserat, notare Domitianum putat, quia Diodorus sit à Jove datus, quod perpetuum Regum epitheton. Ælianus initio τακτικῶν Hadrianum Cæsarem Filium Dei vocat: αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, υἱὲ θεοῦ, Ἀδριανὲ σεβαστέ. At aliâ ratione hoc accipi debere, quam vulgo accipiunt interpretes, putat *Barth. Adverf. lib. 7. c. 3.* Non enim Filium summi Dei vocat, sed Antecessoris sui, quem Deum indigitat. Eâ ratione Ausonii Jovis filium illi vocare videtur Antoninum Oppianus Cynegeticon primo:

Αὐσονίου Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος, Ἀντωνῖνε:

Cognationem quandam inter Deos & præclaros viros statuit Cicero, rejectis illis fabulis & absurdis philosophorum quorundam traditis, quæ sanior est sententia. Ita ille 1. *de Nat. Deorum: Sed tamen quis iste tantus casus? unde*

de tam felix concursus atomorum, ut repente homines Deorum formâ nascerentur? Semina Deorum decidisse de cœlo in terras putamus, & sic homines patrum (ID EST DEORUM) similes exstitisse? vellem diceretis: Deorum cognationem agnoscerem non invitus. At hæc Stoicorum fuit sententia de origine primi hominis, de quâ Lipsius Physiolog. *Stoic. lib. 3. dissert. 3.* pluribus agit. Illam Cognationem Philosophi omnes intendunt, ad illam obtinendam præceptis instruunt. Hoc est, quod Imperator Antoninus vocat συζῆν θεοῖς, θεοῖς συμπολιτεύεσθαι. Huc illud Manilii spectat *Astron. l. 2.* quod nemo possit *reperire Deum, nisi qui pars ipsa Deorum est.* Ita modestè & præclarè *Deo proximum* Trajanum vocat *Eutrop. lib. 8. Ob hæc,* inquit, *per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit, & vivus & mortuus.* Inculcat illam cognationem Pythagoras, Plato & alii, qui Sapientem Deo cognatum esse pronunciant. Inde factum, ut ipse Pythagoras, cum se Deo cognatum haberet, pro Apolline & Apollinis filio cultus sit, referente Jamblicho. *lib. 1. c. 27.* & *28.* & Philosophi Pythagorici, qui illum suum Doctorem pro Deo coluerunt, Theologi dicti sint, de quo vide Barth. Adverf. *lib. 5. c. 7.* Inter Principes Augustus quoque vocatur Divis bonis ortus ab Horatio *lib. 4. Carm. Od. 2.* Imo Adulatores illum planè Deum esse dicebant, sed personam hominis induisse, ad orbem pacandum, quid enim aliud vult illud ejusdem Horatii *lib. 1. Od. 2?*

> *Sive mutatâ juvenem figurâ*
> *Ales in terris imitaris alma*
> *Filius Majæ, patiens vocari*
> *Cæsaris ultor.*

Quare & precatur ibi Horatius, ut serus cœlum redeat. Sic deinceps alii etiam principes cœlo missi, & cœlum redire dicebantur. Notissimum est, Cœlo lapsos dictos fuisse Principes, Viros eximios, & bene de Republicâ meritos. Cicero pro Pompejo: *Pompejum omnes sicut aliquem non ex hâc urbe missum, sed de cœlo lapsum intuentur.* Ammian. *lib. 22.* loquens de Juliano Imperatore: *Effundebantur ætas omnis & sexus tanquam demissum aliquem visura de cœlo.* Apud Homerum Iliad. 6. Græci putant Hectorem ἐξ οὐρανοῦ κατελθέμεν *descendisse à cœlo.* Imo id loquendi genus nec inusitatum erat de rebus aliis, quæ propter præstantiam suam admirantibus tales titulos extorquebant. Ita Statius de Equo Domitiani --- --- --- *cœlone peractum*

> *Fluxit opus?*

Talia finguntur illa Imperiorum nonnullorum insignia cœlo lapsa, ut Ancile Romanorum, & illa Scythici Regni insignia, aratrum, jugum, securis, phiala, de quibus Herodotus *lib. 4.* quemadmodum hodieque servantur apud Gallos sacræ illæ ampullæ & oleum cœlitus missum, quo Reges inun-

guntur, quam ut fabulam historicis argumentis refutat Chifletius in disquisitione de Ampullâ Remensi contra Temeurium ejus traditionis assertorem. Idem de Liliis, quæ inter Gallica insignia sunt, aliqui fabulantur, de quibus vide Limnæum in notitiâ Regni Franciæ *lib. 1. c. 10.* & inprimis Goropium Becanum Francicorum *lib. 4.* qui hic mira (ut solet) comminiscitur. Nobis alia de iis rebus disserendi erit occasio: nunc de his obiter. Vidimus ergo, quod de Cœlo venire dicantur Heroes & Reges, quò etiam post mortem redire creduntur. Sed & hoc hic monendum, quod ipsius Cœli filii habebantur. Saturnus, primus Italiæ Rex cœli & terræ filius credebatur, de quo Tertullianus Apolog. c. 10. *Tamen si homo Saturnus, utique ex homine, & quia ab homine, non utique de cælo & terrâ.* Aliam ergo causam subnectit, quare ita dicatur. *Cujus,* inquit, *parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum & omnes possumus videri. Quis enim non cælum & terram matrem ac patrem venerationis & honoris gratiâ appellat, vel ex consuetudine humanâ, quâ ignoti, vel ex inopinato apparentes de cælo supervenisse dicuntur.* Cui addit & illam, libro ad Nationes lib. 2. c. 12. *Rudes tunc agebantur & oculi & mentes hominum, ut cujuslibet viri novi aspectu, quasi divino commoverentur, nedum Regis & quidem primi.* Vide Lactant. lib. 5. divin. Inst. c. 8. Atque hæ illæ duæ rationes à Tertulliano allatæ, quare Saturnus cœli & terræ filius dicatur, quarum prima est communis omnibus, quam Seneca pulchrè exprimit *lib. 4. de benefic. c. 23. & Natural. Quæst. lib. 6. cap. 16.* altera causa est venerationis. Tertia quam idem Tertullianus *lib. 2. c. 12. ad Nat.* addit, & necessitatis, quod scilicet ita dicti, qui spurii & incertis parentibus nati. Et sanè insolens non est, infamiam originis illo mendacio apud gentes tegi. Vide Rupert. Observat. in Flor. *lib. 1. c. 1. §. 1.* Eos quoque Solis filios dixerunt, uti Circe Solis filia dicta est. Plaut. in Epidico; *Hanc assererem Circen Solis filiam.* Huc pertinet, quod Lipsius refert lib. de Vestalibus *c. 15.* In tractu Peruano Virgines templis dicatas, si corpus polluissent, morte mulctari, nisi è sole se concepisse sanctè adjurassent. Quorum quidem hominum generatio à communi generatione ita differre videtur: quod cum Philosophus ad generationem hominis requirat solem & hominem; illis, excluso homine patre, solus sol sufficiat. Aliter tamen judicarunt de Saturno Steuchus, Goropius Becanus Hermathenæ *lib. 2.* & alii, quorum hic Adamum vel Noachum, ille etiam Dei quoddam nomen in illo quærit. Quæ quidem omnia non de nihilo, multa tamen illorum conjecturis audacibus plena, & nunc à nostrâ dissertatione aliena. Distinguebantur ab illis, Deorum Cœli & Solis filiis, qui solius Terræ filii dicebantur, quo nomine plerumque scelerati, impii, ac Deorum contemptores veniunt, uti & qui obscuræ originis. Ii sunt, qui Gigantes vocantur, cujus vocis variam acceptionem in sacris nemo melius

expli-

explicavit Theodoreto, quem locum alibi notamus. Qui Fraterculus Gigantis Juvenali dicitur, idem est Politian. Misc. c. 18. qui terræ filius. In Sacris sine dubio sunt illi, qui vocantur בני־האדם qui opponuntur illis בני־האלהים. Confer Genes. 6. v. 2. & Gen. 11. vers. 5. quô posteriori loco ita vocantur, qui turrim Babel exstruebant, quos illos θεομάχους, quorum Gentiles meminerunt, fuisse unanimis fere omnium consensus est. Vide quid ad eam rem dicat Vir Clarissimus Bochartus in Phaleg. lib. 1. c. 13. Interpretari tamen amat Dickinsonus in Delphis Phœnicizantibus cap. 4. de Cananæis contra Israelitas pugnantibus. Ad nos illa lis nunc non spectat. Vide quoque, si lubet, quæ eruditè de Gigantibus commentatur Boganus in Epistolâ Delphis illis Phœnicizantibus præmissa, nam legi merentur. Germani etiam Tuitonem Deum terrâ editum celebrant, quod refert de illis Tacitus, quem aliqui Regem illorum fuisse interpretantur. Philippus Cluverus Germaniæ antiquæ *lib. 1. c. 9.* Deum ipsum interpretatur, & filium ejus Mannum Adamum. Sed scribendum esse putat *Theuth.* Verum vereor, ne magis acuta, quam vera sint, quæ tradit Georgius Hornius, qui Historiæ Philosophicæ lib. 2. cap. 11. Illum Chaos sive תוהו Thohu esse vult, quod non solum significat Chaos, sed ipsum illud Latinum nomen de se format, quod antiquis Latinis, teste Festo, erat Chohum, unde vox inchoho: facilis enim Thau in Chet transitus, de quo eruditè differit Steuchus in Cosmopœiâ in *Genes. c. 1. fol. 6. lit. D.* Alios quoque apud Germanos Heroas invenio Semideos, qui Anses vocabantur, sive die Hänse. Ita enim Jornandes lib. de rebus Geticis c. 3. nominat, qui illud nomen illos ex conflictu cum Romanis sortitos fuisse memorat. *Proceres*, inquit, *suos, quasi qui fortuna vincebant, non puros homines, sed Semideos i. e. Anses vocavêre.* Idem quoque Procopius confirmat. Kilianus in Dictionario addit aliam ejus vocis significationem: Hans *Collega, Socius.* Et est quoque vox *Hanza* vel *Hansa* quæ fœdus significat, unde aliqui urbes Hanseaticas dictas volunt. At Eques Spelmannus in eruditissimo Glossario, ex Tilio in Comm. de rebus Gallicis libr. 1. adducit, semper fœdus vel conventionem in antiquis monumentis dici *Ausen*, non *Ansen:* & urbes Hanseaticas à Gallis dictas *les villes de la Hause Teutonique*, qui & *Franckausen* (conventum liberum) dictum vult. Unde per Syncopen *Franssen.* Sed adi ipsum. Certum tamen est, Heroas Germanorum fuisse die Hansen/ de quibus præterea vide Pontanum *Rer. Francicar. l. 2. fol. 162.* Supersunt nobis nomina Anshelm/ i. e. *galea Viri magni*, der Helm eines grossen Hansen/ Ansbrecht/ Ansfried/ Answald. Nugatur pro more suo Martin. in Lexico Etymologico, qui vetus illud Hans à Latino *honos* deducit. Non consentio Pontano, qui Ansuarios eosdem facit cum Hansis, quos cum his nil ego habere puto com-

commercii. Malè enim Codices legunt pro Ansivariis, quorum meminit Tacitus Annal. XIII. qui eos pulsos à Chaucis ad Rhenum in Usipiorum fines venisse narrat. Antiqua ergo illorum sedes inter Amisiam & Albim fuit. Aliqui scribunt *Amsibarios*. Quod si rectè nomen ita per (m) scribitur facilè conjicere licet illud nomen esse ab Amisiâ flumine, ut sint die Baren an der Aemse: nam & vox Bar apud antiquos Germanos Heroem notat. Sic enim Autor des Heldenbuchs part. 2. bey den gar kühnen Baren/ vel virum quemcunque, ut ibidem: den elendreichen Baren/ i. e. miserrimum Virum, quod & ex compositis illis elucet: Wehrbar/ Mundbar/ Ehrbar/ ubi Bar idem est quod Mann/ ut in vocibus, Schwerdman/ Herman/ Erdman &c. V. Marquard. Freher. *l. 2. c. 12. not. ad libr. Petr. de Andlo.* Pro filio quoque accipitur, ut in eodem Autore des Heldenbuchs: der reinen Magde Baren/ i. e. Christus. Inde Baronum nomen descendit. Aut si hoc non placet, dicas illos dictos, quasi die Bauren sive Buhren an der Aemse/ Baur/ enim, quod est à priori Bar/ colonum significat: vel die Aemsefahrer/ die an der Aemse fahren.

Sed redeamus ad Principes nostros Semideos & Diis genitos: de quorum generatione ipsâ, & quædam hic dici possent. Variis enim figuris Dii se induisse finguntur, ut cum hominibus rem habere potuerint. Adfero nunc modum illum, quo in Dracones se transformare & sub illorum specie hominibus concubuisse crediti sunt. De Alexandro M. notissimum est, matrem ejus â serpente ingentis magnitudinis concepisse, quod Justinus refert *lib. 11. c. 11.* Idem de Scipione tradit Gellius *l. 7. c. 1.* Unde & persvasio illa divinitatis orta. Cæterum obtinuit apud multas gentes illa Draconum divinitas, quæ sine dubio ab antiquo illo Dracone introducta. Multa erudite è collatione literaturæ profanæ disserit Steuchus in *c. 2. Genes. p. 71. & seq.* quem ante omnes vide. Heroibus illi erant consecrati, quod Plutarchus in Cleomene observat: Οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν. Philostratus in Heroicis quoque de Dracone Aiaci Locrensi familiari scribit. Et eruditissimus ille Somniator Oneirocr. *l. 2. c. 13.* regni præsagium habet Draconem in somnis visum. Vide præterea Pier. Valerian. Hieroglyphicor. *lib. 15.* Rerum Naturalium Scriptoribus multa traduntur de Draconum erga feminas nonnullas amore, cujus insigne exemplum legas apud Cœl. Rhodigin. L. A. *lib. 25. c. 29.* Cui si accesserit talis aliqua superstitio, non mirum tam monstrosas excogitari fabulas. Non videtur falli Dionys. Vossius qui commentario in R. Moys. Maimonid. de Idololatr. *c. 6. n. 4.* ideo Cadmum in Draconem mutatum fingi putat, ejusque figuram sepulchro ejus insculptam esse, quod relatus sit inter Semideos. Notavit idem eâ de re loco illo plura.

Sed

Sed valeant hæ fabulæ, habeat ſuas ſibi res vana illa Idololatria. Semideos illos inter Principes non agnoſcimus. Sit illa Draconum proles, imò Dæmonum. Sed vis Semideos dicere, qui vitam divinam in terris agunt? Non repugno: at malim ego tum Deos. Audiemus tamen & ultimo loco Goropii Becani de eâ voce judicium. Is Hermathenæ libr. 7. *Rectiſſimè*, inquit, *divinum hominum genus Heroas dixit Heſiodus: eò quod omnis ſuprema Reip. gubernandæ poteſtas à Deo proficiſcatur; ſintque principes non ſolum populi & communitatis totius capita, ſed etiam Semidei quidam, quibus nimirum, uti Diis, & honor & obedientia debetur, ipſo Chriſto & D. Paulo ſic fieri oportere demonſtrante. Hæc vera eſt Heroici nominis & dignitas & interpretatio: à quâ, ut à totâ fermè reliqua Theologia priſcæ veritate, vana ſuperſtitio & fœda idolomania longiſſimè Poëtarum ingenia detraxit.*

CAP. III.

PRINCIPES DIVI.

Principes poſt mortem conſecrati, Divi. Defunctorum cultus. Lares publici Principes. Iidem Dii tutelares, Patrii, Indigetes. Principum conſecratorum locus in cælo, Πάρεδροι, σύνθρονοι dicti. Circulus Lacteus illorum ſedes. Heroici & Divini cultus differentia. Germanorum Reges Dii. Ritus Conſecrationis. Ad quid ille apparatus? Conſecratio miraculis & juramentis fictis confirmata. Illa Conſecratio omnis Idololatriæ cauſa. Dii Gentilium omnes homines: Saturnus, Jupiter & Cæteri. Philoſophi tamen ſub illorum nomine Deum verum expreſſere. Jupiter ſummi Dei Nomen. Veritatis Divinæ in ipſa Gentili Theologia umbra.

VIdimus Deos illos politicos modo ex aſſe, modo ex ſemiſſe tales, ſed quorum divinitas non ultra ætatem illorum duratura videbatur. At ingenioſa fuit hic Idololatria, quæ ſedulo cavit, ne mortales ſuos haberet Deos; nec ſatis viſus fuit temporarius ille cultus, niſi quoque iret in ſecula. Imò anticipabat ipſa fata illa ἀποθέωσις, dum Principibus illam quaſi quodam repræſentationis jure offerebant vana ingenia. Stultam illam divinitatis affectationem Alexandri Magni ignorare nemo poteſt, qui vivus conſecrari voluit, quam fovebat Cleonis illa adulatio, quam tamen gravi illo & ſapienti ſuo ſupercilio retudit Calliſthenes, uti hæc ordine illo traduntur â Curtio *lib. 8.* In quo ſane nimium quantum â Philippo Parente diverſus filius, cui â puero, ad id conſtituto, cotidie mortalitas in memoriam revocabatur. Qui poſt fata in Deorum numerum referebantur, Divi vocabantur, quo nomine Julius Cæſar inprimis donatus eſt: quandoquidem illum Auguſtus primum conſecravit, unde & κορςπλάτης apud Julianum appellari creditur, ipſeque Cæſar *Numen Auguſti* vocatur, & Inſcriptio vetuſtiſſima

stissima, quam citat Vinetus ad Ausonium, Augustum vocat *Divi filium*. Sed mirum non est, Imperatoribus illum exhibitum honorem, qui & defunctis omnibus fuit delatus. *Apud Cic. lib. 2. de LL.* lex illa est: *Lesbo datos divos habento.* Sed alia tamen ratio istius cultus est, qui quidem sanctos & divos habebat defunctos, inter summos tamen Deos non locabat: Indignum enim illis videbatur, Principes communi tantum animarum jure censeri. Qui â familiis consecrabantur & colebantur, hi Lares familiares ἥρωες κατοικίδιοι. Principum autem, quia publicum nomen & officium, publicus erat etiam ante ipsos Deos cultus. Et hi quoque Lares publici dicti, quos inter privatos Lares locabant & unâ cum iis colebant: qui ritus explicat locum illum Horat. l. 4. Od. 5. *& Laribus tuum Miscet Numen:* circa quem tot interpretes palparunt. *Lares publici* dicuntur in veteri monumento Romæ in viâ sacrâ effosso. *Lares Augusti & Cæsarum* alibi dicuntur. De his Laribus publicis, vide quæ habeat Boxhornius Quæst. Roman. 6. Quia ergo sibi gentiles persvadebant: animas Principum in cœlum receptas adhuc curare res humanas, ac præcipuè ejus populi, cujus imperio præfuerant, illos summo divinitatis honore afficiebant, & pro Diis Tutelaribus suis habebant. Pro iis videtur accipi in veteri Lapide, in quo *Lares Civitatis Puteolorum* dicuntur. Ex eo forte est, quod apud Thuscos veteres *Laris* vox προστάτην sive præsidem notârit. Unde iisdem *Lars* populi Princeps, qui duodecim Lucumonibus imperabat. De quo Lartis nomine vide Robortellum in *Annotationib. variis. c. 6.* & Sigonium *Emendat. l. 2. c. 9.* Inde Nannius *Misc. lib. 5. cap. 12.* Anglorum *Lordas* seu Dominos esse putat; quod quâ ratione credere possem vellem nos doceret. Verosimile forte esset, si credendum quod Mylius de antiquitate Linguæ Belgicæ c. 20. evincere conatur: Linguam illam Celticam & Belgicam, Aboriginum linguâ antiquiorem esse. Vide tamen, quid de nomine Laris pro suo more meditetur Gorop. Becanus in Hermathen. *lib. 7. p. 159.* Variis jam nominibus notabantur Principes in Deos translati, propter munus illud tuendi patriam. Dicebantur θεοὶ πατρῷοι καὶ ἐγχώριοι, Dii Indigetes, cujus nominis rationem doctè persequitur Vossius in Etymologico, & de Idololatr. lib. 1. c. 12. quæ hîc non repetimus. Vulgares illæ & plebejæ animæ intra Lunæ Circulum subsistebant. Illa Dæmonum & Heroum classis, seu SemiDeorum, quemadmodum Martinus Capella lib. 2. illas didistinguit. A Lunâ ad Solarem globum Locus erat secundæ beatitatis mentibus, A Solari Circulo ad Cœlum summum, Deorum & Cœlitum sedes constituta. Huic Regioni Jupiter præsidebat, cœteris Sol & Luna. Quare non oportebat Principum animas inter vulgares illas locari. Illi πάρεδροι Deorum fiebant & σύνθρονοι & quasi assessores. Erat Synodus & Collegium Deorum, cujus præses Jupiter. Vetus inscriptio: *Jovi*

Optimo Maximo Cælestino Fontejus & Minerva & Collegio sanctissimo. Collegium è duodecim Diis constabat, quos magnos appellabant, in quorum numerum qui referebantur πάρεδροι μεγάλων θεῶν dicebantur. Hi Jovis Consiliarii Consentes vocati, & ipsum Synedrium Consentium. Sic Lucianus Hephæstionem Divum factum vocat πάρεδρον & ἀλεξίκακον θεόν. In veteri inscriptione Antinous dicitur σύνθρονος τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ θεοῖς. Hi Latinis novemsiles vel novemsides dicti. De his vide amplius Salmasium in Ælium Spartian. *p. 38.* cui loca hæc debemus. Atque illi Assessores Deum facti, Collegio & Concilio Deorum cœlesti intererant, quod circa viam lacteam haberi credebatur, ut ex Ovidio & aliis discimus. Quare etiam Circulus lacteus Heroum & Principum defunctorum sedes credita, in quo duæ cœli portæ à Pythagorâ & Platonicis fingebantur: una Cancri, à quâ in terram animæ redeant; altera Capricorni, per quam animæ cœlum repetant, de quibus Cœl. Rhodiginus *L. A. lib. 15. c. 23.* pluribus agit: Manilius lib. 1. Astronom. reddens rationem: cur lacteus circulus nitescat crasso lumine; hanc quoque memorat: quod Heroes ibi habitacula habere dicantur. V. Macrob. *l. 1. c. 5.* in Somn. Scip. Turneb. *l. 13. c. 2.* & *l. 26. c. 18.* Adi & Pontanum *comm. ad Ovid. Metam. l. 1. v. 108.* Sed distincti tamen erant divinitatis gradus, & alii erant heroici, alii divini honores. Aliud ἐναγίζειν, aliud ἀποθεοῦν. Illud conveniebat Heroibus: alterum est inter Deos referre. Solebant quoque cum primo honores tribuissent heroicos, etiam divinos decernere, quod Lampsacæ contigisse refert Plutarchus in præclaris mulierum factis. Spectabant sacrificia ad divinos honores, non ad heroicos, nisi illis casibus, quos expressit Vossius de *Idol. lib. 1. c. 12. p. 96.* quem aliquis falsò carpit, objiciendo quædam autorum loca, quæ Heroibus sacrificatum dicant, quæ tamen non nisi de Dîs manibus capienda, nam ii quoque Heroum nomine veniebant. Apud omnes fere gentes hos Apotheoseos cultus observare licet nec facilè sunt, apud quas non ejus Idololatriæ deprehendas vestigia. Vastum illorum catalogum recenset idem Vossius, libro eodem, cap. 13. Germani quoque reges suos consecrârunt. *Tuisto, Theut* sive *Thiet* vel quo demum nomine appellaveris, Rex Germanorum fuisse à quibusdam creditur, ab iis pro Deo cultus. Unde & nomen suum invenere Teutones, & ab eo se originem duxisse tradidere, non à *Dite*, ut Cæsar prodidit. Corrupit enim vocem, & ad Latinæ linguæ conformitatem vocavit, quam non intellexit. Nec moror rationes, quas affert pro illo Dite Stephanus Forcatulus de Gallorum imperio & Philosophiâ lib. 1. Tales fuerunt quoque è Regibus Dii *Porevithus, Rugievithus.* Tale Germanorum illud Idolon Irmensul, quod Ditmarus l. 2. Mersburgi ad Salam locatum fuisse scribit cum hac Inscriptione; DUX. EGO. GENTIS. SAXONUM. VI-

O CTORI.

CTORIAM. CERTAM. POLLICEOR. ME. VENERANTIBUS. Apud Romanos, Regum tempore, primus Romulus: Inter Imperatores Jul. Cæsar, consecratus. Quod pulchrè demonstrat æreus ille nummus à Goltzio & ab Adolpho Occone exhibitus, in quo Cæsar Divus cum corona radiata, quæ Deorum erat propria, & diademate regio effingitur, cum inscriptione: Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ. Istius Consecrationis ritum, pulchrè expressit Dio *lib.56.* Meminit Vossius & inprimis Bulengerus de Imperatore Romano *lip 1. c. 6. 7. & 10.* qui accuratè persequuntur, quæ ad ritus istos spectant: quæ vide sis; neque enim nos hic acta agimus. Maximè conducebat ille apparatus istorum rituum, ad id, ut magis persvaderetur populo, qui potissimum arte illâ capitur. Erant tamen & aliæ technæ, quibus imponebant vulgo. Jam fingebantur quædam ad mentitam illam divinitatem confirmandam miracula, quæ si casus forte dederat, dolus illa pro ingenio suo ad religionem aptabat. Ita Solis defectio pro Romuli Consecratione adducebatur. Cometa circa J. Cæsaris obitum apparens idem præstitit. Idem de sidere quodam viso prætendebat Adrianus, quod Antinoi animam esse putabat Vide *Scalig. in Euseb. num. 2145.* Jam producebatur aliquis & subornabatur, qui juratus diceret, se in cœlum euntem vidisse, cum illo collocutum esse, hæc vel illa in mandatis accepisse. De Romulo juravit Proculus: de Augusto Numerius pretio ad tale officium emptus, quod refert Dio. *l. 56.* Has Gentilibus fraudes objicit præprimis Justinus Apolog. 2. Jam mutata nomina illis, si Diis placet, â Diis imposita, forte eam ob causam (ut putat Lactant. *l. 1. c. 21.*) ne posteri putarent eos homines fuisse. Eædem artes Pontificiorum, qui juramentis Consecratis suis fidem faciunt, quarum aliquot exempla ex historicis consignavit Rupertus Observat. in Flor. *lib. 1. c. 1. §. 18.* quem vide.

Atque hîc jam se aperit ille Oceanus, è quo tot Deorum agmina fluunt. Hoc illud Chaos, quod ferè omnia illa Gentilium numina produxit. A Consecratis illis Regibus & principibus, omnis fere illa Idololatria introducta. Suidas in voce Σέρυχ & Damascenus de Hæresibus *p. 574.* autores sunt: Seruchum defunctos præstantes viros adorari, & quotannis eorum memoriam celebrari jussisse, & eorum nomina in sacros commentarios referri, atque Deos eos judicari, tanquam benefactores. Hinc primam ortam Idololatriam Deorumque pluralitatem. Verè dictum, & quod res est! Jam dudum docuerat hoc Euhemerus Messenius qui res gestas Jovis & cæterorum Deorum collegit, historiamque composuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, quem ideo ut impostorem sugillat Plutarchus in libr. de Iside & Osiride. Cicero ejus meminit quoque lib. 1. de Nat. Deor. *Ab Euhemero & mortes & sepultura demonstran-*

monstrantur Deorum, utrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an magis sustulisse? Sed laudat illum virum Augustinus de *C. D. l. 6. c. 7.* Operosè id agit Tertullian. Apolog. c. 10. ut demonstret: omnes Gentilium Deos esse ex hominibus factos. Idem in argumentum ejus rei trahit Aras illis erectas, quæ mortuis erigi moris erat in libr. *de Spectac. c. 12.* Lactantius *lib. 1. divin. inst. c. 11.* putat Saturnum, cum potentissimus Rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum cœlo & terræ indidisse, P. Georg. Ambianas in Apolog. Tert. c. 10. observ. 3. putat Saturnum fuisse Belum qui Nemrod, Jovis autem nomen fuisse Regium, ideoque & filiis Nemrodi indiscretè communicatum. Ipsum primum apud Babylonios dictum Belum, qui ζεὺς Græcis teste Diodor. Sicul. lib. 2. Idem Diodorus Siculus lib. 3. c. 61. de Jove prolixè tradit, quâ ratione sibi divinitatem aquisiverit. Adscribam eum locum: *Saturni filius erat Jupiter, qui contra quam parens rationem vitæ instituens, omnibus sese æquum & humanum præbuit, ob quod Patris quoque nomine à suis affectus est. Is Regnum vel sponte à Patre concessum, vel à subditis odio Patris traditum accepit. Quamvis autem Saturnus Titanum auxilio bellum illi moverit, prælio tamen victor & rerum Dominus evasit Jupiter, & totum dehinc orbem peragrans, benè de natione mortalium promeritus est. Et quia robore corporis & omni virtutis genere excellebat, facilè totum sibi mundum subjugavit. In hoc inprimis dabat operam, ut impios & sceleratos pœnis, & beneficiis populum afficeret. Ideoque exemptum rebus humanis ZENA à vivendo, quod ζῆν Græcè dicitur nominavit; eò quod benè vivendi autor hominibus fuisset. Quique meritis ab eo cumulati fuerant, hunc ei honorem rependerunt, ut in superno collocatum mundo Deum & perpetuum totius universi Dominum propensis omnes studiis appellarent.* Imò nullo seculo suum defuisse Jovem usque ad tempora belli Trojani Vossius asserit *de Idol. l. c. 14.* Quare commune hoc Regum & Principium fuisse nomen verosimile est. Nec fidem mereri puto, quæ Xenophon ab Annio suppositus lib. de Æqui vocis c. 1. affert; quod Saturni vocentur familiæ nobilium Regum, qui urbes condiderint. Primogeniti eorum Joves ac Junones; Hercules verò nepotes eorum. Demonstrat Augustin. *de C. D. lib. 18. c. 5.* è Varrone Serapidem & Isidem potissima Ægyptiorum numina homines fuisse, quos tamen homines dicere sub pœna capitali vetitum. Id circo & simulacrum digito labris admoto additum, quod mysterium quidem insinuaret, indiceret silentium. Sentiebant hos dolos Philosophi & Sapientiores, & fictam illam divinitatem tacitè ridebant, non planè Veritatis divinæ ignari. Quare retinuerunt quidem illa Deorum usitata nomina, ne vulgum illâ superstitione captum, offenderent; Ipsi interim sub illorum nominum schemate, saniorem Theologiam, & in Scholis docebant, & tacitè apud se fovebant.

vebant. Cui ſententiæ adſtipulatur quoque eruditiſſimus Cardinalis Beſſarion in Calumniatorem Platonis. lib. 3. c. 8. Idem tamen eodem libro c. 5. Jovis nomen extollit, & nullum Deo aptius tribui nomen poſſe putat, cum id ſignificet quod vitam in ſe contineat, & cæteris omnibus præſtet; & ſub hoc nomine DEus primum coli cœperit. Quis non miretur & obſtupeſcat ad tantam veterum Philoſophorum ſapientiam, quam in ipſorum ſcriptis reperire licet: Nam & ipsâ illâ ſapientiæ profeſſione erant Theologi, & indiſſolubilis illis erat Philoſophiæ & Religionis nexus, de cujus infelici divortio multa conqueritur Marſil. Ficinus in proœmio lib. de Religione Chriſtianâ. Imò ipſius illius veterum Philoſophiæ nullus alius finis, quam cognitio & imitatio Dei. Tanta Veritatis vis eſt, ut in ipſis tenebris luceat. Quadrat hìc illud Polybii de Veritate effatum, qui in Excerptis lib. XIII. hæc habet: *Equidem exiſtimo Naturam mortalibus veritatem conſtituiſſe Deam maximam, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam hæc cum ab omnibus oppugnetur, atque adeo omnes nonnunquam veroſimiles conjecturæ à mendacio ſtent; ipſa per ſeſe neſcio quomodo in animos hominum inſinuat: & modo repente illam ſuam vim exerit: modo tenebris obtecta longo tempore; ad extremum ſuapte vi ipsâ vincit obtinetque, & de mendacio triumphat.*

CAP. IV.

PRINCIPES

ΘΕΟΕΙΔΕΙΣ.

Princeps Θεοειδὴς titulis optimus. ἐξομοίωσις τῷ θεῷ, Similitudo cum Deo omnis Philoſophiæ antiquæ finis. Princeps DEI imago. Nomina DEI Principibus & Viris eximiis apud omnes gentes impoſita. Germanorum Heroum divina nomina. Vox Karel *unde deſcendat. Sapiens antiquis Philoſophis θεόπνευςος. De imagine in nobis divina, & qui illa cognoſcenda & perficienda, veterum Philoſophorum ſententiæ expenduntur.*

ENavigavimus iſtos Idololatriæ Politicæ ſcopulos, nunc tranquillum illud Majeſtatis Regiæ mare ſe aperit. Quoties Dii dicuntur Principes, quoties Semidei, ſubeſt ſub illo melle ſæpe aliquod adulationis & Idololatriæ venenũ. Aut ſi admittimus illos titulos, aliâ tamen ratione non admittimus, quam ut inferant aliquam cum DEo ſimilitudinem. Ad hoc unum ergo caput res omnis redit, & quod absq; illo dicitur mera impietas eſt. Summus ille & prægloriosiſſimus titulus; Princeps Θεοειδὴς, de quo nunc dicimus. Atque utinam ita dicere poſſimus, prout materia per omnes Philoſophorum veterum campos diffuſa, requirere videtur. Non poteſt illi, qui curâ diligentiori in veterum Philoſophia verſatus eſt, eſſe incognitum, quemadmodum

dum illa imaginis divinæ in nobis perfectionem unicè pro fine habeat, huc omnia præcepta dirigat, omnem quasi viam sternat, ut mihi lætos interdum hoc campos calcanti animus sæpe præ gaudio exultare videatur, dum in illâ quoque umbrâ tot illustria divini luminis animadverto vestigia. Ita Plato, notante Laërtio, finem Philosophiæ statuebat τὴν ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ *similitudinem cum Deo*, quod idem quoque singulis inculcat paginis. Ita Epicurus quoque Sapientem suum informat, ut quasi DEus quidam inter homines vivat, quod idem de illo Laërtius lib. 10. Talis Laconibus θεῖος ἀνὴρ vocatus. Hanc Aristoteles Sapientis vitam, ut solius DEI opus, effert 10. Eth. 7. *Erit*, inquit, *sanè talis vita melior, quam ut ferre posse hominis conditio videatur*, οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει: *Non enim quâ homo est, sic vivet: Sed quâ ipsi inest aliquid, quod divinum sit.* Quandoquidem ergo summa Viri sapientis in eo consistit perfectio, ut ad DEum se totum dirigat, ejusque voluntati conformis fiat: Princeps autem omnium sapientissimus sit, vel esse debeat, tum denique verus erit Princeps, si θεοειδής. Illud pro lege servari apud Persas, quod Principem, ceu Dei effigiem honorent, laudat inprimis Artabanus apud Plutarchum in Themistocle: Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων, καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστος οὗτός ἐστι, τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν, εἰκόνα θεοῦ πάντα σώζοντος. *Nobis cum multæ sint & pulchræ leges, hæc omnium est pulcherrima, quâ Regem colimus & adoramus, tanquam effigiem Dei servantis omnia.* Quare Plato Regem vocat θεῖον ἀγαθὸν ἐν ἀνθρώποις: *Divinum inter homines bonum.* Xenophonti Principes sunt θεοὶ ἐξ ἀνθρώπων καὶ εἰκὼν ἔμψυχος θεοῦ. Ei quoque allusit Pythagoricus Diotogenes apud Stobæum serm. 147. cum scribit: ὁ δὲ βασιλεὺς ἀρχὴν ἔχων ἀνυπεύθυνον καὶ αὐτὸς ὢν νόμος ἔμψυχος, θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσχαμάτισται. *Rex autem imperium nemini obnoxium habens vivaq; ipsa lex existens, Dei inter homines imaginem refert.* Apud Sextum Empiricum Pythagoræum Regnum dicitur Dei imitationem in se complecti. Hoc potissimum argumentum arripit Synesius, pro instruendo Arcadio Imperatore in Oratione de Regno: *Tibi*, inquit, *consentaneum inprimis est, ut quem semel accepisti ordinem, nunquam deseras, neque ei nominis affinitati rem pudendam facias, sed ad ejus imitationem te conferas, civitatesque non solum omni bonorum genere cumules, sed etiam felicitatem, quantam potes in unumquemque subditorum effundas. Ita demum magnum Te Regem nuncupantes à veritate non aberrabimus.* Oportet ergo omnino Regem ad imitationem sublimioris potentiæ temperari, ut regia illa potestas divinæ antitypon sit verissimum, cum omnis imago seu repræsentatio ad Archetypum suum referri debeat. Eâ ex causâ factum esse puto, quod in memoriam divini nominis, atque ut nomine ipso ad imitationem Dei ducerentur, Principibus primo & Re-

 gibus,

gibus, deinde aliis quoque nomina à Deo desumpta indita sint, quod plerisque omnibus lingvis usitatum reperias. Ita Hebræi nominibus suis adjiciunt אל, ut *Aldiel*, *Abiel*, *Duriel*, *Michaël* &c. Apud Latinos quoque multa talia invenies. Ita à Jove sunt: *Diocles*, *Diogenes*, *Diomedes*, *Dion*, *Diodotus*, *Jovianus*, *Zenodotus*. A Junone: *Heron*, *Herodotus*. Ab aliis quoque Diis multa alia nomina, quæ cumulat Hugo Grotius principio Februorum in Martianum Capellam. Germani quoque prisci â Deo liberis imposuêre nomina, quem Teut/ Deut & Tit vocant ut Ditbrecht/ Teutberg/ Ditfried/ Ditbelm/ Dither/ Dithold/ Ditdegen/ Teutlieb/ Deutmar/ Deutram/ Ditrich/ Teutwald/ Dupold/ Teutewick. Hæc nomina nunc expressius dicimus, Gottart/ Gotschalck (Dei Minister) Gottlieb/ Gottfried & similia. V. Harsdörffer. Specim. Philolog. German. disquis. XI. §. 41. Reinesius ἱστορημ. Lingu. Punic. c. 7. de Pœnis idem notat, quod nomen numinis sui Baal Ducibus suis addiderint: ut *Adherbal*, *Asdrubal*, *Annibal*, *Manasdabal*, *Ethobaal* &c. quod more Celticarum gentium factum asserit, qui Duces suos & autores primos pro Diis coluerint eorumque nomina adsumserint, imò etiam Chaldæorum & Assyriorum. Quod vero eâ forte opinione inducti quidam, vocem Germanicam Karel ab Hebraico fonte esse putaverint, sc. â voce קרא *invocavit* & אל Deus, nugæ nugacissimæ sunt. Sed tamen nec Vossii in illa voce argutiæ placent, qui in Etymologico sub voce *Androsaces* illam conflatam dicit, ex *kar* seu *gar* i. e. planè & omnino & *hel* vegetus strenuus, acris. Melius Scaliger de subtilit Exerc. 266. vocem Karl priscum Germanorum lingua fortem & robustum significare notat. In Lexico Anglico, quod adjecit Boxhornius originibus suis Gallicis Karl est rusticus, is ideo dictus, quia robustus. Spelmanno vox *Ceorlus*, Sax. *Ceorl.* est ibidem *rusticus & paganus*. Pro Viro apud Saxonas veteres in compositionibus vocum invenimus. Sic *Buhtscarl* vel *Bussecarl* homo præfectus navi. V. Spelmannum in voce *Butscarli*,

Ea ergo, ut ad priora nostra redeamus, Philosophia veterum animos imbuerat, ut quam præceptis doctrinæ & ipsis virtutis actionibus adspirabant similitudinem Dei, ad illam captandam quoque ab ipsis suis nominibus admonerentur, quæ cum Deo quoque habere cupiebant communia, inprimis Principes & Heroes. Procedit tota illa doctrina ab ipsis vetustissimis Philosophis & Theologis, qui ad istam similitudinem acquirendam afflatum quendam divinum (quem intellectum agentem vocant) requirunt. Frequentata Arabibus & Judæis illa sententia, quorum præclara & divina tradita collegit Vir incomparabilis Joann. Seldenus in libro de Jure naturæ *Hebræor. lib. 1. c. 9.* quem eâ de re legisse non pœnitebit. Eò omnium Philosophorum omnium gentium deduxit Philosophia, & ipsa Barbara. à quâ

quâ omnis sapientiæ propagata arcana. Psellus in Chaldaicis oraculis & sententiis de ea re quoque scribit fuisse Chaldæorum opinionem: *Quemadmodum liber Moysis ad imaginem Dei fingit hominem: Sic & Chaldaica hoc sententia pronunciat; mundi hujus opificem & patrem sui ipsius naturæ quædam symbola animis humanis inseruisse.* Illa symbola sunt illa à Deo inspersa mentibus omnium semina, Hoc est illud ἡγεμονικὸν, ille Δαίμων, ille θεὸς, illud ἀπόσπασμα θεοῦ, de quibus tam multa Antoninus Imperator disserit. Hic est ille sacer spiritus, (de quo *Senec. Epist.* 41.) qui intra nos sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos. Rectissime Porphyrius & piè in sententiis & intelligibilia ducentibus τὸ ἀγαθὸν τῆς ψυχῆς ἐν τῷ συνεῖναι τῷ γεννήσαντι. *Bonum animi consistit in eo, si autori quo suo conjungatur.* Eadem Pythagoræ sententia est: βέλτιστοι γίνονται πρὸς τὸν θεὸν βαδίζοντες, id est, *accedendo ad Deum efficitur unusquisque optimus.* Nec abit Apulejus in: de Deo Socratis. *Deo nihil est similius, nihil gratius, quam Vir animo perfectè bonus, qui tam Hominibus cæteris antecellit, quam ipse à Diis immortalibus distat.* Vide quam in rei tam arduæ ratione investigandâ philosophetur Proclus, qui ubi ex veterum Philosophorum Theologia Primum omnium rerum Principium dixerat τὸ ἀγαθὸν, quod Plato vocat τὸ αὐτοαγαθὸν, & τὸν πατέρα, secundum Principium fecerat Mentem primum τοῦ ἀγαθοῦ receptaculum, quæ illi vocatur ἀγαθοειδής. De hâc ejus verba proferam. Græca omitto: *Mens à Bono principaliter & primò dicitur subsistere, & circa bonum existentiam habere, & impleri lumine veritatis illinc promanantis, & accipere participationem seu dependentiam ex conjunctione & unione luminis, quod est ipsâ Mente & Substantiâ & divinius, ut quod primo dependet à BONO.* His verbis tertium aliquod implicat principium summum, quod *unionem luminis* vocat. Plato illud ψυχὴν vocarat, & veteres Theologi Amorem, seu Cupidinem, quem Hesiodus facit omnium Deorum antiquissimum. Tria ergo illis hæc, quæ vocant, summa principia ἀγαθὸν, νοῦς & ψυχὴ sive amor, quæ Numenius vocat: *Gignens, Genitum, & habitum amborum.* Mirare! Jam ulterius philosophatur Proclus, & monstrat: quomodo nostra mens possit esse imago primæ mentis, & quomodo per illam conformitatem cum primâ mente, quæ boni imago est bonitatis participes fieri possimus: Verba sunt: Εἰ τοίνυν καὶ ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς, εἰκὼν τοῦ πρώτου νοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο μόνον τὸ ἀγαθὸν καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν τοῦ νοῦ μέθεξιν αὐτάρκεια, καὶ τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν παρείη. *Si igitur & mens nostra imago est primæ mentis etiam secundum hoc tantum bonum, & nobis secundum Mentis participationem sufficientia & proprium bonum adsit.* Quis non sentiat, è quo fonte hæc Philosophiam hausta? non ex turbido illo: sed ex limpidâ vetustissimæ veritatis scaturigine & ex quadam, ut ita dicam, Virgine aquâ. Utinam tandem Cameri-

nam

gibus, deinde aliis quoque nomina à Deo desumpta indita sint, quod plerisque omnibus lingvis usitatum reperias. Ita Hebræi nominibus suis adjiciunt אל, ut *Aldiel*, *Abiel*, *Duriel*, *Michaël* &c. Apud Latinos quoque multa talia invenies. Ita à Jove sunt: *Diocles*, *Diogenes*, *Diomedes*, *Dion*, *Diodotus*, *Jovianus*, *Zenodotus*. A Junone: *Heron*, *Herodotus*. Ab aliis quoque Diis multa alia nomina, quæ cumulat Hugo Grotius principio Februorum in Martianum Capellam. Germani quoque prisci â Deo liberis imposuêre nomina, quem Teut/ Deut & Tit vocant ut Ditbrecht/ Teutberg/ Dutfried/ Dithelm/ Dither/ Dithold/ Ditdegen/ Teutlieb/ Deutmar/ Deutram/ Ditrich/ Teutwald/ Dipold/ Teutewick. Hæc nomina nunc expressius dicimus, Gottart/ Gotschalck (Dei Minister) Gottlieb/ Gottfried & similia. V. Harsdörffer. Specim. Philolog. German. disquis. XI. §. 4 n. Reinesius ἱστορ. Lingu. Punic. c. 7. de Pœnis idem notat, quod nomen numinis sui Baal Ducibus suis addiderint: ut *Adherbal*, *Asdrubal*, *Annibal*, *Manastabal*, *Ethobaal* &c. quod more Celticarum gentium factum asserit, qui Duces suos & autores primos pro Diis coluerint eorumque nomina adsumserint, imò etiam Chaldæorum & Assyriorum. Quod vero eâ forte opinione inducti quidam, vocem Germanicam Karel ab Hebraico fonte esse putaverint, sc. â voce קרא *invocavit* & אל Deus, nugæ nugacissimæ sunt. Sed tamen nec Vossii in illa voce argutiæ placent, qui in Etymologico sub voce *Androsaces* illam conflatam dicit, ex *kar* seu *gar* i. e. planè & omnino & *hel* vegetus strenuus, acris. Melius Scaliger de subtilit Exerc. 266. vocem Karl priscum Germanorum lingua fortem & robustum significare notat. In Lexico Anglico, quod adiecit Boxhornius originibus suis Gallicis Karl est rusticus, is ideo dictus, quia robustus. Spelmanno vox *Ceorlus*. Sax. *Ceorl*. est ibidem *rusticus & paganus*. Pro Viro apud Saxonas veteres in compositionibus vocum invenimus. Sic *Buhtscarl* vel *Bussecarl* homo præfectus navi. V. Spelmannum in voce *Butscarli*,

Ea ergo, ut ad priora nostra redeamus, Philosophia veterum animos imbuerat, ut quam præceptis doctrinæ & ipsis virtutis actionibus adspirabant similitudinem Dei, ad illam captandam quoque ab ipsis suis nominibus admonerentur, quæ cum Deo quoque habere cupiebant communia, inprimis Principes & Heroes. Procedit tota illa doctrina ab ipsis vetustissimis Philosophis & Theologis, qui ad istam similitudinem acquirendam afflatum quendam divinum (quem intellectum agentem vocant) requirunt. Frequentata Arabibus & Judæis illa sententia, quorum præclara & divina tradita collegit Vir incomparabilis Joann. Seldenus in libro de Jure naturæ *Hebræor. lib. 1. c. 9.* quem eâ de re legisse non pœnitebit. Eò omnium Philosophorum omnium gentium deduxit Philosophia, & ipsa Barbara, à

quâ

quâ omnis ſapientiæ propagata arcana. Pſellus in Chaldaicis oraculis & ſententiis de ea re quoque ſcribit fuiſſe Chaldæorum opinionem: *Quemadmodum liber Moyſis ad imaginem Dei ſingit hominem: Sic & Chaldaica hoc ſententia pronunciat: mundi hujus opificem & patrem ſui ipſius naturâ quâdam ſymbola animis humanis inſeruiſſe.* Illa ſymbola ſunt illa à Deo inſperſa mentibus omnium ſemina, Hoc eſt illud ἡγεμονικὸν, ille Δαίμων, ille θεὸς, illud ἀπόσπασμα θεοῦ, de quibus tam multa Antoninus Imperator diſſerit. Hic eſt ille ſacer ſpiritus, (de quo *Senec. Epiſt.* 41.) qui intra nos ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos. Rectiſſimè Porphyrius & piè in ſententiis & intelligibilia ducentibus τὸ ἀγαθὸν τῆς ψυχῆς ἐν τῷ συνεῖναι τῷ γεννήσαντι. *Bonum animi conſiſtit in eo, ſi autori quo ſuo conjungatur.* Eadem Pythagoræ ſententia eſt: βέλτιστοι γίνονται πρὸς τὸν θεὸν βαδίζοντες, id eſt, *accedendo ad Deum efficitur unusquisque optimus.* Nec abit Apulejus in: de Deo Socratis. *Deo nihil eſt ſimilius, nihil gratius, quam Vir animo perfectè bonus, qui tam Hominibus cæteris antecellit, quam ipſe à Diis immortalibus diſtat.* Vide quam in rei tam arduæ ratione inveſtigandâ philoſophetur Proclus, qui ubi ex veterum Philoſophorum Theologia Primum omnium rerum Principium dixerat τὸ ἀγαθὸν, quod Plato vocat τὸ αὐτοαγαθὸν, & τὸν πατέρα, ſecundum Principium fecerat Mentem primum τοῦ ἀγαθοῦ receptaculum, quæ illi vocatur ἀγαθοειδής. De hâc ejus verba proferam. Græca omitto: *Mens à Bono principaliter & primò dicitur ſubſiſtere, & circa bonum exiſtentiam habere, & impleri lumine veritatis illinc promanantis, & accipere participationem ſeu dependentiam ex conjunctione & unione luminis, quod eſt ipsâ Mente & Subſtantiâ & divinius, ut quod primo dependet â BONO.* His verbis tertium aliquod implicat principium ſummum, quod *unionem luminis* vocat. Plato illud ψυχὴν vocarat, & veteres Theologi Amorem, ſeu Cupidinem, quem Heſiodus facit omnium Deorum antiquiſſimum. Tria ergo illis hæc, quæ vocant, ſumma principia ἀγαθὸν, νοῦς & ψυχὴ ſive amor, quæ Numenius vocat: *Gignens, Genitum, & habitum amborum.* Mirare! Jam ulterius philoſophatur Proclus, & monſtrat: quomodo noſtra mens poſſit eſſe imago primæ mentis, & quomodo per illam conformitatem cum primâ mente, quæ boni imago eſt bonitatis participes fieri poſſimus: Verba ſunt: Εἰ τοίνυν καὶ ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς, εἰκὼν τοῦ πρώτου νοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο μόνον τὸ ἀγαθὸν καὶ ἡμῖν κατὰ νοῦ μέθεξιν αὐτάρκεια, καὶ τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν παρέσω. *Si igitur & mens noſtra imago eſt primæ mentis etiam ſecundum hoc tantum bonum, & nobis ſecundum Mentis participationem ſufficientia & proprium bonum adſit.* Quis non ſentiat, è quo fonte hæc Philoſophiam hauſta? non ex turbido illo: ſed ex limpidâ vetuſtiſſimæ veritatis ſcaturigine & ex quadam, ut ita dicam, Virgine aquâ. Utinam tandem Cameri-

nam

nam movere desinamus, eamque sectemur relictis paludibus. Ipsi nostri Philosophi antecessores dicti Σεμνόθεοι, Dei ministri, de quibus vide Selden. Analect. Anglo Britan. l. 1. c. 4. Simus & nos Φιλόθεοι, & facilè erimus Φιλόσοφοι. Sic & ipsi Reges erimus, Philosophi, Theologi, & quantum licet θεοειδεῖς. Prima & antiquissima omnium fuit Philosophia Pietas, illa Reges fecit & Philsophos, quorum ego unum itemque nomen agnosco. Sed amplissimum hoc argumentum, & cui pertractandæ hæ pagellæ non sufficiunt. Dabimus, si Deus vitam concesserit, hæc in pleno *de Ortu & Progressu Theologiæ Enthusiasticæ*, opere accuratè congesto. Finimus voto & quandoquidem πασῶν ἀρετῶν ἡγεμὼν εὐσέβεια, (quæ Hieroclis Pythagorici sententia est) Pietatem & Dei amorem Principibus precamur. Sic ipsi erunt, Deorum imagines, Deorum Filii, imo inter homines Dii.

DISSERTATIO SECUNDA. DE TITULIS PRINCIPUM DIVINIS.

§. 1.

POstquam Divinitatem ipsam suam fecerant Principes, jam facile sibi Divinos quoque titulos imponi passi sunt, jam etiam reliqua, quæ erant divina, assumpserunt axiomota. Vetus illa querela est Satyrici, *quod major famæ sitis sit, quàm virtutis*; & tanta hominum animos cepit titulorum prurigo, ut titulis magis æstiment nunc Virtutem, quàm se ipsâ. Propter titulorum cupiditatem & bella gessit Antonius, quam in eo vanitatem notat Florus *l. 4. c. 10.* Quem latet morus ille mos, quo titulos nobis convenientes plerumque fastidimus, & in majoribus acquirendis potissimum sumus solliciti? Sed vulgaris ille morbus, imo sæpe, (quis negat?) etiam Principum, qui, cum titulos & axiomata habeant solo Deo inferiora, paria etiam habere intrudunt, nec enim alius jam superest gradus, quo pedem possit figere ambitio. Imo ipsi Christiani Imperatores libenter quoque divinos illos titulos admiserunt, & interdum proniores in illos fuerunt, quàm ipsi Ethnici. Repudiavit tamen Constantinus Magnus, de quo Juvencus in Epilogo Histor. Evangelicæ:

Qui solus Regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus, quo justis dignior actis
Æternam capiat divina in secula vitam.

Ipsi Episcopi apud Sozomenum *lib. 4. c. 17.* Imperatorem non vocant divinum; sed ipsam divinitatem: οἱ τινες τὴν σὴν ἀναδείξουσι θειότητα: *Qui tuam divinitatem docebunt.* Imò omnia, quæ ad Principes pertinebant, de Divinitate Dominorum participabant. Cujus & supra cap. 1. mentionem fecimus. Hinc *Divina Domus, Divinus sermo, divinus affatus, divinæ aures, Sacrum stabulum, Cælestis Oratio, Cælestia statuta, Cæleste Judicium, Consuetudo cælitus deputata, cælitus gratum impetrare*, i. e. *ab Imperatore*, quos titulos passim reperias in jure Justinianæo, & Historicis. Nos pleraque illa nomina adscribimus adulationi tam aulicorum, quàm Oratorum & Poëtarum, neque planè omnes Principi negamus divinos titulos: Sed quandoquidem potestas illorum in terris divina est, ipsius viva quædam Dei imago; utique impium non erit, splendorem illum elucere ex titulis, sed qui tamen velit æterno illo Sole minor esse, & ab illo lumen accipere, quo splendeat, velut Luna inter minora sidera. Primum ergo quod Principi attribuimus, illi cum Deo commune, est

UNITAS.

§. 2.

Mirabitur fortassis aliquis cur divinum illum titulum esse velimus, qui tamen rei omni communis sit: sed accipimus illum sensu priscorum Philosophorum. Quemadmodum enim Deus unus & simplex, ita omnia illis tendere debebant ad illam unitatem & simplicitatem, & noster quoque animus. Quare & Jamblichus, in *Dr. Pythagorais*, supremum omnis felicitatis terminum vocavit, intuitum Unius: τῆ Ἑνὸς θεωρητικὸν τέλος ἐστὶ πάσης θεωρίας. Assumpsit quoque hoc è Philosophiâ Pythagoræâ Clemens Alexandrin. Strom. V. quæ Virum bonum Unum esse & fieri debere contendebat, id est: Deo similem, cum Deo unitam. *Quoniam verò*, inquit *Clemens, qui Deo adhæret, unus Spiritus efficitur cum illo, mysticè apud nos etiam dictum est illud Pythagoricum:* OPORTERE HOMINEM FIERI UNUM. Ad hujus assertionis explicationem præclarè faciunt, quæ disserit Origenes Adamantius Homil. Unicum in libr. Regum explicans id, quod habetur in cantico Annæ: VIR ERAT UNUS: *Vides quomodo qui putatur unus, verè non est unus, sed multi, & tot in eo personæ esse videntur, quot mores conspiciuntur. Imitator Dei justus, qui ad imaginem ejus conditus est, unus etiam ipse, cum ad perfectum venerit, appellatur.* Plura de eo docebit Petrus Bungus, in eleganti de mysteriis numerorum libro. Cap. de Unitate. p. 16 quem vide. Quemadmodum ergo apud antiquos nemo Rector animorum eligebatur, (ut ait Senec. Ep. 3.) nemo poterat esse potentior nisi & esset melior, Vir autem bonus Deo vel vult, vel debet esset similis, atq; cum illo unus: Ita & Principem, qui omnium illorum, quibus præest, optimus est, ad Dei similitudinem se infor-

informare par erat. Sed sic Unitatem cum Deo adspirabant, quam communem cum aliis quoque habere poterant. In illo verò, quod unus Princeps imperio dominatur, aliquid divini semper reposuêre Politici. Vulgatum illud Homeri: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς.*

Et illud Taciti 1. Annal. c. 12. Unius imperii corpus unius animo esse regendum. Imo Pacis aliquando interfuit omnem potestatem ad unum conferri. *Flor. libr. 4. c. 3.* Sed nolo in illo prolixus esse, quod omnes Politicorum libelli ad nauseam inculcant. Ergo jam secunda inter titulorum classes erit

OMNIPOTENTIA.

§. 3.

Nemo quidem, quod meminerim, tam impudenter ambitiosus fuit, ut titulum illum palàm sibi dari permitteret, nullus adulatorum tam præfrictæ frontis, ut facile daret. Tribuebatur tamen res ipsa, quamvis nomen non admitteretur. Quid enim aliud est, quod Pacatus Drepanius de Principibus dicit, illos fortunam vincere, & hominibus dare novum fatum, quod arcanorum cœlestium consortem facit. Ita enim Panegyrico ad Theodosium magnum: *Parcam*, inquit, *arcanum cœleste rimari, tibi istud soli pateat, Imperator, cum Deo consorte secretum.* Imo quis non ad omnipotentiam quandam referat, quæ ille subnectit palpum planè impium spirantia? *Illud dicam, quod intellexisse hominem & dixisse fas est talem esse debere Imperatorem, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata vel publica vota redduntur, à quo petit navigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium.* Julius Firmicus lib. II. c. XXIII. Principem fato Astrologico & stellarum potestati eximit. Verba ipsa exquisitam adulationem præ se ferunt, quæ adscribimus: *Sed nec aliquis Mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit; Solus enim Imperator stellarum non subjacet cursibus, & solus est, in cujus fato decernendo stellæ non habent potestatem. Cum enim sit totius Orbis Dominus, & quia totius orbis terrenum spatium imperatoriis subjacet potestatibus, ipse etiam in Deorum numero constitutus, quem ad facienda & conservanda omnia divinitas statuit principalis.* Quid non est Omnipotentem dicere, si hoc non est? Quis præter Omnipotentem fata distribuit, vota precantium suscipit, & illorum compotem facit? Quis, nisi Omnipotens Orbis est Dominus. In eo consistit divina Omnipotentia, quod sit omnium rerum Domina. Si jam Imperatorem omnium rerum Dominum facias, quis erit alius quam omnipotens? Multa inprimis fuit hic Romanorum ambitio, qui totum Orbem Romanum vocarunt, & se quasi jure quodam illius Dominos proclamarunt. Hinc scriptoribus illorum Romani & humani generis una eademque est ratio;

Ita Symmachus lib. 1. Epistolarum Senatum vocat Humani generis partem meliorem. Tertullianus de Pallio Orbem terrarum rus dicit Romani Imperii. Huc referendum omnino, quod Plutarchus meminit in Romulo, de Fossâ illâ, quam in Urbis meditullio fecit Romulus, cui Mundo nomen fecit, in quam à peregrinis particulam Terræ patriæ injiciendem imparavit; & non Verissimè conjicit Boxhornius, *Quæst. Rom. XL.* eo aliquod orbis imperium vel affectatum vel indicatum fuisse. Alexander Severus cum vatem consuluisset de futuris, referente Ælio Lampridio hoc responsum tulit:

Te manet imperium cœli terræque marisque
Te manet imperium, quod tenet imperium.

Græcè versa exhibet Casaubonus in Commentario. Vide quoque de illo Romanorum fastu Salmasium in Trebell. p. 306. Imo, quod mireris hodieque fatigat non ignobiles Jurisconsultos illa quæstio: An Imperator sit Orbis Dominus, quâ in re quicquam pronunciare non sine periculo erit, cum jam olim hæreticum dixerit Bartolus, qui secus senserit. Quidam etiam argumentis quibusdam pugnant pro illo Orbis imperio, de quibus vide Virum plane sui nominis, Grotium, de I. B. & P. lib. II. §. XIII. & in notis ibidem. Mirum, si abfuerint hic Poëtæ! Inter illos Martialis vocat Romam *Terrarum & Gentium Deam,* Claudiano describitur;

Hæc est exiguis quæ finibus orta *tetendit*
In geminos axes parvaque à sede *profecta,*
Dispersit cum Sole *manus.*

Quare & Populorum omnium parentem & communem Patriam vocant. Rutilius Divum facit genetricem hominum atque Deorum. De illa jactat:

Volvitur ipse Tibi, qui continet omnia, Phœbus,
Eque tuis ortos in tua condit Equos.

Hoc dicit, nihil Solem illustrare, nisi quod Romanæ potestati subjectum est. Cum quo conferri potest fastus ille Chosroæ apud Theophylactum Simocattam, Histor. Mauric. IV, 8. qui inter titulos regni etiam hæc elogia apponit: Ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα, *cum Sole exoriens & nocti largiens oculos.* Pertinet & huc Ovidii illud, *Fastor.* 2.

Gentibus est aliis tellus data limite certo;
Romanæ spatium est Urbis & Orbis idem.

Antonius l. 9. ff. ad L. Rhodiam. Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου Κύριος. Atque ex eo, quod Mundi Dominus sit Imperator, etiam Maris Dominum esse colligit Seldenus in Mari clauso, lib. I. c. XXII. quo jure quâve injuriâ, ego nunc non disputo. Maximum istius fastus fomentum accedit Principibus à nequissimorum adulatorum palpo, qui omnium subditorum bona tanquam propria addicunt Principi: Unde illi necessariò colligunt subditos nec pro-

prium aliquid, nec Dominium, habere vel possidere posse, imo Licere Principi omnia aliena donare aliis pro lubitu. Apertè Zonaras in Claudio: νενόμισται γὰρ τοῖς βασιλεῦσι δωρεῖσθαι δύνασθαι τὰ ἀλλότρια. Domitianus eò processit dementiæ, ut exturbatis prioribus Dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensâ possessione circumvenerit, quod de eo Plinius Panegyric. in Trajan. Huc referas & illud, quod Juvenal. Sat. de Cæsare ait:

Quicquid conspicium est pulchrumque ex æquore toto
Res fisci est, ubicunque natat.

His motus adulationum stimulis Princeps jam cœlum ipsum petet, & vix potestatem suam illis terminis, quibus orbis solet, circumscribi posse putabit. Scio quidem me superius adduxisse locum è Synesio, qui Principum facit dispensatorem omnium bonorum. Sed cautè accipienda sunt hæc. Neque enim dispensator aliter dispensabit, quam vel ipsa postulat justitia, vel ipse munerum illorum autor præscripsit. Jam sunt & alii, qui illud: *Licet, quicquid libet*: occinunt, qui vel ipsis Natura & Dei legibus illos solutos speciosè concludere videntur. Pium est, quod legitur lib. 2. βασιλικ. tit. 6. c. 6. Καὶ κατὰ βασιλέως οἱ γενικοὶ κρατείτωσαν νόμοι; *Etiam contra Principem valent Leges Naturales.* Pia est ipsa Imperatorum vox, quâ se legibus quidem civilibus solutos esse dicunt, interim quàm maximè secundum leges vivere. Probè Vellejus Paterculus lib. II. *Princeps optimus rectè facere cives suos faciendo docet, cumque sit Imperio maximus, major vult esse exemplo.* Non satis hic mirari possum, quæ intemperiæ profanum illud Hobbesii caput agitaverint, ut tam laxam ad nequitiam aperiret fenestram, dum insana hæc asserere non erubescit: *Nihil injustum à Principe fieri posse, nullam posse subdito proprietatem in rebus suis esse, quà Rex ab eorum usu excludi queat, nihil denique posse à Rege præcipi, quod factu improbum sit ita, ut ipsius mandatum qualecunque subditorum actus indubiè justificet.* Atque hæc passim in suo Leviathan. contra quæ disputat Robertus Scharrock. Hypoth. Eth. de Offic. secundum Naturæ jus cap. 4. Num. 6. & 7. An Romanis Imperatoribus illam à legibus exemptionem Lege illâ Regia populus Romanus concesserit, & illud ipsum imperium quoque, quod habebat in Principes, disputatur. Affirmat Rupertus, Comment. in Enchirid. Pomponii de Orig. Auris lib. 1. c. 12. Omne autem illud, quicquid eà de re traditur, pro figmento & Sophismate Politico habet Martinus Schoockius in Epistolâ *de Figmento Legis Regia.* Videre operæ pretium est, quid uterque in medium afferat. Nobis hæc extra scopum nostrum. Id tamen affirmare possumus, multa contulisse hæc & alia ad Omnipotentiam illam Politicam stabiliendam. Sed monebit Principes Plinius in Panegyr. ad Trajan. *Felicitatis est, quantum velis posse, Magnitudinis*

tudinis est velle, quantum possis. Addo etiam quantum licet. Non dimitto Principes nisi ab Ambrosio Eruditos, cujus praeceptum optimum est: *Et si imperatoria potestas* (inquit ille lib. 2. Epist. 15.) *magna sit, tamen considera, Imperator, quantus sit Deus, qui corda omnium videt, conscientiam interiorem interrogat, novit intima pectoris tui: Si es Imperator, Deo subditus magis esse debes.* Succedat jam post Omnipotentiam

ÆTERNITAS.

§. 4.

Reliqua desiderantur in MSto.

PROSPHONEMA

Quo

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES

VIRI

Admodum Reverendi & Excellentissimi

DN. CHRISTIANI KORTHOLT,

P. P.

Collegæ & Amici optimi,

Felices esse jubet

1663.

Miraberis fortassis, Amice optime, quid rei sit; quod nunc discincto hoc & hactenus mihi inusitato sermonis habitu tuis honoribus accedam gratulator: qui tamen Poeta esse credor, & hactenus in numeros & metra jurasse videor. Sed, ut scias, non placuit mihi jam vel κατὰ Πηγάσου ἱππηλατεῖν, ut in laudes tuas, quas animo vix assequor, ire pedibus, quibus Poësis utitur. Manu extensâ,

quam Oratorum esse propriam nosti, nunc repo, &, si pateris, adrepo; dum Tu è Philosophicis ad Theologica castra pleno passu grassaris; non illa contraria, sed fœdere amico & æterno juncta. Æternum scilicet est Theologiæ & Philosophiæ connubium; & pereant, qui inter illas divortium volunt. Namque uti hæc felix est illius præsidio; ita illa tuta hujus subsidio: utraque pariter remos ducit in hoc navigio. Philosophiam tamen intellige, quæ æternæ mentis propago est, non quæ χθὲς καὶ πρώην è cerebellis quorundam, uti Pallas è Jovis cerebro, non Vulcano sed Moriâ obstetricante, armata prodit. Quam sæpe in nugis solliciti sunt ἐφρενόεντες illi Sophistæ! qui sibi fronte suâ Philosophiam tanquam Atlas cœlum sustinere videntur. Quantâ contentione in hoc stadio curritur! dumque metam tetigisse credimur, pro pacis olivâ Eridos pomum invenimus. Quæ non χρυσοφαγίας & [illegible] addiscendæ? quæ non opiniones, ut ἄνυδροι quædam νεφέλαι imbibendæ? quæ perplexæ & inutiles tricæ bonam mentem sæpe ita detinent, ut per illa impedimenta ab altioribus retracta subsistat, & velut languida illa capella apud Bucolicum,

Spem gregis ah! silice in nudâ connixa relinquat.

aut, uti agricola ille, *opere in medio defixa aratra.* Tales, ut καλλιππίδης, licet indesinenter moveant, nihil promovent. Hinc plurimi non studio artium, sed partium abrepti, in scientiæ suæ Larario vel uni Aristoteli, Platoni, Epicuro, aliisque aram consecrant; aut, ne à vulgo abeant, caput submittunt belluæ multorum capitum. Alii sectantur magis ea, quæ ad lusum sunt, quam quæ ad usum. Alii in veteri viâ novam semitam quærunt (ut ait Hieronymus) & in antiquâ detritaque materiâ rudem artis excogitant elegantiam. Alii aliter sapiunt; unus ait, alter negat, alter deliberandum censet: singuli denique ad mare se viam quærere putant suo fluvio. Sed hi Philosophiæ non tam imputandi sunt errores, quam Philosophis. Illa sancta est, æterna, sibi constans & certa: at hi, uti homines sunt, feruntur, quò illos opinionum aura trahit. Inde est, quod sæpe *barbarus has segetes:* Inde inter nitentia culta,

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Duplici enim ratione hîc peccatur: nam aut in ingenium malum incidit, Philosophia, vel in eum potius, qui ingenio bono malè utitur, unde in venenum cedit illi, quod aliis in alimentum; aut in eos, qui ob mentis imbecillitatem pravos errores pariunt. Profert hæc Ægyptus noxia multa, & multa salubria medicamenta, habet hæc Attica, ut mel optimum, ita & cicutam lethalem. At profecto inepti sunt, qui propter hos errores, & sæpe,

Unius ob noxam furiasque Ajacis Oilei

totam

totam Philosophiam eliminant, cujus adyta ipsi ne à limine quidem salutârunt. Malè quidem ii juventuti consultum eunt, quibus custodibus,

Et succus pecori & lac subducitur agnis.

Qui quandoquidem auribus duci ab Herculis Ogmii catenâ nolunt, naso suspensi, instar ferarum, in rectæ rationis gyrum trahendi sunt. Scalas illi subtrahunt, quibus in Theologiæ arcem ascendimus. Stadium tollunt, in quo currendum ad cœlestem illam metam. Et quid aliud sunt disciplinæ, quam præparatio quædam Evangelica, ut doctissimè quindecim libris demonstravit Eusebius? Totam illam Philosophiam luculento compendio nobis descripsit maximus Theologus Paulus: (a) Τὰ ἀόρατα (inquit) αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Ecce paucis verbis dictum, quod tricubitales illi veterum Philosophorum & Scholasticorum inculcant commentarii; qui tamen ab illo rerum nexu, quem hic Paulus præscribit & qui totius Philosophiæ fundamentum est, discesserunt sæpius; & dum discesserunt sibi relicti ἐμωράνθησαν καὶ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Non aberrat à viâ, qui hanc sequitur semitam. Et quid agit aliud vulgaris ille nostra Philosophia, quam quod ab inferioribus illis, quæ sensui objiciuntur, ablactet ad illa ἀόρατα per ἀφαιρέσεις suas, seu universales rerum ideas, quas mente concipit. Nolo hic veterum Philosophorum eam in rem præclaras congerere sententias, qui uno ore ferè hoc loquuntur omnes. Eò Pythagoræ quoque Philosophia dirigebatur, qui ejus finem statuebat τοῦ ἑνὸς θεωρητικὸν, ut à multis mentem ad unum illud ἀόρατον abstrahamus. (b) Hanc unam aliquam & veram esse Philosophiam necesse est, quæ ad æternæ Unitatis intuitum informatur. Inspice faciem naturæ, seriem rerum perpende, ordinem temporum computa; & objicietur Tibi perfectissima istius Philosophiæ Paullinæ idea, quæ ἀναπολογήτους reddet etiam Ethnicos. Omnia secula fuerunt specula, quæ illustris veritatis divinæ exhibuêrunt spectacula & argumenta, quæ nullâ arte, nullo Marte declinari possunt: quamvis sæpe frontibus adversis contra illos pugnent Sophistæ, qui dum ultra istos terminos sapere volunt, plerumque desipiunt, aut cum ratione insaniunt;

—— οὐ γὰρ οὐδ᾽ ἀζήμιον
Γνώμην μὲν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφήν.

Illi jam altercationibus & rixis philosophiam omnem metiuntur, quique

Valent

(a) *Epist. ad Rom. 1. 20.* (b) *Multa apud veteres Philosophos de Unitatis mysterio & de conversione omnium rerum ad unitatem: V. Bungum de Mysteriis Numerorum. cap. de Unitate p. 16. Meurs. in Denar. Pyth. cap. 2. Lips. in Manud. ad Stoic. Phil. lib. 2. dissert. 22.* *Euripides.*

Valentinus vel Vincentius ex hac pugnâ discesserit, de Veritate gloriabitur, quæ tamen longè interdum ab illis fugit. At tu, o bona mens,

Quid facias illi? jubeas miserum esse libenter
Quatenus id facit.

& tibi serva quæ apud Boëtium sunt: (a) *Stultorum* (id est δοξοσόφων) *numerosus est exercitus, spernendus tamen est, quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temerè ac passim lymphante raptatur. Qui si quando contra nos aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit; Illi vero circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur. At nos desuper irridemus vilissima rerum quæque rapientes, securi totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti, quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit.* Pereat omnis Philosophia, quæ ad cœlestem veritatem oculos non intendit. Quid enim juvat Grammaticum, qui circa ἔπεα πτερόεντα & sermonem rite ordinandum versatur, si perpetuos in vitâ solœcismos admittat? Quid Logicum variis Syllogismorum formis argutari, si Diaboli sophismata non evitat? Balbutiat quædam de separatis mentibus Metaphysica: Theologia fruitur illarum consortio. Quid mihi Physicorum formæ, quæ plerumque in fumos abeunt, & in ipso aspectu exstinguuntur ut Meteora? Quid Generatio? nisi Theologi nos doceant regenerationem. Frustra numerat Arithmeticus tot numerorum myriades, si Unum illum nescit & eundem Trinum. Frustra metimur terras, cœlum, maria, nisi noscamus illum quoque, qui est immensus, & qui omnia metitur se ipso. Theologia oculos attollit ad Φῶς illud θαυμαστὸν τοῦ Πατρὸς τῶν Φώτων: At Optici μυωπίζοντες vix ejus stricturas tolerant, dumque de Lucis verâ ὕλῃ disputant, Theologi illam sentiunt. Vani sumus Musici, nisi & corda nostra temperemus ad cœlestes illas chordas, & fides nostra exultet ex concentu talium fidium. Quid agat Politicus, nisi ad πολίτευμα suum in cœlis respiciat? Quam de summo Bono diserti sumus! de quo Varro apud Augustinum CCLXXXVIII. discrepantes enarrat sententias? Theologi non nisi unum nôrunt, quod si Tu ignoras, Philosophe, summo tuo bono summè eris miser; & si tum abis illuc, unde negant redire quenquam, quam palpitabis ut Adriani illa animula nudula, vagula! Forte etiam hìc se Stoicus Sapiens efferet:

οὐχ' ὀρθῶς ὄνομα κἀγὼ καλέεσθαι μέγας τε?

Jam enim se solum Regem, pulchrum, divitem, beatum, nobilem, imo (quod impium) Deo parem dicet; se non opinari, ignorare, fallere, mentiri, peccare jactabit. At ô boni, quam bellè vobis festivi videmini, & vos amatis sine rivali! Theologia nostra ita γαυριᾶν & ampullari nescit, sed titulos fortassis etiam his majores inveniet. Dubitatis de omnibus Sce-

puci:

(a) *de Consol. Phil. lib. 1. prof. 3.*

ptici: at de multis dubitare vetant Theologi. Vos Peripatetici utramque nunc paginam facitis: at multa expungunt Theologi. Peripatetici nunc omnes ſumus: Poſtquam enim Scholas & Academias habemus Peripateticas, ipſam quoque Terram Aſtronomi nobis fecerunt Peripateticam. Juriſconſulti quoque voluntatem hominis usque ad mortem dicunt eſſe ambulatoriam, id eſt Peripateticam. At conſtantes requirit Theologia, non Peripateticos. Si tamen erunt, ſint tales Chriſtiani Peripatetici; quales nobis deſcribit Paulus: qui non ut Circulatores & noctivagi, ſed ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατῶσι. Πολλοὶ περιπατοῦσι, quorum finis eſt exitium. Beatus eſt, qui vigilat & ſervat veſtimenta: ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ. Cautè ambulandum in viâ veritatis, ne noceat Peripateticus ille Dæmon, ὃς περιπατεῖ ὡς λέων ὠρυόμενος.

Magnum profectò eſt, liberum è Philoſophia animum in Theologiam inferre; nullis erroribus obnoxium, nullis ſordibus contaminatum. Multæ Scyllæ & Charybdes præternavigandæ, antequam ad beatas illas accedamus inſulas. Tu, KORTHOLTI, illos vortices feliciter ſuperaſti; poſtquam illos certâ percontatus es bolide: & nunc illuſtre exemplum daturus es illis, qui te illo ordine ſequuntur, ſi aſſequi poſſunt longo præeuntem intervallo. Te per vaſtiſſimam omnium diſciplinarum Sphæram, quaſi illi ceu primo cuidam mobili infixus fuiſſes, â primâ juventute, plus quam igneo ingenio volvi atque revolvi vidimus: ſicut Solem duodecim manſiones percurrentem εἰς ἑαυτὸν διαυλοδρομεῖν videmus miramurque. Dotes in Te omnes ſplendent, ut in iride colores; quarum ego nunc laudes, ne amicitiæ noſtræ quid dare videar, ſi illas titulis ſuis ornem, quæ tamen omnes ferè titulos excedunt: aut ne injurius in illas ſim, ſi illas culpâ ingenii deteram, conſultò prætereo. Ab imis ad ſumma pedetentim aſcendiſti; Uti enim in hoc Naturæ utero (quæ Ariſtotelis ſententia eſt) prius vitam plantæ vivimus, deinde animalis, & tum demum hominis: ita certis quibusdam gradibus in ſolidam ſapientiam ſuccreſcimus. Nam longè ab illorum more aberas, qui nunc illud ſcientiarum Capitolium non aſcendunt, ſed irruunt; quique, ut ſciuri inter ramos diverſarum arborum ſaltitant, aut ut in detonſo gramine cicadæ, jam huc feruntur, jam illuc nusquam certi hoſpites. Si quæ impedimenta obſtiterunt, (ſolent enim â bona mente illa nunquam abeſſe), ſuperaſti; ſi fortunæ quidam nimbi impenderunt, evitaſti: ſi Empæctarum quorundam χλευασμοὶ te exercuerunt, aut concoxiſti ſtomacho Chriſtiano; aut diſſipaſti, ut Sol meridianus nebulas. Satis Tibi cognitum eſt illud hominum genus, quod Satyricus Nigrum vocat: Familiare enim hoc præclaris ingeniis eſt, ut malevolorum invidiam paſcant, & regium prope invidiam cum mereri poſſe tum pati. Mordeant illi

ſerpentes! (a) *innoxii demum illorum dentes ſunt, cum illos frequens morſus exhauſit.*

Quare prodi nunc in hoc famæ theatrum, & illud jam diu meritum brabeum cape, aſcende in hanc cathedram, ceu ſolium aliquod regium,

— *illâ regnabis in aulâ*

Veritatis hoc tribunal ſit, non iniquitatis. Hic murus, quamvis ligneus, contra Hæreticorum inſultus tamen eſto aheneus. Hac in ſpeculâ locatus, nil niſi ſublime cogita, oculosque ab omni parte circumagita. Pugnabis tamen ex hoc propugnaculo tutus horum librorum præſidio, quos explicari tibi vides. Accipe ſacros hos Pandectas, præcipuum Cœleſtis Imperatoris diploma, Faſtos θεοπνεύστους, illos æternæ veritatis teſtes, qui ignem in ore circumferunt, & quorum autoritate tu nunc inter Proteſtantes eris. Aperiuntur hi libri tibi, ut diſcas. Quantum beneficium! Quam multi enim ſunt, qui vitam libris impendunt, & hunc vitæ librum vel ignorant, vel non capiunt, vel reſpuunt? Clauduntur, ut ſcias & doceas, fiasque ipſe horum librorum receptaculum & Bibliotheca ambulans. Hic Atlas, qui cœlum vertice ſuſtinet. Hi duo libri, duo ſunt montes: ut Pelion & Oſſa, ſibi impoſiti, quibus in cœlum ſcandimus, ſed ſine θεομαχίᾳ. Turris illa Davidica eſt, usque in cœlum educta, tu vide, ne illa cedat in Babyloniçam, quæ linguas hominum & mentes in diverſa ſcindat. Pellibus exiguis arctantur hi libri, quos non cœlum & terra ambitu ſuo comprehendunt. Solebant veteres Chriſtiani manus lavare, cum librum hunc tangerent; at Chryſoſtomus (b) etiam mentem lotam poſtulat. Gentiles quoque ſolebant libros ſacros non niſi luſtratis pedibus, oculis, manibus & auribus attingere, uti Plutarchus autor eſt; (c) Tales & te habere convenit: perpurgatos enim ſenſus & carnis ſordibus non inquinatos verba illa volunt. Childebertus Rex libros hos auro & gemmis pretioſis ornavit: (d) Sed ne tu inferas aurum in aurifodinam, gemmas in ipſam divitiarum abyſſum, in quâ velut in quâdam conchâ recondita latet illa Regni Cœlorum Margarita. Legis verba apud Judæos in pelle animalis immundi exarare nefas; Librum autem non tangebant niſi ſindone purâ involutum: (e) Ita Cordi puro verba hæc inſcribe, mente candidâ involve. Non tu ſolum tange hunc librum, non oſculum tantum infige, (f) non ſub culcitra repone, ut Homeri ſcripta Alexan-

(a) *Senec. lib. 1. de irâ c. 18.* (b) *Hom. 7. ad populum Antioch n.* (c) *Orat. 2. de eſu carnium.* Ἀλλὰ καὶ νῦν ἴσως ἁμαρτάνομεν, ὅτι ἁψώμεθα τῶν βιβλίων τούτων, μὴ καθαιρόμενοι χεῖρας, καὶ ὄψεις, καὶ πόδας καὶ ἀκοάς. (d) *Refert id de Childeberto Gregorius Turonenſis lib. 3. Hiſt. Francor. c. 10.* de aliis *Anaſtaſius in Vitâ Gregor. III. & in Vitâ Leon. III.* (e) *Vide de his ritibus Novar. Sched. ſacro proph. l. 2. c. 2.* (f) *Ritus Hebræorum & Moſcovitarum.*

lexander, & Sophronis Poëmata Plato; (a) sed (quod ad Johannem ait Angelus in Apocalypsi) *Accipe, & devora librum, quia oportet te iterum prophetare coram populis & gentibus*, in succum & sanguinem converte: liber ille vitæ est, in illo cibus & lignum vitæ. Appendebant collo, (b) capiti admovebant ad leniendum morbum, (c) circa pectus gestabant, solebant ad reprimendos libidinis ignes circumferre: (d) Tu potius, si cupidine pectus fervet, in animum admitte

Hæc verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi depellere partem.

Ad lectum suspendebant contra nocturnas Dæmonum insidias: (e) Tu si intellectu capis, nil contra te Dæmonis astutia valebit. Poloni ad prælectionem hujus libri gladium stringebant, quo se Evangelii propugnatores ostenderent. (f) At hæc ipsa tibi arma sunt, pugio fidei, clypeus, *μάχαιρα τοῦ πνεύματος*. (g) Abis ergo ad prælium; Atque ne nudum ostendas caput, cape hunc pileum, qui & militibus dabatur apud veteres: (h) nec obtinebit adversus Te hostilis exercitus, etiamsi illum tegat Orci galea. Non imponimus Tibi coronam istam triplicem: Multiplicari enim Papas vetant Theologi, quemadmodum τὰ ὄντα Philosophi; satis enim ab uno turbarum in Ecclesiâ est. Memento Libertatis signum esse Pileum, non Licentiæ, quam triplicem faciebat Tertullianus: Hæreticam, Pictoriam & Poeticam. Priscum illud fuit Regum, Sacerdotum, Pontificum creandorum apud omnes gentes symbolum, sed formis variatum. Hinc Tiaras, Cidaris, mitra, Diadema, & alia exstantis nobilitatis argumenta. (i) Habe & Tu pileum

(a) *Coel. Rhodig. Antiq. Lect. lib. 7. c. 1.* (b) Chrysost. hom. 19. ad Popul. *Non cernis, ut mulieres & parvi pueri pro magnâ custodia collo Evangelia suspendunt & ubique circumferunt, quocunque abierint? Tu Evangelii mandata & leges mente describas.* De eodem more *Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 150. ep. 7.* (c) August. tract. 7. in Johann. *Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput tibi posueris.* Post pauca: *Ponatur ad cor, sanetur ut cor.* (d) *Pet. de Natalibus lib. 1. c. 8.* (e) *Chrysostom. homil. 43. in epist. 1. ad Corinth. ad calcem.* (f) *Refert Gvagninus in Vitis Regum Polonorum.* (g) *Ephes. 6. 17.* (h) *Vide Pier. Hierogl. l. 40.* (i) *Nobilitatis insigne Pileus. Hinc Ulyssem Pileatum formari putat Pier. lib. 11. Hierogl. & imago Castoris & Pollucis pileata conspicitur. Unde Pileatos fratres* Catullus *vocat. Illorum imaginem exhibet* Chartarius in tractatu de Imaginibus Deorum *& ostendit quoque numisma quoddam Locrensium apud* Golzium. *In Ulysse autem nobilitatis caussam dubiam facit* Barth. Adverss. lib. 8. c. 6. *qui propter versutias ejus pileum illi datum esse vult, quod tamen ille non nisi* ex

um hunc excellentiæ & nobilitatis tuæ indicem. Quemadmodum autem ille non turbinatus, sed planus: ita & animum in summâ dignitate depressum ut habeas, monet. Quemadmodum non alatus; (non enim Mercurii galerus est) ita te non extolle Dædaleis eruditionis tuæ alis, sed fidei & charitatis; & *dabit tibi Deus pennas columbæ, & volabis, & requiesces.* Peregrinator es, petasum hunc habe, qui pluvias & procellas arceat, â solstitio solis istius Romani defendat: nosti enim Astronomiam Pontificiam, quæ Pontificem Solem constituit: id est, inter errantia sidera præcipuum. Facundos reddere credebatur Pileus Infantis Naturalis, si quis illum gestaret, ut & ad silentium redigeret alios: (a) Παῤῥησίας conciliat & hic Tibi, ut in pudorem & silentium à Te conjiciantur, qui divinam veritatem audent convellere. Adoptionis ritus mitræ impositione olim peragebatur: (b) Adoptat quoque Te hujus impositione Theologia. Rotundus est & in circulum abit hic pileus; quæ uti figura perfecta est, nullo sinu impressa, nullo angulo excedens: ita te quoque teretem & rotundum vult, qualem Virum Bonum describit Horatius. Idem poterat indicare annulus, quem in digito tuo coruscare cernimus. De auro est, quod non dividit contundentis malleus, sed dilatat: Ita te adversæ fortunæ malleus. Varia materies sumus Cœlestis illius Fabri: si aurum, fortius ictus cedendo recipimus, & ad ignis, ceu calamitatis experimentum perduramus: si lignum fructuosum plantat ille, rigat; si sterile, exscindit à radice: si lutum, mitius tamen in illud jus suum exercet figulus ille Παντοκράτωρ. Rotundus Annulus iste est, non anfractibus tortuosus, aut spiris serpentinis implicitus, sed æqualis, Dei, Æternitatis & temporis in veteri Philosophiâ Hierogly-

ex conjecturis asserit. *Palliatus eam ob causam Ulysses creditur* Donato Proleg. in Terent. Voss. de eo *disquirit* Instit Poët. lib. 2. c. 16. §. 13. *sed in medio relinquit.* *De Pileorum apparatu, formis & Symbolis multa* Salmas. in Solin. p. 555. &c. Pierius ll. cc. Notæ in Panciroll. tit. 44. part. 1. *Diademata varia fuerunt.* V. Barth. Adverss. lib. 8. c. 1. *Diadematis, quod Honorius gesserat, effigiem habet* idem Comment. in Claud. 111. Cons. Honor. *In aulâ Constantinopolitanâ Imperator cæterique consiliarii & ministri pileorum formis distinguebantur, quas describit Codinus in libro de offic. aulæ Constantinopolitanæ passim. Icones exhibet Gretserus in commentario. De Pontificum & Sacerdotum pileis vide* Selden. de Successs. in Pontific. I. C. Bulenger. de Vestitu Pontific. & Episc. lib. 1.

(a) *Vide Salmas. in Lampr. Diadum. & Bulenger. adversus Magos lib. 2. c. 16.*
(b) Vid. Ludov. de La Cerda Adverss. sacr. c. 173. §. 9.

glyphica imago. (a) Omnia hæc Tibi in mentem revocat iſte annulus. Circulos Tu illos, ut mobile aliquod primum, ſequere, aut parallelos tibi forma, qui æternum illud agnoſcant centrum: Voluntatis tamen tuæ hic ne tibi finge Eccentricos & Epicyclos. Sphærica illa figura eſt, quæ, quia planum ſubjectum tantum in puncto tangit, celerrimè movetur; ita in puncto tantum tangenda tibi eſt terræ hujus planities: cujus puncti, quoniam docentibus Mathematicis, quantitas nulla eſt, in terrâ defixus non hærebis, ſed curſum ad cœleſtia celerem conficies. Nulla ſolennia abque annuli interventu aguntur, firmantur pacta, creantur Imperatores, conſtituuntur Epiſcopi, firmantur connubia: (b) Agedum ergo accipe & Tu hunc annulum pronubum, dum Theologia ſe Tibi

Connubio junxit ſtabili propriamque dicavit.

Hos amores ſuos, ut certiores ſint, etiam firmat Oſculo: Uti enim Pileus libertatis, Annulus Dignitatis: ita hoc Charitatis inſigne eſt. Animæ inſpirando vel infundendo creantur: Tu Doctor crearis oſculando. Qui igitur ſpiraculum vitæ inflavit Adamo & Spiritum Sanctum Apoſtolis, animet & Te Spiritu conſilii ſui. Ad prælium ituris oſcula dabantur, dantur & Tibi contra Eccleſiæ perduelles militaturo. Ori tuo illud infigitur, ut aperiatur os tuum, & fias ἀνὴρ λόγιος, qualis Apollos laudatur, (c) cujus halitu παροξύνεται τὸ πνεῦμα σου, uti Paulo contra Philoſophos Gentiles diſputaturo. (d) Pedes oſculentur illi, qui Pontifici ſunt à pedibus. Faces Tibi quoqueve præferri vides; quæ & Imperatori in bellum ituro præferebantur, & inter nuptialia erant ſymbola: Utraque ratione tibi apta. Sacer ignis eſt, ad quem ranæ ſilent, fugantur Lupi, & qui illuſtres gloriæ faces Tibi ſuccendit.

Hæc Tibi quidem Signa & Symbola confert Academia, quæ ex veterum Hebræorum Scholis creduntur eſſe petita. (e) At fruſtra hæc omnia: niſi Tu ipſe Tibi ſignum eſſes optimum. Tu quidem nunc Academico apparatu inſignis incedis; ſed quorſum ille, ſi à Te accederes imparatus,

Q 3 (neque

(a) Vide Pier. Hierogl. lib. 39. *Hebræi Dei nomen ineffabile depicturi circulo tres Jod includunt.* Vide Kircher. in Prodromo Copto. c. 8. Aloyſ. Novarin. Sacror. Elector. l. 2. c. 27. tom. 1. Lipſ. Phyſiol. Stoic. lib. 1. diſſ. 8. & lib. 2. diſſ. 10. Johann. Baptiſtam Perſonam in noct. ſolitar. ad Odyſſ. lib. 6. v. 41. Colloq. 23. & 25. *Hinc ille Draco Circularis, quem Claudianus graphicè deſcribit* l. 2. de laud. Stilic. *Hinc Rota Deorum, Inferorum Hominum.* V. Pier. libro citato. (b) *Vide Fortun. Licet. & Kirchm. de Annulis.* (c) *Act. 18. 24.* (d) *Act. 17. 16.* (e) *V. Alting. Hiſtor. Promot. Academic. in pop. Hebræor.*

(neque enim hic valet vulgi illud αἵματα ἀνὴρ) & nisi virtus & eruditio tua omnes apices, titulos & prætextas transcenderet? Abis in hæc feracissima Metamorphoseon secula, in quibus, quid sperandum Tibi sit, facile vides. Per tubas, tonitrua, phialas & belluarum cornua ad cœlestem Hierusalem tendimus. Tribuat Tibi DEUS πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, detque ut habeas πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς διανοίας. Armet ille Te suo robore, ut feliciter pugnes contra Hydræ succrescentia capita. Detrahe simulatoribus illis larvam, qui Christum potius fictum vel pictum in Christophori dorso habent, quam præsentem in pectore, illis pro abdomine & Belo suo pugnantibus sacrificulis; & illis, qui postquam à cultu imaginum abiêrunt, cultum imaginationum sunt amplexi. Tu tantum memento ἀναζωπυρεῖν τὸ τοῦ θεοῦ χαρίσματα tam largâ manu in Te collata: Te enim eximium decus suum agnoscit Academia, cujus spem, quam de Te concepit, non ales, sed satiabis. Sed quid de Academiâ dico, cui vix sui ipsius spes amplius relicta est? de quâ dicere licet, quod de Urbe quâdam Anonymus Epigrammatista (a)

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν.
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφέρομεν.

Tu, quantum in te est, salutares manus adhibe, & vive divinæ gloriæ & Reipublicæ. Quam felix eris, quem Dominus sic facientem, cum venerit, invenerit! Tandem ad cœlestia subsellia candidatum Te evocabit, fulgidissimâque corona pro hoc pileo ornatus inter Agni oscula, æterna capies brabêa, & summus ille judex mittet Te in bonorum possessionem, quæ nec oculus vidit, nec sensus ulli perceperunt. FIAT, & ita fieri jubeat, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος.

(a) *Anth. l. 1. c. 90.*

PRIN-

PRINCEPS MEDICUS

Resp.

Reimaro Nicol. Stapeln, Lub. publ.

disqu. exhib.

Rostoch. 3. Maij, 1665.

IN esse aliquid divini Majestati, omnes fere gentes crediderunt, & si quæ Principium actiones præclaræ admirabili eventu comprobatæ fuerunt, plerumque ceu θεία χειραγωγία perfectas venerati sunt olim, & nunc quoque suspiciunt, qui circumspectis oculis arcana tantæ Philosophiæ rimantur. Hinc est illa veteribus Historicis toties notata in Principibus θεία ἐνέργεια. Hinc M. Tullius pluribus locis *regale nomen magnum & sanctum* prædicat, & præclarè Themistius in Oratione ad Constantin. in sententiam illam disserit: ὅτι πανταχοῦ τοῖς ἔργοις τῶν βασιλέως τὰ σύμβολα ἐπίκειται ἐκφανῆ τὰ ἐκ τῆς οὐρανοῦ προμηθείας: *Quod nimirum in regis actionibus manifesta providentia cœlestis signa appareant.* Multa certe Principium admiranda, & humanis actionibus majora, non ab aliis quam istis principiis arcessi debent. Inter quæ non immerito plurimis numeranda videtur mirabilis illa strumarum & aliorum morborum curatio, quæ instituitur à Regibus Galliæ & Angliæ. Cujus Historiam & quicquid amplius rei vel politicæ vel physicæ eo spectat, si Dissertatione quâdam deducamus, operæ forte pretium facturi videamur: cum nec in vulgus illa adeo nota sit, multaque prærerea contineat scitu nec inutilia, nec injucunda. Sistimus ergo nunc PRINCIPEM MEDICUM, sed MIRABILEM: Neque enim, si rei veritas sibi satis constat, εἰκὼν τοῦ θεοῦ in Principe aliâ magis δυνάμει elucescere poterat, quam quâ ipse noster summus Σωτὴρ orbi fuit admirabilis: ut sic Reges, qui saluti non solum Reipublicæ & animorum, sed & corporum præsunt, verè habeamus Populi Ἀρχιατρούς.

Historiam curationis memoriæ tradidere Rerum Gallicarum Scriptores benè multi. Singulari libello *de mirabili strumas sanandi vi, solis Galliæ Regibus divinitus concessâ*, rem omnem persequitur Andreas Laurentius, Consiliarius & Medicus Regis Galliæ primarius, testis, uti videri vult, αὐτόπτης:

sed

ſed qui plurima è longinquo petita & ad rem non facientia admiſcet. Ipſius ſolennitatis narratio quam habet lib. 1. c. 2. præ aliis fidem merebitur: verum cum ad manus liber iſte nunc non ſit, quæ ex eodem Autore congeſſit Limnæus in Notitiâ Franciæ lib. 2. c. 5. nobis adducentur: *Hodie,* inquit, *ut partim ipſe aliquoties vidi & obſervavi, partim percepi, res ita geritur. Ordinariè actum ſtrumoſos ſanandi* Rex *quater in anno feſtis celebrioribus ut Paſchatis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum & Nativitatis Domini expedire ſolet. Pridie actus precibus veſpertinis, ut & quandoque matutinis in Eccleſiâ vacat: poſterâ luce, Confeſſione peccatorum factâ, celebrationi miſſæ intereſt, & ſacrâ ſe munit Cœnâ, quo propitius numen habeat. Interea ſtrumis laborantes quotquot numero ſunt, poſtquam ab Archiatro Regio ejuſque Collegis, ut & Chirurgis aulicis diligenter examinati, quo morbo infecti ſint, ſub dio, quod Turonibus, ſive in ambulacro quodam ſpacioſo, ut Pariſiis in Lupara* en la grande gallerie *vidi, conveniunt, ibiq; ab illis, quorum muneris hoc eſt, ita collocantur. Ut primum locum teneant Hiſpani, hos ſequantur alii exteri, & ultimi ſint Galli. In duplicem etiam lineam ut plurimùm diſparantur, quarum una à dextris, altera à ſiniſtris; tanto inter utramque ſpatio relicto, ut ad minimum tres quatuorve perſonæ uno ordine ſine impedimento incedere poſſint. Ubi tempus adventus Regis appropinquat, procumbentes in genua, eum præſtolantur. Interea exacta fit inveſtigatio, an cuiquam eorum culter ſit, forfex, vel aliud quidpiam, quo lædere Regem poſſit, & quicquid hujus generis eſt, removetur. Ad ingreſſum Regis junctas manus more ſupplicum elevant morboſi, præcedunt prætoriani milites, officiarii Aulici, nec non Sceptrogeruli: Sequitur Rex nudo capite, devotè orantem geſtibus repræſentans. Medici Regii à tergo ægrorum ſunt, quorum capita ſtringentes uniuſcujuſque Regi tranſeunti quaſi offerunt. Hic extenſo pauliſper brachio dextro manu perfunctoriè vel leviter tangit decuſſatim faciem oblatam & addit verba.* Le Roy te touche, Dieu te guariſſe. Rex te tangit, Deus te ſanet. *Hæc Ceremonia eademque verba reiterantur ad ſingulos Inſequentes autem Eleemoſynarii, unicuique horum, quos tetigit Rex, vel loco viatici, vel in rei geſtæ memoriam aliquantum pecuniæ tradunt.* Volui pluſcula hæc deſcribere alienis potius verbis, quam meis, ut fides rei ſit manifeſtior. De effectu curationis variè ſentiunt ipſi Galli. Andreas Laurentius, cui ipſa ſtrumoſos examinandi provincia demandata fuit, ſuo quoque teſtimonio rem confirmat: *lib. 1. c. 1. Veniunt,* inquit, *ſingulis annis plusquam* 1500 *homines ex Hiſpaniâ remedium ſanitatis precibus & gemitu expoſcentes. Vidi ego infinitos glandularum tumoribus prægnantes ulceribus ſordidis ſqualentes, diverſæ ætatis, habitus, temperamenti, ſexus, variarum regionum & nationum, diverſis anni temporibus à Rege Chriſtianiſſimo, citra ullam opem medicam, perfectè ſanatos.* Adde huic quoque Guidonem in Chirurg. magn. tract. 2. doctr. 2. 5. & Joh. Tagaut. lib. 1. Inſt. Chirurgic. Sed alii, & vel ipſi Galli ſecus ſentiunt. De quo in ſequentibus plu-

ra.

ra. De Laurentii Libro Gutierrius in Lib. de Fascino Dub. 7. n. 12. judicat, quod eo in opere non parum adulationis involvi videatur: nec probat ambitionem Tituli, qui solis Galliæ Regibus eam potentiam tribuat, à qua alii Reges excludi non debeant. Valdesius de dignitate Regum Hispaniæ ex Beutero eandem Regibus Hispaniarum curandi gratiam concessam esse asserit. Sed illa dicuntur tantum, nec solido documento probantur. Eandem comitibus Habspurgensibus tribuit Felix Faber Hist. Svevor. lib. 1. c. 15. *Legimus*, inquit, *in Chronicis Comitum de Habspurg quod tantum donum gratis datum habeant, ut quicunque strumosus aut gutture globosus de manu alicujus Comitis de Habspurg potum acceperit, mox sanum, aptum & gracile guttur reportarit. Quod sæpe visum est in valle Albrechtsthal, in Alsatia superiori, in quâ sunt homines strumosi naturaliter, qui passim prædicto modo sanabantur, dum vallis adhuc esset illorum Comitum vel Austriæ Ducum.* Sed nec isti relationi multum fidei tribuit Camerarius Horis subcisiv. cent. 3. cap. 42. cum apud alios, qui Habspurgicæ domus genealogias & res gestas accuratè scripsere, ejus nullum appareat vestigium. Quo titulo Angliæ Reges illud sibi charisma adscribant, non satis liquet. Polydor. Virgil. lib. 8. Hist. Anglicanæ, meritis D. Eduardi Regis adscribit, qui non strumas solùm sed & Epilepsiam, spasmum, & alios morbos curare potuerit. Refert quoque annulis benedictis in morbo comitiali usos esse. P. de Lancre de l'incredulitè & mescreance du sortilege traitte 3. n. 12. pag. 164. uti & Andreas Laurentius in tractatu citato non negant quidem, Eduardum morbos istos curare potuisse propter vitæ sanctitatem: nam & in Bullà canonisationis D. Eduardi, & in vitâ ejus conscriptâ ab Eilthedo legitur: D. Eduardum mulierem quandam strumosam persanasse. De Epilepsiâ verò curatâ ita sentiunt: quod annulis istis forte inesse potuerit, vel alcis ungula, vel radix pœoniæ, ut sic miraculo adscribendum non sit, quod ab actione naturali trahit originem. Idem P. de Lancre eodem in loco propter duas causas Regem Angliæ Jacobum strumosos tangere dicit, ut sibi conservet duos speciosos titulos: nempe Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, & Regis Franciæ: & morbosos se ad eum conferre magis spe eleemosynæ quam recipiendæ sanitatis. Sed illa potius cavilla esse videntur, quibus Galli, ægrè æmulos ferentes, incessere solent istos Regum Anglorum actus, quorum alterum æquè in Gallos retorqueri poterat. Accedit antipathia quædam duabus istis nationibus insita & innata, quæ facile abit in aliqua convicia. De Anglis Guilielmus Brito Philippeidos lib. 3 v. 267. *quòd naturaliter omnes Francigenas odio prosequantur.* Ad quem locum plura notavit Barthius in commentario, quæ huc facere possunt. Meminit Camerarius laudato supra loco, ex relatu fide dignorum hominum se accepisse: certa signa σύμφυτα, quæ strumarum ta-

ctu curationem indicare creduntur, Regibus Angliæ esse impressa, Leonem & Coronam, quibus alii addunt gladium. Quæ si ita se haberent, non spernenda essent veritatis argumenta. Edidit Elisabethâ imperante Gvilielmus quidam Tookerus Anglus singularem eâ de re librum cui inscriptio: *Charisma seu donum sanationis*, cujus non absque bile meminit Andreas Laurentius, quamvis librum nunquam viderit. Nec ego tam felix fui, ut ad manus meas deveniret iste Autor. Incidi tamen in Delrium, qui libr. 1. cap. 3. quæst. 4. Disq. Magic. summam ejus opusculi recenset, an fide bonâ agat, nescio: nam infensissimus illi est, & totam rem argumentis, quorum multa non nisi Pontificiæ religionis inanibus sententiis superstructa sunt, tentat evertere. Probare in eo libro conatur Tookerus (fidem Delrii secutus recito) etiam Elisabetham tum regnantem Charismate sanandarum strumarum fuisse præditam, & hoc donum Regibus Angliæ ab ipso usque Lucio competiisse: Reges Franciæ per quandam propaginem (quod impudenas assertum vocat Delrius) donum hoc ab Angliæ Regibus accepisse. In refutatione ejus Autoris perquam anxius & multus est Delrius. Probationes ejus elevat, obiicit enim: testes non satis multos, nec satis fide dignos adduci, Ceremoniarum sanctitatem, quam adeo extollit, & cui multa adscribit, suspectam sibi vederi, emplastra adhiberi, non omnibus, nec semper, sed quibusdam tantùm Reginam eam impertiri gratiam, magnam hominum partem isthoc beneficio curatam relabi in pristinum morbi statum, quæ indicio sint, non esse hoc charisma â Deo, cujus perfecta sunt opera; sed potius â Dæmone, qui nec planè sanat, nec perpetuò liberat: ita enim stultissimè argumentatur. Abit deinde in dissertationem (manu tamen ducente Tookero) de miraculis, multaque contra Ecclesiam Anglicanam movet, in quâ ut schismaticâ & hæreticâ â Capite ejus miracula peragi posse negat. Sed illa non magni momenti sunt, & vix attendenda, si alia Tookeri argumenta satis belle habeant, de quibus tamen pronunciare nihil audeo, cum ipse liber non sit ad manus, & ab aliorum, & adversariorum quidem, judicio hic pendere, Veritati vix sit consultum. Exerceri verò â Rege Angliæ hodienum istos actus, ipse in inauguratione Regis Caroli II. jam imperantis, his oculis meis vidi. Nec, cum Limnæo, loco superius laudato, histrioniam hic agi, persuaderi mihi temerè patiar.

Nec silentio præteriri hic debent, quæ in veteri Historia habentur curationum â Principibus institutarum exempla. Illustre imprimis est, quod de Vespasiano refert Tacitus Historiar. lib. 4. c. 81. quem locum cum planè nostri argumenti sit, adscribere non dubito. *Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula evenère, quis cœlestis favor & quædam in Vespasianum inclinatio Numinum osten-*

ostenderetur. Ex plebe Alexandrinâ quidam oculorum tabe notus genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo autore, ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari, atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci. Postremo æstimari à Medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humanâ superabiles forent. Medici variè disserere. Huic non exesam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: Illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, & divino ministerio principem electum: denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam ultrà incredibile, læto ipse vultu, erectâ quæ adstabat multitudine, jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuêre, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. Idem refert Sueton. in Vespasiano & Dio. Non absimile huic de Adriano refert Ælius Spartianus: *Adrianus ultimo vitæ tædio jam affectus, gladio se transfigi à servis jussit &c. Ei supervenit quædam mulier, quæ diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Adriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod cum non fecisset esse cæcatam: jussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque genua ejus oscularetur, receptura visum, si id fecisset. Quod cum insomnium implesset, oculos recepit, cum aquâ, quæ in fano erat, oculos abluisset. Venit & de Pannoniâ quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit: quo facto & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret.* Salmasius hic in commentario pro *natus cæcus* substituit *vetus cæcus*: fidem enim superare putat, quod natus cæcus oculos receperit: sed ea ratiò quidem nullius est momenti, quia seu natum seu veterem cæcum visum recepisse tactu solo, æque poterat videri incredibile, & oculos recepisse commodius dicatur naturâ cæcus, quam qui vitio accedente factus. De Pyrrho Rege refert Plin. Nat. Hist. lib. 7. c. 2. *Quorundam corpori partes nascuntur ad aliqua mirabiles. Sicut Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cujus tactu lienosis medebatur. Hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt.* Eadem Plutarchus in ejus vitâ memorat. Sed quid de his sentiendum sit, infrà disserendi locus erit. Nunc ad Regum Gallorum curationes regredimur, deque ortu & progressu illarum & Historiâ plenius sumus acturi, sine cujus notitiâ vix quidpiam certi eâ in re potest statui.

Plerique omnes oleo cœlitus misso, quo Clodoveus primus in Baptismo à S. Remigio Episcopo inunctus fuit, eam virtutem tribuunt. Solet

huc adferri D. Thomæ in opere de Regimine Principum ad Regem Cypri ſententia: *Sanitatis ſacræ unctionis argumentum*, inquit, *aſſumimus ex geſtis Francorum & B. Remigii ſuper Clodoveum Regem, ex relatione olei deſuper per columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus, & inunguntur poſteri, ſignis, portentis & variis curis apparentibus in eis ex unctione prædicta*: Verum Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis hunc fœtum D. Thomæ minimè genuinum multis argumentis probat, ut ſic ejus fruſtra hic allegetur autoritas. Sed plenior hujus Olei cognitio pro inſtituti noſtri ratione habenda eſt, neque ſi ab ipſis primordiis deducamus, oleum & operam perdere videbimur. Inter omnes primus rem illam tradidit Hincmarus Epiſcopus Remenſis, ſilentibus illis, qui Clodoveo æquales fuerunt, Hiſtoricis. Ita vero ille in vitâ S. Remigii, quæ exſtat apud Surium: *Cum verò perveniſſent ad Baptiſterium, Clericus qui chriſma ferebat, à populo eſt interceptus, ut ad fontem venire nequiverit. Sanctificato autem fonte nutu divino chriſma defuit. Et quia propter populi preſſuram ulli non patebat ingreſſus vel egreſſus Eccleſiæ, ſanctus Pontifex oculis & manibus protenſis ad cœlum cœpit tacitè orare cum lacbrymis. Et ecce ſubitò COLUMBA nive candidior attulit in roſtro AMPULLAM chriſmate ſancto repletam, cujus odore mirifico ſuper omnes odores, quos ante in Baptiſmo ſenſerant, omnes qui aderant, ineſtimabili ſuavitate repleti ſunt. Accipiente autem S. Pontifice ipſam Ampullam, ſpecies columbæ diſparuit, de quo Chriſmate fudit venerandus Epiſcopus in fontem ſacratum. Viſo autem Rex tanto miraculo, abnegatis Diaboli pompis & operibus ejus, petiit ſe à S. Pontifice baptizari &c.* Iſta Hincmarus, quantum ſcitur, primus memoriæ prodidit, inter quem & Clodoveum intercedunt 386. anni: Incidit enim Clodovei Regis baptiſmus in annum Chriſti 495. (496. vid. infra in Addend.) Hincmarus autem obiit anno Chriſti 882. Sed plurimis ſuſpecta viſa eſt ea narratio & vel ipſis Gallis, cum nemo Hiſtoricorum, qui Clodoveo vel σύγχρονοι ſunt, vel proximè eum ſequuntur, mentionem ejus faciat. Exſtat S. Aviti Epiſtola 41. (quæ reperitur apud Sirmondum ad annum 497.) ad ipſum Clodoveum Regem recens Chriſtianis initiatum ſacris gratulatoria, ſed in quâ nulla reperitur tam ſolennis miraculi memoria. Exſtat quoque ipſius S. Remigii Archiepiſcopi teſtamentum poſt Clodovei obitum conceptum, binis quidem diverſis exemplaribus, quorum unum primus edidit Flodoardus in Hiſt. Eccl. Remenſ. deinde Barnabas Briſſonius in Formulis, tum Aubertus Miræus in Codice piarum donationum: alterum produxit Chifletius in nova diſquiſitione de Ampullâ Remenſi c. 3. Prius illud teſtamentum corruptum eſſe luculenter ſatis probat Chifletius, quia verba adjecta ſunt, quæ confundunt unctionem Baptiſmi cum Regiâ, quæ tum non erat in uſu, planeque contra Hiſtoriam pugnant: neque enim in Regem ordinavit, S.

Remi-

Remigius, quod vult ille ἐμβολισμὸς, qui jam 15. annos imperio præfuerat. Sed nulla in istis pro ampullæ cœlestis veritate stabiliendâ argumenta, cum verosimile non sit, vel S. Avitum, vel Remigium omissurum fuisse, quod spectare poterat, vel ad DEI gloriam, vel ad Regum Franciæ commendationem. Legitur quoque apud Aimoinum Epitaphium Clodovei, quod à Remigio factum creditur: Verùm nec hîc, cum debuisset omninò, apparet ejus vestigium. Quod verò Balthasar de Vias in Sylvâ Regiâ p. 6. Epitaphium Clodovei allegat & ita habet: *(Hic est ille Illustrissimus Rex Ludovicus, qui & Clodoveus ante Baptismum est dictus, Francorum Rex V. sed verus Christianus, qui ab Anastasio Imperatore Consul & Augustus est creatus: Hunc B. Remigius baptizavit & in Baptismate ejus Angelus Ampullam Sacri Chrismatis detulit.)* non immeritò ineptum & fictum judicat Chifletius, cum tabulis ligneis inscriptum sit & male distincta nomina Clodovei & Ludovici, quæ sine discrimine, post baptizatum Clodoveum S. Remigius usurpavit. Pertinax itidem silentium est apud Gregorium Turonensem, accuratissimum rerum Gallicarum collectorem, qui justo post Clodovei Baptismum seculo, nimirum anno 695. è vivis excessit: nam in Historiâ Francorum lib. 2. c. 31. baptismum Clodovei accuratè satis describens ejus rei non meminit; cum tamen ejusdem libri c. 37. minora quædam miracula, quæ Clodoveo obtigerant, de cervâ viam per fluvium Vigennam ostendente, de Pharo ignis illi apparente, de muris Engolismæ ad Clodovei aspectum corruentibus notet; ut mirum sit ab eo vel ignoratum fuisse, vel silentio præteritum tam illustre miraculum. Dubiam certè Gallis ipsis facit sententiam: nam ipse Thuanus Præses Parisiensis lib. 109. ita judicat: *A multis de eo ambigitur, cum de illo ipse S. Remigius in suo testamento sileat; nec Gregorius Turonum præsul aliusque ex veteribus fide dignus autor mentionem faciat.* Scipio du Pleix historicus Regius: *Quod attinet ad sacram Ampullam: quæ hodie magnâ veneratione servatur in Ecclesiâ S. Remigii Remensis, Gregorius Turonensis Episcopus, qui sub filiis Clodovei in lucem editus est, nihil adfert de tanti momenti miraculo, quamvis ejus historia aliis absque numero miraculis sit instructa.* Accedit quod non satis constet sibi ipsa narratio, quæ propter variam relationem non minimam falsitatis suspicionem incurrit. Nam cum Hincmarus & Flodoardus lib. 1. Hist. Remens. c. 13. & Aimoinus in Historiâ Françor. lib. 1. c. 16. Ampullam â columbâ candidâ dicant delatam; alii, inter quos Guilielmus Brito, Philippeidos libr. 1. Angelum attulisse referunt; Cumque Hincmarus & alii dicant, Clericum, qui chrisma adferebat, â populo impeditum, ad fontem pervenire non potuisse; Brito fractam Ampullam & effusum liquorem narrat. Angelum cum columbâ ita conciliat Du Chesne des Antiquités de France tit. de pays de champagne chapitre 11. p. 376. ut Angelum apparuisse formâ columbæ dicat.

dicat. Sed mihi hîc in mentem Euripides, cujus elegans hoc & verum est verbum: Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ *Oratio veritatis simplex est*, quam ista narrationis ποικιλία valde reddit suspectam. Johannes Ferrandus Aniciensis in Epinicio pro Liliis impress. 1. p. 17. ad ejus rei probationem affert, Clodoveum in conversionis suæ & tanti miraculi memoriam Equites creasse, quos *Chevaliers de la sainte ampulle* nominari voluit. Sed nullum ejus assertionis idoneum producit testem, ut vix attendi ampullares illi equites mereantur. Atque hæc tot laudibus jactata ampulla est, de quâ Balthasar de Vias sylv. 2.

Quam cœli perfecit opus, cui Numina summam
Imposuêre manum, & miro ceromate plena
Fluxit, ut hoc tanto Reges sacrentur olivo.

Liquorem autem eâ contentum Autor Anonymus in Vindiciis Gallicis vocat: *Balsamum, quod non Arabia immisit, sed quod Cælum terris impluit, nec frutex aliquis stillantibus lacrymis sudavit: sed ipsa sidera quasi roscida effuderunt.* Ipsa ampulla parva est, ore angusta, ex vitro valde spisso, atque uti Chifletius cap. 13. ait, primoris coctionis, quod sublunarem potius materiam, quam cœlestem arguat, continens balsamum coloris rubicundi. Atque, ut addatur miraculum miraculo, Ampulla illa tempore inungendi Regis semper dicitur abundare oleo, cumque vitâ ejus decrescente decrescere. Hinc Rex Ludovicus XI. vitæ producendæ nimium quantum cupidus sanctam ampullam afferri sibi curavit, ut ex inspectione ejus vel vitæ terminum intelligeret vel oleo sacro delibutus sanitati restitueretur: Chassanæus tamen eo solum tempore apparere dicit, quo inaugurantur Reges Franciæ. Hujus verò incrementum & decrementum mirabile planè ab Historicis veteribus non est traditum, neque nexum aliquem cum priori illo miraculo habet. Cum enim oleum hoc primitus non ad inaugurandos Reges, sed ad inungendum in Baptismo Clodoveum cœlitus missum sit, neque successores Clodovei inuncti sint isto oleo, cum inaugurarentur, ante Pipinum, qui primus ungi cœpit, ut evidentibus argumentis demonstrat Alexander Patricius Armacanus in Marte Gallico lib. 1. c. 11. nudum certè hæc impugnanti latus præbent; nisi forte casu in tale miraculum stagnantis ampullæ incidisse dicas, cujus tamen an quicquam proditum sit, nescio, & forte mecum omnes. Quæ Autor Anonymus in Vindiciis Gallicis contra Armacanum adfert, ea κενόφυγτον in Testamento illo Remigiano sed corrupto quærunt. Ab illo oleo cœlesti & unctione, maxima illa Regum Francorum super cæteros Reges eminentia, & illa strumas curandi potestas deducitur. Hinc Matthæus Paris. Regem Francorum vocat Regem terrestrium Regum, & poëtaster Guilielmus Brito, Philippeidos lib. 1. ubi de Philip-

Philippi II. Regis inauguratione agit, ita de Regum Franciæ excellentia:

Magnanimus sacro Rex delibutus olivo,
Quo Deus Angelicis manibus virtute parato
Divinâ nostris concessit Regibus uti,
Ut sacrentur eo soli specialiter illi,
Qui successivè Francorum sceptra capessunt,
Quo major nostri patet excellentia regni,
Dignior ut verè Rex noster Rege sit omni.

Hinc illa â Baldo JCto Regum Francorum elogia: *Regis Franciæ umbrâ totum mundum regi: Esse tanquam stellam matutinam in medio nebulæ meridionalis, qui lege intellectus agatur, & apud nos sit polus antarcticus*, ut transeam alias insulsi Panegyristæ nugas. Quantum ea in re desudet Chassanæus, non felicior Baldo Encomiastes, in Catalogo Gloriæ mundi, parte 5. Consid. 31. dici vix potest. Præter enim familiarem illam plerisque Jurisconsultis scribliginem, omnium absurdissimâ & stultissimâ adulatione Prophetarum de Christi unctione sanctissima oracula ad Regem Galliæ applicat; jam per civitatem illam de Cœlo in Apocalypsi Johannis descendentem intelligit Rempublicam Gallicam: jam multa de Liliis aliisque rebus è naturali Philosophia deducta ineptâ flosculorum sparsione cum Gallico confert imperio, ut talia legenti Bacchi κέρνος videatur, in quo, teste Athenæo papaver & album triticum, hordeum, pisum, ervum, cicer, lens, faba, zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac; quin etiam illota ovis lana simul congerebantur. Sed Chassanæo indignari nunc adeò nolumus: Miror potiùs eos, qui cordati magis videri volunt, ab istiusmodi nugis sibi non temperare. Cui enim persuadeat Anonymus ille Gallus, Autor aliàs minimè ineptus, libri sui cap. 9. ea quæ Psalmo 44. habentur: *(Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit Te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.)* de Rege Galliæ dicta esse, quia istius Psalmi inscripto sit *pro Liliis*, quæ sunt insignia Regni Galliæ? Hæc quidem ferat aliquis, si vel Hyperbole aliquâ oratoria, aut poetismo sacro dicantur: sed seriam aliquam talium tueri thesin, quam ridiculum sit & putidum, quis non videt? ut, me quidem judice, Majestati sacræ parum consulatur istis quisquiliis. Etsi enim in partes Magnificentiæ Regiæ venit, ut nonnunquam ostententur Regia auspicia: decorè tamen id fieri debet nec palpabiles quædam nugæ admisceri, quibus obfuscatur potiùs Regius iste splendor. De unctione ipsâ Regum præclarè omnino sentiendum est, ut quæ Majestati Regiæ divinum quoddam ἀξίωμα conferat. Nicephori Callisti lib. 1. c. 4. proba est de unctione sententia: θείῳ γὰρ τούτους χρίοντας πνεύματι, οἷς, τοῦτ' ἐπιτέτραπτο, χριστοὺς κατ' εἰκόνα εἰργάζοντο καὶ ὠνόμαζον. ἐπεί τοί γε καὶ αὐτοῖς πάντως που τύποι τινὲς ἐνῆσαν,

τῆς

τῆς κατὰ πάντων ἀληθοῦς ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Divinô enim Spiritu dum hos inungebant ii, quibus id negotii datum. CHRISTOS per imaginem & faciebant & appellabant. Siquidem & Regibus omnino typi quidam & figuræ inerant veri regni & potestatis, quam Servator noster JEsus Christus in omnes habet :* Hæc improbari â nemine nisi Majestatis sacræ contemptore possunt; neque culpet aliquis sano sensu accepta ista Chassanæi loc. cit. consid. 31. *Rex Franciæ cum sit CHRISTUS, scilicet oleo sacro divinitus misso unctus & sacratus, omnibus celsior est atque major, ex quo vocatur Christianissimus.* Hinc jam ortæ publicæ illæ & illustres controversiæ de Præeminentiâ Regum Galliæ, quæ integris libris inter Gallos & Hispanos ventilatæ sunt, & inter præcipua fundamenta ponunt missam de cœlo ampullam, mirabilem strumarum curationem, & alia Majestatis Gallicæ ἀξιώματα. Magnas & audaces assertiones his & aliis superstruxit M. Besianus Arroyus, Theologiæ Doctor Gallus, in Quæstionum suarum decisione, libro Gallicè conscripto, *de fœderibus Gallicis & de justitiâ armorum Gallicorum*, contra quem eruditè disputat Alexander Patricius Armacanus in *Marte Gallico.* Edidit quidem contra Armacanum Vindicias Gallicas Anonymus quispiam, sed minore certè curâ & diligentiâ scriptas. Sed accuratius inde hæ controversiæ cœpere agitari inter Jacobum Alexandrum Tenneurium, Gallum, & Joannem Jacobum Chifletium, Equitem & Medicum Hispanum, qui in Luminibus Salicis, in Lampadibus Histor[i]cis, & aliis diffusis voluminibus, magno conatu contra Gallos & quidem ex ipsius Historiæ visceribus disputat. Is ipse novam de Ampullâ Remensi disquisitionem edidit, in quâ omnem ejus rei fidem argumentis non vulgaribus infringere nititur, quorum aliquam partem etiam nos supra adduximus. Inprimis urget perpetuum illud â quinto ad nonum seculum Historicorum silentium, quod cum ursisset ante illum Armacanus, respondit Anonymus Vindex: negativum argumentum concludendi vim nullam habere: cum tamen illud in Historicis maximi sit momenti, in quibus universale silentium & consensus rem omnem absolvit. Inprimis speciosa est & ingeniosa illa conjectura, quâ utitur in investigatione originis hujus commenti, quam lubet hic adponere: Baptisteria veterum Christianorum in Cœli stellati formam exstructa fuisse memorat, testante id Paulino Nolano Natali 10. & aliis, unde columba super lustricos fontes suspendi solita, ramum oleæ ore ferens: Baptismum Christi exhibitum fuisse cum columbâ in sacrum ejus caput delabente: Nonnunquam quoque religiosa talia spectacula populo fuisse exhibita (qui mos hodieque Pontificiis per est familiaris) exempli gratiâ in Festo Pentecostes columbam dimissam esse in templo, canente Sacerdote: *Accipite Spiritum Sanctum.* Similiter die sacro nunciati conceptus divini, dum Angelus dicit: *Spiritus*

S. superveniet in Te, è Templi fornice columbam demissam in puellam, quæ Virginem Mariam repræsentaverit. *Ex bis* (quæ omnia testimoniis firmat) *par* inquit, *est credere, geminâ illâ ratione & diversis temporibus Baptismum Clodovei piâ scenâ populis repræsentatum, indeque ortam vulgi fabulam de Ampullâ per Columbam vel per Angelum ad ungendum Regem Clodoveum cœlitus porrectâ.* Atque illa omnia pulchrè & erudirè satis â Chifletio sunt disputata, ad quæ quid respoderit Tenneurius (respondit autem peculiari disquisitione Apologeticâ) nunc me latet, quandoquidem ejus libri copiam habere non potui. In Chifletium istum eleganti Epigrammate lusit Eques eruditissimus & poëta ingeniosissimus Constantinus Hugenius Poëmatum suorum lib. 11. quod legi hìc meretur.

Doctè Chifleti & eleganter & probè,
Quod nemo sanus improbaverit probas,
Quod somniarunt cœlitus Remis datum,
Vas esse vanum & esse nugas vitreas;
Nec ipsa tecum pugnet impudentia,
Nec ultima obstinatio. Quid est tandem?
Equidem stupebo, eritque pro miraculo,
Quod Halta & Aspricollis invideant tibi,
Si quamlibet disertus hoc confeceris,
Ne Bulla *scriptor pergat* Ampullas *loqui,*

Ego certè cum Majolo de eâdem re tom. 4. colloq. 5. Dier. Canic. differente, *malim, pro suo arbitrio quisque judicet in tantâ præsertim ingeniorum ac rerum varietate, ne invidere alienæ laudi, cumuloque contra alterius gloriæ detrahere videar.* Argumenta equidem solidiora hactenus inveni apud Hispanos, quam apud Gallos, nec ulla est fide digna autoritas, quæ tueri ampullæ cœlestem originem possit. De Gregorio Turonensi, quamvis communes editiones nihil memorent, poterat tamen quædam subnasci dubitatio, ex eo, quod Centuriatores Magdenburgenses cent. 6. c. 6. anno I5 ejus testimonium advocent. Sic enim illi loquuntur; *Ubi Remigius Clodoveum Regem baptizasset, non adfuit Chrisma, forte quia non fuit Chrisma necessarium. Sed ait Gregorius Turonensis & Henricus Erphordiensis Columbam ore attulisse vas chrismate plenum:* Unde suspicio illa Anonymi Vindicis fortassis non de nihillo esse videatur, qui Gregorii Turonensis scripta in multis mutilata fuisse putat. Quæ tamen una coniectura rem omnem vix conficiet. Balthasar de Vias in Sylvâ Regiâ p. 67. ejus silentii aliam rationem attulit, quæ si sufficienter satis probari possit, venire etiam hæc in censum possit. *Cum,* inquit, *Ecclesia Turonensis de ungendis inaugurandisque regibus cum Remensi contenderet, noluit hunc nodum solvere Gregorius, ut hoc silentio neque suis neque veritati officeret.*

Quamvis non dubitem Gregorium fusè hoc miraculum scripto tradidisse, sed aliquorum malitia in Turonensis Ecclesiæ favorem ex autographo, quod nondum in manus publicas devenerat, ampullæ miraculosæ delevit historiam. Sed meræ sunt conjecturæ, & rectè Isidorus Pelusiota: οὐδέποτε ἀπορεῖν ἀπορία λύεται, *Id quod dubitationem habet, aliâ dubitatione nunquam dissolvitur.* Nos vero hîc Scepticam aliquam ἀῤῥεψίαν præferentes οὐδὲν ὁρίζομεν, neque licet in ancipiti istâ sententiâ, & consultius forte erit abstinere manus à Regalibus illis sacris. Placet optimè modestia Patricii Armacani qui in Marte Gallico lib. 1. c. 2. *quod à tot seculis traditum atque creditum à natione Gallicanâ, nolle se argumentis quantumvis plausibilibus convellere* ait, intra quam & nos lubenter subsistimus, parati aliorum sententias potius audire, quam nostram definire. Non dissimilia de Liliis, de Auriflamma seu vexillo per Angelos cœlitus ad Clodoveum missis jactitant Galli. Sed ipse Tilletus Gallus in curiâ Parisiensi ab actis aperte vocat fabulam. Mirum est quantas Lilia ista nugas pepererint, tam ingeniosas quam ineptas. Chifletius peculiari tractatu apes substituit pro Liliis, contra quem Joannes Ferrandus Aniciensis scripsit Epinicion pro Liliis, sed farragine multorum ad rem non pertinentium testimoniorum refertum. Goropius Becanus Francicorum lib. 4. ipso Noachi seculo, è cœlo lapsa, & pro insigniis apud Gallos fuisse, mirabili dicam, an ridiculâ conjecturâ deducit, & præterea tanta sub liliorum colore, numero, nomine inquirit mysteria, & tanto nisu tradit, ut mirer vigilanti talia excidere potuisse tanto apparatu somnia. Est quidam Gallus Fauyn, qui eo ineptiæ pervenit, ut â nemine, quam â Gallo lilia bene pingi posse crederet. Ita enim ille au theatre d' honneur liv. 2. chap. 6. p. 185. *I' estime qu' il est fort difficile de bien faire & representer une fleur de lis mignonnement troussée, qui n' est peintre excellent, & François de nation, & de courage. Car un Alleman, un Anglois, Espagnol & Italien, n' en sçauroit venir à son honneur, pour la bien proportionner.* Credo perquam difficile esse bene pingere & venuste exhibere florem liliorum, nisi hoc fiat â pictore excellente, & qui sit Francicæ nationis. Germanus, Anglus, Hispanus, Italus non potest omni arte sua illum probè exprimere. Alius, (ut hoc addam, quod valde lepidum est) è Jurisconsulto factus Aruspex, in cerebro galli avis, invenit non quod pueri in faba, insignia sc. Regni Galliæ, inventum gallorum vel potius boum hecatombe dignum; unde perspexit sagacissimus Vates, summum Orbis Imperium aliquando habituros Gallos. Est is P. Gregor. Tholosan. qui in præludiis optimi JCtic. 11. n. 2. (nam pandam hoc horribile secretum) hæc habet: *Hoc lilium â cœlo semel concessum, cum antea Reges Galliæ pro insignibus haberent, utrumque in naturâ sigillò abdito reconditum, nunc forsan â me primò scripto prolatum. Si-*

qui-

quidem quod non semel admiratus sum in capite Galli gallinacei in Cerebro, integrè sine fracturâ exossato (quod fit facile in non multum elixato) comperies facie unâ bufonem, quo in dorsum verso alterâ facie miro artificio exprimitur lilium; Unde mihi symbolum certissimum, ultimam Monarchiam in Regem Galliarum devolvi debere, utpote qui à Deo decoretur tantis cœlestibus donis, ut quemadmodum à Gallis cœpit post inundationem aquarum disseminari genus humanum, ita in eos imperium ultimum redeat. Fuêre enim Galli dicti hi, qui in arcâ Noa salvi evaserunt, id est inundati: hoc enim Galli nomen Hebraicè denotare videtur. Bonis certè avibus & auspiciis in gallum illum incidit iste albæ gallinæ filius, qui tanta in galli cerebro fata legere potuit, qualia nec ipse olim Vulcanus in cerebro Jovis, cum securi suâ illud aperiret, viam facturus Minervæ egredienti.

Sed nos ab oleo ad lilia divertimus, & nunc planè extra oleas vagamur, redimus ergo ad oleum cœleste, cui tanta virtus inesse creditur, ut illa strumarum curatio huic adscribatur soli. Ita enim plurimi sentiunt. Sed multa poterant objici. Nam nec ante Pipinum aliquis oleo inunctus est, & multi sunt inuncti, qui tamen strumas non curarunt. Apertè sane Scipio du Pleix magni nominis historicus tom. 2. de l'histoire general de France p. 331. fatetur: *Me quod attinet, nullum testimonium aut vestigium hujus gratiæ in duabus familiis priorum Regum nostrorum inveni. Omnino autem probabile est, quod si illâ gratiâ fuissent dotati, annalium nostrorum scriptores antiquos illius temporis, satis curiosos in annotandis miraculis longè minoribus, non omissuros fuisse tam frequens, notabile & maximè faciens ad gloriam domus Regalis Franciæ.* Alii primum Hugoni Capeto eam datam virtutem scribunt. In tertiâ quoque Capetiorum familiâ omnes non sunt pares. Ante Philippum Primum exemplum curationis illius reperiri negat Robertus Cœnalis. Boissardus de divinat. c. 11. durasse illam virtutem à Philippo I. usque ad tempora filiorum Henrici II. tradit, in quibus facultas hæc admirabilis exspirârit; cui tamen contradicit P. de Lancre d. tr. p. 161. qui de Carolo IX. Henrico II. & Henrico M. contrarium asserit, quod sc. magnam strumosorum multitudinem curaverint. Thomas Bozius in tr. de ruinis gentium & regnorum lib. 7. c. 5. longe ante ea tempora, & in ipso primordio desiisse scribit: *Ex stirpe Clodovei prodierunt duo Reges Sancti, Gunteramus, & Sigebertus, filius Dagoberti. Atque huic stirpi, & per eam cæteris est Regibus Francis divinitus datum, ut strumas manuum tactu sanarent. Verum post obitum Dagoberti ac Sigeberti ex ipso geniti labem cœpit facere hæc felicitas, unà cum pietate Catholicâ.* Franciscus I. in Hispania etiam captivus plurimos strumosos ibi saluti restituit, de quo exstat quoddam Lascaris Epigramma:

Ergo manu admotâ sanat Rex chœradas, estque
Captivus superis gratus, ut ante fuit.

Indicio tali, Regum sanctissime, qui Te
Arcent, invisos suspicor esse Deis.

Verum quoniam illa de cœlesti oleo & unctione sententia videbatur causam & originem curationis non satis rectè definire, alia nata sunt historiarum divortia. Aliqui Beatum Marculphum divinitus id suis precibus impetrasse dicunt, ut esset insigne ornamentum & privilegium regalis solii, & inde morem illum esse, quod recens uncti Reges ad D. Marculphi templum, in agro Laudunensi situm proficiscantur, ad impetrandam istam gratiam; Andreas vero Laurentius contrà, Marculphum tempore Clodovei vixisse negat, sed tempore Childeberti & Clotarii; & P. de Lancre de l' incredulitè & mescreance de sortilege tr. 3. n. 11. plures Reges Franciæ nunquam D. Marculphi fanum accessisse & tamen strumosos sanasse perhibet. Imò Scipio du Pleix tom. 2. de l' histor. gen. de Franc. p. 33. n. 6. in desvetudinem hoc jam ivisse contendit. Stephanus Forcatulus lib. 1. de Gall. Imper. & Philosoph. p. m. 59. aliam hujus miraculi occasionem refert: *Clodoveo*, inquit, *intimus & fidelissimus Vir fuit Lanicetus nomine; quo armigero plurimum utebatur, frigoris & æstus juxtà patiente atque consiliorum hostilium exploratore industrio. Is quantumvis strumis, morbo tam fœdo, quam pertinaci, correptus est, glandulis concretis circa guttur tumentibus. Cumque rusticorum experimento Corn. Celsus admonuisset, si quis anguem ediderit, liberari, idque frustrà bis tentatum esset, & medicina insuper herbis & ferro adurente armata ac vi morbi toties superata præ pudore delitesceret, per quietem visum est Clodovæo Regi, se guttur Laniceti permulcere & attrectare, ac confestim cœlestem splendorem rutilis flammis totum cubile implere & ibidem Lanicetum nullius cicatricis notâ remanente sanum & integrum evadere. Lætior solitò Clodovæus & pro amici salute anxius, cum primum diluxit, surgere, Deo primum operatus, periculum fecit, an tactu suo morbum avellere quiret, ut quidem accidit, plaudentibus omnibus, & Deo gratias agentibus dulcissimo hymno & pro re natâ accommodato*; Hæc ille, sed quâ autoritate subnixus dicat nescio; neque enim apud alios tale quid me legere memini, neque solus fidem faciet Forcatulus. Et facile poterat alicui nasci ista suspicio, quam ipse præoccupat, dum prioribus illa addit: *Sed hoc forte me magis ad ostentationem scenæ miraculis gaudentis scripsisse aliqui garrient, quam ut verum existimem.*

Multa hactenus diximus, & fortasse plura quam par erat, de Oleo illo cœlitus misso, quo se solos dono divino præditos & propterea augustioris majestatis præ cœteris Regibus esse, Galli gloriantur. At si vera sunt, quæ de Oleo Regum Angliæ, quod B. Virgo Maria tradiderat S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, & quo Henricus IV. Rex Angliæ inunctus est, fusè ex Walsingamo refert Andre du Chesne liv. 17. de l' histoire general d' Angleterre p. 973. poterant in eo Angliæ Reges Regibus Galliæ esse pares.

Strumarum curationem ſane Tookerus ſuis Regibus precipuè adſcribit, unde ad Gallos demum devenerit, quod licet impudens aſſertum vocet Delrius, evinci tamen poteſt, Eduardum viginti tribus annis ante Philippum, qui Gallis multis primus in curatione ſtrumarum creditur, Regem creatum & ſanaſſe ſtrumas. De Gallorum Rege Gunthrammo, qui anno 582. vixit, refert è Gregorio Turonenſi Forcatulus eodem, quo ante loco, quod Medicinæ dono clarus fuerit, & inter alios puerum quartanâ affectum valetudini reſtituerit & quidem imprudens; quia pueri mater regiæ veſtis fimbrias clàm ſubductas aquâ maceraſſet, deinde filio dediſſet potionis loco. Sed de Strumarum curatione ibi nihil; quam tamen nos in dubium non vocabimus, cum credendum hic ſit tam multis teſtibus id uno ore aſſerentibus: totque experientiæ exempla allegantibus. De Origine tantum res eſt dubia & variè varièque hæc à ſcriptoribus tradita, quod ignorare nos, pro inſtituti noſtri ratione æquum non erat.

Deduximus, quantum per pagellarum anguſtiam licuit, hiſtoriam iſtius curationis mirabilis, & quicquid de illius Origne primâ inveſtigari potuit. Jam cum illis nobis res erit, qui Phyſicis adſcribere cauſis volunt tam ſtupendos effectus. Idem quoque agit Laurentius, & fere unum hoc agit in libro toties citato: ſed perquam gravis lectori eſt, prolixis & intempeſtivis digreſſionibus. Plurimi hic ſunt, qui tactum corporis occulta quâdam potentiâ ad morbum talem curandum inſtructi pro causâ agnoſcunt. Atque huc referunt mirabilia illa de Pſyllis & Marſis, tractu & ſuctu ſerpentum morſus curantibus exempla. De Pſyllis Plin. lib. 7. c. 2. *quod eorum corpori ingenitum virus exitiale ſit ſerpentibus, ut hujus odore ſopiant eas.* Rectius enim pro cauſa ſtatuitur odoris virus, quam incredibilis corporis firmitas à compilatore Plinii Solino, quod & Salmaſio notatum eſt exercitationibus in Solinum p. 348. B. Eodem in loco Plinius de populis circa Parium in Helleſponto, qui Ophiogenes dicebantur, eadem narrat. Sed lib. 28. c. 3. in Inſulâ Parô Ophiogenes iſtos collocat: *Quorundam*, inquit, *hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, qui tactu ipſo levant percuſſos ſuctuque modico, quorum è genere ſunt Pſylli Marſique, & qui Ophiogenes vocantur in Inſulâ Paro.* Sunt & alii apud Strabonem Tintyritæ, quibus Crocodili non ſunt infeſti. Non dubito propter cauſas à Plinio allegatas naturalem hanc vocare curationem; quamvis Valeſius in de ſacrâ Philoſophia, & hunc ſecutus Delrius lib. 1. diſq. magic. c. 3. (qui more ſuo omnia, quæ non capit, pro magicis præſtigiis raptat) etiam hanc in illarum cenſum referant. Valeſii ratio, quâ contra Pſyllos diſputat, oppido abſurda. Putat enim non poſſe dari tam grandem temperamentorum diverſitatem inter unius ſpeciei individua, ut aliis ſerpentum natura benefica ſit, aliis venefica, quod cum experientiâ toties refutetur,

non opus est in eo diluendo esse operosum. Odorem sane multorum tum animalium tum aliarum rerum exitio esse serpentibus, ex Historiâ Naturali non potest esse incognitum. Unanimis est Varronis, Æliani, & Palladii sententia: Cornu cervinum accensum fugare serpentes: Ita quoque Pantheræ odor eos necat, de quo vide sis Vossium Physiolog. Christian. lib. 3. c. 73. Cur ergo Psyllorum & Marsorum odori ingenitam vim illam negemus, quibus inter serpentes degentibus eo beneficio prospexisse forte voluit Natura, uti prudenter de iis judicat idem Vossius lib. 4. c. 16. quo loco multa in illam rem dicuntur. Probanda non videtur Severini sententia, qui in Vipera Pythia part. 2. c. 9. disq. 8. ingenii quandam solertiam adscribit serpentibus, quâ percipiant, quos fugere, quibus insidiari debeant. Gassendi opinio non admodum à priori nostra differt: Is enim Philosoph. Epicur. p. 359. ita: *Nihil mirum*, inquit, *quod ferunt de Psyllis Tintyritis & aliis, cum & in iis locis degant, & iis alimentis nutriantur, ex quibus facta temperies venenum serpentum, Crocodilorum, aliorumque hujusmodi animalium non timeat.* Cum illis sociandi non sunt, qui in Italia vocantur Salvadori, hoc est, Servatores, qui itidem morsus serpentum & rabidorum canum sanant, sed meris præstigiis: Patet enim è descriptione illorum hominum apud Boissardum lib. de divinatione & Magicis præstigiis. c. 11. in pr. *Est, inquit, quoddam Magorum genus in Italiâ, ii se* Salvadori, *hoc est* Servatores *nominant. Ex his aliqui se dicunt habere gratiam S. Pauli; alii à Deo accepisse virtutem peculiarem medendi morsibus serpentum venenatorum, retundendi virus canum rabiosorum, ne possint obesse hominibus, vel pecori. Et hi creduntur habere sculptam in palato vel aliâ corporis parte secretiore effigiem rotæ S. Catharinæ. Resistunt etiam incantatorum præstigiis & oculorum illusiones tollunt, dissolvunt verba Magica, morbos à sagis motos propulsant, & mirabilia delusis mortalibus suâ arte videnda proponunt. Sed quia fere omnes sunt homines abjectæ conditionis pannosi, & vitæ pollutæ, quodque stupidâ ignorantiâ faciant & loquantur omnia (ut in eorum precibus & exorcismis cognoscitur) temerariâ quoque audaciâ jactitent passim, se insilire posse in fornacem ardentem sine ullâ læsione, pro stultis & impostoribus habendi sunt.* Affine iis genus vel iidem sunt illi, quos *Saludadores* seu Salutatores & *Ensalmadores*, dicunt Hispani, quorum illi dicunt se sanare vi orationum, hi vi salivæ & halitus, quem ægro inspirant, quorum tamen patronum se quadantenus exhibet Delrius lib. 1. c. 3. q. 4. disquisit. Magic. Navarrus autem in Manuali c. 11. n. 36. quem Delrius quoque hoc in loco laudat, impie & impudentissimè scribit: *Illos, qui vulgò Salutatores vocantur, & qui afflatu aut verbis morbos curandi vim habent (quantumcunque aliàs sint perditissimi homines) licitè posse suo munere fungi, quoniam gratia illa gratis data hujusmodi hominibus à solo DEO conceditur.* Delrius quidem non omnibus homini-

minibus pessimis donum id à Deo datum esse concedit; in universum tamen non esse rejiciendos eos homines putat: Deum enim gratiam suam largiri, quibus vult, non tamen nisi Catholicis: hæreticos enim nulla facere miracula. Credo mentem ejus esse: pessimos nebulones, si tantum sint Catholici, facere posse talia miracula. Videat nunc Delrius, qui aliàs multis, quæ naturalibus principiis & manifesta experientiâ constant, nigrum illud theta præfigit & vel τὰς τριακάδας ἐν ᾅδῃ indagare laborat, quâ fronte infinitis superstitionibus & præstigiis latissimam illam aperire fenestram audeat. De his legi possunt amplius Paulus Zacchias lib. 4. Quæst. Medico legal. tit 2. quæst. ult. & Gutierrius de Fascino Dub. 7. n. 14. quo in loco plures de illorum curationibus historias habet. Adde Zacutum Lusitanum de Medic. Princ. Histor. lib. 1. quæst. 53. qui etiam illarum caussam videtur agere. Temeraria est Deusingii in dissertatione de morborum superstitiosa origine & curatione sententia, quæ illam, quæ tactu fit curatio, penè simpliciter pro magicâ & superstitiosa agnoscit. Cum verò concedat per effluvia corporis vel naturalem ἀντιπάθειαν & συμπάθειαν, corpora posse affici, quid opus multa de tactu disputare, cum nullus tactus sit absque ἀποῤῥοίᾳ, vitiosa, si corpus ipsum, quod tangit, vitiosum est, & salutari, si corpori tangenti cum tacto bene convenit. Neque sanè mendaciis incredibilibus & fraudibus Diabolicis temerè cum Deusingio adscribam, quod Pyrrhus Rex pollicis tactu lienosos curaverit. Potuit enim illi vis aliqua naturalis ad morbi medelam apta inesse, quam inprimis arguit ista pollicis (ut ita nunc loquar) incombustibilitas. Planè enim non est vel ignotum vel absurdum (uti quidem existimat Deusingius) posse corpori humano, quemadmodum aliis, ingenerari certorum vel lapidum vel herbarum virtutem. Quis enim nescit (ut his exemplis obviis nunc utar) plantas pro qualitate soli, cœli, aëris jam has jam alias induere vires & nonnunquam contrarias, quod facillimo negotio probare possunt rei Physicæ & Medicæ gnari. Possunt flores etiam arte immutari, variari semina, certis quibusdam liquoribus præparata in plures & majores fructus crescere, frumentorum species inter se commutari. Capra purgantibus herbis pasta lac gignet, purgandi facultate præditum. Luculentissimo erit exemplo puella illa napello enutrita & Alexandro Magno donata, quæ venenum illud ita in substantiam corporis sui verterat, ut vel tactu noceret. Contrarias planè operationes faceret continuus antidotorum usus. Hæc & alia facile infringunt sententiam Deusingii, qui certe vix sibi temperat, ne profanis illis judiciis involet in Regum Galliæ & Angliæ curationes. Nos quidem sæpe illis tam occultis & in sensus non incurrentibus operationibus Dæmonum artes intercedere posse non negamus, cautè tamen hic pronunciandum,

dum, nec ſtatim ad ſuſpiciones iſtas deveniendum, quæ certe plurimam hactenus in Naturali Philoſophiâ pepererunt ignorantiam. Nolo nunc exempla recenſere ſtupendorum effectuum, quæ fiunt per contactum corporum, ne ultrâ limites abeam. Saltem hæc pauca è tanto numero. Venena eſſe notiſſimum eſt, quorum halitus vel minimus non eſt absque periculo, de quibus multa ὁ πολυμαθέστατος Kircherus in ſcrutinio de Peſte & Severinus in Vipera Pythiâ part. 1. c. 9. §. 2. Nolo enim operosè adductis exemplis implere paginas. Strumas, de quibus nunc agimus, contactu & frictione cadaveris flaccidas reddi, & paulatim evaneſcere, notarunt Medici fide digni. Nec dubitavit inter obſervata ſua referre Vir Clariſſimus Bartolinus Hiſtoriar. Anatom. Cent. 3. Obſ. 66. *De Hominibus*, inquit, *alii fide digni obſervarunt, ſtrumas aliosque tumores aboleri, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani: ita enim ſenſim evaneſcere tumores, prout ſenſim evaneſcit cadaver, quod tardius hyeme, æſtate citius contingit.* Notavit idem Fludd. Philoſ. Moſaica ſect. 2. lib 3. memb. 1. c. 3. ubi rationem addit pro Philoſophiæ ſuæ hypotheſibus, quæ in Septentrionali & Auſtrali (quemadmodum loqui amat) vel potius condenſante & rarefaciente potentia Rerum Naturalium ſummam collocant. Poterat ea ratione quis elevare id, quod de brachio Ludovici ſancti Franciæ regis ſcribitur, cujus attactum ſtrumoſos ſanare perhibent: ſed cum neceſſario ad operationem iſtam naturalem requiratur in cadavere putrefactio, naturali hoc causâ non evenire dicendum. Nec illud forſan hic ſileri debet, quod itidem Bartolinus Centuria IV. Hiſtor. Anatom. hiſtor. 37. obſervat, filum purpureum, quo Vipera ſtrangulata eſt, mirè commendari ad Strumas & Anginas. Gemina eſt iſti operationi per tactum illa, quæ fit per viſum, qui lædere reali quodam influxu creditur. De Triballis & Illyriis talia quædam leguntur apud Plin. lib. 7. c. 5. quos nec impugnabo nunc, nec defendam. Notum itidem eſt, quantopere ὀφθαλμὸν βάσκανον metuat non ſolùm Gentilium ſuperſtitio, ſed noſtri quoque vulgi. Deuſingius vix diſcrimen hic admittit, & plurima optimis fundamentis phyſicis ſuperſtructa ad Dæmonis mancipia ablegat. Quale enim hoc, quo effectum viſionis in fringere vult? Viſionem dicit eſſe actionem immanentem, ac non emiſſione radiorum, ſed receptione ſpecierum intentionalium peragi, ac proinde nullum eſſe ejus effectum in alia corpora: cum tamen æque radios ſuos viſivos emittat ad certam diſtantiam oculus, quam ab aliis corporibus recipit. Cui fini iſta diſtinctio inter Viſionem ſimplicem & cum ἀπορροίᾳ conjunctam? nam ſanè ſemper ab oculis abeunt effluvia, vitioſa, ſi radii viſivi ſunt vitioſi, & bona, ſi boni: ſpecies enim illæ intentionales eo ſenſu, quo vulgo veniunt, e ſolidiore philoſophiâ jam exploſæ; & temerarium eſt, judicio Digbæi, de Natur. Corp. c. 27. n. 3. tales en-

titates

titates admittere, quæ nec ullum à ratione firmamentum habent, nec omnino à nobis intelligi possunt. Quæ hypotheses istam vulgo pepererunt conclusionem veras sc. à speciebus intentionalibus non esse exspectandas operationes. Quod lippientes oculi halitu maligno oculos sanos inficiant, ipsis est Lippis & tonsoribus notum. Amores quoque per oculornm radios gignuntur, quod vulgare quis ne æstimet. Delrius, non corporeæ causæ ab oculis promananti adscribit, sed phantasiæ: Quasi vero phantasia moveri possit, absque externis istis radiis. Exquisitius philosophatur, Gassendus Philosoph. Epicureâ tom. 1. p. 349. qui ad Quæstionem illam: *Quare oculus, dum videt rem turpem, ab illâ avertatur?* respondet: *Quia visibilis species ex iis constat corpusculis, eâque ratione configuratis, ut in retinam penetrans ipsamque consimiliter conjungens refugere cogat. Hæc sunt veluti quædam spicula, quæ cum in cutem aliasque partes corporis vim non exerant, exerant tamen in retinam punctionis illius sentiendæ capacem. Itaque omnis tam Sympathia quam Antipathia exprimi videtur corporeis organulis, seu ad attrahendum complectendumque; seu ad repellendum sejugandumque comparatis. Ex quo etiam potest generalis quædam Amoris ac Odii intelligi causa. Siquidem quæ motio grata vel ingrata facta est, vel in retinâ opticoque nervo, vel in nervis cæteris ad sentiendum destinatis; eadem ad cerebrum pertingens sensorium ita afficit, ut pro perceptione gratâ aut ingratâ, sequatur affectus vel propendentiæ & prosecutionis, versus eam rem à quâ factus motus, unde & Amor illius est; vel aversionis & fugæ ab eâ, unde ejus odium.* In sequenti p. 357. secundum ea principia definit, quatenus illa vetularum (quæ ita vocatur) Fascinatio naturaliter nocere infantibus possit. Ad hæc principia referendum quoque quod Bartolin. Cent. 5. hist. Anatom. 6. notat: in quodam, Antimonio tantum viso, statim purgationem subsecutam. Vide sis quoque de visus effectu Campanellam de sensu rerum lib. 4. c. 15. Sed nos in hac de visu materia parum circumspecti ad diverticula dilabimur, è quibus nunc in viam.

Multi sunt, qui in Salivâ admirabilem istam virtutem latitare crediderunt: Nam Reges Galliæ salivâ delibutis digitis tangere ægros dicuntur. De Francisco ex Cœlio Calcagnino refert Piccartus decad. 1. observat. historic. c. 7. illum saliva, pollici tantum in decussim allita Bononiæ curasse strumas, â quo ritu alios recessisse crediderim, cum nulla fiat ejus mentio. A Vespasiano sputum fuisse adhibitum in curatione cœci, è Tacito superius vidimus: sed hoc in naturalium operationum seriem vix veniet. Maximopere commendant Medici sputum, inprimis jejunum, de quo inprimis vide Galenum lib. 3. de temperamentis, Plinium lib. 28. c. 4. ita ut serpentes vel contactu hujus interfici credantur. Multum in Magneticis operationibus illi tribuit Samuel Boulton Anglus in Medicinâ Physico-Ma-

gicâ cap. 10. quod tam rationibus quam experientiâ eo in loco adſtruit. Sed abhorreo ab illorum ſententiâ, qui ad ſingulares ſputi vires commendandas id afferunt, quod Salvator noſter in cœco *Johannis* 9. in Muto & Surdo *Marc.* 7. reſtituendis, ſputo & luto uſus ſit, atque ita elevare conantur miraculi gloriam: Cum tamen, uti Grotius in commentario ad Marci locum, omnia in JEſu ſalutifera, & miraculis exhibendis apta. Non impium ſolum ſed & ineptum mihi videtur judicium, quod de hoc Salvatoris noſtri miraculo Lotichius Comment. in Petron. lib. 2. c. 12. dedit, quo illud profanis ſuperſtitionibus conferre non dubitavit: *Modus*, inquit, *ille ſputo curandi Petronii temporibus admodum familiaris, ætate Apoſtolorum D. Petri & Pauli, qui ſub Nerone paſſi ſunt, in Italiâ, Syriâ aliisque regionibus perquam familiaris fuit, adeò ut etiam Servator humani generis apud D. Marcum Evangeliſtam itemque Matthæum legatur ſputo mediante ſurdum mutum curaſſe.* Impium ſanè eſt, quod putat Servatorem iſtis vulgi ſuperſtitionibus tanquam mediis, pro miraculo conficiendo uſum, quo ſanè gloriæ tanti miraculi detrahitur, dum Phyſicæ operationes inferuntur cauſæ divinæ & ſupernaturali. Ineptum eſt, quod Chriſtum dicat illum ſputo curandi morem, Petronii & Apoſtolorum tempore familiarem, in ſuos vertiſſe uſus, cum tamen potius iſte mos curandi impiâ & ſuperſtiosâ hujus miraculi imitatione affectatus â curioſis fuerit. Non ceſſavit arripere hanc occaſionem κακοζηλία Diaboli & mancipiorum ejus, qui ad Magicas præſtigias, ſputo, vel luto temperato, vel ſolo abuti cœperunt: Quamobrem Pſellus in libr. de Dæmonibus teſtatur: Δαιμόνια ῥᾷστα χειροῦται, τοῖς περιπτώμασι λέγω, ἢ σιέλοις, καὶ ὄνυξι: *Dæmones facile cicurantur excrementis, aut ſalivis, aut unguibus.* Spectat huc ritus ille ethnicorum ſuperſtitioſus, quo recens nati luſtrabantur, de quo Perſius Sat. 2.

> —— —— *Frontemque atque uda labella*
> *Infami digito & luſtralibus ante ſalivis*
> *Expiat* —— —— —— ——

Adhibebant & iidem pulverem ſputo temperatum. Petronius: *Mox turbatum ſputo pulverem medio ſuſtulit digito frontemque ſignavit.* Nec in Perſio luſtralem ſalivam aliter interpretatur doctiſſimus Caſaubonus, in inſigni ad illum commentario, non enim temere abſque luto fiebant luſtrationes, quas & πηλώσεις & καταβορβορώσεις vocabant. Hinc aliquis, non immeritò ſuſpicari poterat: morem illum ſuperſtitioſum à Gentilibus ad Chriſtianos delapſum, qui idem infantibus baptiſmo initiatis factitare ſolebant, quamvis in ſenſum myſticum & ſacrum ad ipſum Chriſti Exemplum deflectant S. Patres. Solebant autem tangere nares & aures digito ſalivâ delibuto, nonnunquam etiam oculos & linguam. Fuſe ſatis de eo ritu Ambroſius libro

de iis, qui myſterio initiantur cap. 1. & libr. de ſacr. c. 1. Rabanus Maurus lib. de inſtit. cler. c. 27. & plures alii, quos colligit Joſeph. Vicecom. de Antiq. Baptiſm. Ritib. lib. 2. c. 18. De luto apud vetuſtos Patres non fit mentio: veroſimile tamen putat Joſeph. Vicecomes, etiam in veteri Eccleſiâ ejus uſum fuiſſe, quia animadvertit, Joannem Jacobum, Eccleſiæ Salisburgenſis Archiepiſcopum, in manuali Parochorum de ſacrament. baptiſm. c. 4. & 5. pro diverſarum Diœceſium conſuetudine, ſalivæ, aut luti ſalivâ permixti mentionem facere. Quicquid vero ſit, inutilis eſt Divini Sacramenti appendix, meritoque ob aliquam Gentilem ſuperſtitionem, quam ſapere poterat, omitti debuiſſet. Plurimæ hinc in vulgum iverunt de ſputo ineptiæ. Huc ſpectat quod de Sampſæis refert S. Epiphanius ſuperſtitioſum, planè & idololatricum: Εἰ ποτὲ δὲ ἔξοδον εἶχεν αἱ τοιαῦται ποῖ βαδίζουσαι (erant autem mulieres duæ, quas pro Deabus habebant Sampſæi) συνεπόμενοι οἱ ὄχλοι αὐτῶν, τὸν χοῦν τῶν ποδῶν λαμβάνοντες, ἰάσεως δῆθεν ἕνεκεν, καὶ τὸν σίελον τῶν πτυσμάτων ὡσαύτως, μεγάλως ἐμπαιζόμενοι ἐχρῶντο ἐν φυλακτηρίοις τε καὶ περιάπτοις. *Ambas illas, quoties domo egreſſæ aliquo ſe conferrent, ingens hominum multitudo comitabatur, qui non modo pedum pulverem, ſed & ſputa ad morborum remedia colligentes, non ſine magno ludibrio ad amuleta & phylacteria reſervabant.* Vide plura notata in Læl. Biſciol. horis ſubciſiv. Tom. 1. lib. 19. c. 10. Cornel. Agrippâ de occult. Philoſ. lib. 1. c. 51. nolumus enim nugis iſtis chartas conſpuere. Sed illa omnia, quæ hactenus adduximus, ſufficientes iſtius mirabilis curationis cauſæ non ſunt, cum illarum operationes non ſint perpetuæ, admittendæ forte, ſi uni vel alteri tantùm iſta ſanandi potentia ineſſet, non ſi omnibus Regibus.

Nec Aſtrologi hic abſunt, qui ex aſtris virtutem illam deducunt. Copioſus in illâ ſententiâ ſtabiliendâ eſt Franciſcus Junctinus in libro de judiciô Aſtrologico, qui certo ſtellarum ſitu & mutuâ corradiatione Galliæ Reges beneficium hoc conſecutos, nobis perſuadere vult. Rationes tamen ejus tanti non ſunt, ut ſaturare pectus poſſint. Multa quidem ibi de Aſtrorum in temperamenta hominum dominio, & qui inde proveniunt, admirandis effectibus præclarè ſatis dicuntur, quæ negare velle ipſiſſimus ſtupor ſit, cum nec hactenus vel inter acerrimos Aſtrologiæ divinatricis hoſtes, (niſi fortè Salmaſium, Virum quidem ſummum, ſed eo in ſcientiæ genere ἀφιλόσοφον, excipias) inventus ſit, qui omnem Aſtrorum influxum tolleret. Verum generaliora illa ſunt principia, quæ tam ſpecialibus effectibus applicari non poſſunt.

Perſuadent quidam ſibi, & aliis perſuadere conantur, â Perſuaſione poſſe ſtupendos in natura effectus produci, cui non ſolum adſcribunt curationem iſtam mirabilem: imo eo impietatis Pomponatius & alii devenient,

unt, ut quæ vera omnes dicunt miracula, vel imaginationi, vel virtuti temperamenti adſcribant. Unde blaſphema illa exſtrueretur ſententia: Chriſtum, Prophetas, Apoſtolos temperamenti & imaginationis virtute feciſſe miracula. Avicenna in Metaph. docet: *Poſſe animam humanam per fortem imaginationem non ſolùm proprium corpus, ſed etiam externum realiter transmutare: poſſe corpus ſanum ad ægritudinem, & ægrum ad ſanitatem convertere: corpora faſcinare; grandines, nives, ventos excitare, & ſiderum virtutes à cœlis depromere: hominem longè remotum & equo inſidentem dejicere & in puteum proſternere:* Dicit tamen, *non cujusvis hominis Phantaſiam illam potentiam habere, ſed illius, qui animam habuerit excellentiorem & à fæce materiæ magis abſtractam & ſub feliciſſimo ſidere & imperio Jovis conceptam. Tales enim Virtutes,* inquit, *à Jovis influxu recepit, & quaſi eſt ipſa Jovis imago: adeò ut per influxum ab eo acceptum non tantum operetur quaſi anima, ſed quaſi ipſe Juppiter: unde ſicut ipſe Juppiter & cæleſtia corpora imperium habent in hæc ſublunaria: ita etiam talis anima influxu & virtute Jovis affecta, mediante ſuâ imaginatione, habet potentiam pro imperio ſublunaria corpora permutandi.* Sed ohe jam ſatis eſt ineptiarum! Quis non, dum hæc dicuntur, ſtatim intelligit eſſe deliliria, vel potiùs vera præſtigiarum & impietatis ſemina? Quis unquam tam inſanus, qui credat imaginationem, actum utique animæ noſtræ vernaculum & immanentem, ad exteriora ſe extendere? Diſputantem, ſi vis, contra eum vide Fienum de Viribus imaginat. Quæſt. 4. concluſ. 20. & infinitos alios. Darem aliquid iſti ſententiæ, ſi ad perſuaſionem, quæ eſt in ægro, reſtringerent, nam illa nonnunquam morbos vel inducit vel tollit, qui à ſpiritibus male affectis proveniunt. Peſtes, Febres & ſimiles morbi ſæpe eo modo contrahuntur. Sed de ſtrumis temerè hoc non affirmarim, quas ſolam perſuaſionem tollere poſſe mihi non perſuadeo. Longè alia res eſt, quod de fœtu in utero matris quidam afferunt: is enim matri ſuæ tam arctis vinculis nexus, tener, mollis, impreſſionibus ſpirituum facillime cedit, velut nervis alienis mobile lignum.

Videamus nunc, an Piccarti ſententia, quam de iſta Curatione Regiâ habet, talis ſit, cui poſſimus ſubſcribere. Is Decad. 1. Obſervat. Hiſtoricopoliticar. c. 2. diſſerit de notis genitivis à naturâ impreſſis. Duplices facit illas notas σημεῖα σύμφυτα, quæ Auſon. in urbibus Epigr. de Antiochia vocat *Ingenua*, quæ uni vel alteri ſunt connata, & σημεῖα συγγενῆ, quibus certæ familiæ vel prærogativâ aliquâ vel aliâ aliquâ notâ dignoſcuntur, quam tamen ipſe diſtinctionem non attendit, dum ſæpe confundit. Signorum ingenuorum exempla ſunt in Seleuco Antiochi Regis filio, ſed quem mater ex concubitu Apollinis ſibi concepiſſe viſa eſt, de quo Auſonius in loco jam citato & Juſtin. in lib. 15. extremo, fuitque anchoræ ſignum, quod deinde

in

in liberis factum gentilitium; in Augusto, quem Sueton. c. 80. corpore maculoso fuisse, scribit, per pectus atque alvum genitivis notis in ordinem ac numerum stellarum cœlestis ursæ dispositis. Ad signa συγγενῆ refert etiam illam, uti vocat, prærogativam Regis Galliæ, quâ strumas sanat. Sed frustrà, ut mihi quidem videtur, de hoc instituetur disputatio: nam inter signa συγγενῆ numerari hæc Regis Galliæ prærogativa planè non poterit, quia signum συγγενές tantum est signum gentilitium, & certis familiis sine discrimine vel primogenituræ vel sexus competit. At illud Regum Galliæ donum competit illis, quatenus sunt Reges, non quatenus sunt vel è Merovingiorum vel è Capetiorum familiâ. Ita enim P. de Lancre toties citato tractatu p. 170. (verba è Gallico versa recito:) *Hoc verum est, conditionem vel qualitatem Regiam hîc requiri: nam si vim hanc à solâ naturâ & non à Deo ipso haberent, ea non per lineam hereditariam pervenisset ad solum Regem, exclusis ejus fratribus, quorum temperamentum haud raro cum Patris Regis temperamento magis convenit, quam ipsius Regis. Sic etiam conditio sceptri & coronæ, cui hæc gratia associata est, naturaliter nihil conferre valet. Certe virtus & facultas hæc sanandi strumosos verbis:* Rex te tangit, Deus te sanet, *non antea se exerit in personâ Regum nostrorum, quam postquam coronati sunt Coronâ Caroli Magni, uncti olei sacri cœlesti dono & cœperunt Francis imperare. Scilicet non est proprietas solius personæ aut familiæ, quarum non una, sed diversæ à tempore Clodovei regno præfuerunt; sed dignitatis Regiæ & unctionis sacræ.* Patet ex eo, inter signa συγγενῆ non posse referri hanc curandi vim, quia Regibus competit, quatenus Reges sunt. Cui assertioni possit quidem objici, quod de Barone Aumontio, Comite Castri-Rubri in Burgundia atque primogeniti istius familiæ refertur: sanare illum posse strumis laborantes, porrigendo illis frustum panis benedicti; Sed pro figmento habent Galli, nec est ejus aliquod fide dignum testimonium.

Quidam septenario numero aliquam solent adscribere causam in strumis sanandis. Memorat enim Bungus in Mysteriis numerorum, cap. de numero septenario: Masculum omnem septimum absque fœmella intermediâ natum solo tactu vel verbo curare posse strumas. *Ecce*, inquit, *quod caret sensu, quod vitâ, quod materiâ, quod succo, aut aliquâ qualitate, tamen vi medicâ plenum, energia abditum visum est.* P. de Lancre toties citato tractatu p. 162. multa se vidisse exempla de strumosis à masculo septimo curatis, dicit, quodque strumas curent in nomine DEI & S. Marculphi, jejunantes tribus aut novem diebus. Sed illa plurimum vanitatis mihi semper habere visa, nec ulla mihi persuadebit hæc ratio. Idem Bungus, quem antea citavimus eodem in loco, putat istam strumas sanandi vim

Eduardo Regi Angliæ in dextra fuisse, quemadmodum Pyrrho in pede: sed alii propter vitæ sanctitatem hoc ei à DEO datum dicunt.

Superest una adhuc ratio, quæ lepida est & admodum ridicula, Hieronymi scilicet Cardani, qui libr. Contradict. Medic. scripsit: Reges Francorum è longo esu aromatum hanc sanandi habere vim. Ridetur à Brodæo Miscell. lib. 8. c. 10. Et quis non rideat?

Hæ fermè sunt causæ & rationes Physicæ, quæ à plurimis afferuntur, sed quæ excludendæ sunt omnes ab ista Regia Curatione, propter rationes sæpe jam antea dictas. Hæc dum ajo, non nego posse homini uni vel alteri inesse vim sanandi naturalem ad hunc vel illum morbum, quod tamen facit Gutierrius Valesium secutus de Fascino dub. 17. n. 15. insulso & insano argumento: Concludit enim: Si homo aliquis vim talem sanandi naturalem habet, debere illum specie differre ab aliis hominibus. Aut enim, inquit, est à forma substantiali hominis vis illa: ita ut illa forma intrinsecus inclinetur in qualitatem illam, in quam alterius forma non inclinatur, & tunc different hi inter se essentialiter: Aut est ex temperamenti natururalis conditione, quæ fluere debet ab ipsa forma; & si tantum id fit in hoc uno, tum ille specie erit diversus ab altero, si in omnibus eodem modo fiat, tum omnes potentiam sanandi naturalem habebunt, quod falsum. Sed hi sunt λῆροι σχολικοὶ & nebulæ pictæ. Quid enim hoc ad animam, cum corpus sit, quod agit in alia corpora: Corpus enim ipsum hic medicamenti vices gerit. Quid animæ cum temperamento hominis, quod toties totiesq; ratione ætatis, loci, victus mutatur, quod nec potest nec debet esse omnibus conforme. Quis porro hinc inducat differentiam aliquam εἰδικὴν inter homines, nisi planè stupidus & παχύδερμος sit?

Verum nos diu satis his immorati, ad alia movemus pedem: Hactenus enim cum iis, qui curationem illam è naturæ principiis deducunt, agimus: nunc in alios incidemus, qui totam rem habent vel pro Sophismate Politico, vel piâ aliqua fabulâ, per quam in vulgi animis quædam gignatur Reverentiæ persuasio erga Regem suum, ut arctiori obsequio illum colant, quem ita à Deo amari credunt atque tantis donis in salutem publicam instrui. Plurimi apertè non audent hoc edisserere, premunt tamen, & vel dubitationibus suis, vel silentio non obscurè in eas partes eunt. Nos certé (quamvis ab eâ sententiâ hac in re simus alienissimi) non ignoramus, eam jam à condito orbe & omnium temporum memoriâ ludi fabulam, quod sub Religionis prætextu aliquo, ducantur populorum animi ad obsequia. Cui enim incognita sunt ficta illa Numæ cum Deâ Egeriâ colloquia? Quis nescit, primos Legumlatores & Rerumpublicarum instauratores his dolis plerumque usos? De Minoë Cretensium Rege vide Valer. Maxim. lib.

1. c. 2

1. c. 2. Platon. in Minoë. De Lycurgo Justin. lib. 3. c. 3. §. 10. Strabon. lib. X. & Clementem Alexandr. lib. 3. stromat. De Zaleuco adi eundem: Huc spectant ista Mahumetis cum Gabriele Angelo colloquia, quibus suos contra totum orbem armavit: Imo quidam naturalibus quibusdam, sed arcanis operationibus divinitatem sibi conciliarunt. Memorabile Exemplum refert M. Wellerus lib. 11. Rerum Boicar. p. 108. quod adscribam: *Temporibus Augusti Barebista Dacorum Rex vastos animo complexus spiritus, populorum (quem bellorum incommodis & difficultatibus afflictum acceperat) brevi temporis spatio prudentibus consiliis & perpetuis militaris disciplinæ exercitiis adeò erexit, ut finitimis maximè gentibus imperio subjunctis, jam Romanis timendus rerum suarum curam injiceret. Inprimis gnarus quantas religionis opinio ad continendos animos vires haberet: Ceneum sibi præstigiatorem adjunxit, qui per Ægyptum vagatus atque arcana sacra edoctus, secretiora cum Diis colloquia agitare creditus, parum aberat, quin Zamolxidis exemplo pro Deo coleretur; hunc sibi, quæ aggredi pararet, autorem simulans, tam certam suis addiderat fiduciam, ut præsenti Numinum ductu omnium sibi rerum lætos felicesque exitus pollicerentur.* Quantum fictio prodigii (quod naturalibus tamen mediis peragebatur) Cenetho Scotorum Regi ad bellum contra Pictos movendum, conduxerit, docere poterit historia, quam è Buchanano, si rectè memini, refert Schottus in Thaumat. Physic. P. 4. lib. 2. Synt. 1. c. 3. quæ quoniam aliis, qui in simili argumento occupantur, non adducta est, adponere lubet: *Cenethus secundus Scotorum Rex, ut in Scotorum historia legitur, subditos suos Pictos in bellum concitavit. Nam cum Picti Alpinum, dicti Regis Patrem occidissent, & is subditos suos timore perculsos ad ultionem sumendam nullis persuasionibus pertrahere posset; & jam maxima pars nobilium & militum in prælio ante cecidissent, convocavit Regni proceres omnes, & benignè hospitio atque convivio exceptos in palatii cubicula somnum capturos dimisit. Cum omnia noctu silerent, in singula cubicula singulos immisit viros, cum baculo ex putri ligno noctiluco in manu & veste ex corio piscium non desquamato indutos. Hi ingressi cubicula, cornu bovis loco buccinæ inflant, Regi parendum clamitant. Pictos pœnas mox scelerum daturos, victoriam ingentem Scotos exspectare, nuncios se à Deo missos. Facilè fuit somnolentis imponere: cum neque venientes neque abeuntes videre possent: nam vestem noctilucam involverant pallio, dum abirent, baculumq; sub eodem absconderant. Ubi illuxit, ad consilia ventum est, & nemine fucum agnoscente, consensum in bellum, pugnatumque semel bis terque feliciter, & triumphatum de hostibus.* Ita scilicet res feliciter successit, neque animi metu prostrati in fiduciam quandam erigi poterant, nisi isto prodigio quamvis ficto. Immigrarunt ista Sophismata Politica etiam in Ecclesiam, & sacris, vel potius sacrilegis fraudibus ita incrustârunt omnia, ut sinceræ pietatis vix restaret

ampli-

amplius vestigium, ejusque loco regnarent & colerentur ficta illa miracula, quibus non tam animæ saluti, quam rationi status Ecclesiastici & lucro consulebatur. Unde Nic. Lyranum jam olim conquestum legimus in cap. 14. Dan. *aliquando maximam deceptionem fieri in Ecclesia per miracula ficta à Sacerdotibus.* Vide de his Joannem Prideaux Theologum Anglum in Orat. 11. de Impostorum Mendaciis, eleganter disserentem. Ad Gallorum Ampullas, Vexilla & Lilia cœlitus ab Angelo missa regerunt alii istud Livii in præfatione suæ Historiæ: *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat.* Et quia novum non sit talia fingi, afferunt plurima exempla. Apud Romanos erant Ancilia: apud Scythas, teste Herodoto lib. 4. aratrum, jugum, securis & phiala aurea cœlo delapsa. Trojani pro fatô imperii habebant Palladium, de quo vide Barth. lib. 60. Adv. p. 28. 43. Quæ imperii pignora vocabantur, & quorum ad hoc bene multa affert ad Flor. lib. 1. c. 2. §. 3. diligentissimus commentator Rupertus. Sed illa quæ meras Gentilium superstitiones redolent in comparationem hîc venire non posse videbuntur; in universum tamen, quædam danda sunt secretiori fato, & divinæ providentiæ, etiam in talibus. *Ista enim omnia* (ut præclarè judicat V. CL. Boclerus de Auspic. Reg. cap. 3.) *licet superstitiosa sint; tamen ipsa superstitio talis est, ut debeat convincere homines de veris auspiciis regnorum. Dum enim credunt, esse quædam fata divinitus demissa aut concessa, quæ veluti pignora salutem imperii ac perpetuitatem tuerentur, quorum ob id custodia diligentior, & violatio aut amissio formidabilior esse debeat, certè confitentur, fatalem esse Rerump. sortem in utramque partem, divinoque nutu stare, vigere, valere, aut cadere imperia, ac interire.* Facere verò hæc omnia seu figmenta, seu mysteria ad ampliorem & splendidiorem reddendam Majestatem Regiam, & popolum in officio tenendum, inprimis si fides illorum & persuasio firma sit, nemo temere diffitebitur. Fatetur id de Gallis Hubertus Morus Theologus Parisiensis in opere de sacris unctionibus: *Quod*, inquit, *præter cæteros populos Reges suos Gens Francorum semper sit venerata, illisque pene serviliter hactenus obsecuta, nihil aliud nos vel majores nostros ad hoc impulit, nisi quod per cælestem unctionem, quâ soli ex omnibus Regibus perunguntur, credimus, præter cæteros Mundi Principes, à Deo ad Nominis sui gloriam, & Ecclesiæ suæ subsidium, specialiter electos, Christosq; Domini veraciter effectos, quibus non simpliciter ut Regibus, sed etiam ut sacris & Deo dicatis personis, quidvis obsequii, honoris & reverentiæ exhibere debeamus.* Et disputari sanè possit, an licitum sit Principi, tali colore lucem aliquam Majestatis sibi acquirere: quod tolerandum videri poterat, si absit grandis aliqua idololatria vel superstitio. An vero ista Regum Francicorum curatio etiam numeranda sit inter Sophismata Politica, de eo viderint alii. Dicunt aliqui, in speciem publicâ solennitate & apparatu morbosos tangi, inte-

interim, privatim illos juſſu Regis à Medicis, potentibus quibusdam medicamentis vel emplaſtris ad ſanitatem reduci, ut, quod reverâ naturalibus evenit remediis, Regio tactui adſcribi poſſit. Certè Delrius Tookero objicit, emplaſtra à Reginâ Eliſabetha adhiberi. Sed de Regibus Galliæ quod dicitur, id vel ab Hiſpanis Gallorum adveſariis, vel aliis nullâ fide dignis ſpargitur. Aliqui Aeri Gallico, ſiquis eo diu utatur, tales ſtrumas ſanandi ineſſe vim ajunt. Sed ineptiunt, & ſolide refutantur ab Andr. Laurent. in toties citatô tractatu. Me quod attinet, malo hîc teſtimoniis & autoritatibus aliorum inſiſtere, quam incertis quibusdam conjecturis, quæ ſi admittendæ, conſiſtere non poſſunt absque inſigni læſione Regii Nominis, quod venerabile eſſe & ſacroſanctum debet.

Denique qui jam verè hoc fieri experientiâ convicti concedunt, nec naturalem aliquam cauſam volunt admittere, illis neceſſario ultra naturam eundùm, & vel Dæmon operis iſtius autor dicendus, vel Deus: ita ut vel inter præſtigias numerandum veniat, vel inter miracula. Fœda prior ſententia eſt, nec ſine crimine de ſacris iſtis Capitibus vel cogitari poteſt, nec tam temerarii & impii oris hactenus, quod ſciam, aliquis repertus eſt. Sub Gentilium Imperatorum Veſpaſiani & Adriani miraculis non aliam quam Dæmonis manum multos video agnoſcere. Aliqui Veſpaſianum Apollonii Tyanæi, celebris & ſibi perfamiliaris, Magi ope id præſtitiſſe volunt. Accedit quod monitu Serapidis Dei, id demonſtratum ægris remedium ſit, ut vel ex eo colligas, intercesſiſſe ſi non operam, ſaltem conſilium Diaboli, quod ſuſpectum reddere totum negotium posſit. Quid enim aliud ſunt iſta in ſomnis petita & data à Diis remedia, quam Diaboli conſilia. De incubatione in fanis, Æſculapii, & aliorum, dictatisque per ſomnia remediis, nihil hîc dicam: quoniam nota ſatis eſt idololatria iſta, ad quam claſſem etiam hoc pertinet remedium. Quomodo Adrianus Pannonio iſti cœco viſum reſtituerit, an magicis artibus, an aliâ quâdam vi, non facile patet ex Hiſtorico. Adduntur narrationi, quæ eſt apud Æl. Spartian. hæc verba: *Quamvis Marius Maximus hæc per ſimulationem facta dicat.* Quæ Caſaubonus in Commentario ad mentem Dionis ita explicat; quod Marius vocaverit ſimulationem, incantationes & alia remedia magica, quibus morbus Adriani levari viſus: Simulatrices enim veteribus ſagæ, & in magicis multa per ſimulationem fiebant. Sed rectius Salmaſius hic in Commentario verba iſta ſimplici ſuo ſenſu capit, qui hic eſt: Omnia, quæ ibi Spartianus narrat tanquam verè facta, ea Marius Maximus ſimulata & ficta eſſe commemorabat, & ad hoc tantum excogitata ab Antonino, ut Adrianus in ſpem recuperandæ ſanitatis induceretur, qui ideo occidere ſe tentabat, quod eam recuperare ſe poſſe deſperaret. Uſus ergo eſt Antoninus hac arte, ut mitteret mulierem, quæ diceret ſomnio ſe monitam, ut indicaret Adriano,

ne se occideret. Induxit deinde & Pannonium cœcum, cui visum restituit, vel potius restituisse fingitur, Adrianus. Sic sensu vocum rectè percepto constat, omnia hæc simulatè acta esse, non tam ad aliquam conciliandam Adriano gloriam, quam ad morbum ejus tollendum. Præstigiis item & Dæmoniacis operationibus curationem strumarum, quæ fit ab illis, qui septimo partu masculino sunt editi, annumerare non dubitat Jacob. Primerosius, de Vulgi Erroribus in Medic. lib. 4. cap. 49. Illa enim, quæ à numeris, Characteribus, verbis deducuntur causæ, sine dubio monstri aliquid alunt. Unde vehementer mihi displicet illorum sententia, qui curationis effectum istis à Regibus prolatis verbis: *Rex te tangit, Deus Te sanat:* adscribunt. Sed illos prolixè satis refutatos legere me memini ab Andrea Laurentio in tractatu sæpius citato, quam cramben hic nolo recoquere: Ipsa enim vel non recocta mors est. Sed talium superstitionum, quæ Diabolum aperte in fronte gerunt, jure censendæ non sunt occultæ istæ operationes, quarum infinitæ sunt in Naturâ, in quo sæpe vehementer peccare videas homines cathedris tantum & disputationibus assvetos, de rerum naturâ & experientiâ, unicâ veritatis normâ, securos, & qui à contemplatione rerum remoti, occupationibus vel politicis vel sacris distinentur, ut penetrare rationum momenta non possint, qui error perniciosus admodum est solidæ sapientiæ. De iis rectè dici potest, quod Verulamius sermone fideli 17. de superstitionibus in Religione: *Non caret superstitione quandoque superstitionis fuga, cum se tantò saniorem & puriorem viam inire putent homines, quantò à superstitionibus prius receptis longius deflexerint. Itaque cura esse debet in Religione reformandâ,* (addo: in scientiis reformandis) *ut sit in corpore purgando, ne sana cum corruptis simul evacuentur.* Et sane, si prudentia hic nulla adhibeatur, & libera unicuique rerum talium ignaro, judicandi & statuendi facultas concedatur, metuo, ne illa demum redeant secula, quibus vel Hæresios vel Magiæ rea omnis damnabatur scientia. Conqueritur de eo seculo in elegantissimâ Oratione: De Impostorum Mendaciis, Joannes Prideaux Theologus Anglus; *Hæreticus,* inquit, *& Magus evadit noster Rogerus Baconus, quo errore? Mathematicus erat, & in linguis cæteris acutior & versatior, quorum vellicat nonnunquam stupendam inscitiam, quod satis erat ad hæresin. Hæreticus apud tales audit Petrus Abulandus. Cur? Cæteris in Philosophicis erat aliquo modo limatior, in Poeticis politior, in Theologicis liberior, quæ ad Hæresis calumniam sufficiunt.*

Sepositis nunc omnibus causis Φαινομένοις denique ad principem illam & summam causam accedimus, Regum scilicet Regem, ejusque divinam manum, quæ omnium imperiorum fata temperat, Regum auspicia dispensat, Principes potentiâ & gloria instruit, etiam hic exosculamur. Etenim si vel in Ethnicorum Regum actionibus elucet Providentia illa

summa

ſumma, ſi Regnorum fata ipſis divinis literis prædicuntur: oportet ſanè ſpecialem Deum curam illorum gerere, quos adminiſtrationi imperiorum præfecit, nec fortuita erunt illorum auſpicia, incrementa & decrementa. Auguſtiſſima de eo ſunt, tam ſacrarum, quam profanarum literarum & dicta, & exempla, quæ hîc cumulare noſtri non eſt inſtituti. Cui volupe eſt Regalia iſta ſacra propius intueri, adeat (quid enim attinet alios nominare?) Virum Clariſſimum & magnum Germaniæ noſtræ decus, Bŏclerum, qui in libello de Auſpicio, manu te ducet ed iſta penetralia. Huc refert mirandam illam curationem Molinæus in Vate ſuo lib. 1. c. 2. quo in loco etiam pluſcula de θεοχία & divinationis dono Principibus à Deo conceſſo obſervat. Sed & multi alii innumeri ſunt, qui in hanc ſententiam conſpirant, & inprimis Pontificii Doctores omnes. Argumento præterea eſſe poſſunt actus plusquam humani, apparatus illi religioſi, preces, jejunia, confeſſio peccatorum, Vita pura & ſancta, quam imprimis, (referente Philippo Honorio, in Relat. de Regn. Gallico) commendavit filio Ludovico Hutino morti vicinus Philippus Pater, monuitque, ſine illâ nullum fore locum miraculo. Quod vero Primeroſius in De Vulgi error. lib. 4. c. ult. de B. Remigio memorat, ea probari non poſſunt: *Beatus Remigius*, inquit, *cum cujus unctione ad Reges Gallorum poteſtas hæc dimanavit, optimus haud dubiè hujusce rei interpres, vim hanc conceſſam Regibus edixit, quamdiu in Catholicâ fide ſint permanſuri, inſinuans ceſſaturam eam, ſi quando ab hac fide deficerent.* Verum illa ne quidem in Teſtamento Remigiano habentur, nec alii meminêre hiſtorici, ut neſciam, quâ autoritate fretus hæc ſcribat. Baronius certè, qui in Annalibus ſuis Clodovei Baptiſmum, omnesque ejus ritus & miracula, anxiè ſatis (quamvis non ubique bonâ fide) deſcripſit, ejus non meminit. Sed de iis verba perdere ſupervacuum eſt, quandoquidem jam antea varias & incertas de Baptiſmo Clodovei relationes eſſe Hiſtoricorum demonſtravimus, & ea jam nobis ſedit ſententia, à divinâ obveniſſe gratiâ iſtud donum, Nec dubitat de Veſpaſiono idem dicere Grotius in De verit. Religionis Chriſt. lib. 3. *Si verum eſt*, inquit, *per Veſpaſianum cæco viſum eſſe redditum, factum id eſt, ut is hâc re venerabilior Imperium Romanum facilius adipiſceretur, lectus quippe Deo judiciorum ipſius in Judæos miniſter.* Non diſſentit commune Hiſtoricorum judicium, qui magnâ diligentia & adhibitis argumentis præoccupare ſuſpiciones falſi contendunt. Tacit. Hiſt. 5. *Multa miracula evenêre, quîs cæleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur.* Id. Hiſtor. 1. *Occultâ lege fati & oſtentis ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano liberisque ejus imperium poſt fortunam credidimus.* Svetonius eadem miracula narraturus ſic præfatur: *Autoritas & quaſi Majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato & adhuc novo Principi deerat, hæc quoque acceſſit.* Joſeph. de eodem lib. 3. Belli Judaici c. 27. quod acceſſerit ad imperium τ͂ θεȣ͂ διαχειρίζοντος

αὐτὸν εἰς ἡγεμονίαν καὶ τὰ σκῆπτρα δι' ἑτέρων σημείων προδεικνύντος, Deo illum excitante ad principatum aliisque etiam signis ei sceptra præsignificante. Sed displicet ista Grotii sententia Boclero Commentario in Svetonium. *Hæc* inquit, *sententia non parvâ difficultate urgetur, ex eo, quod monitu Serapidis Dei demonstratum ægris remedium, adeoque suppeditatum Vespasiano consilium est. Durum enim forte fuerit dicere, Deum verum prædicta Diabolo, sub specie falsorum numinum, sua virtute voluisse affirmare. Quod si dicas, Diabolum, cum sciret quid Deus facturus esset, suis larvis & deastris prædictionis gloriam, indeque virtutis opinionem (permittente alias ob causas, quæ nihil cum religione commune habent, vero Auctore) vindicasse; nulla tibi ratio tam ancipitis conjecturæ fulcrum ostendit, unde Diabolus potuerit ista præscire. Quocirca lubentius accesserim iis, qui mira ista apud paganos opera pleraque pro suspectis habent De cætero non est ignotus lusus adulationis aulicæ, quæ ab omni ævo miram aliquam virtutem & singularium famam operum conciliare studet: qualia veluti tradito more hodieque vindicant efformantque, qui de actis principum credere malunt, quam scire.* Atque huic ego sententiæ in hoc Vespasiani miraculo malo subscribere, quam Campanellæ, qui in De sensu Rer. lib. 4. c. 2. divina miracula etiam idololatriæ immiscet. Nam cum de ægris istis, Serapidis monitu â Vespasiano remedium morbi petentibus disserit, addit: *Potest quidem in multis intervenisse Dæmon, potest quoque existimari Deum ejusmodi miracula fecisse in salutem ipsorum, qui piè credebant in eum, aut in rem, quam simplici animo imaginabantur esse unum DEUM. Et fidem respicit DEUS & ignorantiæ non procuratæ ignoscit: Qui deceptores, non autem deceptos execratur.* Sed hæc ego tamen nollem facere mea, ut quæ contra Theologiæ principia pugnare videntur: Impium prope est miracula consiliis Diaboli (quis enim alius sub larvâ Serapidis latet?) peracta adscribere divinæ potentiæ: Videamus tantum, ne vel ipsis Christianorum miraculis se insinuet lubricus iste serpens. Aufer autem has â nostro miraculo suspiciones, ut quod pietate præviâ â DEO impetratur, quodque DEus speciali gratiâ Majestati Regiæ concedit, quæ eo redditur augustior & venerabilior. Cum vero nil tam sacrum sit, cui non aliquando accedat aliquid profani, & ingeniosa Aulicorum adulatio etiam optimis quibusque & piissimis fucum suum intermiscere soleat; ita & hic factum esse negari non potest, dum eminentiorem aliquam Majestatem præ cæteris Regibus nonnulli Galliæ Regi tribuunt, quam omni æquo & iniquo possunt prætexere. Hinc illa immensa Arroyi postulata, quorum meminit Patricius Armacanus in præfatione Martis Gallici: *Profitetur Arroyus* ait Patricius, *Imperium esse Gallicæ coronæ indivulsè nexum, & quotquot illud vel ejus partem detinent, esse injustos usurpatores, omnia armis Francorum esse repetenda. Imperii autem nomine illi continentur, Galliæ, Italia universa ab Augusta Vindelicorum ad Calabriam usque, Germania, Hungaria, Polonia, Russia, Prussia, Livonia, Lithuania,*

ania, Moscovia, Sclavonia, Podolia, Alba Russia, Walachia, &c. & ultra Gallias complectitur montes Pyrenaos & Hispania partem cis Iberum. En Limites Imperii, quod Francis ita debitum esse Caroli Magni successione sentit, ut quisquis Europaorum Principum ullam ejus laciniam possideat, usurpationis injusta reus sit. Sed plures prærogativæ ex istâ strumarum curatione, Ampullâ Remensi & aliis ab Arroyo deducuntur, quas ordine refutavit Patricius Armacanus. Exprobrat quoque Rivetus Sylvestro Petrasanctæ Jesuitæ, in notis Epist. ad Balzac. c. 19. similia quædam à Jesuitis prætextu istius miraculi concepta Sophismata: *Verosimile est*, inquit, *Jesuitas sentire eam vim Francorum Regibus peculiarem esse: Ideo Bellarminus, Commoletus, Jesuita, & alii, qui olim consilium inierunt Lutetia, de Regno Gallia in Hispanum transferendo, quâ praditi fuerunt charitate, id visi sunt moliri, ut Rex ille promptius possit sucurrere adversus familiarem Hispanis morbum.* Verum committam has lites lubens aliis. *οὐκ ἐς' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω.* Viderint illi, qui defendendas sibi suscipiunt tam audaces theses. Nos dissertationi nostræ finem imponimus, serioque optamus, ut PRINCIPES omnes habeamus MEDICOS, quibus SALUS PUBLICA restituatur, STRUMÆ Ecclesiarum, Rerumpublicarum & Scholarum, inutilia pulcherrimorum Corporum civilium pondera non tangantur solum, sed & tollantur.

ADDENDA.

Pag. 128. lin. 4. post illa verba: *Nec cum Limnao loco superius laudato histrioniam hic agi temerè mihi persuaderi patiar:* hæc adde. Tradit Cælius in historia Caroli II. Germanicè scriptâ: Regem istum ante suam inaugurationem apud Belgas commorantem extremis triginta sex diebus, ultra 260. morbosos tetigisse. Ritum ipsum accuratè, quantum assequi potuit descripsit, qui cum à Gallico diversus planè sit, adduci hic debebat. Post auditam orationem sacram, inquit, solio quodam residebat Rex, ad cujus dextram stabat Secretarius manu tenens, pro ægrotorum numero 48. ligulas sericas albi coloris; (*cæruleum illorum colorem observavi ego in Anglia*) de quibus singulis dependebat moneta aurea Anglica, Angeli imagine insignita (ein Anglotte) pretio suo duos æquans Joachimicos. Ad sinistram Sacerdos, qui sermonem sacrum habuerat, & Chirurgus Morbosorum examinator, cum istis vultu Regi observo stabat: cumque primum illorum manu prehensum ad Regem duceret, ter ipso in aditu submissa veneratione Regem salutantes, coram eo uterque procumbebant in genua. Tum Sacerdos ex Evangelio Marci cap. 16. vers. 18. illa verba legebat: *super ægrotos manus imponent, & bene habebunt*, subque ipsâ horum verborum pronunciatione Rex genas ægroti tangebat. Post contactum illum, recedebat primus locum facturus reliquis, eodem ritu, continuâ successione, coram solio

Regis procumbentibus, quos Rex repetitis ſemper D. Marci verbis â Sacerdoto, nec loco ſuo cedente Chirurgo, contingebat ad unum omnes. Quo peracto Chirurgus, poſt repetitam ternam corporis inclinationem, cum omnibus illis ægrotis in priorem locum ſecedebat, legente intereâ Sacerdote, quicquid in Evangelio D. Marci â verſu 14. ad finem usque capitis 16. habetur. Legebatur poſtea â Sacerdote primum caput Evangelii S. Johannis, â principio capitis usque ad verſum 15. atque inter legendum Chirurgus ægrotos ritu priori reducebat ad Regem, qui ligulas iſtas ſericas, de quibus dependebat moneta aurea, è manu Secretarii accipiens ægroti collo circumjiciebat, dum iſta S Johannis verba pronunciaret Sacerdos: *Erat lux illa Lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Cum in reliquis idem factitatum, ſemperque ad ſingulorum acceſſum repetiiſſet illa verba Sacerdos, receſſerunt iterum ægroti, & quæ ſequuntur in primo iſto capite usque ad verſum 15. prælegebantur. Addebantur his aliæ quædam è ſacro codice ſententiæ, Oratio Dominica, & preces quædam aliæ, pro felici hujus curationis eventu ad Deum fuſæ. Peractis his ſolennibus, accedebant Comes Middelſexienſis & Comes Albanus, polubrum cum gutturnio eodem, quo ægroti accedebant, ritu Regi offerentes. Comes Albanus infundebat manibus Regis aquam, & mantile à Nobili quodam ſibi traditum offerebat Middelſexienſis. Addit deinde Autor ille: Non tanto deſcripſiſſemus apparatu iſtum curationis Regiæ ritum, niſi cognitum nobis eſſet, â prudentibus viris & â ſuperſtitione quam longiſſimè remotis, credi certiſſimum inde eſſe morbo remedium. Quin affirmare aliqui audent: quod illi, qui hâc ratione ſanitati ſunt reſtituti, in priſtinum morbum recidant, ſi forte negligentiâ quâdam perdiderint ligulas iſtas cum monetâ aureâ, & niſi denuo â manu Regi â illis appendantur, ſpem ſanitatis recuperandæ nullam habeant. Poteſt prætera vis iſtius tactus vel ex eo patere, quod non tam è viciniâ, quam locis remotiſſimis, magnus ægrotorum numerus acceſſerit, quibus omnibus recipiendæ ſanitatis ſpes eſt certiſſima. Hactenus enarravit omnem totius curationis apparatum Cæſius, â quo non diſcrepant, quæ ipſi vidimus in Anglia. Sed variæ poterunt ſuper iſto negotio ferri ſententiæ. Nam dubitari profecto, tot concurrentibus circumſtantiis poſſit, cui potiſſimum adſcribenda illa virtus ſit, an tactui Regio, an ceremoniis ſacris, an ligulis iſtis ſericis, an ipſi auro, an imagini in moneta aurea? Singula enim hæc poterant nominari, ſi de cauſis vel Phyſicis vel magicis inſtitueretur diſceptatio. Si tactus Regius ſufficit, cur adhibentur iſtæ Ceremoniæ? & ſi illæ nihil ad rem faciunt, cur non potius omittuntur, quæ ſuſpicionem curioſolo cuidam poterant injicere, quemadmodum injecerunt ipſi Delrio loco ſuperius citato; qui tamen alio in loco magnas Evangelio S. Johannis vires adſcribit, in fugandis Dæmonibus

& in

& in curandis morbis. Sed & urgeret hic aliquis, cur præcipuè illa verba S. Johannis: (*Erat lux illa, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*) cum tactu Regio socientur? quod indicio esse possit, absque illorum verborum recitatione, nullum fore tactui effectum, quæ tamen vel cum ipso tactu, vel cum morbo, nulla ratione sunt connexa, vel cognata, & si vel maximè essent, inutilis tamen esset eorum additio. Poterat & hic aliquis suspicari ligulis vel auro allita vel admista esse quædam, quæ morbo illi subtili quodam halitu mederi possint, cum absque illis morbus planè tolli non possit solo tactu Regio, adeò ut amissis illis ligulis & aurea moneta, redeat morbus pristinus. Quod itidem suspiciones novas injiciat: si enim naturalis aliqua est operatio, cur non quod semel sublatum est, naturali causâ isto in statu perdurat? Si vero non est; qualis demum dicenda? cur ab ipso Rege ligula ista debet applicari? Alius forte hic repeteret, quæ de tæniis & liciis Magi olim docuerunt: & si imago Angeli in moneta attendenda sit, multa de imaginum in magia usu aliquis adduceret, quæ omnia istos Regum actus suspectos redderent, qui tamen vulgi judiciis subjiciendi non sunt. Nos potius in admiratione illorum subsistimus, & quandoquidem eos altius scrutari non concessum, sententiam eis pronunciandam committimus, qui propius illa sacra intuentur. De Galliæ Regibus plura tradunt Historici, & præcipuè de iis hâc dissertatione agemus.

Pag. 132. lin. 25. error typographicus est in tempore Baptismi Clodoveani, & pro anno 495. scribendus 496: maluimus enim hîc Sirmondum in Not. ad Tom. 1. Conc. Gall. p. 153. qui A. C. 496. assumit, sequi, quam Dionys. Petavium, qui in Doctrinâ Temporum lib. 13. A. C. 495. statuit. Sigebertus in Chronico (pro more suo, ut Sirmondus notat) triennio serius, sc. ad A. C. 499. tempus locat. Cui errori adstipulatur Baronius, qui pro re natâ facilè aliàs movet temporum terminos: nam cum Sigeberto Baptismum Clodovei ad A. C. 499. mortem ejus ad A.C. 514. refert, quem sequuntur Alstedius, Micrælius, imo ipse Calvisius, & alii, qui non collatis inter se Historiis, nec accuratè satis subducto calculo, Baronio in eo sunt ὁμόψηφοι. Falli autem eos, evidentibus argumentis potest demostrari. Annales Francici ad Annum Regni Clodovei XV. baptismum ejus statuunt. Gregorius Turonensis in fin. lib. 2. regnasse Clodoveum 30. annos scribit, & inter ejus, & S. Martini mortem intercedere 112. annos, quæ secundum ejus sententiam incidit in A. C. 397. Cæsario Atticoque Consulibus. Sic Clodovei obitus concurreret cum A. C. 509. initium Regni; cum A. C. 479. Baptismus cum A. C. 494. Sed cum solidis rationibus chronologicis hoc obitus S. Martini tempus impugnet Petavius in Doctrinâ Tempor. lib. 11. c. 44, malim ego sententiam Prosperi amplecti, qui in Chronico suo A. C. 399. obiisse S. Martinum refert, Sic tempus obitus Clodovei in A.

C. 511, & Baptiſmi in A. C. 496. incideret. Et ſanè mortem Clodovei in A. C. 511. reponendam è ſucceſſore Filio Childeberto conjicias. Is anno imperii ſui 49. è vivis exceſſit, teſte Aimoino lib. 2. c. 29. nam qui annum 45. malunt, illi refutantur eo, quod pragmaticum, ſeu Regium diploma de S. Vincentii ad urbem monaſterio, â Childeberto anno imperii ejus 48. editum ſit, teſte eodem lib. 2. c. 20. Ejusdem Childeberti anno Imperii 38. qui eſt A. C. 549. habitum eſt concilium V. Aurelianenſe, Indictione 13, 5. Calend. Novembr. Concilium Aurelianenſe III. habitum eſt ejus imperii Anno 27. quarto poſt conſulatum Paulini Junioris (qui A. C. 534. Conſul fuit) anno, qui erit A. C. 538. Nonis Maii. Vide Tom. 1. Conciliorum Gallicor. p. 277. & 247. Ex quibus omnibus, ſi inter ſe conferantur, & calculus ſubducatur, ſequitur: Childebertum imperare cœpiſſe & Clodoveum deſiiſſe A. C. 511. Cui ſententiæ ſuum quoque adjicit calculum Petavius, qui tamen, quâ ratione inductus, neſcio, obitum S. Martini ad A. C. 401. referre non dubitat. Cui ſi inhærendum, Petavius ſibi ipſi contrarius A. C. 511. pro tempore mortis Clodoveanæ definire non poſſet, quæ demum incideret in A. C. 513. Baronius obitum S. Martini ad A. C. 402. extendit, ſecutus Sigeberti Chronicon, quod falſum eſſe vel ex eo apparet, quia Sigebertus Proſperum ſibi conſentientem allegat, qui tamen toto triennio diſcrepat, ut ex ſuperius dictis patet. Sed Baronius eas potiſſimum temporis rationes amplectitur, ut fabulis iſtis Hincmarianis de Epiſtolâ Hormisdæ Papæ ad S. Remigium, Clodoveo vivente, miſsâ, de Coronâ Regni Galliæ Hormisdæ â Clodoveo donatâ fidem faciat: non enim leviter rei Pontificiæ intererat. Hormisda vero ſucceſſerat in locum Symmachi Pontificis A. C. 515, quarto poſt Clodovei obitum anno, ut pateat hinc, nec Epiſtolam potuiſſe ſcribi, nec coronam donari. Baronii argumenta labuntur in circulum: nam ubi de morte Clodovei diſputat, dicit, ejus tempus aliter locari non poſſe, quia obitus Martini incidat in A. C. 402. Ubi de morte Martini diſputat, dicit, tempus ita ponendum eſſe, quia obitus Clodovei incidat in A. C. 514. cum tamen utrumque falſum ſit. Et ſi vel maximè A. C. 514. ſecundum mentem Baronii, adſcribitur Mors Clodovei, anxiè ſane momenta temporum corradere debet, qui fabulas iſtas juſtis temporum articulis velit connectere. Mirè ſane & miſerè Baronius, alibi quaſi equuleo & fidiculis torquet & extendit tempora; alibi inter computandum amputat, ut tandem obitus Clodovei & initium Hormisdæ convenire poſſit, morem imitatus Latronis Procruſtis apud Plutarchum in Theſeo, qui ad menſuram lectuli ſui viatorum ſtaturam exigens, illis pedes, ſi longitudine menſuram excederent, abſcindebat, ſi juſto breviores eſſent, extendendo rumpebat. Hæc notare ad iſtum Diſſertationis locum viſum fuit, ne errorem Chronologicum nos commiſiſſe aliquis exiſtimet, dum datâ operâ & cautè ſatis ſic ſentimus.

❦(o)❦

DE-

DESCRIPTIO
ACTORUM
PROMOTIONIS

In omnibus Facultatibus

ACADEMIÆ CHRISTIAN-ALBERTINÆ, QUÆ KILONI EST,

Principalibus auſpiciis & ſumptibus
die XXII. Januar. cIɔ Iɔc LXVI.
inſtitutæ,

Omniumque, quæ cum iis ſunt connexa.



Viderat jam Cimbria nascentem, inter tot publica lætitiæ documenta, tot civium plausus, tot exterorum gratulationes, tot genialium dierum solennes amœnitates, Academiam. Viderat *Kilonium* Serenissimum Principem CHRISTIANUM ALBERTUM, Cimbriæ Patrem, Orbis decus, seculorum splendorem, ceu summum quendam Apollinem, Musas manu suâ ducentem, hasque illi sedes proprias & perennes assignantem. Viderant, quotquot hic magno confluxerant numero, circumlata Musarum sceptra, ritus magnificos, pompam & apparatum planè regium, convivia splendidissima; quæ aures & oculos omnium spectantium stupore quasi defixos hactenus detinuere; nunc verò tot hominum ora, tot posterorum calamos, tot seculorum linguas occupabunt. Quamvis enim illustria sint, tam in prisci, quam in præsentis ævi monumentis, Regum & Principum nomina, qui immortalitatem nominis literarum ambierunt æstimatione: omnem tamen illorum famam supergreditur DOMINI nostri munificentia, qui tanto affectu & ardore in Musas fertur, ut vix alias ad animum admittat curas, quam literarias, tempusque sibi omne periisse putet, quod illarum commodis non impendat, nec majus imperii sui credat emolumentum, quam æternum literarum decus. Nihil hactenus incomparabilis PRINCEPS in se passus est desiderari eorum, quæ ad stabiliendam rem nostram facere posse videbantur, literarum & literatorum Stator optimus maximus: auspiciis suis beavit, consiliis juvit, opibus sumtibusque splendidissimis mactavit, ut nunc Cimbria nunquam intermorituram literarum gloriam, vix sine aliarum nationum invidia possideat, ut illa communis quædam eruditorum patria, ærarium PRINCIPIS commune eorum patrimonium dicatur. Splendidissimè quidem hactenus omnia, quæ ad Inaugurationem Academiæ spectabant, peracta: non tamen omnes munificentiæ se absolvisse numeros credidit Clementissimus DOMINUS, nisi & Musarum filios præmiis, in omnibus Academiis hactenus usitatis, donasset, iisque gratuitis; ut ita beneficium adderet beneficio, dum munificentiam mactaret honoribus, honores suâ ornaret munificentiâ. Voluit hoc, quod Virtuti hic exstruxerat sacrarium, simul & Honoris templum vocari; cum & apud Romanos hæc contigua fuerint; ut omnes intelligerent, non minus eruditionis, quàm immortalitatis negotium hic geri: ut sic honores sua à literis haberent ornamenta: istæ ab honoribus sentirent incrementa. Optimè enim norat optimus PRINCEPS cibum quasi quendam animorum esse honores, quo subtracto, famæ, ut ita dicam, fame conficerentur animi, & ætatem inprimis juvenilem,

non

non facilè gratis arduam virtutis viam insistere, nisi quodam laudum palpo permulceantur & titillentur, cui si gloriam dempseris, virtus ipsa aspera futura & amara. Rectè enim Cato major, eos, qui virtuti honorem detraherent, virtutem simul omnem detrahere adolescentibus dicebat. Et quemadmodum Solon præmiorum vinculo contineri Rempublicam statuebat; ita hæc nostra Respublica, nullâ aliâ salute perstabit, quam ritè distributis præmiis, quæ quasi pignora quædam sunt, quibus obstricta ingenua ingenia gloriam semel partam deserere erubescunt, & potius iisdem factis, vel majoribus superare contendunt, aliosque post terga ducunt ad paria adspirantes. Et cujus obsecro animo non adderet stimulos perpetuum hoc honoris pignus, quod in novo hoc Musarum sacrario nunc conceditur, siquidem perspicere potest, quantum sit hoc beneficium, quod ipse summus PRINCEPS studia ejus æstimet, cujus ipse nomen dignum censet, ut in fastos eat; & felicia faciat nascenti Academiæ auspicia, quod celsissimo suo nomini junctum in iisdem annalibus nominabitur, eâdem famâ decantabitur. Dabuntur nunc virtutum exempla in paucis, ut omnes intueantur qui iis admoniti, nunc quidem non possunt negligentius tractare literarum studia, aut ignaviæ atque inertiæ devovere animum, nisi in ipsum simul PRINCIPEM velint esse injurii, ipsumque sacratissimum ingeniorum & literarum asylum habere despectui. Quis verò non æstimet illos honores, & luculentissimum illud favoris auxilium, quod ab ipso omnis dignitatis capite provenit, quod quia ab ipso fonte promanat, purius est, ut homines delicatè fastuosi, qui alias titulos honorum augustissimos spernere solent, quod aliquando indignis conferantur, nunc etiam in lucri parte deputent, si principalibus auspiciis tàm splendida præmia impetraverint. Non equidem negavarim, eò rem rediisse sæpè, ut tituli non sint amplius appendices virorum, sed viri appendices titulorum: videri sæpè in purpurâ saltantem aliquam simiam, & aliquem Caligulæ equum (nolo enim gravius aliquid dicere) togâ candida cinctum, ambientem centurias, prensantem ungulis, & obvio cuique adhinnientem, mox cum fascibus & securi trabeatum. Multis amplissima titulorum porta præfixa est virtutis Regiæ, de quibus, quod de Civitate exiguâ vastissimam portam habente dicit Diogenes: *Videte, ne per portam elabatur vestra Civitas*, diceres: videte, ne per titulorum portam elabantur vestri honores. Sed frustra quidem hæc & alia, quæ nonnunquam spargit maleferiatorum hominum, & à literis aversorum improbitas, objicientur alicui ab ipso nostro Apolline, ad summos istos honores admisso: cum nemo inter illos sit, qui non totus teres atque rotundus; nemo, qui non omne punctum tulerit, nemo etiam, qui in dubium vocare hoc possit vel audeat; nemo, qui honorem, illum felicitatis rorem, quo nutriri so-

ri solent præstantissimæ mentis semina, vertat in fomentum vanitatis.

Constituerat quidem Serenissima sua Celsitudo, hæc publicorum honorum solemnia ipsi festivitati inaugurali adnectere, ut ejus quandam partem facerent: sed cum Candidatorum indies cresceret numerus, temporisque angustia omnium examina atque disputationes non admitteret, dilata fuerunt in Nundinarum Kiloniensium tempus, toti Cimbriæ sacrum, & speciatim in octavum post octavas trium Regum diem, diem sc. 22. Januarii, ne vel festinatio nimia solennitati nostræ aliquid detraheret, nec minor illi nasceretur ex celebritate istius temporis gloria. Hujus Solennitatis descriptionem nunc molimur: interest enim publicè sciri, publicè commendari tantam PRINCIPIS munificentiam: verum quia hunc inter, & inaugurationis actum temporis aliquod spatium intercedit, nec hoc indictum abire patiemur, ne aliquis illud vel silentio vel otio periisse credat: sed & extris, quid in ipsis Academiæ incunabilis, unde non levia successus præsagia formari solent, actum sit, innotescat.

Decem & quatuor penè dies toti in publicis consultationibus, de re Academicâ agitatis, consumti sunt, quos non malè locatos judicabit, qui quidem sciet, quantum in primordiis tantarum rerum capiendis, quantum in fundamentis æterni istius operis jaciendis, situm sit momenti.

Consultationes istas excepere Lectiones publicæ, tanto quidem ardore & conatu institutæ, ut modo Dn. Professores de horarum defectu; modo Dn. Studiosi (quorum numerus haud exiguus) de prælectionum copiâ conquererentur: Cum enim una hora sæpe tribus vel quatuor Professoribus in diversis Facultatibus destinaretur, & inviti quodammodo distraherentur Auditores in plura collegia, dum singulis vellent, quod uni tantum poterant exhibere officium, evenit illis, quod evenire solet cœnæ dubiæ adsidentibus, quibus ipse ciborum delectus palatum cruciat & appetitum. Subsellia vacua nunquam vidimus. Nunquam Homericus ille Οὔτις occurrit: habuere semper suos auditores lectiones publicæ, quarum catalogus sub signo literæ A. adducitur, è quo ἔργα καὶ ἡμέραι nostræ, series lectionum & Professorum (quibus tamen alii vel accessere, vel successere) unicuique patebit. Accessere deinde collegia privata in singulis Facultatibus, & in Philosophicâ facultate per singulas penè disciplinas instituta, quæ auditores invenêre satis numerosos. In singulis quoque Facultatibus disputationes habitæ, quæ hic silentio non sunt prætereundæ.

Quod Facultatem Theologicam attinet, quia Magistratum gerit Vir Magnificus & admodum Reveredus Dn. PETRUS MUSÆUS, excusatissimus meritò haberetur, si interim planè ab officio Professorio cessaret. Dum enim Academia nostra in cunabulis versatur, conjectu facile est,

quod

quot & quantis ille negotiis distringatur. Neque enim haud paulò operiosius est, nascenti Academiæ, ut adolescat, obstetricis more opem ferre, quàm adultiorem, ut sarta tectaque conservetur, sustinere. Non parum autem & solatur Viri labores, & minuit, quod nostri Studiosi adeò tranquillè & moderatè agunt, ut parum aut nihil ab illis sit molestiæ. Quò magis se in posterum muneri Professorio sperat vacaturum: ideoque quas in catalogo lectionum promisit disputationes in universam Theologiam typis imprimendas, ante bioctiduum, bono cum Deo, auspicatò orsus est, binisque jam publicatis singulas singulis hebdomadis continuabit, has ipsas quàm primùm publicis lectionibus illustraturus, ut simul compendii loco sint, & eò magis studiosæ Juventutis commodis deserviant. Reliqui Theologiæ Professores, jam inde à tempore inaugurationis docendo ac disputando industriam suam, atque stationis fidem enixè probârunt. Disputationem Theologicam primam habuit Admodum Reverendus DN. CHRISTIANUS KORTHOLTIUS *de Religione Judæorum, Ethnicorum, & Mahumedanorum*, quam mox insequebatur altera *de variis Sacræ Scripturæ editionibus*.

Disputationem in Juridicâ Facultate primam habuit Vir Nobilissimus & Amplissimus Dn. Doctor ERICUS MAURITIUS Profess. Jur: Prim. *de Libris Juris communis*, cujus eò libentius nunc mentionem facio, quoniam in eâ Juris Feudalis collectionem postremam, ab Antonio de Prato Veteri (cui Mericurii nomen addunt membranæ MSÆ) Jurisconsulto Bononiensi factam, à FRIDERICO Tertio Imperatore probatam, à tot magni nominis JCTis hactenus desideratam, orbi literato edendam pollicetur. Quæ ubi lucem viderit, non levis inde Academiæ nascetur gloria, gratiasque nobis agent JCTorum filii, quod nunc primum è nostra Academimâ Juris Feudalis hac in parte restituatur dignitas. Ejusdem Decani curâ, primis statim duobus mensibus, responsa data sunt Cancellariæ Regiæ Suecicæ Ducatus Bremensis, Cancellariæ Luneburgensi, & aliis magni in Germania nominis Collegiis ea petentibus, non sine magno eorum applausu, ut ex iis quidem auspiciis & Academiæ nostræ, & Collegio in eâ Juridico præclarè possimus ominari.

Nec sua Medicæ Facultati defuêre exercitia. Primum enim celeberrimæ illius antidoti Theriacæ, quæ ab Andromacho nomen invenit, dispensatio & confectio Dn. JOHANNE CASPARO ADOLPHO Pharmacopœo Kiloniensi in officina veteri, spectanda dabatur, ad quam Medicæ arti addictos typis impresso programmate invitabat Vir Nobilissimus & Experientissimus, Dn. D. CASPAR MARCHIUS Facultatis suæ h. t. Decanus. Medic. Pr. Profess. Primar. Quo vix exacto, visitatio Pharma-

capoliorum instituta, quam Serenissima sua Celsitudo Archiatro suo, Nobiliss. & Experientissimo, D. MATTHIÆ CLAUSEN imperaverat, cui iterum interfuere una cum Professoribus & Doctoribus Medicinæ Studiosi. Hic in rem præsentem & quoddam quasi naturæ theatrum deducti, omnia ea, quæ per sylvas, prata, montes, dumeta anxiè conquiruntur, quæ ex terrarum visceribus eruuntur, quæ è mari extrahuntur, non oculis solùm compendio quodam subjicere, nec eorum sola nomina; ut pueri vocum elementa & picturas complecti; sed ipsas illarum virtutes, & singulares in medendi arte usus è mutuis Medicorum hinc inde dissertationibus discere potuerunt, Viderunt sexcenta ea, quæ è simplicibus illis confici solent, Catapotia, Eclegmata, Spanadropes, Malagmata, Dropaces, Marmeladas, & si quæ alia sunt horrenda nomina, horrendis humani generis hostibus opponenda, quæ sunt quædam vitæ contra mortem arma, in hoc ejus armamentario disposita: ut hic non mutos aliquos Præceptores, sed Naturam ipsam Ducem haberent & Magistram, quæ plura suo silentio loquitur, quam multæ Doctorum & librorum voces. In ipsis dehinc Nundinis disputationem Medicam *de Febri artificiali* habuit Nobilissimus & experientissimus Dn. D. JOHANN DANIEL MAJOR Anatomes Professor publicus, ut tam in cathedris, quam extra eas, satis habuerint Medici quod agerent.

In Facultate Philosophicâ primam de *Historiâ antediluvianâ* disputationem tabulæ publicæ affixit Admodum Reverendus & Ampliss. Vir Dn. D. MICHAEL WATSONIUS Historiar. Prof. Facultatis suæ h. t. Decanus, sed quæ prius ultima illi fuit, quàm prima esse incepit. Dum enim hanc publicè affigit, morbus vehementior cum lecto affigit, & magnum hoc Academiæ nostræ decus eripuit, simulque Historiam antediluvianam lethéo diluvio mersit. Quem quidem casum non solùm Facultas Philosophica, quæ Decanum suum, totaque Academia, quæ optimum Collegam dolebat, acerbissimé tulit: sed & ipse Sereniss. PRINCEPS suâ per Legatum Magnificum Dn. PRORECTOREM in exsequiis ejus præsentia dolorem suum testabatur, & conquassatas primo hoc & acerbo funere Musas solabatur; quæ hâc & pietate & clementia erectæ, dum, quanti nunc ab illo æstimentur, intelligunt, illustriores aliis videbuntur, cùm illas PRINCIPIS sui lumine radiare sentient. Dignissimus illi in Professorio munere successor exstitit Clarissimus & Amplissimus Dn. M. ADAMUS TRIBBECHOVIUS, in Decanátu Admodum Reverendus & Ampl. Dn. MATTHIAS WASMUTHIUS SS. Theol. D. Hebrææ & Oriental. Lingvar. Professor Ordinar. Cujus nunc operâ & industriâ indefessâ prodit è novo hoc nostro Musarum sacrario novum opus, cui titulus: HEBRAISMUS RESTITUTUS, in quo.

præter

præter illa, quæ ad facilem Linguæ Sanctæ cognitionem ſpectant, proponitur Nova Accentuationis Doctrina, omnibus numeris abſoluta, ſimulque Lingua Sancta vindicatur ab iis calumniis, quibus impetunt illam adverſarii. Quod, uti multorum votis hactenus expetitum: ita non parum faciet ad novam novæ noſtræ Academiæ gloriam.

Dum ergo in omnibus Collegiis ſtrenuè gerebantur omnia, ſubſellia perſonabant diſputationibus, cathedræ fervebant prælectionibus, ſubinde interceſſere publicæ de inſtanti promotinis actu conſultationes. Et quamvis jam tum Candidatorum amplus eſſet numerus, qui in omnibus Facultatibus, raro hactenus & inaudito in aliarum Academiarum inauguratione exemplo, ſummos honores peterent, æquum tamen & tantæ ſolennitati conveniens cenſuit Magnificus Dn. PRORECTOR, & SENATUS ACADEMICUS, ut publico programmate (quod d. 13. Decembris affixum & ſub nota literæ B hic adnectitur) ſignificaretur, commendareturque tantum Sereniſſimi Principis beneficium, ſimulque alii, quibus inuſitatæ fama munificentiæ nondum innotuerat, ad honores ſummos capeſſendos invitarentur. Quoniam etiam diplomate Cæſareo PRORECTORIS officio conjungitur Comitivæ Sacri Palatii dignitas, eaque privilegiis luculentis conſpicua, invitati itidem fuerunt, quibus poteſtate illâ Magnifico Dn. PRORECTORI conceſſa, uti commodum eſſet. Et obtulerunt ſe quidam, qui Notariorum exambirent nomen, quorum creatio in tempus poſt nundinas dilata.

Hæc inter annus ad finem properat, novusque novæ noſtræ Academiæ cœpit illucere, qui cum elapſo illo partiri noſtra gaudia videbatur, ne ſolus ille teneret omnia, ut finis veteris anni Academiæ daret initium; initium hujus Academicorum ſtudiorum finem ſummum, & honorum adderet complementum, ſingulari aliquâ feſtivitate. Cum verò eo tempore circumferri ſoleant & venditari ad nauſeam usque vota, aliaque peragi ſolennia, quæ vel ſuperſtitio invexit, vel induſtria quorundam & affectus benevolus quaſi per manus tradidit: ſui muneris quoque credidit eſſe Eloquentiæ & Poëtices Profeſſor, cui in voces & verba hic datum eſt imperium, ut bona verba publicè diceret; nec novos ſolùm annos, ſed magnos menſes, annos maximos, & nova ſecula novæ exoptaret Academiæ, & ſtrenas quasdam ſuas carmine conceptas, tàm toti Corpori Academico, Capiti ejus, Rectori Magnificentiſſimo, ſingulisque membris: quàm Generoſiſſimo & Excellentiſſimo DN. PRÆSIDI, Muſarum noſtrarum Patrono incomparabili humillimè & officiosè exhiberet, ut ſic novitas officii, novitate aliqua carminis, novitati rei & temporis reſponderet. Carmina adjecta ſub ſignis C. D.

Kalen-

Kalendas Januarias insequebatur exoptatum illud nundinarum nostrarum tempus, quarum à feriis trium Regum initium est, quod quidem commodè his Musarum sacris destinatum est: tum quod Kilonium sinu suo omnem penè Holsatiam, totam generosam Nobilitatem, tot undique adventantes hospites complecteretur, & tota Cimbria spectaret in hoc suo Ocello Kilonio pompam hactenus nunquam sibi visam, totâque patriâ teste gereretur negotium, cujus utilitas publica erat, famaque pariter ad omnes pertinebat; tum quod ipsis illis nundinis literarum quoque instituerentur nundinæ, & bonarum artium mercatus, in quo studiorum præmia, nullo alio pretio, quam quo Dii dicebantur Epicharmo sua bona vendere, laboribus scilicet & sudoribus, divenderentur. Ne verò turbæ & strepitus, qui nonnunquam à tanta hominum tàm diversæ sortis frequentiâ excitari solent, molestiam cierent Musis, solitudinem & tranquillitatem amantibus, & sacra nostra turbarent, sedulò prospexit tum Serenissima, sua Celsitudo Edicto ad omnium ordinum cives & hospites emisso, tum Magnificus DN. PRORETOR & Senatus Academicus programmate quodam, quo cives suos ad tranquille his nundinis vivendum adhortantur, (vide lit. E.) Nec decollavit spes nostra, nec vota fefellit eventus; sed longè felicius res ea cecidit, quam vel arbitrarentur nonnulli, aut improba, quorundam male ominabatur suspicicio, qui nihil nisi cædes & duella è congressu illo primo minitabantur. Et tantum quidem fuit in nostris civibus parendi studium, ut toto illo tempore nullus audiretur nocturnus Stentor, nullæ visæ fuerint comessationes, quæ lacessere alios potuissent. Tanta quoque hospitum modestia fuit, ut seu Principali autoritate coërciti, seu suopte genio Musis non adversantes, ne digito quidem tetigerint, aut verbo cives nostros læserint: ut Kilonium omnesque ejus cives nullo tempore quietiores se habuisse nundinas meminerint, quam quo pacificas sinu suo Musas recepere: quod dignum omnino censeri debet, ut in annales eat, & seculo commendetur. Atque hoc felicissimo eventu uni obturatum os est calumniæ, quæ in hospitalem hunc Musis locum, nundinarum præsertim tempore, credidit, nec Musarum hîc ludum, sed Martis aliquam palæstram fore somniavit.

Pugnavimus tamen; sed Marte incruento, sed armis innoxiis, non in arenâ gladiatoriâ, sed in pulvere literario. Instituebantur enim Candidatorum examina, & disputationes inaugurales, horis matutinis & pomeridianis. Hîc non tantùm magnum multorum hominum confluxum vidimus, sed & insignem Generosæ Nobilitatis favorem experti sumus, ut & ipse Excellentissimus & Generosissimus Dn. PRÆSES, licet occupatissimus, sacris tamen nostris, vel tum, cum præsideret disputationi Magnificus Dn. PRO-

PRORETOR, interfuerit. Adfuerunt Senatores Regii & Ducales, nec ulla fere, vel extra has inaugurales habita disputatio, ad quam primus fere non comparuerit Generosiss. noster Præfectus. Omnis res nostra, omniaque solennia hactenus in ipsâ luce geruntur, & illustri auditorio, è quo perpetuum nunc splendorem habent Musæ nostræ. Suus Pro-Rectori, suus reliquis Professoribus, ubique honor, tâm in publicis, quàm in privatis congressibus. Nemo se despicatui haberi, nemo se postponi conqueritur. Laudant omnes & Nobilium, & Senatus Urbani, civiumque modestiam. Ipse Serenissimus PRINCIPES adeò Academicorum ordinem æstimat, ut quoties invitatus apparere non potuit, toties vices suas Magnifico Dn. ProRectori delegarit. Satis enim intelligit, nihil de Majestate suâ decedere, si quosdam ejus radios cum Musis suis partiatur; non secus, ac Sol, etsi in Lunam aliquod lumen emittat, nihil tamen de splendore suo perdit. Abscedant ergo improbæ quorundam voces, & intolerabiles calumniæ, quæ Cimbros altiori & elatiori esse animo clamârunt, quam ut optimis artibus & literis, earumq; Professoribus suum asserturi sint pretium. Cum tamen hîc solæ vere Generosos forment literæ, & Eruditio in Nobilitatem, Nobilitas in Eruditionem transiisse videatur, unumque sit & Eruditionis & Nobilitatis Nomen. His certè arbitris, his spectatoribus, his Auditoribus omnia fuisse gesta in magnâ gloriæ suæ parte reponent nostri Candidati, de quibus jam amplius memorandum. Verum prolixis eos laudibus nunc non commendo; tum quia in eo argumento versantur peculiaria nonnullis scripta programmata, tum quia illos partim Professoria, partim sacri muneris dignitas, omnes verò virtus & eruditio comendat, ut nemo in illorum numerô sit, qui non veram hîc dignitatem reportaverit, à dignis ita dictam, & non nisi dignis dandam, & datam. Disputationes habuerunt eo ordine, quo ad illas parati fuerunt. Die quarto Januarii in Facultate Theologica Præside DN. D. CHRISTIANO KORTHOLTIO, disputavit DN. MATTHIAS WASMUTHIUS, Hebrææ & Orientalium linguarum Professor, & h. t. Facultatis suæ Decanus, de *Illustrioribus quibusdam controversiis Theologicis Didactico-Exegeticis.* In Juridicâ Facultate, die quinto Januarii, Præside DN. D. ERICO MAURITIO, Facultatis suæ h. t. Decano, DN. SAMUEL RACHELIUS, Juris Naturæ & Gentium Professor publicus, *de Duellis:* In Medicâ Facultate, die octavo Januarii, Præside DN. CASPARO MARCHIO, Facultatis suæ h. t. Decano. DN. HENRICUS BERNHARDUS BESELIN, Rostochiensis, *de Luxatione ossium in genere:* Iterum in Theologicâ Facultate, die 17. Januarii, Præside Magnifico DN. ProRectore, PETRO MUSÆO, SS. Theol. Prof. Prim. & Facultatis suæ h. t. Decano, M. STEPHANUS KENKELIUS, in Ducatu Schleswicensi, oppidanæ Ecclesiæ Tunderanæ Pastor, ejusque nec non Diœ-

 cefeos

ceseos Tunderensis & Lygomonasteriensis Præpositus, *de JESU CHRISTI duabus naturis personaliter unitis, & officio satis factorio*, disputarunt. Die 20. Januarii tres habitæ inaugurales disputationes: neque enim disjunctas temporis ratio haberi permittebat: In Collegio Theologicô habita est disputatio DN. PAULI SPERLINGII, SS. Theologiæ in hâc nostrâ Academia Professoris Publici, Ordinarii, Ecclesiarum in Præfecturis Holsatiæ Ducalis Præpositi, Præside Magnific. DN. PRORECTORE, *de antiquissimo Exorcismi in Baptismo ritu, nequaquam temerè multò minus tumultuariè vel rejiciendo, vel abrogando*: In Collegio Juridico disputatio JOHANNIS GEORGII PELLICERI, Venerando Capitulo Lubecensi à Secretis, Præside DN. D. ERICO MAURITIO, *de Æstimatione*: In Collegio Medico disputatio DN. M. JACOBI de CLERICE, Hamburgensis, Præside DN. D. JOHANNE DANIELE MAJORE *de Dysenteria*. Intercesserunt hîc quoque Philosophiæ Candidatorum examina, quorum nomina inferius consignabimus. Missæ circa idem tempus humillimæ ad Serenissimum PRINCIPEM literæ, à Magnifico DN. PRORECTORE & Senatu Academico, quibus designari petebatur Procancellarius, constitutusque est Serenissimi PRINCIPIS autoritate ad hanc solennitatem Procancellarius DN. D. CHRISTIANUS KORTHOLTIUS.

Peractis his, quæ necessariò præmittenda erant, per literas humillimas primò invitabantur Reverendissimi & Serenissimi PRINCIPES AC DN: DN. CHRISTIANUS ALBERTUS, Fundator & Rector nostræ Academiæ munificentissimus, & magnificentissimus: DN. AUGUSTUS FRIDERICUS, Capituli Lubecensis Coadjutor &c. &c. Domini nostri Clementissimi. Invitabatur deinde ad actum hunc Illustri suâ præsentia ornandum Excellentissimus DN. PRÆSES, summus Academiæ & studiorum nostrorum Fautor ac Mæcenas, quem tunc temporis tam Serenissimi PRINCIPIS, quam sua detinebant hîc negotia, per Professores à Senatu Academico missos. Invitabatur tum Generosissima Nobilitas, tum omnium ordinum hospites, die Solis, proximè præcedente diem solennibus nostris destinatum, vigesimum secundum Januarii, per octo Studiosos, plerosque, vel Magistros, vel Candidatos, quos Paranymphos sivè (die Platzmeister) vocare solemus: præeuntibus, pro more Academiarum veteri, Magnifico & Regio, Ministris publicis, qui sceptra argentea præferebant. Eodem die affixa quoque singularum Facultatum invitatoria Programmata.

Exoriebatur jam ipse exoptatissimus solennitati nostræ destinatus dies, Vincentio sacer, quo Vincentii nostri, vel Victores literarii, Candidati triumphos suos ducerent.

Horâ 7. matutinâ, signo campanæ majoris, è templo majori bis dato, conve-

conveniebant tam DNN. PROFESSORES & Candidati, quam DNN. Hoſpites, in loco conſiliis Academicis deſtinato, ubi aliquam diu commorati ad templum majus ſe conferebant eo ordine.

Præibant tubicines, qui buccinantem famam exhiberent, qui concurſantem hinc inde populum, ad nova inſolitaque hactenus ſpectacula effuſum, & ab omni nobis latere circumfuſum, admonerent, ut de via cederent.

Hos ſequebantur Δᾳδοῦχοι Pueri XVI. incenſas præferentes faculas, illuſtria illuſtris honoris ſymbola.

Iſtos excipiebant Paranymphi illi, quorum ſuprâ facta mentio, ſinguli geſtantes binos pileos; purpureos Doctoribus ſuperiorum Facultatum; violacei coloris Philoſophiæ Doctoribus, quos Magiſtros vocamus, imponendos.

Hinc Magnificus Dominus PRORECTOR Magnificus DN. PRO-CANCELLARIUS, quibus præibant Miniſtri Sceptrigeri, cœterique Dnn. Profeſſores ſuo Ordine, quibus ſingulis latus claudebat aliquis è numero Hoſpitum.

Poſt hos ſequebantur Candidati, poſt iſtos Studioſi.

Poſtquam in templum, maximâ hominum frequentia jam occupatum, & quaſi ſtipatum, perventum eſt, Domini Profeſſores & Candidati ſiniſtra occupabant ſubſellia, Hoſpites dextra, utrinque ad latus cathedræ poſita, quæ eum in finem duplex exſtructa, pulcherrimisque tapetibus ornata. Pilei & libri pro muneribus diſtribuendi menſæ ſub inferiori cathedra impoſiti. Miniſtri Academici, ceu Regii quidam Muſarum Satrapæ ante cathedram ſtabant. Hic primo ſuaviſſima vocis & Muſicorum Inſtrumentorum Symphoniâ piiſsimæ preces: *Veni Sancte Spiritus*, canebantur.

Finitâ Muſicâ, Cathedram ſuperiorem Magnificus Dn. Pro-Rector, PETRUS MUSÆUS h. t. Facultat. ſuæ. Decan. inferiorem Candidati aſcendebant. Hic primus Magnificus Dn. Pro-Rector brevem quidem, ſed elegantisſimam habuit orationem: vide lit. F. quâ finitâ, à Magnifico Dn. Pro-Cancellario, qui primus in Dnn. Profeſſorum ſubſelliis conſidebat, creandi novos hos Doctores facultatem petiit: cum interim & faces incenſæ ante cathedram exhiberentur à pueris, & Candidati loco ſuo relicto, coram Dn. Pro-Cancellario ſe ſiſterent, reverentiam ſuam teſtaturi. Quâ impetratâ, in priorem locum ſe receperunt, & Dn. Decanus, poſtquam jurejurando, præeunte verba Miniſtro Publico, & tactis Sceptris, eos obſtrinxerat, Doctores publice proclamavit

DN. PAULUM SPERLINGIUM, SS. Theol. in hâc Academiâ Profeſſorem Publ. Ordinar. Eccleſiar. in Præfecturis Holſatiæ Ducalis Præpoſitum.

DN. MATTHIAM WASMUTHIUM, Hebrææ & Oriental. Lingv. Professorem Ord.

DN. M. STEPHANUM KENKELIUM, in Ducatu Slewincensi oppidanæ Ecclesiæ Tunderanæ Pastorem, ejusque juxtà ac Diœceseos Tunderensis & Lygomonasteriensis Præpositum.

Discedebant jam de cathedrâ Theologi, subsellia vicina Professorum, suo quisque ordine occupantes, ita ut primus sederet Magnificus Dn. PRORECTOR: in Candidatorum vero serie, & post reliquos Professores, recens creati Doctores. Tum, intercedente prius choro Musico, Dn. ERICUS MAURITIUS Fac. suæ h. t. Decanus, cum Dnn. Candidatis, eodem ordine cathedras ascendit, qui habitâ prius eruditâ, de origine Graduum Academicorum Oratione, lit. G. peractisque cæteris, quæ modo memoravimus solennibus, Doctores publicè renunciavit

DN. SAMUELEM RACHELIUM, Juris Naturæ & Gentium in hâc Academiâ Professorem Publ.

DN. NICOLAUM MARTINI, Polit. in hâc Academiâ Professorem, qui jam olim, ante aliquot annos, in Academiâ Rostochiensi, examina tam privata, quàm publica sustinuerat.

Licentiatum vero proclamavit, collatis dehinc omnibus ei symbolis, quæ Doctoribus conferri solent:

DN. JOHANNEM PELLICERUM, Venerando Capitulo Lubecensi â Secretis.

Abibant jam Jurisconsulti, locum facturi Medicis. Conscendens itaque inter concentus Musicos cathedram, cum Dnn. Candidatis, Dn. D. CASPAR MARCHIUS, Facult. suæ h. t. Decan. habitâ prius doctâ oratione, (lit. H.) peractisque iisdem cerimoniis, Doctores publicè nuncupavit

DN. JACOBUM KORNMESSERUM, Coloniensem Marchiacum, absentem, ut præsentem, qui in Academia Rostochiensi ante hac examinatus & publicè disputaverat.

DN. HENRICUM BERNHARDUM BESELIN, Rostochiensem.

DN. M. JOHANNEM de CLERICE, Hamburgensem.

Hinc ordo tangebat Philosophos, & DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS, U. J. D. Eloqu. & Poët. Prof. in hoc actu Prodecanus (nam DN.

DN. WASMUTHIUS, Facultat. h. t. Decanus inter Theolog. Candidatos locum occupaverat) agmen ducebat Candidatorum, quorum numerus, bono quidem omine, reſpondebat numero artium liberalium, & quo numerantur Græciæ Sapientes, *Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.* Qui oratione pro rei & temporis ratione habitâ, (vid. lit. I.) præmiſſisque cæteris ritibus, Philoſophiæ Doctores, quos Magiſtros venerabili & antiquisſimo nomine dicimus, proclamavit

DN. HENRICUM Störning/ Kilonio Holſatum, & in Patriâ ſuâ Paſtorem ad Æd. Sp. S.

DN. LAURENTIUM FRISIUM, Abelâ-Holſatum, Paſtorem Bredenſem.

DN. JOHANNEM Schmied/ Paſtorem Birtenſem.

DN. JOHANNEM MAURITIUM, Tondera Holſatum, deſignatum Paſtorem Huſtropenſem.

DN. CASPARUM URSINUM, Islebienſem.

DN. DAVIDEM HARBERDING, Roſtochienſem.

DN. JACOBUM DORNKRELLIUM, Lunæburgenſem.

Singulis in ſingulis Facultatibus collata omnia ſymbola, quæ quidem Doctoribus & Magiſtris in omnibus Academiis conferri ſolent, de quibus ipſæ Orationes explicatius diſſerunt.

His peractis, Oratio Gratiarum actoria recitata à Dn. M. HENRICO Störning/ (*vide lit. K.*) cum interim Libri pro muneribus inter Dnn. Profeſſores diſtribuerentur.

Poſtea preces à Reverendo Verbi Divini Miniſtro, Dn. MATTHIA BURCHARDI coram altari fuſæ, quibus Divinum implorabatur auſpicium.

Hinc è Templo diſceſſus parabatur: ita ut primi irent tubicines; hinc Pueri Δᾳδοῦχοι; inde Paranymphi; poſt hos Dnn. Profeſſores & Hoſpites, ita, ut antea, juncti: inter quos jam medius ibat aliquis Doctorum recens creatorum, infulis Doctoralibus inſignis & præ aliis conſpicuus. Conferebant ſe inde Omnes iſto ordine ad ædes Dn. D. SAMUELIS RACHELII, ubi reliqua diei pars, convivio Sereniſſimi Principis munificentiâ digno, inter læta & fauſtisſima Muſarum jubila conſumebatur.

Hactenus præclarè & magnificè omnia exacta, nec quicquam ad ſplendorem tantæ ſolennitatis addi potuiſſe videbatur, nihil ad feliciſſima illa auſpicia, quæ in ipſis Academiæ incunabulis tantâ ſe ultrò ingerebant

 copiâ.

copiâ. Neque enim Academicæ ſolennitates ullæ ferè ſunt, quæ non ſtatim primo iſto & exiguo tempore celebratæ ſint omnes, non ſine luculento de futuris præſagio.

Ne vero vel unicus deeſſet Academicus labor, ſtatim poſt hunc Promotionis Actum ſpectanda dabatur ANATOME IN CADAVERE HUMANO, Demonſtratore DN. JOHANNE DANIELE MAJORE, Anatomes Profeſſ. Publ. quæ ANATOMEN CYGNI, ad quam ſpectandam, jam antea typis impreſſo Programmate invitaverat, in aliud tempus diſtulit. Nec hic ceſſavit munificentia Sereniſſimi PRINCIPIS in Theatro Anatomico erigendo: Nec deprædicari ſatis poteſt ſummus Generoſæ Nobilitatis Favor, quem continuâ iſtâ ſuâ per tot dies præſentia ſtudiis Academicis exhibebat. Sic, cum hactenus omnia noſtra negotia verſarentur in illis ſcientiis, quæ vel alia, vel alios cognoſcere laborant, denique ad *Noſtri Cognitionem*: quæ omnium quidem prima eſſe debebat, ſed à paucisſimis in aliqua ſcientiarum ſerie locatur, devenimus, non jam amplius *ἑτεροδίδακτοι* ſed *αὐτοδίδακτοι*. Nec defuerunt in iſto cadavere novæ quædam obſervationes, ut omnia jam hic nova eſſent & auſpicata, & quemadmodum in reliquis Facultatibus; ſic in Medicâ quoque ſe offerrent nova quædam, quæ memoratu digna, cumque natalibus Academiæ ſimul irent in ſecula. Et poſſumus ſanè ex eo, velut quodam extiſpicio Medico, bene ominari Facultati, non quidem Hetruſci Aruſpices, ſed tamen haud vani augures. Verum cum de his omnibus prolixius agat ipſe Anatomes Profeſſor in peculiari de hâc Anatome diſſertatione, quæ in fine operis additur, eò Lectorem remittimus.

Nos potius hìc auſpiciorum noſtrorum finem facimus, quæ felicia hactenus eſſe juſſit jubeatque porro Deus Optimus Maximus, ita ut illorum nullus ſit finis, niſi qui novis ſimul felicioribus auſpiciis ſua initia largiatur. Cum enim ſine illo nihil firmum ſit & ſtabile, ab illo tanti operis capienda exordia, deducenda incrementa. Illi ſupplices primo agimus gratias, omniaque noſtra, in hoc Literarum Seminario, ad virtutis & ſapientiæ aram gloriæ & cultui ejus devovemus. Vetus illa Romanorum in conſecratione Capitolii formula, quâ Deos precabantur: *Uti cœpta proſperarent, ſedes ſuas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent.* Sed quanto rectius nos Deum veneramur: *Uti cœpta proſperet, & has Religionis & literarum ſedes, pietate CHRISTIANI ALBERTI inchoatas & conſtitutas divina ope attollat.* Servet is Sereniſſimum noſtrum PRINCIPEM, cujus contubernio nunc Muſæ noſtræ auguſtiores factæ, cujus ſubſidiis defenduntur, favore foventur, auxilio eriguntur! VIVAT DOMINUS NOSTER, qui moribus ſuis corrigit ſeculum, orbem implet beneficiis! VIVAT ſeculo-

culorum gloria, Orbis Delicium! VIVAT tota Domus Cimbrica, & felicissima semper sentiat incrementa, non nisi cum Orbe isto finienda! VIVAT quoque summus MUSARUM NOSTRARUM MÆCENAS, Excellentissimus DN. PRÆSES, qui apicem Nobilitatis, virtutum suarum sublimitate metitur. VIVAT! Sed supervacua hæc sunt vota nostra. VIVET HERCULES MUSAGETES, VIVET HEROS, cujus consiliis & vigili curâ in Cimbriâ vivunt Musæ, cui non solum maxima in Rempublicam merita, sed & Musarum nostrarum suffragia, jam dudum immortalitatem largiuntur.

AD
REVERENDISSIMUM ET SERENISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM,
DN. CHRISTIANUM ALBERTUM,
Electum Episcopum Lubecensem, Heredem Norvvegiæ, Ducem Slesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comitem in Oldenburg & Delmenhorst,
DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM,
ACADEMIÆ KILONIENSIS
FUNDATOREM MUNIFICENTISSIMUM,
RECTOREM MAGNIFICENTISSIMUM,
APOLLINEM LAURIGERUM,
PRIMIS LAUREIS
MUSAS SUAS ORNANTEM.

MAXIME, cui bimaris famulatur Cimbria, PRINCEPS,
Nostri Delicium temporis, Orbis Amor.
Cujus ab Auspiciis nova surgunt Regna Camœnis.
Cujus & in placido delituêre sinu.

Ecce

Ecce nova crescunt vel in ipso frigore lauri,
Quas Tu munificâ conseris ipse manu.
Sol nobis Ætherque favet tuus, istaque Solis
Instar ab Arctoâ germina tollis humo.
Quasque Tibi, nobis pariter vis crescere frondes.
Quæ tua, PHOEBE, premit tempora, nostra premit.
Hæ nobis Laurus, hæc Præmia prima parantur,
(Et quantum est, PHOEBO judice, prima dari!)
At nos, quæ Capiti statuis, DUX OPTIME, nostro;
Sternimus ante tuos laurea serta pedes:
Hæc votiva tuis, ô PHOEBE, reponimus aris.
Æterno Famæ figimus ista tholo.
Ista tuâ nobis semper sub luce virebunt.
Integra, dum servat præmia PHOEBUS, erunt.
Improba non ferient æternas fulmina laurus,
Perpetuusque tuâ fronde triumphus erit.
Hinc tibi decerptus tellureque conditus altâ
Surculus in sylvam surgat eatque novam.
Sic quæ Cæsaream firmarunt omina stirpem, *
Æterna heic Musis fata domosque dabunt.
Sic crescet Virtus cum germine: Nec modò deerunt
Munera justa Viris Muneribusque Viri.

* Vide Sveton. l. 7. c. 1.

D. G. M.

(*Lit. A.*)

CATALOGUS LECTIONUM,

Publicatus d. XXV. Novembr.

Facultas Theologica.

PETRUS MUSÆUS, S. Theol. D. & Prof. accuratam Locorum Theologicorum explicationem, & subinde in iis occurrentium difficultatum enodationem publicis suis lectionibus delegit. Impeditus tamen magistratu, quem jam gerit, segniùs, quàm vellet, partes muneris Professorii, posteà autem diligentiùs, si Deus volet, implebit, sique, quod integrum hactenus relinquitur, idem sibi argumentum servet, enixè operam dabit, ut, quantumvis latissimè pateat, quotannis ejus stadium decurrat: quò illi, qui non ultra annum commorari possunt, saltem non prius à nobis recedant,

dant, quam fundamenta Theologiæ collocaverint, quibus quicquid præterea Sacrorum ſtudiorum eſt, innititur, ſeu expediundæ controverſiæ, ſeu Sacra Biblia ſint explananda. Adhoc petentibus publicè ac privatim diſputandi operam commodabit, quantum per dictas magiſtratûs occupationes licebit; cum primis totam Theologiam breviculis ac ſuccinctis theſibus publicè diſputandis complectetur, perpetuô Reſpondente Dn. M. Bartholomæo Naſſero. Præleget autem hora antemeridianâ IX.

D. CHRISTIANUS KORTHOLT, publicè pertractabit controverſias, quæ Proteſtantibus cum Pontificiis intercedunt, daturus operam, ut intra annum, volente Deo, lectiones iſtas abſolvat. Privatim autem Inſtitutiones Catecheticas B. D. Dieterici Studioſæ Juventuti explicabit. Sed & publicis Diſputationibus vindicabit Tractatum ſuum ſub Titulo *Valeriani Confeſſoris* ante aliquot annos editum, qui Romæ ex decreto S. Indicis Congregationis inter libros prohibitos relatus, & Viennæ â quodam Capuccino impugnatus eſt. Deſtinata eſt ipſius prælectionibus publicis hora X.

PAULUS SPERLING, SS. Theol. Prof. P. Ordin. demandatam ſibi publicâ Autoritate antiquitatis juxta ac Oratoriæ Eccleſiaſticæ ſpartam pro virili ornare & exſequi omni ope adnitetur. In Theologiæ etiam parte Exegeticâ ſubinde alternis Librum Veteris, vel Nov. Teſt. interpretabitur; ad Literalem maximè, quem vocant, ſenſum Studioſam Juventutem manu ducturus, Operaſque commodiſſimis quibusque, quantum omninò fieri poterit, temporibus ita partiturus, ut illas priores, has verò poſteriores Septimanæ dies ac horæ ſibi vendicent. Et in publicis quidem Prælectionibus occupabitur quotidie Horâ poſt meridiem Secundâ. Ad privata autem exercitia Auditoribus ſuis eadem petituris operam minimè abnuet.

Facultas Juridica.

ERICUS MAURITIUS, U. J. D. & P. P. publicas Lectiones Pandectis impendet, ab Hora IX. matutinâ ad X. usque, atque operam dabit, ut ea præcipuè, quæ uſui in publicum eſſe poſſint, quantâ fieri poterit, brevitate doceat. Privatis Lectionibus Daniel Ottonis Jus publicum interpretabitur. Ac Pandectas quidem ante biennium, Juris verò publici doctrinam octo menſium ſpatio abſolvere, ſummô annitetur opere. Sed & Diſputationum exercitiis, deſideranti LL. Studioſæ Juventuti non deerit.

SAMUEL RACHELIUS, Juris Naturæ & Gentium PP. Ordin. incomparabile H. Grotii de Jure belli & pacis opus, â Sereniſſimo Academiæ Fundatore ipſius curæ peculiariter commendatum, interpretabitur. In quo difficillimo argumento, ut tantò felicius Auditores proficiant, theſes hinc excerptas publicis Diſputationibus ſubjiciet. Privatim Inſtitutiones Juris præleget. Docet hora X.

SIMON HENRICUS SANNEMAN, Jurisp. Prof. Ordin. Institutiones Juris succinctâ primum paraphrasi, ad usus rudiorum, mox latiori exegesi publicè interpretabitur. Neque privatim Studiosæ Juventutis vota destituet, seu Illa legendi seu disputandi operam desideraverit.

In exspectatione adhuc sunt duo Juris Professores. Illi quoque spartam suam egregiè ornabunt, & quâ methodo, in quas partes, inque quot dies menses ve suæ uterque argumentum Professionis descripturi sint, statim atque aderunt, sui memores officii significabunt.

Facultas Medica.

CASPAR MARCH. D. Medicinæ Practicæ Prof. Ordinarius horâ X. in XI-am. Practicarum Lectionum initium faciet à Ventriculi præternaturalibus affectibus; quibus absolutis, ad aliorum viscerum naturalium vitia progredietur, id operam ubique daturus, ut, tum quâ morborum sedes & causas, tùm quà eorundem remedia, vel evidenti demonstratione, vel sufficienti ratione asserta confirmet. *Privatim* quoque legendo & disputando, & ad Chymicas medicamentorum præparationes manuducendo, discendi cupidis promptus erit & paratissimus.

JOHAN-DANIEL MAJOR Phil. & Med. D. & P. P. Medicinæ Theoreticæ & Botanicæ, publicè Anatomica leget horâ IX. & X. matutin. Privatim verò tam legendo, quam disputando in Physiologia Medica, vel materia Medicamentorum simplicium desideriis Auditorum se accommodabit.

Facultas Philosophicà.

MICHAEL WATSONIUS Phil. & S. Theol. D. Hist. Sacr. & Profan. Prof. Ordinarius h. t. Decanus. Synopsin Historiæ Universalis à condito mundo ad præsens tempus, additis variis Annotatis, publicis lectionibus, (quibus hora III. destinata est) semestri, quoad fieri potest, spatio, & publicis disputationibus selectiora ex utriusque historiæ fontibus desumpta dogmata, favente Deo, exponam. Privatim doctrinam de Politiis Veteribus & hodiernis apud Romanos & Germanos intra 3. Menses ex Historicis & Politicis declarabo. Aliis quoque studiis Dnn. Studiosis prodesse annitar.

MATTHIAS WASMUTH, Hebr. & Orient. Lingg. Professor Ordinarius publicas lectiones auspicabitur bono cum Deo, à præceptis suis Hebraicis, tum Grammaticis, tum Accentuatoriis, prælo propediem exituris: quibus trimestri spatio V. D. absolvendis, subjunget Notas Philologicas ad difficiliora loca S. Script. V. T. è collatione Versionum Orientalium, & Accentuum ministerio sensus observatas, istis verò rectius assequendis,

dis, privata etiam Collegia Linguarum Orientalium cupidis sanctioris hujus Philologiæ est aperturus. Hora lectionibus publicis præfinita est IIX. mat.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS, D. Eloquentiæ & Poëseos Prof. Ordinarius pro duplici munere horas partietur, ita ut die ☽næ ♂tis Oratoriam Civilem suo ductu adornatam, selectisque ex historia exemplis illustratam tradat, die ♃vis & ♀ris Artem Epigrammatum perpetuo exemplorum apparatu deductam proponat. Privatim quoque varia in Oratoriis ut & in Poësi tam Latina quam Germanica Collegia aperiet, quæ seorsim significabit. Docebit hora II.

SAMUEL REYHER, Philosoph. & J. U. D. Mathem. Prof. Publ. Mathematum Studiosis maximè necessaria Geometriæ & Arithmetices elementa perspicuè proponet, & animos eorum ad Architecturam militarem, vulgò Fortificatoriam Artem, proximè sequenti semestri explicandam præparabit. Privatâ operâ Astrophilis Astronomiæ Principia, pariter cum Geographiæ præceptis, proponere promtus paratusque est. Docebit hora IX.

CÆSO GRAMMIUS Ph. & Med. D. Physiologiæ & Gr. L. P. P. hoc semestri hora II. pomer. ductu Ideæ Philosophiæ Naturalis Burgersdicii, totam Physicam, prout ab Aristotele optimisque ipsius Interprett. exhibetur, perspicuâ præceptorum explicatione, & controversiarum decisione illustrabit, & Deo dante absolvet. In publicis verò Disputationibus & privatis Collegiis, non solum Aristotelis, sed & aliorum, qui ab Aristotele divortium fecerunt, tam Antiquiorum, quam Recentiorum Sententias examinabit, & ad Naturæ ac Veritatis lapidem Lydium exiget. In gratiam quoque eorum, quibus Græca curæ sunt, diebus ☿ & ♄ privatim Orationem Consolatoriam ad Apollonium, quæ in Plutarchi Moralibus, Philologicè & Philosophicè interpretabitur.

CHRISTOPHORUS FRANCK, Metaph. & Log. Prof. Ordinarius á Lectionibus Logicis facturus initium, B. Horneji Compendium, quod auctum vocant, publicè proponet, præcepta accuratè expendet, & quæ hinc inde monenda occurrent, in compendium redacta, brevibus notis complectetur. Materias quoque selectiores, ubi Respondentes sese obtulerint, prolixiùs publicis Disputationibus persequetur. Privatim verò Collegium Metaphysicum petentibus aperiet. Publicè docebit hora IV.

NICOLAUS MARTINI, J. U. L. & Politices Professor Publicus hoc semestri spacio operam sedulo dabit, ut prima Politices principia ex veris & solidis h. e. Aristotelicis fundamentis secundum methodi Analyticæ leges summa fide tradat, hoc vero stadio feliciter decursô, Xenophontis Cyropædiam publice interpretabitur. Privatim quoque de præcipuis, quæ

ſunt in Europa Regnis & Rebuspublicis, exercitium inſtituet. Docet hora X.

ADAMUS TRIBBECHOVIUS, Phil. M. & Moral. Prof. Publ. Bono cùm Deo Ariſtotelis de Moribus ad Nicomachum libros publicè exponet; privatim verò Diſciplinæ moralis axiomata ſuccinctè tradet, in diſquiſitionem itidem vocaturus, ſi quæ de hiſce inter veteris ævi novosque diſceptantur Philoſophos. Publicis prætereà ſpeciminibus Philoſophiam Moralem Veterum tam Barbaram, quam Græcanicam exhibebit, atque hinc uſum & fines doctrinæ de moribus (ſive qua finiat Ethicus incipiatque Theologus) commonſtrabit. Docet hora I.

(Lit. B.)

PROGRAMMA,

Quò ProRector & Senatus Academicus omnium Facultatum Candidatos ad capeſſendos in ſtudiis ſuis ſummos Honores invitarunt.

QUamvis virtus pariter atque eruditio nativæ venuſtatis decore faciè quosvis in ſui amorem rapiant, ut nec adſcititio quodam colore, nec pigmentis aliis ornari indigeant: Cum ad multum tamen non laboris tantùm, ſed & temporis impenſarumque damnata ſint utriusque ſtudia; næ illa quantumcunque ab ſe amabilia amatores paucos invenirent, niſi debitâ gloriâ, quâ mirè incendi induſtriam alique videmus, mactarentur. Præſertim verò ut glorioſius eſt hoc ſeculum, multi & boni & docti eſſe nollent, niſi eſſe hoc, quod ſunt, publicè cognoſcerentur. Neque improbandus eſt hic in gloriam impetus, ſed eò magis prædicandus laudandusque, quòd multis ſponte ſuâ aliò ruentibus, ille graſſantium ad virtutem ſit incitatior progreſſus. Ut taceamus, verè illum vel ex Philoſophi ſententiâ μικρόψυχον dici debere, quem non bonæ mentis eruditioniſque præmia poſt illas ipſas dotes demulceant. Quamobrem Cæſareis privilegiis huic Academiæ, ut pleriſque aliis, data eſt poteſtas conferendi bene merentibus dignitatum gradus, quos vocant, renunciandique omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, Magiſtros. Neque hac ſtetit S. Romanæ Cæſareæ Majeſtatis indulgentia, ſed rarô ſuperiorum temporum exemplo addidit Comitivam S. Palatii, non illam anguſtis terminis circumſcriptam, quâ creantur Notarii, coronantur Poetæ, & ſpurii pro legitimis declarantur, ſed & aliis juribus ac privilegiis auctam, ut indè ſatis poſſis agnoſcere, quàm nulli ſecunda ſit noſtra Academia. Cum itaque Reverendiſſimus Sereniſſimusque Princeps ac Dominus, DN. CHRISTIANUS ALBERTUS, Electus Epiſcopus

pus Lubecensis, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst &c. Cum, inquimus, Dominus ille noster Clementissimus, suam hanc tot tamque insignibus â Cæsareâ Majestate Ornatam privilegiis Academiam inusitatâ liberalitate & magnificentia instaurasset: pertinere & hoc ad solennem ejus inaugurationem videbatur, ut in omnibus, quas vocant, Facultatibus omnium dignitatum Gradus sive honores literarii non indignis Candidatis dispensarentur. Neque tum deerant Viri virtute & eruditione ac doctrinâ egregiè politi, qui promeritis honoribus ac titulis ornari cuperent. Verùm ut id, quô par erat ritu, quaque decebat solennitate fieret, cum temporis angustia non pateretur (præmiti enim examina & haberi disputationes, quas dicunt inaugurales, oportuisset) SUA SERENITAS festivæ celebritati moram tum quidem jure meritoque fecit. Nunc verò quò Spectatorum & dignitate & frequentiâ illustrior sit actus, ipsum nundinale tempus, quo virorum tam nobilitate generis, quàm ingenii cultu, tùm rerum publicè gestarum gloriâ celeberrimorum magnus esse solet confluxus, præfinitò autem octavum post octavas trium Regum diem, qui erit XXII Januarii appetentis novi anni, isti festivitati Academicæ dixit, juxta ac clementissimè annuit, omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, Magistros ibi tum solenni Majorum more ac ritu renunciari. Adhoc quò expressiorem gratiæ suæ imaginem, usurpandique jura nostra nobis ampliorem materiam præbeat, Notarios quoque, si qui poscerent, creari, laureâ donari poetas, omnesque illos actus, quorum S. Romanæ Cæsareæ Majestatis indultu nobis data est potestas, dignè celebrari jussit. Auget Principalem Clementiam, quòd munificentissimus Dux, uti Academiæ prima natalitia magno sumtu dedit, sic etiam invitante quodam bonitatis genio, suô præcipuè impendio velit stare ambientibus honores literarios, remque adeò ab se honestissimam liberalitate non minus suâ, quàm auctoritate condecorari: quasi ne expleret quidem mensuram Nominis ac Virtutis Suæ, nisi liberalissimis Academiæ auspiciis hoc alterum non minùs liberale ac dignum Principe beneficium addidisset. Cujus equidem honor ac fructus etsi intra illos, qui eo augebuntur, se continere, nec ad alios pertingere videri possit: nos tamen haud temerè fallentibus auguriis moniti majus adhuc quippiam ominamur, simul & futurum confidimus. Cùm eò scilicet devenerit seculi genius, ùt studia ferè cum suis titulis contemnantur, seu quòd frequentiâ vilescant, seu quòd Indocti doctis honore æquentur, sepæ præferantur: cumque hac ipsa de causâ multi ne amplius quidem laudanda faciant, quòd publicè laudari in dedecore habeant: quisnam in hoc opinionis monstrum fortior esset Hercules, quæ in hunc morbum efficacior medicina, quàm dum maximi Ducis inexhausta bonitas non

tantùm patria civitate ſtudia Academica donavit, ſed & multis magnisque ſumtibus fovet, jamque in iis, qui meruerunt, negatâ non merentibus pari gloriâ, ſuis ea titulis olimque publicâ dignitate honorari cupit? Rerum ergo pulcherrimarum pretia ecquis non æſtimaret, aut quomodo, niſi turbatis omnibus, illa evileſcerent, quæ tam illuſtri favore, tam potenti patrocinio habemus commendatiſſima? Agite igitur, quotquot ſtudiorum veſtrorum virtutisque habetis fiduciam, convenite ad has Principalis Clementiæ quasdam quaſi epulas, aditisque examinibus ac diſputationibus publicè habitis, præmia veſtrâ eruditione digna capeſſite, certiſſimè perſvaſi, Vos non poſſe honori veſtro evidentius conſulere, quâm ſi in illa civitate, quæ tunc quidem, cùm ſolennes illæ & omni ætati, omni nationi decantatiſſimæ erunt nundinæ, quaſi univerſæ Germaniæ hoſpita eſt, adhoc auſpice maximo Germaniæ Principe, publico teſtimonio merita veſtra orbi terrarum commendari velitis ac ſinatis. Si qui denique erunt, quibus uſui poſſit eſſe noſtra Comitiva S. Palatii, & iis operam noſtram non defuturam Cæſareâ juxta ac Principali poteſtate pollicemur. Valete, Benevoli Lectores, & quod facitis, ſurgenti Academiæ favere pergite. P. P. Kiloniæ d. XX. Decemb. Anno clↄ Iↄc LXV.

(Lit. C.)

STRENÆ

Sub auſpicium anni hujus clↄ Iↄc LXVI.

cum votis publicatæ

A

DANIELE GEORGIO MORHOFIO,

h. t. eloqv. & Poet. Profeſſore.

SUMMO PARNASSI NOSTRI APOLLINI,

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

Omnia.

DUm Strenas pro more damus, Tu, *Maxime*, nobis,
Princeps, Principium, & Vatis Apollo tui,
Quid dabimus *Domino*, qui poſſidet omnia ſolus?
Nam qui nos habet, hic omnia noſtra tenet.

Accipe,

Accipe, quæ tua ſunt: dareque *Omnia* poſſumus omnes;
Sed, niſi Tu dederis *Omnia*, Nemo dabit.
Quicquid fonte tuo venit, id tibi reddimus omne.
Hôc uno largi poſſumus eſſe modo.
Tu Pater es: quicquid proles tua forte peculi
*P*oſſidet, id gratâ redditur omne manu.
Omnia jure damus: namque in Te vivimus omnes,
Mensque tuis membris unaque totaque ades.
Omnia jure damus: totus Tibi volvitur Orbis,
Et cœlum ac tellus omnis in ære tuo eſt.
Omnia habe, & quod *in omnibus Omnia*, Numen, Imago
Ejus & in nobis omnibus OMNIA eris.

MAGNIFICO DN. PRORECTORI
Sceptra.

QUæ Tibi Cæſareâ *P*rimo data pignora dextrâ,
Hæc eadem Vatis pignora ſume manu.
Te mea Muſa vocat *P*hœbeaque natio Regem.
Et Regem regni ſymbola bina notant.
Ipſa facit ſummos nobis Sapientia Reges.
Non ego nunc plectris Sceptra aliena puto.

THEOLOGIS
Sub auſpicium Anni Summum Finem.

DEnt alii gemmas, multa auri pondera donent,
Munera mille ferant, mille talenta ferant.
Dant pro parte tamen: ſed ego majora daturus,
Donantem vobis omnia dono DEUM.
Mille trahant alii Votorum ſyrmata; at uno
Vivatur voto, queis placet una ſalus.
Nulla ego vota dabo; mage ſupra vota feramur
Omnia, nec voto tunc opus eſſe puto.
Non precor auſpicium felix; ſed præfero Finem.
Hinc ſummum *P*ietas colligit auſpicium.

JURISCONSULTIS
Annum Utilem.

COntinuus ſic Annus abit, ſic tempora tempus
Excipit & celeri librat in orbe gradus!

Conti-

Continuusque ſimul remeat labor omnis in orbem,
Cumque hora ſemper volvitur atque die.
Continua Utilitas vobis ea tædia penſet,
Sitque Annus vobis Utilis, hora, dies.

MEDICIS

Pro Gallo Æſculapiî, Gallinam Æſopicam.

PRIſca olim Gallum donabat Apolline nato
Ætas, ſi medicam rite tuliſſet opem.
Sed ſterili vobis, Medici, non forte placebo
Munere, queis ſuevit ferre Galenus opes.
A nobis Gallina datur, quam Fabula fingit,
Aurea quæ pariat quolibet ova die.
Sic ô ſic poſitis horas numeretis ab ovis!
Sic anni, ſic ô aurea ſecla fluant!

PHILOSOPHIS.

ORIENTALIUM LINGVARUM PROFESSORI Verbum.

NON bona verba dabo, dum ſe novus ingerit Annus.
Aſt unum Tibi nunc VERBUM, o Amice, dabo.
Cuncta mihi VERBO vota àbſolvuntur in uno,
Quo res eſt omnis condita, quoque viget.
Hoc tibi ſemper habe. VERBI ſis unius Echo.
Omnis ab hoc VERBO res tibi ſalva tua eſt.
Hoc dictum factum eſt. Si quid petis, hoc Tibi, FIAT!
Accinit; aſt homines non niſi verba dabunt.
Hunc cole, Amice, λόγον : nam cœtera verba peribunt.
Sic rectè ſacrum Te voco ΦΙΛΟΛΟΓΟΝ.

MATHESEOS PROFESSORI

Numeros.

DEnt alii Nummos; Numeros Tibi dono Poeta.
Hoc ſolo ſemper munere dives ero.
Nempe Mathematicis Numerus Numerusque Poetis
Proprius, ac illis paginam utramque facit.
Hinc numeri numerorum, & qui naſcuntur ab illis,
Perque infinitos nomina ducta gradus.

Non

Non tamen hi pingues Numeri, concretaque rebus
Nomina, nec Physicæ quid gravitatis habent.
Vota tamen numero, numerat quot littus arenas.
Si placet, innumeras Musa vovebit opes.
Tot numeres annos, quod Sol facit annuus horas.
Votorum Numeros ponderet ipse DEUS.

PHYSICES PROFESSORI
Aurifodinas Parnassi.

TE primum Cimbris Musarum pandere Montem
Vidimus : ex ipso munera monte feras.
Viscera Pornassi rimare, heic aurea vena est,
Quæ Chymicis solis cognita, credo, fuit.
Hanc Tu solus habe (nam sic decrevit Apollo)
Castalius Tibi fons aurifer Hermus erit.
Parturiat Mons iste Tibi, sit fertilis aurò.
Vel totus sit Mons aureus iste Tibi.

METAPHYSICES ET LOGICES PROFESSORI
Rem.

NUnc tua Res agitur. *Rem* do tibi, non tamen abs Re.
Accipe Rem : nam sic res, O Amice, tulit.
Ære tuo me solvo, Tibi dum solvo, quod ê Re.
Dumque bonis verbis Rem tibi trado bonam.
Rem facias, Res salva tibi sit, Resque secundæ
Sint Tibi, & in lautâ Re modo semper agas.
Tu magnam nobis meditando restituas Rem.
Et pro Re nata Res gere, finge, tuas.
Sic, quod ego nequeo, pro Te Res ipsa loquetur.
Tu, quas solus habes, Res tibi habeto tuas.

POLITICES PROFESSORI
Faciem Jani.

EN cape nunc duplicem pro Strenæ munere Janum,
Et qui præteritum quique futura videt.
Principio finem semper Prudentia jungat,
Non malè sic ipsa in simplicitate duplex.

MORALIUM PROFESSORI
In Tempore Novo Mores Antiquos.

MOribus Antiquis quondam Romana ſtetit res,
Et Mores ſemper diſplicuêre novi.
Tolle novos Mores, quamvis nova tempora ſurgant,
Perſtat in Antiquo gloria ſumma Bono.
Moribus Antiquis Tibi nil antiquius eſto,
Nil prius, & bene ſic omnia cautus ages.
Nil veteri melius vetus optet Amicus Amico.
Moribus his morem ſi geris, alta petes.
Hi Tibi ſint Mores; ſic omnium habebis amores.
Tu quæ Vota dedi, fata fac eſſe DEUS!

CIVIBUS ACADEMICIS
Laurus.

ACcipe nunc ſacras, Phœbeia munera, laurus,
Accipe, quos ramos Strenia Diva dabit.
Accipe, docta cohors, Muſarum nata ſub umbris
Germina, quas Strenas Strenuus omnis amat.
Ergo, uti genua virent (namque optima ducitur ætas)
Æternâ vireant tempora fronde Tibi.

NOVÆ ACADEMIÆ
Nova Secula.

SUrgite Parnaſſo nova ſurgite Secula noſtro!
Sed nos hæc fruſtra vota preceſque damus.
Ipſe dat auſpicium PRINCEPS, Sol noſter, Apollo
Ipſe novos annos & nova ſecla facit.

AUTOR SIBI IPSI
Nihil.

OMnia qui dederat, quæ reſtant munera Vati?
Quod ſupereſt, capiat prodigus iſte NIHIL.
Ipſa quidem Nihili eſt Muſa, & nil poſſidet ipſa,
E Nihilo tamen hæc munera magna dedit.
Poſſideat mea Muſa Nihil; Tu Numinis inſtar
E Nihilo PRINCEPS Omnia SUMME facis.

(Lit. D.)

PEGASUS

Pro Strena

Summe Reverendo & illustri Domino,

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANN A KIELMANSECK,

Hæreditario in Satrupholm & Obdorff, Ecclesiæ Cathedralis Hamburgensis Præposito, Serenissimo Cimbrorum Duci a Consiliis Secretioribus & Provincialibus, Regiminis item Præsidi, & Cancellario, Præfecto in Trittow & Reinbeck,

Magno Seculi Ornamento,

Publico Musarum Patrono,

Mæcenati suo,

Submisse Oblatus

A

D. G. MORHOFIO, D. Utriusque Eloqu. Prof. Ordinar.

MAXIME, quem magno compello nomine, PRÆSES;
Qui magno majus nomine munus obis.
Quæ Tibi, dum magnum Sol circumvolvitur annum,
Munera, quas Strenas, quæ Tibi vota feram?
Nil Tibi cum votis, qui vota per omnia vitam
Ducis, quique supra vivere vota potes.
Non tanti novus annus erit, tempusque minutum,
Ut voti quædam pars queat esse tui.
Nil tibi decedit, cum vota emensus & annos
Crescere nunc videas tot nova secla Tibi.
Munera si Tibi danda, Tui Tibi porrigo Vatis
Pectora, nos certè munera nostra sumus.

Ergo fatigatam laxabo in Carmina venam,
Ac omnes (dixi) monte movebo Deas.
Pocula (clamabam) date pocula plena Camœnæ!
Pocula Pegaſeo plena liquore fluant!
Sic Phœbum infuſis hauſtisque laceſſo culullis,
Proque ſalute ſimul ſcribo biboque tuâ.
Crapula ſic Vatem & vertigo Poetica totum
Occupat, & nimius comprimit ora ſtupor.
Non manus officium fecit, non humida lingua.
Inſtabili titubat ebria Muſa pede.
Ergo ægrè tandem veſtigia lubrica firmat,
Et jam Pierio ſe malè credit Equo.
Seſſorem non ille feret, non audit habenas.
Non ea dignus eques terga vel ora premo.
Serpit humi mea vix equitans in arundine longa
Muſa, & votivos dat pedes ipſa pedes.
Involet in laudes, cui Pegaſus altior hinnit:
Vix pedibus queo nunc in decus ire tuum.
Sique meo didici metiri me pede, non Te
Immenſum pedibus metior & numeris.
Non Equus, aut titulus Vatem ſatis ornat equeſtris,
Qui pedibus tantùm carpere novit iter.
Sæpe quidem Vates, ſi judicet iſta Palæmon,
Eſt vitulâ dignus, non quoque dignus equo.
Vix eſt, qui tanto ſe jactet nomine, ni ſors
Auratus fieri qui velit, adſit, Eques.
Te ſacer ornet Equus: dono Tu dignus equeſtri.
Pegaſon, ô Equitum gloria ſumma, tene.
Hunc Tibi Parnaſſus ſummusque dicavit Apollo.
Hanc Tu nunc Strenam VIR cape SUMME ſacram.
Sic Equitis geminatur honos, illuſtrior audit,
Martis Equis quisquis Pegaſon addit, Eques.
Æternis Famæ Te Pegaſus evehet alis.
Sol radiis pinget, quod pede verrit iter.
Dumque aliis putrem tantùm quatit ungula campum;
Alipes hic Tecum ſidera calcat Equus.

(Lit. E.)

PROGRAMMA,

Quò ProRector & Senatus Academicus Cives suos ad tranquillè & moderatè in Nundinis agendum invitarunt.

UT nostra adeò frequens ad Vos sit Oratio, non â Vestra, Cives, prævaricatione est, neque à nostra seu diffidentiâ, seu morositate & tristitiâ. Neq; enim defuistis hactenus officio vestro, & quæ nobis præstitistis obsequia, eadem non minori contentione continuaturos tantò magis confidimus, quantò clariùs nostram in Vos humanitatem & benevolentiam perspexistis. Exigit autem hanc â nobis scriptionem cumprimis temporum conditio, non imperita morum præceptorumque magistra; requirit vestra & Academiæ salus, flagitat impositæ stationis fides; cogit etiam ad illam, si vultis arbitrari, nostri erga Vos plusquam paterni vis amoris. Habet enim hoc quilibet amor, ut solicitudine velit probari, ne verus quidem aliàs, & tantò verior intensiorque putandus, quantò pro salute alterius solicitior. Quanquam si ab his omnibus discesserimus, superiori tamen & Principali auctoritate Vobiscum agendum erat. Neque enim quæ jam Vobis inculcamus, nostra monita aut præcepta sunt, quibus tamen & ipsis solitâ observantiâ parere parati eratis, sed Serenissimi Academiæ Fundatoris & Nutritii jussa, quibus non parere, non tantùm delictum, sed quia in tantum Principem, etiam piaculum erat, & id hoc indignius vestro ordine, quo majoris, in quem peccaretis, & quò minus offendi merebatur, qui tot tantisque vos cumulavit beneficiis. Vestris, nisi ingratis planè mentibus aut obliviosis, etiamnum obversatur, quanto Suæ Serenitati steterit, Academiam hic instaurasse. Et lætamur meritò, Vosque, ô optimi, lætamini nobiscum felicibus præclari operis tam auspiciis quàm processibus & incrementis. Nec possumus satis agnoscere, occultamne dicamus fatorum potestatem, an præsentissimam vim Numinis, qua passim & per omnes se artus insinuante. tota coalescentis moles corporis faustis motibus agitatur, multisque auctibus procedit, crescit, increbrescit. Quò non parùm contulere Vestra, Cives, moderatio obsequiorumque conspirata studia, quibus effecistis, ut neque Magistratus & incolæ hujus urbis multum de vobis conquesti, neque inter Vosmetipsos solennes ante portam dimicationes & duella, præter unius atque alterius, sed maturè nostrâ prohibitione sufflaminatos conatus, audita fuerint. Neque vel nostra ad docendum & dispu-

disputandum, vel vestra ad auscultandum hactenus desiderari potuit opera. Enim vero ad lectiones & disputationes, quas in rem vestram sperabatis futuras, vos hactenus impigrè & constanter, nec pro numero vestro infrequenter coivisse, nemo nostrum est, quin vobis testimonium perhibeat, & eo nomine magnoperè faveat. Vicissim Vos, tantum abest, ut accusetis nostram desidiam, ut, nisi quid auribus nostris dederitis, plus simplici vice questi sitis de nimia nostrâ diligentiâ, de lectionum multitudine ac paucitate horarum; simul & dolere visi, iisdem horis haberi solitas lectiones, quamlibet æquè scopo studiorum vestrorum accommodatas, unâ frequentare Vos non posse. Adeò verò hæc nostra dexteritas, hæc vestra & industria & composita vita, hoc Academiæ felix fatum, hi ejus exoptati progressus malè invidos habuere, ut quæ verè in nos dici probra, aut in Vos non poterant, variis pudendisque mendacis impudenter nostro ordini affinxerint. Sparsim enim cum procul à patria, tum prope dissipatos tumores accepimus, nullas hic lectiones, nullas disputationes, nulla omnino exercitia, quibus vel doctior vel politior reddi posit juventus; acerrimas autem rixas, digladiationes & quasi Martia prælia, cæsim aliorum, aliorum punctim confligentium, dehinc vulnera, cædes, & nescimus quæ non protervia mala, quos non tragicos casus vestrâ culpâ datos audiri; eoque plerosque bonæ indolis ac optimæ spei juvenes, cum ad pauxillulum hic substitissent temporis, recessisse, nonnisi paucis nec frugi relictis, & maléferiatis ingeniis. Videtis, ô nostri, ô lectissimi cives, spes Patriæ & Parentum vestrorum decus, quid non invidia surgenti Academiæ, quid non & vobis mali intendat contumelia, Cacodæmonis inter mille nocendi artes haud desides famulæ? At frustrâ ringetur hæc quidem, & illa priùs tabescet, quàm vel nos à constantiâ dimoveamur, vel vos in præceps agamini. Quin potiùs ut tantò concitatioribus studiis nos quidem faciemus, nostri quæ sunt officii: Sic Vos, quibus erecta & incitata ad gloriam indoles est, impendiò magis enitemini, ut quàm longissimè ab iis vitiis, quæ injuriâ vobis impinguntur, abscedatis. Etsi autem laude non destituendi suâ sunt, qui tranquillè ac moderatè se comparant, cum neque tumultuandi materia est, neque sunt exempla: moderationis tamen laudem illi demum ferunt, quorum quantumvis maximè attentata, non expugnatur moderatio, superatis etiam periculosissimis præcipitiis. Et verò si quo unquam tempore, instantibus nundinis cautè vobis & circumspectè agendum est, cum ob frequentiam adventantium, tum ob varia ingenia, pinguia ac vitiorum feracissima otia, & quæ otiantibus solent esse in primis delitiis, Comessationes ac symposia. Quæ si quando, ut fieri amat, in grassationes, præsertim nocturnas & vociferationes, & nescimus quam insolentiam desinant, nolite putare, ingenui

juvenes,

juvenes, vestro opprobrio quicquam fieri: quin potius contemnite, quasi nihil ad vos spectent, durate, & invicti state, tunc laudem reportaturi maximam, cum minus polluemini vitiis alienis. Et eò magis quidem ad honestatem ac moderationem componendi vobis sunt mores, quò honestiores, virtutisque usu & exemplis præstantiores aderunt viri, quibus dignationem vestri ordinis prostituere velle, sit fœdum vobis ac pudendum. Aderunt opulenti mercatores, ex variis ac longinquis oris, benè de vobis merituri, cum illatis varii generis mercibus, etiam librariis, quas extra has nundinas frustrà hic quæratis, tum viliori, certè haud ultra æquitatem sumto à vobis pretio. Seu his ipsis seu horum operis obstreperetis, aut quocunque modo rixandi materiam seu daretis temerè seu arriperetis: quis non & proterviam vobis & ingrati significationem animi, denique stolidam audaciam irritandi crabrones exprobraret, & si quæ inde evenirent mala, vobis imputaret, vobis non injuriâ data decerneret? Aderunt hospites Viri sui quisque ordinis eruditissimi, honoratissimi, quorum favore nos prius dignos ostendetis, quam modestiam, tranquillitatem morumque elegantiam dabitis probatam. Aderunt Regii & Ducales Senatores, at quanti Viri, quanti heroes, quorum vultus & ora, ut sui Regis, ut Principis sui, revereri & venerari suarum quisque partium putabit. Aderunt Generosissimi Holsatiæ nobiles, flos equestris ordinis, quem non modò illustris prosapiæ antiquissima origo, sed & magnanimitas, sed & fortitudo & adversus pericula bellica invicti vis animi, sed & heroica ac Martia facta, sed denique eruditio & togatæ reliquæ virtutes insigniter commendant. Quorum altiora spirant animi, quam ut ullum vobis facessituri sint negotium; prohibebunt etiam, ne sui ministri famulive facessant, nisi cujus insolentiâ irritentur. Aderunt denique milites præsidiarii, acturi in plateis interdiu noctuque excubias, ut emergentibus rixis, turbis, tumultibus maturè intercedant. Hos, cavete, ne vel verbo vel facto lacessatis, severos aliâs non ipsos tantùm in articulo, sed & posteà Serenissimum Ducem vindices experturi, cujus quippe Majestas contemtum suorum non sinet inultum. Neque putate vestrum Vos implevisse officium, si non lacessatis alios: etiam ne ab aliis lacessamini, evitandæ vobis, quibus id fieri poterat, occasiones sunt, quæ de facili hinc inde offeruntur, in iis præsertim nundinis, quibus nemo alteri libertate se secundum arbitratur. Emanendum scilicet vobis est è publicis popinis, in quibus divertunt aut symposia instituunt peregrini, ne compotando cum illis committamini. Abstinendum à privatis quoque commessationibus, ne vino oppleti, deque potestate mentis deturbati, faciatis, quod fecisse posteà pœniteat: de hinc à nocturnis grassationibus, debacchationibus, vociferationibus, quæ non tantum interturbant honestorum virorum, & quod

magis

magis detestandum, gravidarum mulierem quietem, sed & ab occursantibus aut ex hospitio audientibus, præsertim benè potis ac ebriis, in rixas, dimicationes, pugnas internecinas, quas sæpe non priùs quàm alterius partis cœde depositas meminimus, crudeliter vertuntur; denique ordini vestro maculam, quam non facilè eluetis, adspergunt. Hæc & alia malorum irritamenta ut cane pejus & ague, cum aliàs semper, tum hoc præsertim tempore fugiatis, jubet Ducalis decreti auctoritas, poscit vestra & Academiæ salus, flagitat ipsa religio. Qui obsequentur (plerosque autem obsecuturos confidimus) benè de publico, optimè de semetipsis merebuntur, suæ nunc laudis præsumtione læti, olim cursu & spatio ac peregrinatione ejus magis lætaturi. Si quis verò esset adeò depositæ spei ac projectæ audaciæ, ut spretis circumstantibus periculis, tamen turbas dare non vereretur: næ ille & sibi & Academiæ nostræ magnum malum accerseret; seu confoderet alium aut vulneraret, pœnam haud fugâ præversurus; seu confoderetur, præsertim ebrius aut innocentis sanguinis sitiens rixæque auctor, periclitaturus animâ, indignus etiam, si jure experiundum, sepulturâ; denique utcunque res evenerit, materiam daturus obtrectandi nostram Academiam, imò verè in illam dicendi, quod hactenus imputatum fuit per calumniam. Quo nullum jam atrocius, nullum exsecrabilius fingi facinus poterat; nullum, ut & hoc addamus, quod seræ posteritati hominis infamiam magis olim proderet. Speramus autem meliora, nec falsi spe, nisi planè adverso Numine: quod si quando unquam, nunc sub auspicium novi anni seriâ pœnitentiâ & calidis precibus placandum exorandumque est, ut nobis toto vitæ tempore sit propitium, & omnia pericula, omnes Academiam quassare natos turbines procellasque clementer averruncet; denique quæ dedit Academiæ nostræ Alcyonia, in dies illustriori gratiâ proferat & extendat: ut in sui nominis gloriam, Ecclesiæ emolumentum, ac reipublicæ commodum, postremò in suam cujusque utilitatem ac salutem hoc liberalium artium emporium, hæc virtutis officina, hoc disciplinæ seminarium adolescat, vigeat, floreat. Neque enim meliore voto vel nobis novum annum vel vobis, ô nostræ fulcimenta patriæ, gratari, quàm hoc ipso poteramus, quod non pro nostro, non pro vestro, sed pro communi bono, è quo vestrum nostrumque pendet & emanat, nuncupare voluimus. Non Deus, non misericordiæ inexhaustus ille Fons, erit inexorabilis fundentibus ad SE calidas preces, & immolantibus castam puramque mentem, optantibus etiam mori pro gloriâ Nominis Sui, si esset opus. Ne verò Vos, cordati Musarum cultores securi aut appetentium fatorum incuriosi sitis, quasi aut longè à Vobis absint ventura mala, aut alium potius orbem, quàm Vos Vestramque Patriam tangant. Vestra enim res agitur. Cùm Germaniæ, cum vici-

vicinis depopulationes; vastitates, clades intentantur, quas prævertendi una via est nova cum novo anno vita, nova mens, novi mores, pulsoque frigore, resumpta & ad pristinum calorem zelumque revocata pietas & religio. Hac macti, Cives, hac beati, ô optimi, hac Deo devoti valete, novumque & plures subsecuturos annos feliciter decurrite, Dei gloriæ, commodis Patriæ, vestroque ac vestrorum honori quàm diutissimè superstites, sospites, incolumes. P. P. Kiloniæ d. V. Jan. ANNO cIɔ Iɔc LXVI.

(Lit. F.)

ORATIO I.

PETRI MUSÆI, S. TH. DOCTORIS & Professoris primarii, p.t. Academiæ ProRectoris & Decani.

VIri Munerum dignitate, Natalium splendore, doctrinæ præstantiâ, virtutisque cultu celeberrimi, Auditores omnium ordinum honoratissimi; Tuque, Nobilissima Studiosorum Corona. Quod optimus Imperator Titus Vespasianus, si quo die nemini benefecisset, super cœnam recordatus neglecti officii, dicere solitus est: *Amici, diem perdidi;* idem crederemus dicturum esse indulgentissimum Academiæ nostræ Fundatorem & Nutritium, si quem diem virtute sterilem, aut beneficio vacuum transmitteret. Nihil enim prius, nihilq; potius habet, quàm de Ecclesia, de Republicâ, deque singulorum civium commodis quovis tempore benè mereri: neque ullas horas diesve pejus collocari conqueritur, quàm quæ tot hominibus sine omni merito, *nisi vitiorum contentione*, conduntur. Quamobrem aliam ex alia & sibi obligandi materiam captat, & nobis commendandi prædicandique præbet. Non eo quidem ingenio est Serenissimus Cimbrorum Dux, ut laudari velit; cui una laus est, laudanda fecisse: sed, invitante quodam bonitatis ac munificentiæ genio, præoptat non vivere, quàm non quam plurimis, & quàm fieri potest, latissimè, sæpissimeque prodesse: tanquam ita profuisse, sit demum benè vixisse; malè, nemini aut paucis aut rarò profuisse. Enim verò quantâ indulgentiâ, liberalitate & pompâ, SUA SERENITAS, nobile hoc literarum ac bonarum artium emporium, in elegantissimâ juxtà ac amœnissimâ Kiloniensi civitate, d. V. & VI. Octobris, elapsi anni, secundante Numine, feliciter instaurârit: næ id sua cuique festivæ celebritatis non ingrato aut oblivioso spectatori, maximè autem nobis, rem omnem, quâ par est, pie-

tate recolentibus, vera mansuraque suggerit recordatio. Quanquam cum hic docendi officio fungamur, pluſculum amori aut favori, quàm veritati, dare videri possimus, cum natalitiorum & incunabulorum nostri Lycæi præcones ipsimet surgimus. Neque enim æquè nostra, atque aliorum, quos tàm propè non tangit isthæc felicitas, fidem inventura prædicatio est; tùm autem omnium maximè se approbatura, cum, cujus incorruptum erit judicium, seræ ætati retrò mista memoria idem decantabit. Laudarunt interim, laudabuntque, grati ac memores, quicunque tum spectandi causâ advolaverant, testes sat locupletes, Viri tam nobilitate generis & antiquitate prosapiæ, quàm ingenii cultu, virtutisq; atque eruditionis laude, postremò rerum publice gestarum gloriâ longè spectatissimi: quorum quantum honoris toti actui attulit illustris præsentia, ac splendidus consessus, tantum ponderis apud Deum calida pro incremento Academiæ nuncupata vota, pios applausus, conspiratasque gratulationes habuisse confidimus. Eoque gratiùs nostri Cives, Studiosissimi juvenes, cùm actûs splendorem, tùm Principalium meritorum magnitudinem, agnoscent atque æstimabunt; quò illi lætiùs Academiæ beneficiis ac privilegiis jam fruuntur. Neque sane dubitamus, quin absentibus quoque, ac longè dissitis, solennia inaugurationis, & nascentis Academiæ felicia auspicia, præcurrens Euro ocyor fama, prædicârit; mox autem prædicatura disertiùs, ac fidem magis factura sit, quæ jam typis mandatur, subque prælo fervet, desiderata introductionis historia. Quod si ergo illa saltem, quæ ibi tùm SUA SERENITAS Academiæ causâ fecit, pectore non ingrato, nec occupato, ruminari, suoque quæque pondere æstimare velimus: licebit vel ex unis illis insolitam Summi Principis clementiam agnoscere & venerari. Eò quippe increverat Suæ Serenitatis liberalitas, ut, quâ olim prolixitate & lubentiâ indigenis, eâdem jam exteris, atque ex longinquo adventantibus, se dilargiretur ac dispensaret, ex eodem fonte in plures, & quasi indies recentior, dimanatura. Loco stabat adeo sublimi magnificentiæ decus, ut non modum jam, sed ipsum fastigium excessisse, neque adeò addi quicquam posse videretur. Tantum denique ubique indulgentiæ ac bonitatis, ut neque accuratissimis votis plus fingi, optarique potuerit. Sic nostra quidem erant judicia: Sed aliter constat Serenissimo Principi gratiæ suæ ratio: cui parva, quæ nobis magna; quæ summa nobis, mediocria; minima denique, quæ nobis maxima videntur. Non qualemcunque scilicet, sed veram, sed optimè constitutam Academiam Patriæ nostræ Pater desiderans, id jam agit, ut sua studiis pretia, quæ hodiè passim minuuntur, adferat non modò, sed etiam augeat: quandoquidem, sublatis studiorum pretiis, ipsa esse peritura, verè dixit Romanus scriptor. Non equidem ignoro, esse aliquos, qui nunc in studia, nunc in studiosorum mores in-

vehan-

vehantur: studiosos, quæsti, adeò inertiâ, & otio diffluere, ut, nihil agendo, malè agere discant, licentiamque suam, ad turbandam tranquillitatem publicam, ad omne nequitiæ genus, convertant: studia verò literarum & artium adeò esse perfida, ut, cum multum publicæ utilitatis promittant, obstent tamen potiùs Reipublicæ, quàm prosint: si sint Theologica, in disceptationes, dissidia, mox scissuras Ecclesiæ, tandem hæreses desinere: sin circa jurisprudentiam versentur, ad flectendas, ceræ instar, leges, torquenda jura, vertendamque in lucrum justitiam, non habito æqui & iniqui delectu, declinare: cujus denique cunque sint Facultatis ac argumenti, in tantum omnia nocere Reipublicæ, in quantum plurimos alliciant, ac sibi devinciant, qui militiæ, agriculturæ, opificiis, aliisque vilioribus vitæ generibus, at maximè tamen necessariis, majore cum emolumento boni publici, operari ac præesse potuissent: ideoque damnatas olim à pluribus fuisse literas, cumque sui cultoribus exilio punitas; scholas dehinc ipsas subversas, veluti Romanam, sub Domitio & Licinio, Consulibus; alias, alibi, & alio tempore; ipsas denique florentissimas Athenas haud melius fatum expertas. Verùm enim verò non æqui mihi esse judices videntur, qui quod vitio hominum in umbrâ & otio literarum Musarumque fit, non hominibus, sed ipsis literis Musisque imputant. Stat suum quibusque studiis decus, sua utilitas, sua gratia: sint licet plurimi, qui iis abutantur. Non defraudant discentium industriam: alunt, ornant, delectant, solantur, publicè ac privatim juvant. Sed & quo nihil est optabilius, immortalitatem nominis adferunt, his, qui non modò literis benè tincti sunt, sed & se literisque digna monumenta ad posteros transmittunt. Si quorum mores effœminati, molles & flaccidi sunt: studia culpâ, non studiosi vacant: aliqui non ea, qua decebat, educatione, quâ fundamenta morum vitæquæ compositæ ponuntur, subacti sunt: alii, cùm tenerâ, & ceræ instar, flexibili ætate sint, pravis sodalitiis & exemplis corrumpuntur. Multi verò etiam alacres & expediti ad ea sunt, in quibus parum fortè voluptatis, plurimum laboris negotiique reperitur: adeò, ut, si militiæ se addixerint, non durissima & obstantia quæque subire formident. Et quis tandem durior ac pervicacior labor, quàm qui contentione omnium nervorum viriumque ingenii, interdiu noctuque, invitâ sæpe Minervâ, exantlatur? Nonnulli, militiæne major, an literarum scholarumque gloria sit, hæsitant; certè adeò militiam præferunt, ut literas, literarumque cultores, alto supercilio, præ se contemnant, quasi soli ad fastigium virtutis ac dignitatis pervenerint; literati in secundis tertiisve consistant. Et sua sanè laus fortitudini bellicæ, & eò major, quò majora adit pericula, & honestior ejus causa: Dulce enim est, pro patria, pro libertate, pro religione mori. O utinam verò nunquam ulla esset belligerandi causa! Neque enim virtus, ne-

que æquitas, sed hominum malitia, sed injuria bello viam facit: si populus populum, Rex Regem, Princeps Principem lacessat, propulsarique aut vindicari injuriam, libertatemque defendi, intersit Reipublicæ. Quanquam in eo etiam casu omnia priùs consilio, quàm armis experiunda esse, rectè & sapienter Veteres tradiderunt. Et quotusquisque tandem est, qui non tenuem togam præferat nitentibus sagis, quæ tot periculis septa, tot dubiis præliis objecta, tot sæpe cladibus tritia, eventu quandoque tristissima? Si quando autem is est rerum status, ut ingrata arma insidiosâ pace esse tutiora videantur: num sine literarum præsidio, & eruditionis honore, feliciter expediri, moveri, poni resumique poterunt? Non fortes, imò ne homines quidem sunt, sed beluis similes, qui lacessiti, inconsulto impetu, in hostes feruntur, & quasi irrunt; aut securi cladis & victoriæ; aut vincendi vanâ spe delusi; tantò vel inhumaniores, vel insipientiores, quantò minùs literarum seu humanitatem seu sapientiam delibârunt. Quod si autem illâ ipsâ moderatione, quam adferunt mansuetiores Musæ; illâ scientiâ, quam studia literarum culta pariunt; illâ experientiâ, quam exempla literis prodita stabiliunt; belli motus, vices, consilia restringantur: ecquis nescit, rectiùs tunc omnia procedere, & evenire, nisi planè adverso Numine fiant? Fortissimos quosque Heroas olim bonis artibus ac literis eruditos fuisse legimus; non ut ex iis refectionem consequerentur, quam ipsam quoque magis, quàm ulla alia studia promittunt; Sed quò feliciora arma experirentur: & sæpe experti sunt. Sit igitur militiæ, sit literis sua gloria: neutrum vitæ genus alteri præferatur: quia utrumque suo tempore, suoque loco, utile, & necessarium: quanquam si quô latius ac constantius prosunt bona, eò meliora sunt: ego, quod pace militiam amantium fiat, non dubitârim literis eò palmam deferre, quòd pace & bello, domi forisque proficiant. Aliâs qui utilitate vota, & commodis consilia, eventusque lucro metiuntur, eos in varia scindi studia videmus. Hic, cernas, commerciis quæri pandiq; vias, quas vel ipsa natura clauserat, perq; omnes terras ac maria ditescendi occasiones investigari: illic, condi Urbes, ædificari arces, palatia muniri propugnaculis, valloque & fossâ circumdari: Illic, instaurari inclinatam ac jacentem rempublicam, pangi leges, renovari fœdera: alibi, honestam pacem non necessario bello, insidiosæ paci securiora arma præferri. At illorum omnium, mirum, quàm dubii eventus, quantæ vices, quàm denique varia fortuna. Quoties spem lucri commercia, & rei faciendæ desiderium peragratæ terræ, enavigata maria, expertæ tempestates destituunt? Quot vetustate temporum arces, urbes hostium potentiâ, quot mœnia machinis, quot inexpugnabilia propugnacula, vi tandem expugnata, ceciderunt; perierunt respublicæ, regna, & æternâ posteritatis oblivione jacent sepulta? Quoties fefellerunt fixa adamantino nexu fœdera,

paci-

paciquе non minus quàm bello sua calamitas, suum fuit exitium? Adeò scilicet fluxa, adeò incerta sunt consilia, quæ infido mari, quæ fugaci marmori, quæ ruituro lapidum acervo, quæ ancipiti fortunæ, postremò quæ mobilibus hominum animis, & cæcâ fluitanti sorte paucorum fidei, committuntur. Major autem in virtute & eruditione inest constantia: Omnia si nobis eripiantur, hæc eripi non possunt. Quamobrem Serenissimus Cimbrorum Dux facit, quod Patre Patriæ & optimo Principe dignum est, cum contra tot hominum præjudicia & præconceptas opiniones, in stabiliendis studiorum & doctrinæ pretiis, quasi omnes nervos contendit. Cum primis verò magnum studiis addidit decus, pondus, ac dignitatem, dum ubi nunquam fuerat, Academiam liberalissimo sumtu instituit, nec tam ut haberet, curavit, quam qualem ac quomodo haberet. Usitatum enim satis, & commune est, Academiam, sed benè constitutam habere, rarum; rarius, quæ mediocriter, nedum quæ ita floreat, ut melior voto fingi non possit. Ea verò ut sit, qualis esse debet, docentes, & honoris quadam prærogativâ ad alacritatem, ne contemtu; & honestis præmiis excitandi sunt, ne curis frangantur: tum etiam discentes liberaliter, & æquo pretio, eaque humanitate excipiendi, alendique sunt, ne sit gravis causa, cur citò recedant: denique disciplina sic asserenda, ut ne tolerentur, nisi qui tranquillè & moderatè agant; nec ob divitias aut natalium celebritatem alii aliis præferantur; quos studiorum vinculum, & discendi communis lex æquat, nec nisi virtus atque industria distinguit. At quotacunque est Academia, in quâ isthæc omnia rectè ita procedant? in hâc videas vitia pro virtutibus haberi, pro industria otium coli? In illâ pauperes, virtute quamlibet præstantiores, contemni. In aliis possis accusare civium oppidanorum morositatem & tristitiam, atque iniquè flagellata rerum pretia; non si alii; sed si studiosi, si Professores emant; quasi hi aut abundent divitiis, aut caritate puniri mereantur. Melior nobis de nostrâ Academia spes affulget. Quandoquidem Cives hujus oppidi, uti apud exteros longè lateque humanitatis ac liberalitatis laudem obtinent amplissimam; ita & nos & nostros studiosos liberalibus sibi officiis tantò magis devincient, quantò latius accepta beneficia prædicabunt, qui ex variis & longè dissitis locis huc studiorum causâ advolant. Neque nos connivere ad vitia debemus, dum invalescant; sed si qua propullulent, in herba suffocanda sunt; pro eo ac flagitat nostra juramento obstricta fides. Quam paternam castigationem admittent, qui non extremè mali sunt, boni etiam desiderabunt; aut si qui inconsultæ ætatis vitio ingratè interpretentur, meliores tamen facti gratias nobis eo nomine maxumas habebunt. Infelix aliàs literarum & literatorum fatum est; ut illiberaliter & sordide ac duriter habeantur; cùm in res alias, quæ publi-

publice non prosunt, sæpe in momentosas & pestiferras, aut certe suspectas voluptates, maximi sumtus, magno luxu, & profusione, erogentur. Certè in nonnullis Academiis viliora Professoribus constituta sunt stipendia, quàm ad honestè vivendum sit satis; in aliis etsi ampliora promissa sunt, eò tamen minus sufficiunt, quòd non nisi parcè & impeditè solvuntur. Non igitur mirum est, si curis sublevandæ inopiæ districti, tandem in officio, non inertes aliàs viri, langueſcant. Placuit autem Serenissimo Cimbrorum Duci, non nomine Academiam, sed re; neque interituram, antequam adolescat; sed mansuram habere. Quamobrem ut nunquam parcè & restrictè, cum arduum opus aggreditur; ita nec hìc, nisi liberalissimè, sumtus fecit. Frugalitate enim luxum restringit, illæsâ Principali Magnificentiâ, ut tantò plus sit, qnod in Dei honorem, & utilitatem reipublicæ, Ecclesiæque erogetur. Ex illa Suæ Serenitatis liberalitate quasi ex fonte quodam, manavit, ut nec nobis desit, quo solari labores nostros possimus. Contenti sumus salariis nostris; neque metuendum nobis est, ne non solvantur; solventur imò quolibet semestri; cum & ampla satis, & adeò fixa sit dos Academica; ut nec annuos reditus mentiatur, & ipsa nullo fortunæ insultu, nullo ævo eripi possit: nisi, quod Deus averruncet, bello omnia, summaque imis misceantur. Post ita liberaliter instauratam Academiam, munificentissimus noster Princeps, pluribus modis, incrementa ipsius, ac studiorum momenta dispensat. Sunt quidem literarum studia ab se ipsis amabilia, ob nativam pulchritudinem: at quia multum tam laboris, quàm temporis requirunt, parum jucunda nonnullis videntur, nisi jam per illorum campos, plano, & facili, verissimoque itinere, aliquandiu incesserint. Quamobrem ut foris aliqua illis pretia concilientur, omnino necessum est. Ex pluribus non parum mihi valere videtur Magnorum Virorum auctoritas: si scilicet ii studiis faveant, qui ad gubernacula sedent imperii; qui illustri & generosâ nati familiâ sunt; qui meritorum publicorum gloriâ fulgent: certè magnum ille favor ad studia excolenda addit pondus, ingentesque stimulos. Quo nomine & Serenissimo nostro Duci, & VOBIS, Viri Perillustres ac Generosi, magnæ, imò immortales debentur gratiæ. Neque enim verbis exprimi potest, quantum à Vestrâ præsentia, favore, præsidio, studiis decus, quantaque umbratili literarum otio dignitas accesserit. Vestro exemplo, si non suismet pretiis, nostra juventus æstimabit studia, & quàm maximè potest, prosequetur. Sed & aliud ad ea incitamentum, idque fortè non levius est, nisi majus: si docti indoctioribus, in publicis muneribus obeundis, præferantur: tùm si gradibus Academicis, quos Magistrales & Doctorales vocamus, solenni ritu collatis, ornentur, publicam ita eruditionis gloriam laturi. Quamobrem Cæsareis privilegiis huic Academiæ,

demiæ, ut plerisque aliis, data est potestas conferendi summos in studiis honores, renunciandique omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, Magistros. Annuit Serenissimus noster Dux, Academiæ Nutritius indulgentissimus, ut, vi illorum privilegiorum, bene merentibus jam literarii gradus conferantur: quò magis alii isthoc honore, & publico præmio, ad studia incitentur, & incendantur. Auget suæ Serenitatis Clementiam, quòd suo sumtu stare velit ambientibus hos honores, remque adeò ab se splendidissimam suâ non tantùm auctoritate, sed & munificentiâ condecorari. Quem in finem, S. Rom. Cæs. Majestatis auctoritate, & Suæ Serenitatis arbitrio, instituta est hæc solennis panegyris: faxit Deus, ut sicut prima est, ita in sui Nominis gloriam, Principis nostri honorem, Ecclesiæ emolumentum, Reipublicæ incrementum, Academiæ nostræ decus, & Dnn. Condidatorum utilitatem, felicissimis auspiciis procedat, vergat, eveniat!

Produxi in conspectum Vestrum, Auditores omnium ordinum honoratissimi, tres Theologiæ Candidatos, Viros & generis & doctrinæ & publici muneris laude inclutos. Cujusque ortum, vitam & studiorum rationem programmata publicè affixa loquuntur. Neque est, cur illorum eruditionem & virtutem Vobis prædicem: quam ipsi antehac publicis speciminibus; his autem diebus, post examina privata, etiam publicè disputando, & theses egregiè defendendo, affatim probarunt. Nihil itaque superest, nisi ut dignos industriâ & eruditione suâ honores sine ulteriori morâ consequantur.

Imploratur Procancellarius.

NUnc ad TE mea se convertit Oratio, Magnifice Dn. Procancellarie, Vir admodùm Reverende, Amplissime, Clarissimeque Dn. CHRISTIANE KORTHOLT, S. Th. D. & in hac Acad. Professor Celeberrime; Postquam S. Rom. Cæsareæ Majestatis auspicio Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. CHRISTIANUS ALBERTUS, Electus Episcopus Lubecensium, Hæres Norwegiæ, Dux Slesvici & Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst &c. Dominus noster gratiosissimus, pro hoc quidem tempore id muneris TIBI Clementissimè delegavit, ut mihi p. t. Decano & promotori potestatem in solenni hac panegyri tres Theologiæ Candidatos, Doctores creandi renunciandique concedere debeas: Tuam Magnif. & meo & Candidatorum nomine majorem inmodum rogo, velis hos omnes & singulos favore & benevolentia complecti, mihique pro ea, quâ nunc polles, auctoritate, potestatem dare creandi renunciandique ipsos Theologiæ Doctores, ornandique omnibus immuni-

munitatibus, privilegiis, ac juribus, quibus Ordo ille noster ubique terrarum sive de jure sive de consuetudine gaudet. Quod Serenissimo Principi nostro gloriosum, Academiæ honorificum, Candidatis salutare, omnibusque spectatoribus gratum & acceptum erit.

Responsio Dn. Procancellarii.

Spectabilis Dn. DECANE.

SI quid unquam protulit gravissimus scriptor Aristophanes constanti perpetuæ experientiæ suffragio comprobatum, illud sane est, quod in Hecuba ipsius legitur: ὅπου γὰρ ὁ μισθὸς οὐκ ἔνι, ἔσθ' ἡ τέχνη, *ubi nullum præmium, ibi nec ars viget.* Quantumvis enim, Silio Italico judice, *ipsa virtus sibimet pulcherrima* sit *merces*, & *sua luce conspicua aversetur auxilium commendationis alienæ*, quod ait Symmachus; ea tamen humani est igenii conditio, ut non immerito scribat Juvenalis:

— — *Quis virtutem amplectitur ipsam,*
Præmia si tollas? — — — —

Nihil enim, dicente Tacito, *à quoquam expetitur, nisi cujus fructus ante providerit.* Sed (verba recitabo Livii) *eo impenditur labor, unde emolumentum ac honos speratur; & nihil non aggrediuntur homines, si magna conatis magna præmia proponantur.* Quod ipsum expendentes, qui, ut humanæ divinæque sapientiæ studia promotum irent felicius, Academias primum sive Universitates, tanquam optimarum artium scientiarumque officinas quasdam, per Europam condiderunt, prudenti simul instituerunt consilio, ut iis, qui excellentes in Theologia, Jurisprudentia, Medicina, ac Philosophia fecissent progressus, DOCTORUM, LICENTIATORUM, & MAGISTRORUM tituli, una cum amplissimis, quæ iis adhærent, privilegiis, solenni ritu & ceremonia conferrentur: non tantum, ut justa hoc pacto præmia consequerentur, debitaque gloria mactarentur, qui ad eruditionis quandam veluti ἀκμὴν jam pervenissent; sed & alii exemplum inde caperent, splendidisque honoribus istis excitati, eidem virtutum tramiti insistere impigre sustinerent. *Alit* quippe *æmulatio*, illa nimirum, quæ non virtuti aut alienæ invidet excellentiæ, sed ea destitui se dolet, & egregiis experimentis ad eam aspirare contendit; illa, inquam, æmulatio alit *ingenia, & juniores seniorum gloriæ succrescunt.* Unde Plinius Junior, ubi Cottio statuam positam dixerat, eo *honore non modo defuncti memoriæ, verum etiam EXEMPLO prospectum esse,* addit; *acuere enim ad bonas artes juventutem tanta præmia constituta.* Et de Themistocle memoriæ proditum novimus, quod gloria, quam Miltiadi victoria de Persis reportata pepererat, ita accenderit ipsius animum, ut quasi extra se posi-

positus, Athenas perambularet, Miltiadis se tropæis e somno excitari dicens. Similiter Thucydides æmulatione Herodoti incensus fuit ad condendam historiam, tanti factam a Demosthene, ut octies manu sua describeret, & ab Imperatore Carolo V, ut eam secum in expeditionibus semper circumgestaret. Taceo Alexandrum M. quem Patris Philippi gloriam torsisse, taceo Cæsarem, quem ipsius rursum Alexandri fuisse æmulum, neminem facile præterit. Hæc ergo cum ita se habeant, quidni lubentissime tuo satisfaciam desiderio, Spectabilis Dn. Decane, quando videlicet abs me, qui CANCELLARII vices in præsenti sustineo, contendis, ut potestatem Tibi faciam perquam Reverendis istis Clarissimisque viris distribuendi præmia, quæ virtus ipsorum dudum meruit ac eruditio? Itaque autoritate S. Romanæ Cæsareæ Majestatis, jussu autem & voluntate Reverendissimi Serenissimique Principis ac Domini, DN. CHRISTIANI ALBERTI, Electi Episcopi Lubecensis, Heredis Norwegiæ, Ducis Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis Oldenburgensis ac Delmenhorstani, Academiæ suæ Rectoris Magnificentissimi, Domini nostri clementissimi; qui hanc mihi provinciam suo loco administrandam gratiosissime demandavit; Tibi, Admodum Reverende & Amplissime Dn. PETRE MUSÆE, S. Theol. Doctor & Professor primarie, Pro-Rector Magnifice, Decane & Promotor Spectabilis, Tibi, inquam, quod petiisti, licentiam concedo, præsentes illos, pietate, eruditione, virtute eximiisque in Ecclesiam ac juventutem meritis pridem celeberrimos viros, PAULUM nempe SPERLINGIUM, S. Theol. Prof. Ordin. & Ecclesiarum Ducalium in Præfecturis Holsatiæ Præpositum, M. MATTHIAM WASMUTH, Lingg. Orient. Prof. Ord. & h. t. Facultatis Philosophicæ Decanum, M. STEPHANUM KENKEL, Ecclesiæ Tunderensis Pastorem primarium, ejusque juxta ac Lygomonasteriensis diœceseos Præpositum, S. THEOLOGIÆ DOCTORES majorum more creandi & renunciandi, conferendi item ipsis omnia privilegia, quæ quidem, tum de jure & consuetudine communi, tum speciatim vigore diplomatis Cæsarei sub nuperam Academiæ hujus nostræ inaugurationem publicati, gradui isti ac titulo sunt annexa: simulque DEUM veneror, ut hæc omnia vergere faciat in majorem sui nominis gloriam, Ecclesiæ salutem, Academiæ nostræ splendorem, & ipsorummet Dnn. Doctorandorum decus ac emolumentum!

Ad hæc ita Decanus:

NIhil neque mihi, neque Dnn. Candidatis accidere poterat gratius, quàm quòd sine morâ, Magnifice Dn. Procancellarie, exspectationem desiderii nostri humanissimè explêsti, mihique potestatem dedisti, non modò Do-

ctores renunciandi tres Theologiæ Candidatos, sed & omnes immunitates, omnia jura, & privilegia, in ipsos conferendi. Officium mihi, quod gratè interpretor; Dn. Candidatis etiam beneficium præstitisti, pro quo ipsi Tuæ Magnificentiæ debitam observantiam, fidem, propensam voluntatem, cunctaque studia, reponunt, & sanctè pollicentur. At statutis Academiæ cautum est, ne quisquam summos in ullâ Facultate honores consequatur, nisi prius in præscripta quædam capita, quæ servari Academiæ nostræ interest, ad Sceptra Academica, juramento se obstringat. Ades igitur, Minister Academiæ, & consuetam juramenti formulam clarâ voce prælege.

Juramentum.

Primùm debetis jurare:

1. *Vos contra Serenissimam Domum Slesvicensem Holsaticam nihil velle fraudulenter suscipere.*
2. *Vos velle Academiæ commoda pro virili promovere, & incommoda avertere.*
3. *Vos etiam velle Venerando Collegio Theologico debitam reverentiam exhibere, ejusque statuta, quantum quidem ad Vos pertinent, servare.*
4. *In specie autem semper illam fidem profiteri, quæ in Augustana Confessione, hujus Apologia, Articulis Smalcaldicis & utroq; Catechismo Lutheri continetur.*
5. *Denique in docendo sanam verborum hypotyposin servare, & abstinere ab omnibus locutionibus & controversiis, quæ turbas dare in Ecclesia possint.*

Sic Vos Deus adjuvet!

Renunciatio cum ritibus.

QUod igitur DEus T. O. M. in sui Nominis gloriam & honorem, Ecclesiæ incrementum, Reip. emolumentum, Patriæ ornamentum, & Academiæ hujus splendorem, Candidatorumque ipsorum commodum feliciter evenire jubeat!

Ego, PETRUS MUSÆUS, SS. Theol. D. & P. P. hodieque Decanus & Promotor, autoritate *S. Rom. Cæsareæ Majestatis*, & *Serenissimi Cimbrorum Ducis*, Domini nostri Clementissimi, indultu, vos universos ac singulos, nominatim

Te DN. PAULUM SPERLING, SS. Theol. Prof. Publ. Ecclesiarum Ducalium in Præfecturis Holsatiæ Præpositum;

Te DN. MATTHIAM WASMUTH, Hebr. & Orient. Lingu. Prof. Ord. & hoc temp. Fac. Phil. Decanum;

Te DN. STEPHANUM KENCKEL, Ecclesiæ Tunderensis Pastorem primarium ejusque juxta ac Lygomonasteriensis Diœceseos Præpositum;

Vos

Vos, inquam, omnes & singulos, citra eruditionis & honoris præjudicium ita locatos, SS. Theologiæ Doctores, solenni Majorum ritu, creo, renuncio, proclamo, simulque omnes immunitates, jura omnia & privilegia confero, quibus noster ille Ordo sive de jure sive de consuetudine ubique terrarum gaudet; idque in nomine τρισαγίε Divinitatis, Dei Patris, Dei Filii & Dei Spiritus Sancti.

Et quia piæ Antiquitati placuit, partim solennitatis majoris, partim utilitatis insignis causa, Promotionibus Academicis ritus quosdam addere; neque illos à nobis negligi, aut prætermitti fas erit. Agite itaque, Admodum Reverendi & Clarissimi Dnn. Doctores, in hanc *Cathedram* ascendite. Cathedra hæc docentibus destinata est. Eoque cùm S.S. Theol. Doctores audiatis, mementote, vestrarum esse partium, id agere operamque dare sedulò, ut alios de cathedra eruditè & utiliter docere possitis. Admonendi tamen estis, nemini de cathedrâ docere esse integrum, nisi qui publicâ autoritate fulgeat. Prælatas vidistis, jamque videtis *ardentes faculas*; non ornatûs tantùm causâ: sed ut vestri commonefiatis officii, rati, decere S. S. Theologiæ Doctores, summâ in id opum vi eniti, ut doctos inter Viros, facularum, aut præcipui inter stellas sideris instar, splendeant, aliisque & eruditione, & virtute, vitæque integritate longè antecellant, nihil quidquam commissuri, quod Amplissimo ordini nostro dedecori esse possit.

Jam porrò *Libros apertos* Vobis sisto: nempe ut cogitetis, in tantâ studiorum Theologiæ varietate, ac amplitudine, ad absolutam & perfectam notitiam, Vos nondum pervenisse, nec perventuros unquam, sed per totam vitam fore, quod legatis, quod discatis, quod meditemini; & idcirco perquam sedulò nunquam non evolvendos esse libros.

Iterum *clausos libros* volo, ut intelligatis, ita Theologiæ monumenta evolvenda & memoriæ infigenda esse, ut remotis etiam iis, & vel furto, vel incendio, vel alio casu sublatis, nihilominus sacra Christianæ fidei dogmata explicare, confirmare, dissentientium errores refutare, adeoque dignè locum, quem tenetis, tueri queatis.

Pileum insuper suo cujusque capiti impono. Libertatis olim insigne fuit pileus, ad quem cum vocarentur servi, in libertatem vindicari intelligebantur. At nemo magis liber censendus est, quàm qui ignorantiæ ac ruditatis vitiorumque vinculis solutus, contraque liberalibus studiis ac virtute ita est imbutus, ut sibi ipsi prospicere, aliisque præesse possit. Pilei istius *color purpureus* est, eoque purus quidem & immaculatus, sed maculari facilè potest, nisi diligentissimè custodiatur & asservetur. Ita S.S. Theologiæ Doctores ab omni vitio alienum & defœcatum habere animum oportet, adeò, ut etiam à minimis quàm maximè sibi caveant, recogitantes, se id vi-

tæ genus delegiſſe, in quo etiam leves maculæ, & minimi errores, magis, quam in ullo alio, notam mereantur.

Sed & *aureo* exornandi *annulo* eſtis. Annulus hic conſtantiæ & puritatis eſt indicium. Quemadmodum enim aurum metallorum puriſſimum, & in igne conſtantiſſimum eſt; ita Vos veritatem ſine fuco, ſine ſimulatione, conſtantiſſimè decet tueri, ut ornamento hoc vos eſſe dignos, omnibus teſtatum faciatis.

Oſculum denique Vobis figo. Sinceri amoris, pacis, & amicitiæ ſignum eſt oſculum. Ecquos verò magis pacis, ac concordiæ, Chriſtianæque caritatis ſtudium, quàm S. Theol. Doctores deceat? Monemini itaque hoc ritu, ne excitare rixas & lites; excitatas, quantum in Vobis eſt, maturè dirimere denique concordiæ ac paci ſummâ intentione ſtudere velitis.

Quod ſupereſt, Vobis, admodum Reverendi Dn. Doctores, novos honores ex animo gratulor, Deumque precor, Eccleſiæ & Reipublicæ utiles, Academiæ noſtræ honorificos, vobis omnibus diuturnos, ſalutares fauſtos ac felices eſſe jubeat!

(Lit. G.)

ORATIO II.

DN. ERICI MAURITII, U. J. D. ejusdemque Profeſſoris Primarii.

VIRI Munerum, Generis, Doctrinæ laude Incluti, Tuque lectisſima Studioſæ juventutis Corona.

QUod ſolenne eſſe ſolet in publico dicturis, ut circa Orationis initia, veniam conatus ſui culto ſermone impetrent, aliorumque ad audiendi patientiam animos invitent, eo labore, Auditores omnium Ordinum Honoratisſimi, Vobis non invitis, me ſuperſedere poſſe modo, ni fallor, rectè exiſtimo. Nec enim ſponte mea locum hunc conſcendo, ſed ordinis noſtri authoritate, & veſtro, conſcripti Patres, imperio. Quare muneris neceſſaria ratio facilè â temeritate abſolvet inſtitutum, quod tam parùm mei habet arbitrii. Sed & erectos video veſtros ad audiendum animos, & ipſe, ſi non aliunde, ab ingenii tamen veſtri bonitate, non ſatis doctæ diſſertationi promitto gratiam. Quod ſi quid etiam in eo ad benevolentiam veſtram momenti eſt, de argumento verba facere deſtinavi, quod nec â ſolenni hujus diei gaudio alienum ſit, & cujus memoria

moria ad omnes pertineat, cum incertis tamen argumentis disceptetur hactenus. Nempe ne Caji JCti in nos justa sit reprehensio, aggredi nos quicquam origine non repetita & illotis manibus, ex antiquis annalibus repetemus sepultam penè honorum, quos Collegium nostrum hodiè conferre Consultissimis ac Clarissimis Dominis Candidatis animum induxit, principia & primam originem. Tentabimus etiam, quantum quidem ingenii, quod fatemur esse exiguum, permittet tenuitas, scrutari rem exactius, ac quædam vulgo non perinde comperta Literatis nostrorum Observationibus addere, unicè securi vestræ benevolentiæ, quam multis indiciis jam ante compertam, frequenti præsentia, ac illa silentii modestia, iterùm confirmare voluistis.

Qui de summis honoribus ac impensæ in meliores litteras operæ præmiis aliquid memoriæ prodiderunt, cùm in plerisque reliquis ferè conveniant, in uno hoc à se invicem varie dissident, cui tempori, loco, authori, primam debeat Eruditus Orbis graduum, ut vocant, memoriam. Nec anni unius aut alterius, quod temporum computatoribns frequens, sed seculorum, & plurium sæpe, discrimen est, quod sententias Doctorum separat. Etiam de gente pugna est, & ex Oriente repetunt aliqui morem, cujus initia, majori veteris historiæ fide domi inveniuntur. Jam diu est, quod Sebastianus Schröterus 2. Historiæ, quo Orbis situm explicat, volumine, advectam è Sinarum regno, quo tempore penes Lotharium imperii summa fuit, Doctores creandi consuetudinem, Lectori persuasum vult. Judæorum hanc primam laudem esse putat Doctissimus Heigius, qui Rabbinorum nominatione exemplum, quod in Doctorum creatione sequerentur, dederint Christianis. Waltherus, etiam Græcorum Philosophis, quod docerent, ambiguitatem nominis ad Doctorum titulum prodesse vult, parùm sane memor, qualem ipse descripserit Doctorem. Zasius, ut plerumque aliarum rerum, ita hæc etiam ad Romanos refert initia. Quare enim dixerit Pomponius, Divum Augustum constituisse, ut major esset Juris auctoritas, ut ex authoritate ejus responderetur, & ex illo tempore id peti pro beneficio cœpisse, quod repetit de Tiberio. Neque defuisse examina, cùm Hadrianus non peti id à se modò, sed præstari debere, Prætorianis rescripserit. Nec aliter illi, qui Magistros nobis ac legum etiam Doctores totidem verbis in Justinianei Juris libris monstrant. Christoph. Besoldus omnium Doctorum primum, ex fide quidem Germanicæ Historiæ, quendam Ottonis II. Consiliarium è nobilissimo genere de Mangenfeldt/ circa seculi decimi extrema facit. Plerisque ac Magnis Viris auctor hujus instituti Lotharius creditur; eum sanè potestatem hanc anno 35. seculi duodecimi, Irnerio concessisse, ac Bulgarum, Hugolinum, Martinum, Pileum, titulis

lis his nobilitasse. Atque hæc ferè communi, Boceri etiam, consensu probata opinio, hodie ut magnos Autores, ita veri plurimum habere judicatur. B. Rhenanus, Vir Germanicarum rerum, si quis alius, peritissimus, commentario suo in Tertullianum, post laudandam, quam in hac disquisitione posuit operam, nil Lectori, nisi conjecturas & dubiam mentem relinquit. Et Dresserus Millenario sexto illa de promotionibus his scribit, quibus refellendis non nisi verbis ejus opus sit. Ex iis, qui præter Germanos curiosa inquisitione hæc investigarunt primordia, Majolus præcipuè tuetur docti nominis decus, nec aliud tamen ipsi tandem compertum est, quam nullis antiquioribus natalibus glorificari posse titulos hos anno millesimo centesimo sexagesimo, at quo tempore cœperint deinceps, id juxta scire se ostendit cum ignarissimis. Anglus anonymus, quo autore prodiit Apologia Antiquitatis Academiæ Oxoniensis, hærere se hâc in parte disertis verbis fatetur. Et Polyd. Virgilius, præclaris de Rerum Inventoribus libris, satis silentio suo testatum facit, defuisse sibi exactam rei notitiam. In tantâ animorum varietate & historiæ obscuritate jaciemus tamen aleam & vela committemus ventis. Vestrum erit judicium, Auditores optimi, an portum attigerim, an in vasto illo tot opinionum mari, fluctibus & ventis ludibrium debuerim.

Jam, ut hinc refellendi falsa faciam initium, quam non est verisimile accepisse hos honores è Sinensium Imperio nostros? cujus, tam longinquis terrarum intervallis â nostris regionibus separati, nec fama ad nos pervenerat, antequam Marcus Paulus Venetus primus, quod ego sciam, eam Europæ nostræ inferret. Successerunt deinceps Mandervillei, & Lusitanorum ac dein Belgarum & Anglorum in illas oras peregrinationes. Cæterum, ut illo tempore, quo ignota Europæ provincia, nihil novi inde ad nos derivari potuit, ita Marci Pauli Veneti reditum in Europam antevertunt jam ista dignitatum hujusmodi nomina. Nempe, anno demum circiter septuagesimo, seculi decimi tertii is Venetias appulit. Sed nec ipse quidquam adhuc de gradibus Doctorum apud Sinenses memorat, nec fortassis cognovit, quæ posteriorum demum seculorum curiositate patuerunt Lusitanis. Saltem id dubio vacat, nullam, quæ ab ipso commemorabantur, invenisse apud suos fidem: quod rebus tam magnis, licet verissimis, non adsuevissent adhuc nostrorum animi. Ut vel hoc nomine auctoritatem instituto huic facere non potuerit in exterorum Academiis, cui etiam inter gentiles suos deesset fides. Sed, ut conveniant quoque in multis cum nostris, gradus hi Sinensibus usurpati, falletur tamen haud dubiè, qui in omnibus componi posse crediderit, & observamus sæpè in diversis populis rei ejusdem vestigia, qui nulla tamen commerciorum societate, sed solùm occulto quodam naturæ & ingenii

ingenii consensu in unam sententiam conveniunt. Sane quod Martinius Jesuita scribit, inveniri inter Sinenses diversarum sectarum Philosophos Europæis nostris similes, quorum alii eadem cum Aristotele, alii cum Epicuro ac Zenone doceant, nemo crediderit pervenisse ad illos â Græcis Magistris, sed ab eâdem illa Natura, quæ æquales conceptus Sinensibus ac Europæis indidisset. Nec efficiet Heigius, aut, qui illum sequitur Jacobus Altingius, ut ad Judæos inventi hujus laudem pertinere credamus. Est quidem apud illos Rabbinorum creatio antiquissimi temporis, ac habet haud dubiè plurimorum seculorum ætatem, dignitatem quandam contineri Rabbini nominatione, conferri â Synagogæ Magistratu, juberi talem appellari, qui creatur, ab omnibus, statutâ in refractarios excommunicationis pænâ, addi etiam privilegia, talia esse fatemur, quæ in Doctores nostros congruant etiam. Sed quod nullo examine, verùm privatis in compito discursibus explorata, quævis etiam levis eruditio facilem aperit aditum Judæis ad hunc titulum: quod pænas confestim aliis etiam graviorum delictorum, furti, homicidii, adulterii reis irrogant; quod excommunicationis permissa Rabinis in alios licentia; ac quod nulla Imperiali autoritate vel pompâ tales creantur, illos, Judicis munere, examinum neglectu, & privatâ promotione, â Doctoribus nostris facilè discernunt. Quin, quæ de illis in nuperrimè aucta Parentis sui Synagoga Judaica memorat ex aliis Buxtorfius filius, integro capite, omnibus haud difficulter Doctorum nostrorum & Rabbinorum differentias ostendere idonea sunt.

Quid quod ipsi fatentur, illustrius Doctorum nostrorum nomen, cum illos cum iis comparant, quos Morenu recentiori vocabulo ac fatente Tzemach David ante ducentos demum annos nato, ad imitationem haud dubiè Christianorum, appellant. Nec Indorum Brachmanes mihi quis objiciat, quos antiquissima Fama verissimis testimoniis Doctores Indorum celebravit; Nam antiquos esse & doctos non nego: sed sectæ id & familiarum, non gradus alicujus nomen esse, nostrâ ætate abundè probarunt oculati testes, Vincentius Blancus, ac illô uberius nuperrimè Abrah. Rogerius, qui decennii mora ad Indos, ex ore ipsius Pachmannabæ, inter nostræ ætatis Brachmanes præcipui, hausit, quæ Belgico sermone ante hos octodecim annos literis mandavit. Habet quidem Oriens, qua parte Lusitanorum olim & modo Belgarum navigationibus patet, Martabanæ regnum, & Grepos & Thalegrepos, homines doctos, quibus maximum apud Reges ipsorum pretium, ac quibus cum colloquia sua recenset Ferdinandus Mendez Pinto Lusitanus; sed satis colligere est ex iis, quæ ille narrat, non magis graduum nomina hos titulos esse, quam apud Turcas illa Dervisiorum, Torlaquiorum, Calendriorum, Geomailerorum, quibus certo religiosorum hominum,

num,

num, vel Ordini Clericorum addictos homines, &, pro ipsorum modulo doctos quidem, non tamen solenni promotione ad honores Doctorum provectos notant. Nec enim Turcis quoque quicquam tale notum, è quibus satis certo errore Cadilesquierios in Doctorum nomen adoptat, Vir cæteroquin exactissimæ diligentiæ, Nicolaus Nicolai, Dominus Arbevillæ ac Galliarum Regis Geographus, & ad Solymannum Imp. Francisci I. & Henrici II. Galliæ Regum Legatus. Nam Judices esse illos supremos Turcicos, ad quos ab inferioribus appelletur in toto Imperio, solum duos, pares præsidibus, & octo millibus Ducatorum ali in singulos annos, ipse fatetur & consentientibus Leonhardi Rauchwolffii & Sansovini suffragiis certum est, quæ talia sunt, ut Doctoribus nostris minimè conveniant. Et est Turcarum profecto eruditio & in literas meliores amor tam exiguus, ut titulos illos ex eâ gente nemo mereatur. Dominus du Loer, qui comes Gallici Legati non ita pridem Constantinopoli vivebat; literis ad Paillierum scriptis, mense Augusto Anni M. DC. XL. præter Alcoranum, elementa Euclidis solum & Avicennæ quædam ibi se vidisse testatur, nec doctos ipsorum, præter legem Corani, & Mathematica & Logica quædam, quidquam scivisse. Nihil ergò hactenus nobis compertum habet Oriens, quo certò gloriari possit, derivatum hunc ad nos ex Asiâ morem conferendi ista Literatis præmia. Sed fortassis Græcorum Philosophi iidem cum Doctoribus nostris? Et fatemur certè, docuisse hos, quis enim id de Pythagorâ, Socrate, Platone, aliis neget? Sed nos solennes hos titulos publicâ autoritate & certis ceremoniis collatos & privilegiis ornatos quærimus, non docendi solum facultatem, quam, absit ut Doctissimis Viris negemus. Neque ut aliud sentiamus, pallium Sophisticum Photio in Bibliotheca memoratum effecerit, quod nemini Athenis gestare licuisse in expedito est, nisi qui solenni ritu & Sophistarum suffragiis id impetrasset. Petulantis enim juventæ ludum, non legitimæ promotionis indicium fuisse, quæcunque Photius ibi recenset, quivis facile odorari potest, qui nasum habet. Ad Romanos venio & Augusti tempora, ac respondisse quidem eo tempore ex autoritate Imperatoris aliquos, dubio vacat. Cæterum qui inde collegerit, eo ipso collatam Doctoris dignitatem, næ, is ita acutum cernit, ut serpens Epidaurius. Certe non omnibus, nec à Doctoribus, verum ab Imperatore, nec in Scholæ, sed Fori usum id, quicquid est, concessum fuisse, extra controversiam est: Et si Jurisperiti Doctores vocantur aliquando posterioribus, Diocletiani, Juliani, Theodosii, Justiniani Imperatorum legibus, id inde est, quod docerent. A munere ergò illis hoc nomen, non â dignitate & gradu. Nec Doctores alii, quàm qui docerent vel docere, ob privilegium vel ætatem, desiissent, Professores. Quod si ul-

si ullo instituto ad honores hujusmodi Imperiali auctoritate & Academiarum consensu vocata fuit juventus, cur, ubi Romanam, Constantinopolitanam, Berytiensem Academiam, in quibus solis jure permissa facultas erat docendi Civile jus, in legibus nostris ac alibi commendatam legimus, nec vola nec vestigium extat tam laudandi moris. Vir Clariss. Johannes Strauchius Jenensis olim Academiæ Professor Doctissimus dissertatione, quam inscripsit Berythus, multa de Academiæ illius antiquitate, urbis æquali ferè cum Sidone & Tyro nobilitate, discipulorum juri addictorum in invidiam Libanii Rhetoris usque numero, Auditorum splendore, Professoribus Dorotheo, Anatholio & aliis, & terræ motu, quo demum concidit, undique collegit, de honoribus his nihil post diligentissimam curam reperire potuit, haud vano argumento, defuisse, qui tale quidpiam tradidissent, Scriptores. Nec suspicio esse potest, fuisse deinceps Romanis moribus probatam hanc consuetudinem, post Imperii totius cladem, & Academiarum trium, totidem adversa à terræ motu, barbarie, & Barbaris, fata. Sed vocat ad se Orationem primus ille Besoldi Doctor & Nobilis à Mansfeld/ & Ottonis II. Consiliarius. Cur falli credamus, quæ & de nomine & titulo & annis etiam, tam audacter & fide quidem veteris German. historiæ pronunciat. Ego verò vellem, nominasset Germanicos, quorum autoritate fidem fabulæ quærit; Historicos. Nec Urspergensis Abbas, ipse Legum peritus, nec Sigebertus, rerum illius seculi diligens, si quisquam alius, notator, nec ullus demum, qui eo tempore litteris famam extendit, quo Otto II. vixit, tale quicquam memorat. In unâ autoritate Autoris glossæ Weichbildicæ, prora & puppis hujus est sententiæ. Sed qui ista sibi persuaderi patietur glossæ hujus fide, næ ille dignus est, qui credat etiam, Constantinum M. Saxonibus dedisse Leges, & Carolum M. Autorem esse Speculi, quod quadringentis post annis demum Autorem habuit Epconem à Rebko, quod prœmium Speculi & glossa Weichbildica (ita loqui mihi liceat) cum sexcentis hujusmodi aniculis narrat; quæ levissima, imo nulla fide niti omnes norunt, quibus cor sapit. Nec prolixè nos detinebit Lotharius, quem peculiari privilegio hanc gradus dispensandi potestatem Irnerio & Successoribus fecisse volunt. Qui ista credunt, quid reponent Sigonio ac bonæ notæ Scriptoribus aliis, qui Anno millesimo centesimo quinquagesimo fatis concessisse Irnerium evincunt? Nam quod Bulgarum, Hugolinum, Pileum, Martinum, Doctores aliqui dicunt, hanc causam habet, quod jura Bononiæ docerent ac profiterentur, non quod solenni promotione ac eo ritu, qui hodiè usurpatur, ad hujus nominis fastigium elati essent. Atque inde est, quod non Doctorum solùm nomine, sed Magistrorum quoque juris veniant Ottoni Murenæ in Laudensi Chronologiâ: Inde studiosorum Bononiensium illa de quatuor his Jurisperitis ad Irnerium morientem apud eun-

dem Murenam Oratio: Domine! quem vultis post mortem vestram Doctorem nobis constituere? Et monuit jam pridem Clarissimus CONRINGIUS, non eò pertinere hæc nomina quo plerique existimant. Satis hactenus operæ in falsis refellendis posuimus: Veri tandem aliquid & liquidi, Auditores Honoratissimi, â vobis expectari certus sum. Et verò, faciam, quod Jure vestro à me postulatis, & breviter. Seculum erat Octavum â Nato SALVATORE nostro, cum oppressis Barbarorum furore & stupidâ ævi negligentiâ literis, Carolus, qui â rerum gestarum magnitudine Illustre Magni nomen habet, animum ad revocandam earum dignitatem adjiceret. Ergo Alcuini consilio primum omnium Lutetiæ Parisiorum, selectis ex Britanniâ monachis, ubi tum omnis latebat eruditio, Academiæ fundamenta jecit. Rudia tamen & quæ satis testarentur, non esse se nisi prima saltem. Nec enim Theologia ibi circa ortum scholæ docebatur, nec ullus adhuc erat Juris vel Medicinæ studio cultus. Solam Philosophiam, nec integram, sed è quadrivio, ut vocant, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam & Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ & Astronomiæ parum à Præceptoribus accipiebant discipuli. Servat adhuc antiquæ tenuitatis vestigia, electione Rectoris sui, qui ideo, ut Johannes Filesaccus, Doctor Sorbonicus, accurato libro de origine statutorum Facultatis Theologicæ Parisiensis tradit, quovis anni quadrante ex Philosophis solum & artium Magistris eligitur, *quia sub primam institutionem*, verba ipsius recito, *Caroli Magni sola hæc Facultas in usum est recepta.* Accessere paulo post Theologiæ studia seculo, ut videtur, decimo. Juris doctrinam adjecit seculum duodecimum, sed & reliquorum studiorum augmento magis magisque deinceps florere cœpit. Cæterum nec in hac ipsa Scholâ, vel aliâ, ullum promotionis certæ, tribus prioribus, quo ipsa nata est, seculis, extare indicium, vel in historia, vel in archivis Academiæ, facilè omnes consentiunt. Quin jam dudum ostendit Majolus, præmia hæc ante Lombardi sententias & Gratiani Decretum non fuisse usurpata, quo ipso efficitur, nec Magistros fuisse ante annum millesimum centesimum sexagesimum. Cæterùm quod ignoravit Majolus, id nos doceat Alexander III. Pontifex, nondum venisse in usum gradus hos suâ ætate, id est ab anno sexagesimo ad octuagesimum secundum. Ex ejus enim Constitutionibus, quæ exstant lib. 5. tit. 5. Decretal: *de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentiâ docendi*, & in Concilio Lateranensi ipso Pontifice habito, nihil de gradibus; id verò, quod adversum illis est, pronunciatur, *ad docendum admitti debere omnem, qui sit idoneus.* Theologos etiam Parisienses in nullam societatem (Facultatem hodiè vocamus) convenisse, expeditum est, ante seculum XIII. sed Professores nullo graduum discrimine, ast communi Auditorum consensu ad docendum vocabantur adhuc toto Philippi Augusti imperio (præfuit is ab anno usque millesimo centesimo octuagesimo

ſimo ad milleſ. ducenteſ. viceſimum tertium) ut ne ſic quidem etiam Theologi eo tempore habuerint alios, quàm qui â docendo nominabantur Doctores. De jure expeditum eſt, ante Irnerium JCtos nec Cathedram in Academiis publicam aliquot ſeculis habuiſſe, nec Auditores. Cœpit is, Lotharii ævo, tradere Juris doctrinam. Sed graduum ab ipſo aut Succeſſoribus ad hunc milleſimum duценteſimum vigeſimum tertium annum collatorum nulla ſanè reperitur mentio. Nec Medicorum aut Philoſophiæ alia ratio. Sed qui nondum cœperant anno milleſ. ducenteſ. vigeſimo tertio honores, eos collatos eſſe ſeptennio poſt anno milleſimo, centeſimo trigeſimo primo, ex Bullâ Gregorii IX. Papæ, quam ſervavit nobis Gabriel Naudæus tract. de Antiquitate Medicæ Scholæ Pariſ. in propatulo eſt. Verba ejus, quod primum habeant præmiorum hujusmodi indicium, quamvis barbara non nihil, quid vetat adjicere? De Phyſicis autem & Artiſtis ait: Cancellarius promittet, bonâ fide examinare Magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos. Nihil autem cauſæ eſt; cur credamus, conceſſum id fuiſſe Philoſophis, non etiam reliquis. Ut primam graduum originem Galliæ ac Pariſienſi Academiæ ſeculo decimo tertio ejusque annis, qui inter milleſimum ducenteſimum viceſimum tertium, & milleſimum ducenteſimum trigeſimum primum intercedunt, deberi, nunc in expedito ſit, triplici ratione, primum, quod literaria monimenta nihil nobis antiquius commonſtrent; tum, quod antiquiſſima hæc Academia, etiam in aliis reliquis Europæ Academiis exemplum dederit, quod ſequerentur: & quod Baccalaureorum Gallicus Titulus originem ſuam ſatis prodat. Exinde non intra Pariſienſem ſolùm Academiam mos hic ſe continuit, ſed effuſo velut agmine Doctores & Magiſtros ex aliis Academiis prodire vidimus. Nec tamen eædem adhuc vel circa juris vel alios Doctores, leges. Sed (ut fieri conſvevit) rudia honorum hujusmodi initia habuerunt, quæ correxit melior ſeculorum noſtrorum ratio. Sanè non Licentiatos ſolùm aut Doctores, ſed Baccalaureos etiam Theologiæ, Juris & Medicinæ creari mos erat, ut paſſim ex ejus ævi monimentis diſcere eſt. Quid quod Auguſtus Elector adhuc conſtituit, Baccalaureos creari in ſingulis facultatibus (ut vocant) Conſtitutione de Academiis, quæ extat inter editas in novo corpore Saxonico. Duravit etiam in Academiâ Tubingenſi adhuc ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum nonum Baccalaureorum in Jure gradus, & in ſtatutis Facultatis ejus antiquiſſimis, ſcriptis decimo tertio Septembris die ejus anni, peculiari paragrapho definitur, quid Candidato ſolvendum ſit, ut fiat Juris Baccalaureus. Nova tamen Facultatis Statuta Anni milleſimi ſexcenteſimi primi monent, deſiiſſe uſurpari morem creandi Baccalaureos hominum memoriâ. Quod magis mirum videri poſſit, in

ipsâ urbe Bononiensi, quadriennio post Gregorii Bullam, in quâ Magistrorum mentio, etiam in sequiori sexu honoris hujus exemplum vidit Academia. Hilarius de Costa *primo tomo elogiorum part.* 3. qua virtutes & vitas Reginarum, Principum, ac doctarum fæminarum celebrat, rem in hunc modum recenset: *Belisia Godsatina filia Bononiensis Nobilis amatoris Godsatini cùm pro colo & acu literas & juris studium elegisset, anno millesimo ducentesimo trigesimo secundo, ætate viginti trium annorum, docta & Latina Oratione memoriam Ludovici Frattæ Episcopi Bononiensis, celebravit: Triennio post in celebri Bononiensi Academia supremos in jure honores à Collegio Juridico impetravit, publico deinceps ex variis nationibus Auditorio Institutiones Bononiæ explicavit & libros plures, qui sub nominibus fictis lucem adspexerunt, conscripsit.*

Nec longe post hanc ætatem, Isabellam Loysam de Cordua, Latinè, Græcè & Hebraicè doctam, supremos in Theologiâ honores accepisse, ac Monasterio S. Claræ intulisse, idem Auctor memorat. Sed ne sacra hæc ad fæminas pertinerent deinceps, optimâ consuetudine receptum arbitror. Id saltem addo, non integro post initia seculo, jam ea frequentia natos Doctores, ut varios abusus notarit Clemens V. Pontifex cap. 2. inter Clement. Constitutiones tit. de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentiâ docendi.

Satis ex his, quæ diximus, liquet, nullos etiam habuisse Germaniam nostram ante has, quas memoravimus gentes, Gallicam & Italicam, summos in literis honorum gradus, quos Doctoreos vocamus. In veteri Germaniâ barbara omnia, Cæsar, Tacitus, Plinius, invenere, & omnis doctrinæ nomen Druidum & Bardorum scientiâ absolvebatur, qui cum Flaminibus Romanorum quidem non-nihil, cum Doctoribus nostris nihil commune habent. Accepit deinceps Monachos, Deus bone! quam plerumque rudes, saltem nihil minus prioribus seculis, si paucos excipiat quis, quam Doctores. Primus in Germaniâ Doctor, quem ego quidem reperire potuerim hactenus, seculo decimo tertio est Johannes Semeca, Præpositus Halberstadiensis, Italiæ etiam Teutonici nomine notus, ac anno ejus seculi quadragesimo quinto vitâ defunctus. Conscriptis omnium primis in Decretum glossis celebris. Sed ille quidem extra Germaniam hoc titulo donatus est. Cæterùm in Germaniâ ipsa primum Pragæ seculo decimo quarto collatos hos titulos exrra controversiam est. Saltem tum enim illa prima omnium Germaniæ Academiarum cæpit, nec dubium, ut reliqua, ita etiam Doctores creandi morem ad illam pervenisse.

Sed quò me vocat Orationis impetus? Ad id pervenio, quod hujus diei festiva solennitas exigit, ac Doctoreos & Licentiati titulos, Consultissimis ac Præclarissimis viris tribuere aggredior. Sistimus autem oculis ve-

stris

ſtris & conſpectui, Auditores omnium Ordinum Honoratiſſimi, Viros Ampliſſimos & Clariſſimos Dn. SAMUELEM RACHELIUM, & Dn. NICOLAUM MARTINI, illum juris Naturæ & Gentium, hunc Politices, Profeſſorem in noſtrâ Academiâ celeberrimum, utrumque Collegam conjunctisſimum, Doctoris, tum Dn. JOHANNEM GEORGIUM PELLICERUM, Licentiati titulo & privilegiis decorandos. Non patitur temporis ratio in laudem eorum quæ merentur dicere, nec vino vendibili valde opus eſt ſuſpensâ hederâ, id tamen ſecurè dixerim, gratulari me novæ Academiæ, & in illâ Facultati noſtræ, quod initium conferendi honores hos nobile, in viris ſanè eximiis fecerit. Quia verò publicâ autoritate niti decet hos Titulos, eamque Serenisſimus Princeps poteſtatem vicariam concesſit Viro plurimùm Reverendo & Amplisſimo Dn. CHRISTIANO KORTHOLT SS. Theologiæ Doctori & Profeſſori celeberrimo, ideo ad Tuam Magnificentiam pergo, Dignisſime Domine ProCancellarie, â tuâque plurimùm Reverendâ Dignitate precibus maximis contendo, tum ordinis noſtri, tùm meo ac Dn. Candidatorum nomine, poteſtatem ſummos in Jure, qui & Doctorei vocantur, honores, privilegia, inſignia & titulos Dn. SAMUELI RACHELIO & Dn. NICOLAO MARTINI, Licentiæ verò gradum, privilegia ac jura Dn. JOHANNI GEORGIO PELLICERO tribuendi, mihi facere ne dedignetur. Quod ſi voti compotes nos reddiderit, (id verò ſperamus de T. plurimùm Reverendâ Dignitate omnes) ita referemus in accepti tabulas beneficium hoc, ut cultum & reverentiam debita nos reddituros bonâ fide promittere nihil vereamur.

RESPONSIO DN. PROCANCELLARII.

Spectabilis Dn. DECANE.

ETiamſi, ut paulo ante oſtendebamus, præmiorum diſtributio utilis admodum in Republ. ſit, & tantum non neceſſaria, abſit tamen, ut veterum Perſiæ Regum horumq; ſimilium inſolentisſima cuiquam probetur inſania, qui vitiorum enormitatem conſtituta mercede provocarunt, & iis, qui vel novum voluptatis genus reperiſſent, vel nefandis alias criminibus ſe contaminaſſent, illuſtria præmia propoſuerunt. Quin potius illis ſuffragemur, qui VIRTUTI hujusque cultoribus honorem deberi publicasque remunerationes agnoſcunt. Virtutem autem heic dum nominemus, vel inprimis intellectam volumus illam literariam, (ut vocant:) ſine cujus præſidio & adminiculo eſſe non poſſumus omnino id quod volumus, certe debemus; humani, tractabiles, moderati, ſapientes, prudentes: quæ bonorum hujus vitæ omnium ſola cœleſte quiddam ac immortale eſt, nulli

periculo, casibus nullis, nulli temporum varietati obnoxium: quæ tantum humano generi conducit, quantum nullius, etiam eloquentissimi, lingua declarare potest. Hac enim qui tincti & imbuti, iis apud omnes nationes atque populos summus semper tributus est honos, amplissimaque decreta præmia. Quanquam autem commune quoddam inter se vinculum habeant artes ac scientiæ, & ad unum eundemque finem conspirent cunctæ; si tamen dignitatem earum, si utilitatem inter se conferas, quin harum intuitu altera alteri præferri possit, indeque inter primas numeranda merito veniat Juris Justitiæque doctrina, nullum plane est dubium. Quod si enim Justitia, unanimi omnium consensu, inter cunctas virtutes, quas morales appellamus, principatum obtinet, *Regina* inde dicta Homero, *vinculum humani generis, fulcrum reip., fundamentum omnium actionum honestarum*, Platoni & Socrati, *mater ac nutrix ceterarum virtutum*, Polo Pythagorico, *Lucifero Hesperoque admirabilior*, Aristoteli: si, quod judicat Tullius, tanta ejus necessitas, ut nullum hominum genus, quicunque demum sint, sive in solitudine degant, sive in civitatibus; sive honestum vitæ genus colant, sive turpe ac illicitum, ipsa carere possit: si, inquam, tanta Justitiæ dignitas, utilitas tanta, quidni præcipuis accensenda veniret scientiis, quæ, quid justum, quid injustum sit, decernit, Jurisprudentia? quidni præ ceteris sapientiæ alumnis præmia mereantur splendidissima Jurisprudentiæ cultores? Quos inter cum nomina sua non tantum professi fuerint jam dudum, qui mihi se heic stiterunt, viri multijuga virtute omnigenaque eruditione inclyti; sed eos etiam in ardua ista Juris scientiâ progressus fecerint, ut à Nobilissimo JCtorum collegio digni sint habiti, qui summos eo nomine honores Academicos capesserent: idcirco, autoritate rursum Cæsarea, ex mandato autem Reverendissimi Serenissimique Principis ac Domini, DN. CHRISTIANI ALBERTI, Electi Episcopi Lubecensis, Heredis Norwegiæ, Ducis Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst; Academiæ hujus nostræ Rectoris Magnificentissimi, Domini nostri clementissimi; Ego Tibi, Vir Amplissime & Consultissime, DN. ERICE MAURITI, J. U. Doctor, & in illustri hac Christian-Albertina Pandectarum Professor, Decane nunc & Promotor Spectabilis, potestatem facio, illis ipsis, SAMUELI videlicet RACHELIO, Juris Naturæ & Gentium, NICOLAO MARTINI, Politices, in hac nostra Professoribus Publicis, nec non JOHANNI GEORGIO PELLICERO, Venerabilis Capituli Lubecensis Secretario; DOCTORATUS in Jure utroque ac LICENTIATUS gradum solenni ritu & ceremonia conferendi, iisdemque non minus, quam præcedaneo Dn. Promotori paulo ante fuit permissum, elargiendi omnia jura & privilegia, augustis illis honorum titulis adhærentia. Quodque superest,

pereſt, Deum precor, ut novam iſthanc dignitatem Academicam, ſibi glorioſam, Reipubl. & noſtræ cumprimis Univerſitati perutilem, ipſis autem Dn. Candidatis faxit eſſe ſalutarem!

CONTINUATIO DN. DECANI.

Explevit votorum noſtrorum ſummam Veneranda Dignisſimi Domini Pro-Cancellarii Oratio. Atque nos quidem ei reddemus, quod ſolum in præſens poſſumus, grates & duraturæ proſperitatis votum. Cæterum ne diutius expectetis, quod vobis ex decreto Ordinis noſtri debetur, Meritisſimi Domini Candidati! recitabit modò Vobis Academiæ noſtræ Miniſter jurisjurandi formulam, quâ vos ante adſtringi fas eſt, quam verbis & mente vos ſequuturos, ut exigunt Collegii noſtri ſtatuta, non dubito.

JURAMENTUM DN. CANDIDATORUM.

Jurabunt Dn. Candidati:

Primum, velle Sereniſſimo Principi, eidemque Magnificentisſimo Academiæ Rectori, & Cancellario debitum cultum, vicesque ejus gerentibus, debitum honorem deferre.

II. Velle non ſolùm Decano: ſed & Collegio Juridico in Acamiâ hac convenientem venerationem præſtare.

III. Velle utilitatem tam Univerſæ hujus Inclutæ Academiæ, quam inprimis ſtudii Juris in eo, ad quodcunque honoris faſtigium evecti fuerint, augere; damna vero avertere.

IV. Velle Licentiæ aut Doctorea inſignia in nulla alia Academia iterare aut repetere.

CONTINUATIO DN. DECANI.

Confirmatis ergo ſingulis, quæ prælecta accepiſtis, jurisjurandi religione, quod felix fauſtumque eſſe jubeat Deus Ter Opt. Maximus, quod Academiæ noſtræ, Reipublicæ, ac literariæ rei ſalutare ſit, Ego ERICUS MAURITIUS, U. J. D. & P. P. Collegii Juridici hodie Decanus, autoritate S. Cæſareæ Majeſtatis & indultu Sereniſſimi Principis CHRISTIANI ALBERTI, Electi Lubecenſium Epiſcopi, Hæredi Norwegiæ, Ducis Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, Domini noſtri Clementisſimi, ſuffragio Ordinis noſtri, Te DN. SAMUELEM RACHELIUM Dithmarſum, Juris Naturæ & Gentium in hac Academiâ noſtrâ Profeſſorem, Te DN. NICOLAUM MARTINUM Holſatum, Politi-

Politices Professorem, U. Juris Doctores creo, nuncupo & designo, talesque jam creatos, nuncupatos & renunciatos publicè & solenniter ex hoc loco declaro, & ab omnibus agnosci, haberi & salutari volo, proque potestate ab Imperatoribus concessâ etiam jubeo, mando, impero. Sed & jura omnia, titulos, insignia, immunitates, quibus Ordo Doctorum quovis jure gaudet, Vobis tribuo, & quo fieri potest, meliori modo concedo. Id præcipuè, ut Jura deinceps publicè docere ac profiteri, disputare, consiliis clientum causis adesse, ac munera cætera omnia, quæ Doctorem vel requirunt vel admittunt, adire jure meritoque uterque possitis. Te verò DN. JOHANNEM GEORGIUM PELLICERUM, quamvis itidem dignissimum summis his honoribus habeat Ordo noster: quod tamen Doctor renunciari hactenus nolueris, Licentiæ gradu contentus, omni itidem meliori modo, quo publicè in ullâ Europæ Academiâ creari solent vel possunt, J. U. Licentiatum, itidem creo, nuncupo, ac publicè appello, privilegiaque Licentiatorum legitimè promotorum, ac jura omnia, titulos, insignia, & immunitates, quibus vel ex communi scripto, vel singulari jure, vel consuetudine gaudent, omnia & singula publicè ex hoc loco tribuo. Sed nec omittendi ritus, quorum Observatione Sacra Antiquitas splendidiorem hunc Actum esse voluit. Quare in superiorem hanc Cathedram vos evoco, ac primus novos Doctores ac novum Licentiatum salvere jubeo. Capiti deinceps vestro Doctoralem hanc tiaram, tuo vero Jane Georgi Pellicere, Licentiæ signum impono. Est ea rubea & pilei forma, neutrum frustra, pileus libertatis insigne habet, rubeus color aureus & Regius existimatur. Memineritis ergò, in libertatem plenam Vos hac ratione asseri. Nempe affectui, ubi de Justitiâ agitur, aut aliorum malitiæ turpiter servire, cane semper pejus fugietis & angue, solum DEUM, justitiam & conscientiam duces habebitis, neque enim ab horum nexibus vos solvo, his semper servire decet, si tamen ista servitus est, & non potius pulcherrima libertas, Color verò regius Regibus & Principibus adsidere JCtos docet, & separatam eorum â vulgo dignitatem commonstrat. Annulis deinceps digitos exorno, ut Sponsos vos justitiæ memineritis, castæ Virginis, & quam casta ideo mente tractare fas æquumq;, ullis autem consiliis temerare, extrema religio sit. Librum quoque trado apertum primùm, ut humanæ imbecillitatis memores, non ex vestro cerebro, sed Doctorum scriptis etiam repetenda cogitetis, quæ in publico promenda sunt, cum & maxima ingenia multa fugiant, & mortalitatis nostræ sua fugacitate nostra nos sæpiùs admoneat memoria. Sed & eundem clausum quoque exhibeo, ut non ex libris omnia desumenda, sed quæ meliorum Autorum scriptis continentur, in succum & sanguinem continuo studio vobis converten-

vertenda memineritis. Osculum addere solent nostri, aut amplexus, argumentum pacis & concordiæ. Quietiores Musæ sunt, quam ut contentionibus ali velint, nec decet hunc ordinem rixa & dissidium. Summa animi contentione igitur inutiles pugnas, odia, obtrectationes fugiendas, hoc ritu indicare voluit prudens antiquitas. Jam accensæ faces quid usus habent? Flamma alta petit semper, nec ad inferiora descendit temerè. Haud aliter ætherea Mentis virtus & eruditio ad altissima quæque vocat. Moveri faces solent, ut ignem concipiant facilius, nec aliter animus, qui nullam quiete graviorem pestem habet. Quod superest, tibi, æterne Deus, immensi favoris summas quidem, sed quales possumus miseri, quæ nempe beneficia tua minime æstimare idonea sunt, agimus gratias. Tu, Tu nostræ huic Academiæ id concessisti circa ipsa initia, ut vix dum nata & in Ephebis adhuc constituta, certare tamen cum aliis & docentium & discentium numero minimè vereatur. Tu porro tuere tuo honori Ecclesiæ ac Reipublicæ saluti sacram, Te veneramur, ut & istam nobis felicitatem serves, & Academicæ nostræ Reipublicæ universæ, Dn. Doctoribus demum, ac Licentiato nostro diem hunc faustum felicemque esse velis jubeas. Tuas quoque post Deum laudes grati repetimus, Eminentissime ac Serenissime Princeps, cujus beneficium agnoscit pietas, æstimat Justitia, celebrant literæ. Jactent seculi nostri Heroes, quæ fortiter egerint in hostes, tu trophæum omni laude majus sublatâ ignorantiâ, prostratâ barbarie in provinciis tuis erexisti. Tibi primitias has debet literatus Orbis, quem, nisi me omnia fallunt, majoribus brevi beneficiis ex hoc ipso Lycæo obstringes. Vobis quoque, Viri Munerum, Generis, Doctrinæ Splendore Illustres, non leve est quod debemus. Quantum est quod accessit existimationis & splendoris huic actui, à vestra est præsentia, qui pretium illi conciliastis. Nostrum est efficere, ne unquam animo nostro excidat favoris vestri memoria, cui mercedem rependent Musæ, & ipsæ quousque eo apud vos loco erunt literæ.

(Lit. H.)

ORATIO III.

DN. CASPARIS MARCHII,

Med. Doct. Ejusdemque Professoris Primarii.

Viri Munerum eminentia, splendore Generis & Doctrinæ excellentiâ incluti, Domini, Hospites, Fautores, Collegæ & Amici reverendi, observandi, colendi.

CASSIODORUS, olim Patricius & Senator Romanus, *Theodorici* Gothorum Regis Præceptor, inter alia, quibus Epistolas suas ad *Theodoricum* abunde ditavit monita, hoc quoque habet, rem ipsam si magis, quam stylum attendas, notatu dignissimum : *Ep. 28. lib. 2.) Tribuenda est, (inquit) justis laboribus Compensatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur.* Parum forte isthæc inpræsentiarum allegari congrueret, si de eorum solum, qui bellica castra sequuntur, *Militum* laboribus vel intelligi ea Autor ipse voluisset, vel intelligenda nosmet arbitraremur : Cæterum, non admittit *augusta* Viri *Prudentia*, ut, quod justis in universum laboribus debetur, ad *angustiores Militaris istius* vitæ terminos restringere eum voluisse supponamus. *Prolixius* ergò explicanda *Militiæ* vox erit, ut assertionis universalitate rationis adjectæ amplitudo respondeat. *Militant* quippe non solùm horriduli illi *Martis* asseclæ, sed & mansuetissimi DEI Filii, & gratissimarum *Musarum* alumni : Neque enim modò

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt,
Et quô cum certet Mens pia semper habet,

Sed & *Literaria* inprimis *Militiæ* adscripti (quos propius attingere præsens fert instituti ratio) suos per omnem ætatem, quibus cum strenuè omninò pugnandum ipsis est, hostes experiuntur : inter quos *Ignorantiam* & *Voluptatum* omne genus, & *Opinionum multitudinem*, potissimos, aut hâc saltem vice inprimis nominandos judico. Quorum *prior*, etsi privativum quid & velut Non Ens insinuare videatur nominis ratio, adeò tamen validus verè existit Antagonista, ut indesinenti licet studiò, cunctisque animi viribus per omnem vitam oppugnetur, superari tamen in totum vix ullâ ratione possit, cùm & doctissimis, saltem non nimium Φιλάυτοις, hoc familiare fuisse Symbolum noverimus : *Quantum est quod nescitur!* Ac tantò quidem difficiliùs inimica hæc Animis *Ignorantia* vincitur, quantò magis divertere Adolescentum Juvenumque inprimis animos ab istâ pugnâ ut plurimum solet alter ille Literarum Cultoribus infensissimus hostis, quem *Voluptatum* omne genus esse diximus, eò perniciosior, quò sub amicitiæ gratissimæ specie incautos fallat, & quasi Summi maximeque desiderabilis Boni rationem quantam habeat, apprehendi eheu! soleat à quamplurimis : Est proinde res difficultatis maximæ, quamque non nisi divinæ

simul

ſimul Gratiæ adminiculô expedire licet, hunc nocentisſimum Mentis hoſtem debellare, eôque ſuperiorem evadere. Quod ſi tùm educatione ſtrictiori, tùm precibus ſeriis, tùm indefeſsô continuatôque ſtudiô, moleſtisſimam hanc Hoſtium bigam utcunque deviciſſe contingat, reſtat adhuc *tertia*, illa Literarii Ordinis Peſtis *Opinionum multitudo*; quod malum, toti Orbi velut epidemium, nullis unquam antidotis domabile, negotium quàm maximum faceſſit omnibus qui Scientiarum ſe ſtudiis conſecrârunt, adeò, ut quomodo expugnari illud ſolidè, ac ſuperari tandem posſit, vix via ulla appareat, ac habere proinde liceat hanc rem propemodum pro deſperatâ. Introductum quidem eum in finem eſt ſalutari conſiliô in Scholis & Academiis *Diſputationum* tum privatarum tùm publicarum exercitium, nec diffiteri poſſumus aliquid per eas pedetentim & cum tempore vitii peſtiferæ huic Lui adimi, cum excusſis hôc mediô ſingularium opinionum rationibus, apparere plerumque ſoleat, quæ magis, quæve minus poſſint cum veritate conſiſtere; Cœterum diſſimulandum omninò non eſt, adeò ſpecioſas nonnunquam pro differentibus etiam ſententiis rationes ab omni parte occurrere, ipſamque fundamentorum, quæ pro ſe Pars quæque allegat, indaginem adeò difficilem exiſtere, ut optatô ſucceſſu non raro careat, quodcunque pro expediendis utrinque dubiis conamen, ac relinquatur tandem vel ille ſolùm ex Diſputationibus fructus, ut quantum adhuc ab exquiſitâ Scientiarum veritate abſimus, quidque ulteriùs indagandum atque ad diſcendum reſtet, poſſimus agnoſcere.

Quod ſi in ullâ aliâ ſcientiâ, in Medicina, & præſertim Theoretica ejus parte deprehendimus verisſimum: Etſi enim Praxin ipſam tot ſeculorum Experientiæ non adeò reliquerint ambiguam, cum medicamenta abunde ſuppetant, quæ profligandis innumerorum morborum inordinationibus ſufficere multiplex uſus edocuit, acceſſeritque inſuper nunquam ſatis laudanda Chymicorum induſtria, quæ, remotis, quibus materiæ Medicæ involutæ pasſim deprehenduntur, impuritatibus, efficaciora, puraque ſiſtit medicamenta: Ipſe tamen modus, quô adhibita iſta probatisſima remedia cauſam mali exterminent, Naturamque, potentisſimam illam Morborum medicatricem, ſuique conſervationis ſtudioſisſimam, in actionibus ſuis adjuvent, (quod ipſum tamen in praxi etiam momenti maximi eſt noviſſe) hactenus non adeò prorſus omni dubio caret, poſtquam curioſisſima hodiernorum Anatomicorum induſtria ac ſolertia plurima in ipsâ Corporis ſtructurâ nova invenit, quibus pro variò cujusque ingenio & judicio diverſisſimæ in theoria hypotheſes inædificantur.

Ex quam plurimis ut paucisſima, & temporis & tempeſtatis rationem habendô, delibem: Ecquis veterum non velut indubitatum ſuppoſuit,

Epar ſolam, aut certè primariam eſſe αἱματοποιήσεως officinam, in quâ ex chylo per venas Meſenterii iſthuc delatô elaboraretur ſanguis, indeque ulterius ad Cor & quaſcunque partes deferretur, nutritionis officium ubique expediturus, unde & univerſim omnia ſanguinis vitia, & ortos inde morbos, ut Cachexiam, Hydropem, Icterum, Maraſmum & ſimiles; Epatis potisſimum culpâ ſubnaſci crediderunt, ac proinde, quæ in hujusmodi affectibus ſalutaria diuturnior uſus probaverat medicamenta, ſpecificorum titulo mox inſigniverunt: At verò poſtquam curioſa recentiorum Anatomicorum ſolertia per venas lacteas chylum omnem ad receptaculum commune, lumborum vertebris proximum, indeque juxta dorſi longitudinem, ad Axillarem-venam, deferri, ibique cum ſanguine mixtum Cordi rectâ infundi deprehendit, mox *Hepati tumulus* pasſim ſcribi, & *Cordi* tantum non ſoli *ſanguificationis* illa poteſtas tribui cœpit, cauſasque antedictorum morborum epaticorum in aliis potius viſceribus, vaſisque hærere, probabili ſatis ratione judicatum fuit, quibus vitiis ea, quæ antiquitus Epatica dicta fuêre medicamenta non minùs mederi poſſe deprehenſum eſt, quamvis diversô plurimùm modò operandi ab eô, quem antiquior Medicorum Schola eis attribuerat. Quæ quidem ſententia, etſi hodiè ferè ſit communisſima, non deſunt tamen adhuc Epati Patroni, nec indignum id quoque patrociniô Doctorum omninò videtur. Quamvis enim ex Chylo ibidem immediatè ſanguinem confici â demonſtratione alienum ſit, conditum tamen nihilominùs hoc Viſcus, quantitate nulli ſecundum, in uſum aliquem nobilisſimum, & quidem ut ſanguini aliquam perfectionem inſinuet, ſufficientisſima ſubeſt ratio, poſtquam adnata Ipſi veſicula fellis non excrementitium & inutilem Naturæ humorem, ſed balſamum ſingularem, propriâ ejus virtute ex ſanguine anterioſô & ſpirituoſo nervorum ſucco (quod veriſimilitudine utique magnâ nititur) elaboratum continere viſa eſt, quem per ramulos venoſos & oſcula poroſa ipſi Epati communicare colligitur, ut tranſiens per Hepar ex venæ Portæ radicibus in Venæ Cavæ ramulos ſanguis hâc velut Tincturâ ſummè balſamicâ nobilitetur, adverſus putredinem præſervetur & ad concipiendam felicius in Corde vitalem effervescentiam diſponatur. Quod ſi, miſsâ *ſanguificatione* ad *Nutritionem* ſe Mentis noſtræ indago convertat, quæ non hìc pariter Opinionum diverſitas offertur? Ut ne dicam enim de antiquatâ illa ſententiâ, per Venas affluentem ad partes ſanguinem eas nutrire, inſpirato ſaltem per arterias vitali ſpiritu (quas Scholæ Medicæ tenebras exorta Circulationis Lux jam dudum diſpuit) conſiderabo ſaltem, quantum dubii adverſus ſolitariam nutriendi vim in ſanguine arterioſo (quem ſolùm motu ſuo ad partes omnes, ſicut venoſum à partibus omnibus ad Cor ſolùm tendere, ſatis conſtat) hodiè movea-

moveatur, occasione inventi *Liquoris Nervini spirituosi*, qualem non præcisè aut unicè ad motum & sensum distinctum esse Ratio illa evincit, quod ad omnes pariter partes, & æquo ferè cum arteriis numero, nervos distribui appareat, quarum plurimæ nec motu, nec sensu indigere rectissimè judicatur, nutritione verò carere minimè possunt. Quod si, utrum solus ille *Nervorum succus*, alendis partibus *membranaceis* inprimis sufficiat, quæstio moveatur; discrepant iterum Autores moderni, nonnullis in solo illô Liquore nervino, pro nutrimentô quidem membranacearum acquiescentibus, aliis contrà *utriusque, & sanguinei per arterias, & limpidioris per Nervos, concursum* pro nutritione non minus urgentibus, quam masculini & feminini seminis copulam pro generatione necessariam omnes agnoscunt. Rationibus quælibet Pars haut nullius momenti, sententiam suam probare nititur, ut colluctandum insigniter sit Menti curiosæ cum apparente hinc inde verisimilitudine, priusquam eluctari possit è dubitationibus, quibus fundamentorum diversitas eam non potest non involvere.

Doleo sanè, quod de jucundissimis hisce speculationibus, ad quos delapsus sum, non liceat inpræsentiarum mihi prolixius quædam disserere; Sed inserviendum tempori est, nec abutendum splendidissimi hujus Auditorii patientiâ. Sufficiat vel innuisse, atque obiter quasi delineâsse, quanta sit multivariarum Opinionum hostilitas, quamque difficulter superabilis, etiamsi dexterrimè tertet, & expugnare eam allaboret Mens Veritatis avidissima.

Ecquis ergò non præmiis dignissimos judicaret eos, qui in hâc Literariâ militia per omnes vitæ annos desudant? Et, quis proinde non exoscularetur Reverendissimi ac Serenissimi Principis ac Domini nostri, DN. CHRISTIANI ALBERTI gloriosissimam benignitatem. Qui, in erectô nuper hôc Athenæo suo, de eo etiam nos jussit esse solicitos, ut Viris Juvenibusque, qui in castris Musarum strenuè se gesserint, digna, & ad alacriùs instandum eos concitatura præmia distribuantur; quæ quidem nec successu caruit laudatissima sollicitudo: Comparuêre enim, uti in aliis Facultatibus, sic coram Medico etiam Collegio nostro Tres Viri Juvenes egregii & in literariâ militiâ, cujus rei sufficientissima documenta ediderunt, exercitatissimi, quorum unus *Dn. JACOBUS* Kornmesser/ *Coloniensis* Marchius, Rostochii tam publico quàm privatô examine probatus, me ipsô tum ibidem Decanô, & Inauguralis *de Affectione hypochondriaca* Disputationis, die 10. Aprilis Anni proximè elapsi habitæ, Præside, Licentiam obtinuit assumendi honores in Arte Medicâ supremos, nunc absens est, Colbergæ in Orientali Pomerania praxin exercens: reliqui duo Pereximii Viri *Dn. HENRICUS BERNHARDUS* Beselin Rostochiensis, & *Dn. JACOBUS de CLERICE*, Hamburgensis,

quorum laudabiles in Studio Medico profectus, egregiamque eruditionem nuperrimè debitis examinibus, privatim & publicè institutis, exploravimus, & publicô omninò testimoniô dignam censuimus, in Vestrum, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, illustrem conspectum modò prodière, Doctorali Laureâ coronandi. At verò, cum ultra judicium, quô digni declarari potuerunt hi Domini Candidati honoribus istis summis, progredi non liceat Facultati Medicæ, nisi obtentâ specialiori concessione *à Reverendissimo ac Serenissimo Principe ac Domino, Dn. CHRISTANO ALBERTO,* Domino ac Patrono nostro Clementissimo, Suæque hujus Academiæ Cancellario & Rectore magnificentissimô, ad Te nunc mea se convertit oratio. *Admodum Reverende, & Amplissime Dn. D. CHRISTIANE* Kortholt / SS. Theol. Prof. Celeberrime, qui â Serenissimâ suâ Celsitudine ad hunc Actum gratiosè constitutus es *Procancellarius* Magnificus, humillimè rogans, ut pro eâ, quâ inpræsentiarum fungeris Autoritate, potestatem mihi h. t. Facultatis Medicæ Decano benevolè largiri non dedigneris, modò nominatos tres Medicinæ Candidatos creandi & publicè renunciandi Doctores atque hôc ipsô conferendi iisdem omnia jura, privilegia, prærogativas, quotquot Doctoribus Medicinæ tam Civili quàm Canonico Jure competere possunt: Quô beneficiô uti Magnificentia Tua tûm Facultatem Medicam, tùm hosce Dnn. Candidatos insigniter sibi obligabit, ita nihil eorum, quæ gratum nostrum omnium animum quoquomodô poterunt testari, ullô unquam tempore intermittemus.

RESPONSIO DN. PROCANCELLARII.

Spectabilis Dn. DECANE.

Medicinæ inventionem ad DEOS autores retulisse veteres novimus, ac Medicos divinis honoribus auxisse; quasi non humanam, sed cælestem scientiam colerent. Et certe, si in ullum alium, in Medicum cadit illud: Homo homini Deus. *Qui enim fugienti jam vitæ quodammodo manum injicit; qui mortem differt, ab ejusque aditu mortales revocat; qui non, ut parentes, semel, sed sæpius homini vitam dat; nonne è cælo missus dici possit? Unde pro verissimo habendum illud Homeri:*

Εἷς ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Nec præter rem scribit alicubi autor eruditissimus: Suppeditent alicui voluptates omnes, divitiæ amplissimæ, bona universa. Si morbo ad mortem urgeatur, quid illi jucundum, quid suave, quid optatum esse, aut quid animum ejus recreare tandem poterit? Veniat Medicus, morbumque curet; non-

nonne confirmato jam, omnium deinceps bonorum consequentium causa & auctor esse videbitur? Per Medicinam & medicos longe adhuc absentia vitamus, impendentia avertimus, opprimentia repellimus, inhærentia ejicimus: idque domi, foris, in itineribus etiam, à natis & nondum natis, à pueris, adultis juvenibus, senibus. Imperator sine milite cessat; Jureconsultus inter arma silet; Orator non omnibus, nec omnia persuadet: Medicus quod agat semper habet; nullius gratia auxilio, approbatione indiget: omnes eo indigent; à quo nulla est provocatio. *Cum autem sub augusto Medicorum nomine incautioribus non raro imponere soleant, qui nihil minus quam artem medendi callent, laudabili admodum prudentique consilio introductum est, ut iis, qui solida & accurata medicinam juxta artis præscriptum faciendi peritia instructi, publicum scientiæ illius testimonium, non minus quam aliarum Facultatum consecraneis, solenni gradus Doctorei collatione in Academiis impertiretur. Cujus recepti moris ut in nostra etiam hac nova Universitate edatur exemplum; Autoritate S. Cæsareæ Majestatis, jussuque Reverendissimi Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI ALBERTI, Electi Episcopi Lubecensis, Heredis Norwegiæ, Ducis Slesvigæ, Holsatiæ. Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comitis Oldenburgensis & Delmenhorstani, Academiæ suæ Rectoris Magnificentissimi, Domini nostri Clementissimi; Tibi, Amplissime & Experientissime DN. CASPAR* Marck/ *Med. Doctor ac Professor, Decane item in præsenti & Promotor spectabilis, petito tuo assurgens, licentiam concedo, ut artis Medicæ DOCTORES esse jubeas commendatos abs Te Viros Clarissimos & Pereximios, JACOBUM* Kornmesser/ *Coloniensem Marchicum, HENRICUM BERNHARDUM* Beselin / *Rostochiensem, JACOBUM de CLERICE, Hamburgensem; iisdemque dispenses jura omnia & privilegia summis istis honoribus quovis modo annexa: de cetero precatus summum Numen, ut vergere hæc sinat in divini sui nominis gloriam, Reipubl. commodum, Academiæ nostræ ornamentum, & ipsorummet Dn. Doctorandorum insigne emolumentum!*

CONTINUATIO DN. DECANI.

GRatias meritò agimus humillimas Reverendissimo ac Serenissimo Principi, Domino nostro Clementissimo pro singulari isthâc in nos Benignitate, & Gratiâ, tùm & Tibi, Jurium Ejus Episcopalium hac vice administratori, Magnifice Dn. Procancellarie, quod voti nostri nos compotes benevole reddideris, desideratam Gradus titulosque supremos absenti & præsentibus nostris Candidatis conferendi potestatem largissimè concedendô. Defungar eâ, uti decet, postquam quod literis hisce propriâ manû conscriptis & sigillô confirmatis (*ostendebantur ea publicè*) fecit absens *Dn.*

Jaco-

Jacobus Kornmesser/ Vos præsentes Dnn. Candidati *Juramento* Vos Academiæ huic & Facultati in ea Medicæ obstrinxeritis; quale vobis jamjam Academiæ minister prælegeт.

Bidellus ad Dnn. Candidatos.

Vos Domini Candidati Medicinæ antequam promoveamini, *Jurabitis.*

Quod Academia Holsatica Kilonensis dignitatem & commoda, Artisque Medica decus atque incrementum pro posse & nosse promovere velitis, item, *quod omnibus consilium vestrum pro conservandâ sanitate aut depellendô morbô requisituris aquâ fide promptos vos exhibere ac generosiora præsertim remedia prudenti circumspectione administrare, neque vel prece vel pretiò induci velitis, ut ulli hominum lethale vel noxium aliquod medicamentum propinetis, aut, qua fœtum corrumpere atque expellere possent, subministretis. Polliceamini etiam, praxin omnem vos ita instituturos, ut Rationi, Experientia & Conscientia congruit, neque etiam, qua circa speciales quorundam morbos fidei vestra velut arcana detegentur, in detrimentum aut dedecus eorum vos divulgaturos*, Sic Vos DEUS adjuvet.

CONTINUATIO DN, DECANI.

Nunc ergô, quod felix faustumque, ac Divino inprimis Nomini gloriosum, Academiæ honorificum, & Vobis, Pereximii Dnn. Candidati salutare sit; Ego CASPAR March/ Med. D. & Prof. Ordin. h. t. Facultatis Medicæ Decanus & in hôc Actu Promotor legitimus, pro eâ, quâ in præsens polleo, Autoritate publicâ,

Te JACOBUM Kornmesser/ *Coloniensem Marchicum, absentem tan. præsentem*,

Te HENRICUM BERNHARDUM Beselin/ *Rostochiensem.*

Te M. JACOBUM de CLERICE, Hamburgensem.

Vos omnes & singulos *Medicina Doctores* creo, designo, publiceque renuncio, in nomine DEI Patris, Filii & Spiritus S. atque hôc ipsô simul Vobis tribuo omnia Jura, immunitates, prærogativas & privilegia, quæcunque hujusmodi Gradui de Jure competunt, & annexa ei esse debere Sacra Cæsarea Maj. in Privilegio Fundationis hujus *Alma CHRISTIAN-ALBERTINÆ* indulgentissimè expressit. Nec verò etiam *Ceremoniis* abstineo, quales veneranda Antiquitas in hujusmodi Promotionum actibus adhibenda non sine ratione decrevit, & hactenus pleræque omnes Academiæ studiosissimè observant:

Agite ergò, Clarissimi Dnn. DOCTORES (quô nomine nunc primum vos compello) ascendite ex inferiori in *Superiorem* hanc *Cathedram*,

quæ

quæ publicè Docentibus propria est, ut sciatis agnoscantque etiam alii, concessam nunc vobis esse publice docendi ac disputandi potestatem. Id tamen, ut quomodo ritè expedire Vobis liceat, simul commonefiatis, *Libros* vobis exhibeo, *apertos* primùm, ut intelligatis, non proprii Vos cerebri commenta sequi, sed probatissimorum Autorum doctrinam amplecti & in majoris momenti Casibus mutos hujusmodi Præceptores consulere debere; *Claudo* tamen iterum eos, ut non inhærendum simpliciter aliorum inventis, & confugiendum semper ad scripta eorum, sed propriâ etiam indagine ac ratiocinatione ea, quæ ex bonis Autoribus hausistis amplificanda, & memoriæ impressa ad usum transferenda esse agnoscatis.

Impono deinceps Capitibus vestris *Pileum*, antiquum *Libertatis* insigne, quo privilegiorum Vobis competentium admonemini, pro quibus legitimè conservandis omnem adhibebitis operam: Cumque jam in Libertate majori vos constitutos esse hôc ipsô edoceamini, id operam dabitis, ut ne vel Affectuum vel Voluptatum turpissimo jugo subjiciamini.

Annulum quoque digitis vestris adapto, tùm ut Medicinam ejusque Studium prope divinum exactiùs vobis quasi desponsem, & quantô amore illud prosequi per omnem vitam debeatis, vos commonefaciam: tùm, ut dignitatis adeptæ memores semper existatis, (jus aurei annuli enim idem olim erat, quod equestri nobilitate fulgere) ne quid committatur â vobis, quod famam decusque vestrum ullò modò possit infringere.

In amplexus demum vos sumo, ut cooptatos modò Vos plenissimè in ordinem Medicum intelligatis, & amorem meum ego Vobis confirmem, simulque Vos amicissimè moneam, ut quantum fieri ullâ honestâ ratione potest, pacem concordiamque sectemini, nec vel invidiâ (quæ imputari cœteroquin tanquam familiarior ordini Medico â vulgo solet) vel aliis affectibus ad odia ac simultates vos abripi patiamini.

Postremò, *Faculas* dum intuemini, quas lucentes vobis præferri curavimus, id studendum vobis esse per omnem vitam cogitate, ut eruditione atque instudriâ sitis conspicui, neque in obscuro lateatis, tùm quoque ut vitæ ac morum integritate aliis splendidissimè præluceatis.

Quod ut fiat, atque hæc honorum vestrorum Medicorum prima auspicia feliciter Vobis cedant, ego vobis omnibus & singulis Divinam Gratiam, Bonorum Favorem ac patrocinium, Animique & Corporis vires constantissimas ex intimo pectore apprecor.

Debebat nunc aliquod â Vobis specimen edi, in quâdam dissertatiunculâ Medicâ; at temporis id præsens ratio non admittit: Abrumpo ergô Actum hunc, & DEO, Serenissimo nostro, præsentibusque omnibus & singulis diversorum Ordinum Viris eminentissimis, honoratissimis MEN-

TE ago gratias, quas VOCE tandem quoque exprimet publicô noſtrûm omnium nomine, qui toti huic Panegyri finem imponet, Valete, ac plaudite!

(*Lit. I.*)

ORATIO IV.
DAN. GEORG. MORHOFII, &c.

cujus initium:

Dum omnia fervent & perſtrepunt &c.

Videatur inter Orationes Secunda in ordine.

(*Lit. K.*)

GRATIARUM ACTIO
DN. M. HENRICI Störnings.

QUod tandem Deus Triunus, O. M. Sanctiſſimo Nomini ſuo glorioſum, Reverendisſimo ac Sereniſſimo PRINCIPI AC DIMINO, NOSTRO, DN. CHRISTIANO ALBERTO, ejusque nomini ac famæ perennanti illuſtre ac celebre, Ducatibus hiſce Patriæque univerſæ, indigenis, exteris, ſeræ ac extremæ denique poſteritati ſalutare, naſcenti huic Academiæ felix ac fauſtum urbique huic toti fructuoſum clementiſſime eſſe jubeat.

Viri Munerum Amplitudine, Generis Antiquitate, Doctrinæ laude inclyti, omnium Ordinum Auditores honoratisſimi faventisſimique. Conſummamus Actum hunc ſolennem, qui unus dedicandæ Academiæ noſtræ patriæ reſtare videbatur, videlicet ut in hoc Muſarum ſacrario omnibus rectè atque ex decoro conſtitutis, operæ pretium, præmia induſtriæ, virtuti honorem conſtare ſuum, publicè liqueret.

Ea fine invitati undiquaque omnium facultatum Candidati comparuerunt, poſt edita cum publica, tum privata ſpecimina, poſt probatos ſuos Am-

os Amplisſimo Profeſſor: Collegio profectus, honores quos par eſt ſuſcepturi. Ea in re quid actum ſit, oculis omninm patuit, quod his ſuper omnibus Illuſtri ac ſplendido hoc cœtu dignum moneri posſit, ab Amplisſimis Dn. Decanis allatum eſt. Id adeo unum videtur reliquum, ut ingenuâ gratulatione piâque gratiarum actione ſolennis hæc, quamque urbs noſtra nunquam vidit, celebritas terminetur. Initio igitur jure meritoque Reverendisſimus noſter ac Serenisſimus PRINCEPS, Dominus noſter Clementisſimus ſibi gratulatur, nosque Serenisſimæ ejus CELSITUDINI toto pectore congratulamur, quod tandem aliquando fauſtum voti ſui finem videat. Propè omnino ab hoc ſcopo aberat Serenisſimus Celſisſimi noſtri PRINCIPIS Dn. Parens, DN. FRIDERICUS, ab hinc enim jam antè Decennium rumor hìc quaquaverſum ſpargi, ac nihil non operi perficiundo comparari, cum derepente Martius turbo, ab aquilone intonans, cœptis intervenire, eaque obturbare, ex eo ruere & retro ſublapſa referri noſtra ſpes & omninò cum Serenisſimi Patris Beatisſimo obitu exſpirare, viſa. Ecce autem ſub ipſis Reverendisſimi ac Serenisſimi Filii ac Hæredis, Domini noſtri Clementisſimi initiis ea denuo, rarisſimis id quidem ſibi pollicentibus, reſurgit: Idque tanto cum incremento, ut operis perfectio citius ſecuta ſit, quàm ii, qui oculis rem ſubjecere, vel quibus invidentibus hæc noſtra crevit, animo concipere poterant.

O quam te memorem Patriæ Pater! Qui cum te comparem! Agnoſco in hâc rerum vicisſitudine Numinis ſupremi non aliam diſpoſitionem, quam quæ interceſſit inter Davidem & Salomonem. Debuit ille materiam operi futuro ſubminiſtrare filio, Templi fabricam ob ſanguinem fuſum ordiri non potuit. Pari ratione Serenisſimi noſtri Celſisſimus Dn. Parens opus animo agitatum, cum Privilegia ab Auguſtâ Cæſareâ Majeſtate nactus eſſet ex ſententia, Sereniſſimo Dn. Filio relinquere voluit; Negotio ipſi admovere manum, propter ſanguinem, non abs ſe, nec ſuâ culpâ, ſed ab aliis in finibus ſuis intempeſtivè fuſum, non potuit. Huic Salomoni, inquam, reſervatur operis conſummatio. Quod Salomon antiquis temporibus Judæ, quod templo: Id, te Sereniſſime Princeps nobis, id Academiæ noſtræ te eſſe, Regimine Principem, Sapientiâ lumen, pietate Patrem, Eundemque ſemper nobis fore, & re ipsâ experimur, & votis optamus, & ut eſſe pergas, DEO ſupplicamus, Te obſecramus, nec vanè auguramur.

Porro etiam collætamur, ac uno ore dulciſſimæ noſtræ Patriæ ac urbi de hoc tanto tamque divino munere gratulamur. Non poterat orbis ſatis decorus videri ſine Paradiſo; nec Holſatia noſtra beata ſibi ac florens cenſeri ſine hoc artium omnigenarum viridario ingenuarumque mentium Semi-

nario. Reviviſcant adhæc & circumſpectent, qui olim Germaniam Univerſam informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque traduxerunt. Profectò vel una hæc noſtra urbs, urbisque decus Academia commenti inanias refellit. Intimius n. eam noſcitantibus nihil, ſeu dexteritatem Docentium ſeu diſcentium alacritatem ſpectes, omnibus ſui partibus conformius, nihil lætius, nec cultius: Rigeat ſanè cœlum, frigeant brumæ; animorum fervori in liberalium exercitiorum ſtudio apud nos deſudantium nihil decedit. Hîc fons indulgentiæ ac munificentiæ Sereniſſimi noſtri Principis, toto ſinu, inundante alveo, perenni lymphâ, in docentes, in diſcentes ſe diffundit. Hîc mollia gratiarum prata, virens muſarum Parnaſſus, Doctrinarum floſculi, ſcientiarum Balſama, honorum laurus, maturi denique ſapientiæ fructus abunde naſcuntur carpunturque.

Cœterum omne hoc quicquid eſt boni, quotiescunque mente recolimus, nihil magis ingeminare habemus, quam illud Davidicum: A Domino factum eſt. Proinde æterno rerum & ſummo Moderatori devotas, easque humillimas agimus gratias, quod Reverendiſſimi ac Sereniſſimi noſtri Principis mentem huc inflectere, conſilia proſperare, pacem hactenus & tempora non iniqua ad cœpti non ſolum univerſi operis, ſed etiam actus præſentis exitum usque indulgere clementiſſimè voluerit. Continuet Numen cœleſte nunquam interrupto favore ſuo porrò noſtra tempora. Addat beneficia beneficiis, ſucceſſus ſucceſſibus augeat. Inſtruat Sereniſſimum noſtrum Principem ac Dominum Spiritu ſuo Sancto, Spiritu Sapientiæ ac conſilii, Spiritu roboris ac timoris Domini, moderetur ejus omnia cogitata. Largiatur pacem, Benedictione eum omni cumulet. Sub ejus moderamine Eccleſias, Academiam, ſcholas feliciter efflореſcere, in foro ſinceritatem & fidem ſibi obviare, pacem & juſtitiam ſe blandè oſculari faxit. Omnes porrò ordines cum generoſorum tum civium, cum Eccleſiaſticorum, tum Politicorum, ſummâ ſuâ ac benigniſſimâ providentiâ complectatur. Denique eos, quibus hoc ipſo actu honores collati ſunt, Spiritu Spontaneo ad omne opus bonum, ſibi honorificum, Eccleſiæ ac politiæ utile dirigat.

Proxima ab hoc gratiarum actio debetur *Reverendiſſimo ac Sereniſſimo noſtro Principi ac* DN. DN. CHRISTIANO ALBERTO, *Electo Epiſcopo Lubecenſi, Hæredi Norwegiæ, Duci Schlesw. Holſ. Stormar. & Dithmarſ. Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt*, Dn. noſtro clementiſſimo. Deus hunc excitavit, per quem grandia ſua ac immortalia quæ memoravimus beneficia, nobis diſpenſaret. Cæteris præteritis muneris ipſius eſt, quod honoribus hiſce frui licet fere gratuitis. DEUS tibi iterum benefaxit, Muſarum ſtator,

terræ

terræ tuæ sospitator, Pater tuorum ac Evergeta! Devinxit, splendidissimi Dn. Auditores, Serenisf. noster Princeps hac sibi ratione omnes vos, adeò ut nemo nostrum sit, qui non se totum ei debitorem fateatur, qui non ipsius servitio se totum impendere desideret, inque eo demerendo vivere cupiat, imò defungi.

Hinc æquum est, ut ad vos convertamur, Magnifice Dn. ProRector, Magnifice Domine ProCancellarie, spectabiles Dn. Decani, nec non ad totum Amplissimorum Dn. Professorum collegium. Vobis præmiorum diribitoribus, quantas possumus gratias, paulò antè Candidati, jam vestris macti honoribus, agimus habemusque, quod petitis nostris locum concedere, gravissimisque vestris suffragiis in honorum ac privilegiorum cum Doctoralium tum Magistralium participationem cooptare, denique consuetis honorum insignibus nos munerari gratiosè annueritis: dabimus omnes & singuli operam, ut non solum obsequio, observantiâ ac officiis, quæcunque à nobis proficisci poterunt, de quovis vestrum benè mereamur, sed & rerum pro virili suarum quisque ita sataget, ut neque frustrâ neque in indignos tantum beneficium, tantum honorum momentum, recidisse videatur. Bonum factum Auditores! Læta omnia, per Dei gratiam, optata, splendida. Reddit autem solennitatem hanc haud paulo splendidiorem Perillustrium ac Generosissimorum Dominorum Præfectorum ac Consiliariorum Provincialium, Perillustris itidem ac Excellentissimi Dn. Præsidis, cui omnino Academia nostra plus debet, quàm hæc angustia exsolvi permittit, aliorumque Generosorum ac Præstrenuorum virorum consessus, quibus præsentibus ornamur. Ita agite Optimates! Flos Gentis, Reipublicæ Decora, Cimbriæ columina, vestra ac liberorum interest scire, non solùm quam habeatis Remp. quæ Dicasteria, quàm aulam: sed & quam Ecclesiam, quæ foveantur ac propagentur sanæ ac incorruptæ de divinis humanisque rebus sententiæ, quæ sit Academiæ facies. Hoc illud est promptuarium, unde penum sacræ & profanæ eruditionis hausturi sunt vestri & filii & seri nepotes. Hoc quo in statu sit, quid ibi rerum, & quomodo geratur, nosse, ejusque commodis minimè deesse, nec vestræ dignitatis alienum est, ac eruditorum ordini perquam decorum. Gratulantur sibi omnes qui Academiæ nostræ benè cupiunt, de summis hujusmodi multumque pollentibus favitoribus ac Patronis, Gratiasque hoc nomine, quantas mente complecti possunt, Generosis vestris dominationibus agunt suarumque nihil magis partium esse ducunt, quàm studia sua, operas, laborem ac industriam, omnia denique obsequii, observantiæ, officiorumque genera vobis comprobare. Agnoscimus præterea Amplissimorum Consulum,

ſulum, multum Reverendorum Eccleſiæ Miniſtrorum, Prudentisſimorum Senatorum, Nobiliſſimorum Præ-eximiorumque Dominorm Studioſorum, nec non totius Auditorii benignum in Laudatiſſimam noſtram Academiam, ac nos ipſos affectum, quòd actui huic intereſſe, ac celebritati huic publicæ ornamentum non mediocre frequentiâ ſuâ conciliare non gravati ſint. Fuit Ampliſſimi Senatus urbici in affabrè & nitidè exſtruendis Academiæ Collegiis diligentia inſignis, ac omninò prædicanda. Reverendi Miniſterii fuerunt, & ſunt etiamnum, pro impetranda huic Academiæ divina benedictione preces ad Deum ardentes Fuit hactenus Studioſorum cœtus, & vixit ea moderatione, ut non temerè mali quippiam iis autoribus ortum eſſe meminerimus, nec deeſt civium in ordinem Academicum propenſa voluntas, quod inter alia teſtatur ingens eorum ad præſens negotium confluxus. Prohibeat Deus porrò ab omnibus omnes ſiniſtras ſuſpiciones, ſimultatesque, perficiatque gratia ſua quòd hactenus cœpit, ut ſcilicet Academia iſthæc feliciter enata, cum urbe, & hæc cum illâ in unum corpus, indiſſolubili amoris vinculo coaleſcant.

Conſpirent porrò ordines omnes in Academiæ hujus emolumentum, nihil viciſſim Academiæ membra intermittent eorum, quibus commodum ac ſalutem urbis, Eccleſiæ, privatorum denique rationes quoquo modo augeri ac ornari poſſe exiſtimabunt.

Quod ſupereſt, omnes ac ſinguli præſenti actui noſtroque honori favete, vice verſâ quicquid ejus eſt, quod cuique veſtrum, Ornatiſſimi ac ſplendidiſſimi omnium ordinum Auditores, gratum acceptumque eſſe quocunque pacto cognoſcemus, nihil in nobis unquam, quantum quidem fieri & poteſt, & æquum eſt, deſideratum iri, promptiſſimâ mente pollicemur. DIXI.

D.G.M.

D. G. M.

VOTA PYTHAGORICA,

Sive

LUSUS EXTEMPORALIS

DE NUMERO DNN. CANDIDATT.

IN SOLENNIBUS PROMOTIONIS PRINCIPALIBUS AUSPICIIS ET IMPENSIS IN OMNIBUS FACULTATIBUS ACADEMIÆ KILONIENSIS DIE XXII. JANUAR. INSTITUTIS.

AD

Plurimum Reverendos & Amplissimos,

DN. PAULUM SPERLINGIUM, SS. Theol. Prof. & Præpositum. DN. MATTHIAM WASMUTHIUM, Hebrææ & Orient. Linguar. Professor: DN. M. STEPHANUM KENKELIUM, Eccl. Tunder. Pastorem & Præpositum.	TRES creatos SS. Theologiæ Doctores.

Amplissimos & Consultissimos,

DN. SAMUELEM RACHELIUM, Juris Nat. & Gent. Professf. DN. NICOLAUM MARTINI, Polit. Professf. DN. JOHANNEM GEORGIUM PELLICERUM, Venerando Capitulo Lubecensi à Secretis.	Itidem TRES, quorum bini creati Jurisprudentiæ Doctores, Tertio Licentiatus,

Amplissimos & Experientissimos,

DN. JACOBUM KORNMESSERUM, DN. HENRICUM BERNHARDUM BESELIN, DN. M. JOHANNEM DE CLERICE,	TRES creatos Medicinæ Doctores.

NOVEM In Superioribus Facultatibus.

Reveren-

Reverendos & Clarissimos,

DN. HENRICUM Störning / Pastor. ad Æd. S. Spirit.
DN. LAURENTIUM FRISIUM, Pastor: Bredensem.
DN. JOHANNEM Schmied / Pastorem Birtensem.
DN. JOHANNEM MAURITIUM, Designatum Pastorem Hustroppensem.
DN. CASPARUM URSINUM, Islebiensem.
DN. DAVIDEM HARBERDING, Rostochiensem,
DN. JACOBUM DORNKRELLIUM, Luneburgensem.

SEPTEM creatos Philosophiæ Doctores & Magistros.

Quorum omnium numerus DECEM ET SEX

ILluxit demum, quod felix faustumque sit, tam inclutæ huic Academiæ, quam vobis, *Viri Plurimum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi*, splendidissimus ille dies, quo Serenissimi nostri PRINCIPIS munificentia primam capitibus vestris & illustrem laurum imponit. Quo quidem bono die, bona verba à me essent dicenda, si numeros Poeticos adeò nunc faciles sentirem, ut ad carmen aliquod sponte suâ, nec valde contorti mihi properarent. Cum vero nunc me prope deserant Numeri isti, alia nunc quasi in numerato habebo vota, quæ Numerus vestrum insignis utique & quodammodo mirabilis, mihi adnumeravit, & quæ iterum nunc vobis enumerabo. Acta scilicet est, rarissimo exemplo vel nullo in omnibus simul Facultatibus, publica nostra solennitas: isto Candidatorum numero, qui ob multitudinem spectabilis, & bono quodam auspicio venerabilis esse possit: nam si numeros eos subducas, & inter se conferas, vel mysterium hîc aliquod latitare dices. Primum enim singulæ Facultates TRIADE definiuntur, numero omnium gentium consensu sacro, cujus si hic mysteria ad Pythagoræ placita depingere vellem, pene voluminis res ageretur. Theologicæ Facultati suo quodam jure TERNARIUS competit, qui divinus habitus, ut & Pythagorici (quod est apud Plutarch. de Iside & Osiride) Triangulum æqualium laterum Minervam nominârint. Jurisprudentia quoque ternarium suum exprimit honestè vivendo, neminem lædendo, suum cuique tribuendo, ut, si Pythagoram (apud Plutarch. eodem loco) audimus, justitia ipse sit TERNARIUS. Rationem dabit Plutarchus, qui *Æquitatem sive Æqualitatem in medio dicit positam, ejus quod injustè fit, & ejus, quod contrà toleratur ab excessu vel defectu.* Quo illud innuere voluit, tertium quasi quoddam esse illud, quod æquum & justum est, & hinc monade tanquam defectu; illinc dyade tanquam excessu stipari. Novit & Medicina suum ternarium, tria scilicet illa, quæ ita vocantur, principia, quibus eruendis demonstrandisque

disque tam operosi sunt Chymici. TERNARIUS demum iste per singulas Facultates ductus excrescit in NOVENARIUM, qui numerorum omnium complementum est, & Musis sacer. Facultas Philosophica in SEPTENARIO subsistit, qui, sive disciplinarum spectes numerum, sive totam rerum seriem, quæ isto numero suas periodos metitur, vel auspicatus est, vel sacer. Refertur quoque SEPTENARIUS & NOVENARIUS inter numeros Climactericos, quibus vita nostra, velut gradibus quibusdam & scalis (unde & nomen acceperunt) distinguitur, ut non absque omine per hos numeros, nunc etiam sibi junctos, nostri Gradus & κλιμακτῆρες, ut ita dicam, Academici crescant. Præterea impares in singulis Facultatibus sunt numeri, qui si aliis miscentur, pares redduntur, ita, ut Juridicæ Facultatis numerus Theologiæ imparitatem: Philosophicæ verò Facultatis numerus & singulis Facultatibus, & omnibus simul additus in numeros pares eas reducat. Sive enim Theologicæ; sive Juridicæ; sive Medicæ Facultati addideris SEPTENARIUM Philosophicum, semper DENARIUS hic exurgit, qui omnes omnino numeros supergressus denuo in aliâ serie numerare incipit, manifesto quodam indicio, non perfecto singulas Facultates venire nnmero, nisi & Philosophia illis suum addat calculum. Sic verè decumanæ eruditionis & edecumatæ illos dixeris, qui per omnes illos numeros transeuntes, demum in UNO & NIHILO illo (ipsam Figuram (IO) vide) subsistunt, ut UNUM sciant, præter istud UNUM, NIHIL, imo in isto & UNO omnia. Nam & NIHILI figura Circuli tibi formam exhibet, cujus quasi diameter esse posset linea illa, quæ unitatem notat, ut quæ omnes numeros metitur. Abit enim demum omnis nostra Doctrina in eruditam aliquam ignorantiam, & in istud, quod nihil sciamus, extra UNUM illud, quod NIHILO isti additur, & quo omnia sciuntur. Perspiciat nunc aliquis numerorum ista mysteria pensitetque accuratius, quam mirè inter se omnia conspirent & conveniant. Uti jam SEPTENARIUS Philosophicus singulis Facultatibus DENARIUM parit: ita & singulæ Facultates QUATUOR, si earum numeri inter se addantur, pariunt eundem DENARIUM, maximum illud Pythgoræ mysterium, numerorum summum terminum, ad quem ceu metam circumaguntur & se reflectunt, ut quod re ipsâ est DENARIUS, id potentiâ sit QUATERNARIUS, qui implet universam numerorum differentiam. Primus ille QUATERNARIUS solidi naturam ostendit, omnium rerum ordines metitur & apprehendit, ut Hierocles, fidus Pythagoræ interpres, omnium opificem & caussam dicat: quo ostendi potest, per QUATERNARIUM illum junctum solidam addisci sapientiam, quæ isto suo numero absolvere omnia videatur.

tur. Quod si jam & SEPTENARIUM & NOVENARIUM junxeris, iterum par numerus gignitur, & perfecto additur perfectus, DENARIO scilicet SENARIUS. Ille quidem ideo, quod omnes numeros suo ambitu comprehendat; hic verò perfectus propriè Mathematicis dicitur; quod omnes ejus partes aliquotæ simul sumtæ æquales sint. Continet enim SENARIUS UNITATEM, BINARIUM & TERNARIUM, qui singuli illum metiuntur, quique inter se additi eundem producunt. Atque sic ex imparibus prodeunt pares numeri, quod nec ipsum suô caret auspicio. Revoco mihi hîc in mentem, quæ de numeris olim philosophabatur divinus ille Pythagoras: Numerus illi IMPAR plenus dicebatur & perfectus; contrà PAR, indigus, deficiens & imperfectus: illum formis destinabat rebusque, qui intellectu comprehenduntur; hunc rebus, quæ sensu percipiuntur, analogum faciebat: ut si jam hanc sententiam etiam hâc in re nostram facere velimus, omnis scientia & intellectu & sensu dici possit constare, qui inter se quasi colligandi & colligendi; ita tamen, ut intellectus superior sensu sit, omniaque absolvat in singulis; sensus verò, ut instrumentum aliquod adhibeatur. IMPAR numerus porro unitate, quasi vinculo quodam unitur, neque dividi potest. Sic scientiæ omnes uno quasi ambitu continentur, nec sunt divellendæ, ne cognitio nobis sit deficiens & imperfecta. Ita scilicet cum scientiâ nostrâ comparatum est: par impar ludimus, paria imparibus, imparia paribus miscemus, ut rarò quidem paria facere omnibus possimus. Vos vero, *Viri plurimum Reverendi, Amplissimi & Clarissimi*, qui numero quidem estis impares, pares tamen estis honoribus, quos ambiistis, & pene superiores. Macti este istis honoribus, quos ipse vester numerus & vobis, & huic Academiæ facit esse auspicatos. In illo estis apud omnes eruditos numero, & ista apud vos numerus hic habet pondera, ut non inter Numeros vos numerare aliquis possit debeatve, qui OMNIBUS NUMERIS ESTIS ABSOLUTI.

ΟΠΕΡ ΕΔΕΙ ΔΕΙΞΑΙ.

DESCRIPTIONIS
ACTORUM PROMOT.
FINIS.



DISSER-

DISSERTATIO
DE
SOLE IGNEO,

Resp.

MARTIN. BÜTZER, Kilon. Holſ.

KiloniI, ad diem VI. Aprilis,

ANNO 1672,

DE SOLE IGNEO.

I.

QUod felix fauſtumque jubeat ὁ πατὴρ τῶν φώτων, de magno univerſi hujus lumine, Sole, diſſertabimus. Quo quidem argumento, ſi à Deo, Spiritibus ac mente noſtra diſceſſerimus, nec illuſtrius nec vulgatius dari poterat: Ut aliqui tritum illud: Cui non dictus Hylas? oggerere mihi; conatum aliqui Phaëtontæum exprobrare poſſe videantur. At vero adeò obſcurum hoc, quamvis in luce omnium poſitum argumentum eſt, ut Sol ille, quo demonſtratore quaſi & doctore per nobiliſſimum viſus ſenſum intellectui ſiſtitur rerum natura, ipſe explorari dignoſcique non poſſit: Plures certè qui lucem Soli ſe intuliſſe crediderunt, tenebras intulerunt. De cujus natura ſi verum fateri velimus, vel Poëtæ rectiùs quam magni Philoſophi judicaſſe videntur. Quibus tamen tantùm abeſt, ut errorem acerbius exprobrem, ut omnibus potiùs modis excuſandos putem, ſubſidiis illis, quibus recentior ætas in phænomenorum cæleſtium indagatione feliciter uſa eſt, deſtitutos. Quod ſi itaque, ſummorum noſtri ſeculi Mathematicorum veſtigiis inſiſtentes, quædam de natura Solis, quantum illa per ſenſus detecta eſt, diſputanda propoſuerimus, nemo ut arbitror vitio nobis vertet, qui ſimplicem rei veritatem ſectamur in nullum injurii.

II. Notiſſimum è Philoſophia Peripateticâ eſt, Solem cum Cœlo orbibusque cæleſtibus corporibus annumerari ſimplicibus, de quibus mira prædicat

dicat Aristoteles, mirabiliora ejus Interpretes; quintam enim quandam naturam illis assignant, quæ cum elementis non compacta sit, nulli sit corruptioni generationique obnoxia, sempiterna, diviné corporea, sine materia materialis, sine privatione forma. Quæ cum nec divinitus revelata fuerint, nec humanis explorari sensibus potuerint, non nisi conjecturæ sunt, quas cum experientia refutat, tueri velle, cum ratione insanire est. Nec fuerunt adeò simplices nostro seculo Mathematici & Physici cordatiores, ut eam sibi corporum simplicitatem obtrudi paterentur nullis idoneis argumentis probatam. De Cœlo ipso nihil equidem nunc dicam, cui tamen præter simplicitatem etiam soliditatem adamantinam à Morino, non ignobili Mathematico (a) hodieque adscribi miror. De Astris alia omnia nobis persuadent Mathematicorum observationes, qui ex heterogeneis liquidis consistentibusque, adeoque ex elementis, ea quæ viciniora globo terraqueo sunt, compacta deprehenderunt, unde & reliquorum iniri ratio potest. Nec demonstrari Morini (b) sententia potest, qui ex æthere condensato maximam partem ea constare putat; qui quidem cum condensatur, (si condensari potest) ætheris profectò naturam exuit. Ridicula etiam est Osii (c) demonstratio, qui non è puteo, in quo Democritus veritatem latere asseverabat, sed è cado vini impuritatem stellarum nobis probat. Orbem hunc cado vini; ejus portionem mediam puram, ætheri, mundi parti puræ: fœces subsidentes, terræ; flores, quos vocant, vini supernatantes stellis comparat. Longè veriores sunt illæ, quæ è Cometarum apparitionibus, maculis similibusque in globis cœlestibus phænomenis petuntur demonstrationes, è quibus abunde patet, cœlestia corpora alterationibus generationibusque esse obnoxia. De Luna, vicinissimo nobis sidere, postquam ejus faciem adeò accurate nobis depinxit Hevelius, nemo amplius telluri nostræ simile corpus esse dubitabit. Inter fabulas tamen mihi referendum videtur, quod in vita Peireskii alterius fide narrat Gassendus (d) de tubo Drebbelii, diametri palmaris, quo licuerit in disco Lunæ discernere campos, sylvas, ædificia, & munimenta locorum nostratibus non absimilia. Quanquam verò & Cartesius tubum parari posse existimaverit ejus magnitudinis, quo animalia, si qua sunt, in Lunâ conspici possint. De quo inter Auzutum ac ingeniosissimum illum micrographum Hokium agitata non ita pridem fuit controversia. Impugnavit eam de simplicitate astrorum doctrinam doctissimis argumentis, instituto tamen suo accommodatis Jordanus Brunus; (e) fusè verò integrisque libris, Ricciolus, Christophorus Scheinerus, Franciscus Reita, Bulialdus, ubi irrefragabilibus observationum expe-

(a) *Astrol. Gall. lib. 3. sect. 3. c. 1.* (b) *Astrol. l. 11. c. 7.* (c) *Novar. Opinion. Sylva c. 12.* (d) *p. m. 190.* (e) *De immens. & innum. l. 4. c. 11.*

experimentis sacrarumque literarum ac Ecclesiæ Doctorum sententiis illam cœlorum astrorumque ἀφθαρσίαν convellunt. Quorum vestigia legit Kircherus in prælusione parænetica itineris sui, ut vocat, ecstatici: Videri etiam Vossius (a) potest. Quæ à natura motus pro sua sententia adducit Aristoteles, solidè refutat Honoratus Fabri (b): His itaque positis, nullam etiam in Sole simplicitatem agnoscimus, in quo spissiorem tamen substantiam, quam in alio corpore simplici deprehendere sibi visus est Albertus M. (c) *non univocâ*, ut loquitur, *spissitudine cum elementorum inspissatione, sed potius æquivoca, quia spissitudo suæ substantiæ non proficiscitur ab aliquâ qualitate elementali, sed potius à nobilitate continuitatis suæ substantiæ.* Quæ arguta quidem & sonora verba sunt, rei tamen & veritatis parum habent.

III. Est vero illa de simplicitate corporum cœlestium sententia, ut non levi suspicione conjectare licet, magnam partem è Veterum Chaldæorum de astrorum divinitate opinione orta, quæ cum firmas in animis multarum Gentium radices egerat, accedente ob ignorantiam corporum ad visum perfectissimorum ac pulcherrimorum admiratione, facilè hinc in alteram opinionem, quam amplexus est Aristoteles, migravit, qui & ipse quandam in Cœlo divinitatem agnoscere videtur. Huic certè sententiæ omnem adeò Astrologiam ac ex astris prænotionem (quo jure quâve injuria nunc non disputo) imputat Salmasius, (d) Achilleo hoc argumento: *aut astra Dii sunt; aut nulla est Astrologia*, eam eversurus. Quod æquè stringit, ac si de elementis ratiocinarer, aut Deos esse (nam & illa pro Diis culta) aut nullos eorum esse effectus. De Sole, qui & Dæmonis nomen in veteri Astrologia obtinet, constat, à variis gentibus fuisse pro numine cultum, unde factum, ut & Christianis à gentibus ἡλιολατρεία objiceretur. Hunc aliqui διὸς πύργον Jovis turrem, alii διὸς θρόνον Jovis solium vocarunt, quod quodammodo cum illo Hebræi vatis convenit, qui Jehovæ tabernaculum in Sole ponit. Agnoscunt & Chinenses solem pro Deo, atque beatorum hominum animas ab eo recipi credunt. Similia sunt Peruvianorum commenta, quæ prolixè recenset è regia gentis suæ familia scriptor Ynca Garcillasso de la Vega. Videndus eâ de re Vossius (e) ac Joh. Franciscus Grandis, singulari dissertatione de Variis Dei nominibus Soli attributis.

IV. Porrò unicum esse Solem nemo fortassis dubitat, solet enim inter species, quas vocant, monadicas referri. Non desunt tamen, qui in vasto immensoque hoc spatio plures esse Soles ac terras contendunt: Sunt qui infinitos. Statuit hoc Jordanus Brunus de immenso & innumerabilibus, seu

(a) Lib. 1. de ort. & progr. Idol. c. 39. (b) Tract. 8. Phys. l. 1. prop. 5. (c) l. 3. de an. tr. 1. c. 5. (d) de Astrol. veteri. & ann. climact. p. 785. (e) de Idol. l. 2. cap. 7.

de universo & mundis, poëmate ad Lucretii instar conscripto, suis ubique notis interspersis. Quibus in libris fusè adductis argumentis infinitos esse orbes, infiniti agentis infinitos effectus demonstrare laborat. Duo illi corpora sunt primordialia immensum ac infinitum hoc universum constituentia, Soles & terræ, eæque innumerabiles. Stellas fixas Soles facit, quibus circumpositæ Terræ tam ob lucis debilitatem, quam ob maximam distantiam visui non patent, quæ si aliquando motu suo ita ferantur, ut in terræ conspectum prodeant, novas nobis appellari stellas aut Cometas dicit. Fabulas etiam Poëtarum (dignum hâc patellâ operculum) pro stabiliendâ suâ sententia in subsidium vocat. Quæ enim Homerus de Jove, Diisque cæteris apud Æthiopes juxta Oceanum epulantibus fabulatur, insano commento explicat de Solibus, astris ignitis, ex opacis Planetarum sive terrarum corporibus (illa enim sub Æthiopum nomine intelligit,) in quibus elementum aquæ dominatur, nutrimentum capientibus. Est vero ille â Mersenno refutatus, ac vivicomburio, si Sorello credimus, sententiarum suarum audaciam luit. At post eum Galileus, Cartesius, aliique Mathematici de stellis fixis, Solibus, quanquam non infinitis, eadem impunè docuerunt: Hic verò etiam Soles successu seculorum terras fieri, & terram quoque nostram in Solem aliquando mutari posse credidit. Nec Kircherus adeò est à pluralitate Solium & Terrarum alienus, qui ubique in Itinerario suo ecstatico, quanquam altè dissimulet, Bruni legit vestigia. Sirium etiam stellarum omnium inerrantium splendidissimam non ignobilis Mathematicus Solem alterum statuit, qui si locum Solis nostri occuparet, eosdem in terram effectus habiturus esset. Unde & vehementioris æstus causam ex ortu ejus heliaco deducit. Nos in re dubiâ, in quâ conjecturis tantùm locus est, οὐδὲν ὁρίζομεν. De Luna res penè demonstrata est, ac verosimile est, Veneris, Martis, quæ æquè per phases variantur, eandem esse conditionem, quæ Lunæ est; præsertim cum in Venere Buratinum, per telescopia majora, maculas illis, quæ apparent in Lunâ, similes observasse in epistolis suis Auzutus testetur: Nec absurdum est, statuere quædam etiam corpora cælestia inter fixas, quæ suâ luce radient, ac ad Solis naturam quamproximè accedant. Ac videtur necessariò ita statuendum, cum radii Solis ad stellarum fixarum loca non pertingant, ut falsò quidam sibi persuadent, Solque ipse non majori quantitate stellis fixis appareat, quam illæ nobis apparent, ut demonstrat Morinus aliique Mathematici. Frustra hic dissentit Honorat. Fabri. (a)

V. Ut itaque Solem propius intueamur, illum Ignem dicimus, & ne quidem purum, materiæ alicui maximam partem indissipabili permistum. Frustra

(a) *Tract. 8. Phys. l. 2. prop. 3.*

Frustra enim est Morinus, (a) qui flammam æthercam puriorem, igni elementali etiam subtiliorem, quæ tamen cum qualitatibus elementaribus compatibilis sit, ut loquitur, hîc requirit. Metuit scilicet, ne cœlum ruat, si igne nimio, quia solidum illi est, calcinetur aut vitri instar liquetur. Nos, ut sententiam Peripateticorum scholæ contrariam arripiamus, ipsa rei cogit evidentia, ac ne quis præter rationem nos novaturire existimet, eam cum antiquissima Philosophia natam asserimus. Zoroastrinum Oraculum est de stellis: fixis *ἔπηξε δὲ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν, τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας compegit multum cœtum astrorum inerrantium, ignem ad ignem cogens.* De Sole: *πῦρ πυρὸς ἐξοχέτευμα καὶ πυρὸς ταμίας* Ignis de igne derivatio & ignis penu. Thales: *γεώδη μὲν ἔμπυρα δὲ ἄστρα*, terrea quidem sed ignita esse dixit. Anaxagoras & Democritus Solem dixerunt *μύδρον ἢ πέτραν διάπυρον*, æs sive lapidem ignitum. Epicurus terrenum fartum vult pumicis aut spongiæ instar ab igne perforatum; quod quomodo intelligendum sit, ac ad mentem Mathematicorum explicari possit, docet nos Gassendus (b) Ac ipsum Aristotelem aliquando fuisse in eâ sententia evincere laborat Patritius dissertatione, an sidera sint ignes: sola verò dissentiendi libidine visum atque tactum abnegasse. Videnda & ejusdem Autoris de Sole dissertatio, ubi pluribus rationibus & suffragiis sententiam nostram adstruit. Lipsii item Physiologia Stoica, (c) ubi de Stoicis, quod sidera *τεχνικοῦ πυρὸς εἶναι* statuant, qualis in animalibus ac plantis reperitur, probat. Hanc verò antiquitatem agnoscit Thomas (d) qui SS. Patribus Platonismum hic objicit. Quasi vero majus crimen sit Platonismi, quam Aristotelismi reum esse.

VI. Ex iis omnibus, quanquam confusior fuerit, sensu tamen docente, non aliam habere potuisse de corporibus cælestibus notitiam videmus, quam esse illa *πυρινά*. Cui sententiæ etiam ipsæ SS. literæ & Patres adstipulantur. Quam & Mathematici recentiores, quos recensitos vide in Kircheri Itinere ecstatico, prælusione in Solem, probarunt. Honoratus quoque Fabri, sublimis judicii Vir magnæque experientiæ, quo nemo felicius Peripateticæ Physicæ principia cum recentioribus conciliavit, quanquam à latere Aristotelis non facile discedit, eâ tamen in re sententiam illi contrariam amplexus est, doctissimisque argumentis propugnavit (e) Quæ in iis consistunt: Formaliter calidum Solem esse, verum esse ignem, nec purum, sic enim corpus simplex esset, sed mixtum aliquod, cui ignis insit, quodque multâ terrâ, multò etiam igne constet. Quæ si quis cum Anaxagoræ Democriti ac Epicuri sententiis conferat, mirum hic observabit consensum: nec causa est, cur nos dissentiamus.

VII.

(a) Astr. Gall. l. 9. sect. 3. c. 8. (b) Phil. Epic. p. 773. (c) lib. 2. diss. 13. (d) 2. sen. dist. 14. quæst. 13. (e) Tract. 8. Phys. l. 1.

VII. Ac quidem Solare corpus mixtum esse è materia cressiori & liquidiori igne occultorum, magistra nos docet experientia, quæ per telescopia inæqualem Solis superficiem, hîc mare quasi igneum vorticibus ac fluctibus asperum, illic partes densiores ac solidas, quæ saturo illo colore à fluidis partibus satis distinguuntur, observavit. Ut ita Solare corpus Oceano ignito simile videatur, per quem quasi insulæ & scopuli sunt diffusi, è quibus quemadmodum è montibus terræ ignivomis flammæ prorumpentes notantur, unde fuligines, maculæ ac nubes quædam existunt, Solis regiones aliquas obtexentes: è quibus successu seculorum crustas trahere, atque ita in tellurem seu planetam degenerare posse Cartesius credidit: quæ tamen potius meteora ἡλιακὰ sunt, & nubium nostrarum instar evanida. Faciem Solis nobis ob oculos ponunt Scheinerus, qui primus maculas observavit earumque historiam diffuso opere descripsit, quanquam sibi hanc gloriam vendicat Galilæus; Hevelius; Bulialdus, Principes in his studiis Viri, è quibus istam de maculis doctrinam compendio quodam contraxit Vir Cl. Joh. Andr. Bosius peculari dissertatiuncula. Depinxit etiam ante illos schema ejus Jordanus Brunus libro de immenso & innumerabilibus, (a) non qualem verè se exhibet conspiciendum, sed qualis probabiliter ejus structura concipi possit, sub lucido, opaco suo intermisto, cujus opacitas à vicino lucido absorbeatur.

IIX. Quod si itaque mistum corpus Sol est, ut vidimus, dispiciendum, quanam ex materiâ verosimiliter compactus videatur, quæ quidem ita comparata sit, ut facilè dissipari nequeat. Veteres Philosophi lapidi, terræ, vitro candenti, æri fuso compararunt: nec absurdè quidem, cum illas esse mererias crederent, quibus Ignis per diuturnum tempus servari & quasi conpingi possit. Quod si enim furno vitriario aut æri fuso oculos quis immittat, idem ille lucis candor, qui in Sole animadvertitur, oculos præstringet, ut major vix similitudo dari possit. Ac de vitro quidem verosimilis alicui sententia videri posset, cum, si Sol ex aliquo densiori constat, perpetuus ille ignis non nisi in vitreâ substantiâ teneri ac hospitari posse videatur, ut qui quando intensissimus est, vitrificatorius est, si in materiam habilem incidat. Sed & vitrum tandem comburi posse constat. Fuit & nuper, (b) qui terræ basin ex vitro constare credidit. Honoratus Fabri Solem, si aliquid è mixtis sublunaribus hactenus cognitis est, non nisi aurum liquidum esse pronunciat: quod quanquam paradoxum & ridiculum multis visum fuerit; iis tamen rationibus sententiam suam fulcit, ut assensum non difficulter extorqueat, ac persuasit sanè Viro præstantissimo du Hamel, qui in Astronomia Physica (c) non invitus

(a) *Lib. 4. c. 7. in notis.* (b) *Leibnitz. Theoriâ Mot. concret. p. 13.* (c) *lib. 2. c. 1.*

invitus calculum illi ſuum addit. Notandum verò, illum ex hypotheſi loqui. Rationes facile conjiciet aliquis: cum nihil ſit in tota rerum natura, quod igne minus ſit diſſipabile, quam aurum, qualis ſubſtantia ad conſtituendum Solem omnino requirebatur. Atque hæc ſi vera eſſet ſententia, Chymici ſibi plauderent, qui tantam Solis & auri cognationem venditant, ut uno nomine illis veniat, atque hoc illius quædam propago habeatur. Tu vero mihi hic vide Poëtas Philoſophos, qui axem, temonem, rotas aureas ſoli adſcribunt. Mea hæc eſt ſententia: Solem maximâ ſui parte materiâ conſtare indiſſipabili, quam fixam Chymici vocant, quæ totius maſſæ quaſi baſis quædam ſit, intermixtis tamen quibusdam materiæ etiam diſſipabilis partibus, ſed rarioribus: unde *μετέωρα* illa *ἡλιακά*, nubes ſeu maculæ in Sole oriuntur, quarum per vices expulſio eſt & receptio. Nec earum origo demonſtrari poſſet, ſi corpus Solare ſecundum Fabri ſententiam aurum totâ ſuâ ſubſtantiâ eſſe dicatur. Id enim nullas emitteret fuligines. An vero aureum ſit, non niſi ex hypotheſi dici poteſt. Materiam tamen eſſe oportet illi quam ſimillimam.

IX. Futilis proinde objectio eſt de alimento Solis, ſi ignis ſit. Poetis has loquendi formulas tranſcribimus, qui quidem equis Solis pabulum, nullum ipſi Soli affingunt. Nullum propriè Ignis alimentum eſt, ſed quo minus eſt diſſipabilis materia, in qua ignis habitat, eò ille diuturnior eſt ac tenacior. Operam itaque ludit autor libri *Sol flamma*, Stoicorum in hoc ſententiam ſecutus, qui adeo in pabulo igni Solari aſſignando ſolicitus eſt, quod illi conficit è vaporibus, anxiè ſecundum Zonas ineptâ diligentiâ diſtinctos; unde ad ipſum Solis locum deveniant. Non vacat nobis cum fumis & vaporibus pugnare, rei abſurditas per ſe patet. Video tamen in eâdem quoque ſententia Jordanum Brunum eſſe, nec alienum Guilielmum Poſtellum in libro paradoxo ac monſtroſo de nativitate Mediatoris ultimâ. Scottus etiam Commentator itineris ecſtatici pabulum aliquod agnoſcit, quale montes ignivomi ſibi ipſis ſufficiunt, quod aliqui illis etiam è mari vicino petunt. Sed immane quantum diſcrimen eſt inter Solare corpus ac aliquas terræ portiones, quæ non ſemper ardent, ſed accedente materiâ, ſuſcitante vento in flammas abeunt iterumque extinguuntur: De cujus incendii cauſis nemo rectiùs, quàm Petrus Caſtellus ſingulari de Veſuvio libro Italica lingua ſcripto nos edocebit. (a) Quin ſcimus etiam absque pabulo per tot ſecula ſervatas lucernas in ſepulchris, quas artificio chymico ex auro elaboratas exiſtimat Vir doctiſſimus Hermolaus Barbarus, pluribusque contendit Claudius Guichardus, (b) qui de funerum ritibus ante Kirch-

(a) Incend. del Mont. Veſuv. p. 19. (b) des funerailles. liv. 1. à p. 82. ad 86.

mannum erudite satis & copiosè gallicâ lingua scripsit. Nec desunt, quæ respondere possis illis, qui Solis ignem exhauriri posse aliquando putant, etiamsi materia Solis dissipabilis statuatur, quæ fusè vide apud Gassendum & Digbæum. Nunc cum materia indissipabilis à nobis statuitur, non opus est ad ea confugere. Eâdem planè operâ eorum objectio facilè resolvitur, qui Solis corpus conicum esse debere existimant, si ignis esset, non sphæricum: Ad quam inepta est autoris libri *Sol flamma* responsio: Solem coni apicem projicere in partem à terrâ aversam. Non est flamma aliqua aut vapor ardens Sol, sed corpus densum ignitum, à quo flammæ non eminent vel saltem eminere non videntur; ac impedire etiam Solis circa axem suum rotatio aerisque incumbentis ambitus sphæricus tale, si quod esset, phænomenon posset.

X. Porrò igneam Solis naturam demonstrant effectus illi Soli cum igne communes, quos manibus palpamus: urit enim & lucet. Testantur id vitra caustica, per quæ radii Solares transmissi, si in centrum coincidant, lucem in flammam condensant: unde ignem nihil aliud quam lucem densatam, lucem vero ignem attenuatum esse manifestè patet. Sunt itaque radii Solis ipsæ particulæ igneæ à Sole protrusæ. Qui enim inter accidentia referunt, plurimis se difficultatibus implicant, quibus mirè se torquere illos videas. Sed non sunt ista hujus loci. Utriusque sententiæ argumenta diffuso libro explicuit nuper Grimaldus. Ne quid nunc dicam de controversia hâc inter Vossium, Petitum, de Brün, aliosque agitata. Et hæc quidem sententia adeò vera visa fuit Digbæo, ut radios Solis per vitrea specula artificiosè disposita in rubrum & subfuscum præcipitari posse pulverem accrederet viro nobili, qui se tentasse hoc asseverabat. (a) Sed illum ego quidem deceptum fuisse arbitror peregrinis quibusdam particulis salinis, quas magno per aërem volitare numero, certisque capi posse machinis constat: Facilè enim illæ per radiorum unitorum vim igneam congestæ adustæque fuerunt. Objici huic experimento solet, quod ignis noster ita cogi in angustum nequeat, ut comburere vel per refractionem vel reflexionem possit. Quod falsum est. Nam quod respondet hic Scottus, pauciores esse ignis nostri radios ac rariores ob exiguam ignis molem, quam ut ignem per reflexionem producere possit, verum quidem est: Memini tamen experimento certo rem exploratam in speculo concavo metallico, quo radii furni calentioris excepti in puncto coalitionis exurere rem inflammabilem potuerunt. Ac notavit idem experimentum Honoratus Fabri. Quo iterum Solis ac Ignis nostri convenientia probatur.

XI. Sunt qui etiam hîc objiciunt, corrumpi atque extingui posse Solem,

(a) *De Nat. Corp. cap. 7. num. 8.*

lem, si igne nostro simili constet, quod tamen cum ejus natura incorruptibili pugnet. Illi vero nesciunt, quâ ratione corrumpi ignis dicatur, cum corruptio ejus non sit nisi dissipatio particularum: ea verò in materia indissipabili per se contingere nequit. Nec facilè possunt illi agentia naturalia applicari, quibus sistatur motus ille particularum ignearum in Sole, unde ejus exstinctio metuenda. Ac verum est, quod Honoratus Fabri ait, si dari posset Oceanus ipso Sole major, exstingui in eo ignem Solaris corporis posse. Jam vero an per partes alterari ac exstingui iginis in globo Solis possit, nos quidem definire non possumus. Quod si contingeret, non magis in corruptibilis dici posit Sol totus, quam globus noster Terraqueus, qui quidem per partes alteratur, totus verò suo modo incorruptibilis dici potest. Quæ de gravitate aut levitate, item de exustione mundi objiciunt, inepta sunt, nec responsione digna.

XII. Restat denique, ut videamus, quem Peripatetici nobis Solem fingant, aut quas operationes illi tribuant, cum veros istos ignis effectus vident. Isti quidem magnum quiddam se putant dicere, cum Solem non formaliter, sed eminenter, vel ut alii loquuntur, virtualiter calidum esse existimant. Quo illud volunt: non ipsi quidem calorem inesse, sed vim tantùm caloris productivam. Quam productionem ita explicant. Calorem dicunt fieri ab attritione aëris per motum stellarum & Solis, quemadmodum in ligno, ferro, lapidibus, sagittis, motu calor gignitur, unde aerem circumstantem ignescere necesse sit: Ea vero, quæ per orbem feruntur corpora non quidem ipsa ignescere, aerem autem, cum sub ipsa corporis circulariter moti sphæra sit, incalescere. Aphrodisæus ut subtilior videatur, eo modo sublunarem aerem à Sole, qui eum non contingit, conteri existimat, quemadmodum Torpedo in retibus deprehensa piscatorum manibus torporem infert, nihil eo retia ipsa afficiens. Sed illi à torpedine stuporem menti inflictum existimo, cum hæc scriberet; adeò enim jejuna & absurda est sententia, ut ne scintillam quidem sanæ rationis habeat. Averroes, quanquam aerem à stella, à quâ non contingitur, moveri neget, Solem aerem quidem non conterere dicit, at vires tamen & quasi robur suppositæ orbium parti subministrare, & veluti densitatem communicare, quæ & per se & cum universo cœlo conspirans robustius agat ac vi aerem conterat majore, velut particeps densitatis Solaris facta. Quibus in argutiis explicandis Oedipo profectò opus habemus. Illis discutiendis non est ut immoremur. Absurditatem harum sententiarum jam pridem ostendit Bernhardinus Telesius. (a) Nos præterea etiam ignem illum, quem vocant eminenter vel virtualiter productum, eo sensu negatum imus, ac in


(a) *De rerum natural. l. 4. c. 6. 7. 8. & 9.*

Sole etiam rejicimus. Non largimur Peripateticis novum ignem, qui ante non erat, generari per motum posse, nullum enim produci exemplum potest, ad quod non parata sit responsio. In pipere aliisque aromatibus dicunt esse vim, quæ in stomacho producat calorem, sed reverâ illæ ipsæ particulæ ignis in iis latuerunt aliis particulis obseptæ, quas posteà contusas stomachi calor arripuit, suisque associavit, unde motus in sanguine fervention. Idque experimento certissimo probari poterit. Paratur liquor sulphureus subtilissimus ac purissimus, qui aliquoties contuso aromati affusus paulatim ita evocat particulas sibi congeneres sulphureas ac igneas omnes, ut quæ residua massa est, tota sit insipida ac fatua: Illæ vero ita liquori sub crystallina perspicuitate adunantur, ut accenso liquore simul in flammas, vestigio nullo relicto, abeant. Cùm à chalybe per silicem scintillæ extunduntur, sulphuris copiosissimi particulæ in chalybe latentes in puncto à silice vehementius percusso per illam agitationem in motum lucidum deducuntur, qui adeò vehemens est, ut particulas recisas vitrificatas microscopio deprehenderit Hokius. Et facilè calorem illum odor sulphureus prodit. E glacie verò scintillas per attritionem eductas nunquam mihi persuadebit Kircherus, (a) qui in experimentis oculatam fidem sequor. Cæteris quæ afferri solent exemplis respondebit præstantissimus Vir du Hamel libro de consensu veteris & novæ Philosophiæ. (b)

XIII. Poterant hìc plura tum argumenta tum objectiones in medium proferri, quibus sententiæ hujus veritas stabiliretur: sed supervacaneus in re manifestâ labor est, quam adeò veram esse putamus, ut ipsis Solis radiis (quod proverbio dicitur) scripta esse videatur. Ipse Sol de effectu suo testatur. *Solem quis dicere falsum audeat?* (c) testantur sensus nostri, qui omni prævalent ratiocinio, unde primum est sciendi initium:

> — *Nam nisi prima fides fundata valebit,*
> *Haud erit, occultis in rebus quo referentes*
> *Confirmare animi quicquam ratione queamus.*

(a) Itin. in Solem. (b) lib. 2. c. 21. (c) Virg. Georg. 1. v. 463. (d) Lucret. lib. 1. v. 423.



DE

DE
METALLORUM TRANSMUTATIONE

AD

Virum Nobilissimum & Amplissimum

JOELEM LANGELOTTUM,

Serenissimi Principis Cimbrici Archiatrum Celeberrimum.

EPISTOLA.

Nobilis-



Nobilissimo & Amplissimoque

VIRO

JOELI LANGELOTTO,

S. P. D.

D. G. MORHOFIUS.

QUoties Sleswigam excurrens ad Te inviso, Vir Clarissime, plerumque doctior, quam accesseram, recedo. Præterquam enim quod eruditissimis tuis sermonibus aures animosque sæpe tenes. subinde nova quædam, cùm ex omni politioris literaturæ genere, tùm è nauralis potissimum scientiæ penetralibus, quæ ad Te vel Amici perscribunt, vel ipse ingeniosè inventa moliris, mecum, quæ tua humanitas est, communicare non gravaris. Cujus honestissimæ suavissimæque conversationis fructus cum non exiguos sæpe persentiscam, fructum non solùm, sed & voluptatem cepi maximum è sermonibus, qui inter nos de ingeniosissimæ tuæ Epistolæ, non ita pridem publicatæ, argumento ferebantur, cum ante menses aliquot Tibi adessem. Præclara in illa sunt omnia ac subtiliter excogitata, quæ de digestionis, fermentationis ac tritus usu in Chemicis laboribus monuisti. Mirabilis est illa auri per molam, quam vocas, Philosophicam comminutio, quam illic doces. Curiosissima sunt, quæ de fermentatione Tartari, ejusque salis volatilis spiritu, Opii Essentiâ, Mercurii eductione ex Antimonio, Corallorum in rubicundam mucilaginem analysi, jucundè non minus quam utiliter dissseris: ut profectò isthoc nomine multum tibi literatus orbis debeat ac Chemici præcipuè, quibus non pauca arcana, quorum dubia hactenus fides fuit, Te demonstratore patuerunt. Magnam certè apud illustres Collegii Regii Londinensis socios scripto hoc publicato gratiam inivisti: nam & summis extulerunt laudibus, & hâc quasi promulsside illecti, quæ promisisti, Acta Laboratorii Gottorpiensis, uberrimam ex istis præmetiis messem sibi policiti, impatienti desiderio efflagitarunt. Testantur id humanissimæ literæ, quas non ita pridem nobilissimus Dn. Oldenburgius ad me scripsit: quarum vel ideo mentionem hìc facere volui, ut exstaret hæc quasi publica commonitio, quæ oblivionem, inter continua illa negotia facilè obrepentem tibi excutere ac aurem vellicare nonnunquam possit. Nec minus se Ti-

ſe Tibi obſtrictam agnoſcet Celeberrima Naturæ curioſorum in Germaniâ noſtrâ Societas, cui epiſtolam tuam inſcribis: non parum enim ſibi de novo, quo extris ſe oſtentet, documento gratulabitur. Atque illi quidem illuſtres & in rerum naturalium ludo principes hoc ſeculo Viri, quia in his cauſis ſedere judices poſſunt, penitiusque omnia rimantur, majorem inventis tuis autoritatem laudibus ſuis conciliabunt, quam ego meique ſimiles: qui admirari hæc, aut commemorare aliis tantum, ſed judicare parum aptè poſſumus, nec debemus, ne, quod Græci proverbio dicunt, ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι videamur. Factum tamenn eſt, neſcio quomodo: ut, cum nuper à manu tua gratiſſimum acciperem munus, doctiſſimam nempe epiſtolam tuam, occaſione auri per molam philoſophicam ſoluti, in ſermones de metallorum transmutatione abriperemur; Tibique quæ hujus argumenti in medium tum proferebam non diſplicerent: adeò quidem ut vel publicâ luce non indigna judicares. Erant vero illa pro adſtruenda transmutationis veritate, partim è naturalis ſapientiæ adytis; partim ex Hiſtoriâ cum veteri tum recentiori petita, ut illa memoria diſſertanti ſuggerebat; non præclara illa quidem ſatisque culta: tibi tamen, quod affectui tuo imputo, non ingrata. Ego quidem ſtatim tum monebam, ne me noctuas Athenas ferre, id eſt, de re tot hominum calamis trita, ac penè protritâ, addo etiam invidioſâ, ſcribere juberes, præſertim cum præclariſſimi Viri, Conringius & Borrichius jam pridem omnem hujus rei fundum occuparint: cæterorum verò ſcriptorculorum tanta turba ſit, ut noſtra vel ingloria, vel inutilis hîc opera ſapientioribus videri poſſit. Tu verò diverſum quid à me ſentiens urgere non deſtitiſti, ut hoc, quicquid eſt, opellæ, in me ſuſciperem. Quâ in re tandem, quoniam ita voluiſti, refragari Tibi diutius nec debui nec volui, modò tu videris, ne vel te fallas ipſe, vel alii, quibus amplior fortè ſpes oſtenditur, per te fallantur. Nos vero ita rem aggrediemur, ut primo de transmutationis poſſibilitate pauca quædam attingamus: deinde de autoribus, qui artis hujus arcana vel tradiderunt vel propagarunt; denique de ipſis artis hujus experimentis non planè in triviis decantata, aut in vulgus cognita in medium producamus.

I. Primùm, cum de Metallis quæritur; an commutari illa poſſint: commutatio verò corruptionem unius & generationem alterius metalli neceſſariò ſupponat; diſpiciendum in limine hujus diſſertationis eſſet: quomodo natura in terræ viſceribus illa componat. Sed quis ignorantiam hic ſuam non profiteatur? Nam cum profundis adeò tenebris res ipſa immerſa ſit, quis doctrinam hanc in aprico ponet? Nullus à tot ſeculis, in hunc uſque diem comparuit, cum tamen tam acutum nunc res naturales cernimus

ad ipſas uſque particularum particulas, qui exerto digito metallorum cauſas monſtrare ac ponere ob oculos posſit. Hinc meræ ubique conjecturæ & palpitationes, nihil certi: cum quæ de naturâ eorum cognoſcimus, è ſuperficiariâ tantum contemplatione proficiſcantur. Altius fortasſis Natura eorum principia recondit, quam ut pervenire eò humana molimina posſint. Operationes, quibus illa utitur, lentæ, ac integris ſeculis nonnunquam ducuntur, & per cuniculos: ut omnem obſervatoris, quanquam ſolertisſimi, induſtriam facile effugiant. Metallurgi indocti ſunt, ac cauſarum naturalium ignari. Qui ingenio profundiori illas rimari posſunt Philoſophi non facile periculis, quæ rem illam comitantur, ſe exponunt. Hinc deſertam habemus nobiliſſimam ſcientiæ naturalis partem, quâ non ſatis perſpectâ etiam in reliquis hallucinabimur. Ab interiore enim globi hujus terreni compoſitione, partiumque ejus præcipuarum, inter quas ſucci cujusdam & medullæ inſtar principem ſibi locum ſalia & metalla vendicant, & horum exhalationibus omnis ille aër, qui globo huic circumponitur, variè afficitur multaque hujus athmoſphæræ phænomena dependent. Scriptores Metalicos ſi excuſſeris, parum invenies quod ſaturare pectus posſit. Quicquid tamen eâ in re præſtitium eſt, Germanis debetur, quorum veſtigia legunt exteri, ſi qui ſunt, qui hoc argumentum tractârunt. Pauca ſunt apud vetuſtos Scriptores, *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Plinium*, hiſtoriæ Metallicæ monumenta. E recentioribus, poſt *Alberti M. libros de mineralibus*, *Andreæ de Solea* liber de incremento & decremento Metallorum, qui Baſilio Valentino vulgo adſcribitur, ac cum ejus XII. clavibus edi ſolet, quanquam integro ſeculo hunc ille ſuperet, præclarè ſcriptus eſt ac multa habet recondita: ſed obſcura pleraque ſunt, nec aperte ſatis ſcripta. Diligentisſimus ac eruditisſimus Scriptor *Georgius Agricola* eſt, qui & hiſtoriam & operationes metallicas pro virili ſuâ executus eſt. Quibus addi poſſunt, quæ Germanicâ linguâ ſcripta ſunt *Lazari Erkeri* in arte docimaſticâ principis', *Fachſii*, *Matheſii*, *Albini*, *Zachariæ Theobaldi*, quique pleraque ſua è cæteris collegit, *Lohneiſenii* opera. Sed nec *Andreas Cæſalpinus* contemnendus. *Bernardus Cæſius* in alia omnia dilabitur: nam locos potius communes de rebus metallicis congesſit, qui ad naturam metallorum pernoſcendam parum faciunt. Nec prætereundi ſunt fosſilium, quæ in variis terræ partibus inveniuntur: Nomenclatores, *Kentmannus*, *Schwenckfeldius*, *Cretſchmarus*, *Merrettus*, *Aldrovandus* in Muſeo Metallico, *VVormius*. *Athanaſius Kircheus* quanto hiatu magnifica multa promiſit de mundo ſuo, quem ita vocat, ſubterraneo! Sed vehementer ille corvos deludit hiantes. Quanquam enim vaſtus liber ſit, adeò tamen rerum inops eſt, ut & illa, quæ neceſſario ſunt, nonnunquam omittat; ſuperflua multa con-

conſcribat; cramben toties coctam toties recoquat; multa ex aliis deſcribat; in multis impingat; nova parcâ manu ſerat. Longè illo ingenioſior eſt Phyſicæ ſubterraneæ ſcriptor *Beccherus*, qui eo libro, & ejus ſupplemento non pauca affert, quæ magnam rei metallicæ lucem inferre poſſunt. Nec laude ſuâ privandi *Honoratus Fabri* & *Hamelius*, Philoſophi præſtantisſimi, quorum ille in libris Phyſicis; hic tractatu de Meteoris & Foſſilibus hanc Philoſophiæ naturalis partem non leviter illuſtrarunt. Superiore anno *Webſterus* Autor Anglus patria linguâ Metallographiam edidit, ſed è Germanis ſcriptoribus, & quibusdam ex eis, quos modo enarravimus, præcipuè congeſtam, cum paucis quibusdam ſuis obſervatiunculis. Sed nec autores omnes ipſe novit, nec delectum ſatis accuratum inſtituit. Quanquam laudari tamen Viri iſtius debeat diligentia, quâ collecta ſub certis capitibus habemus, quæ in autoribus ipſis non ſine tædio aliquo conquiruntur. Quæ Vir illuſtris *Robertus Boilius* de Origine Metallorum & Mineralium commentatus eſt, procul dubio, ut omnia Viri illius, eximia erunt & elaboratisſima, quantum è libello, ipſis, de quibus agit, gemmis pretioſiore, non ita pridem publicato augurari licet. Sed ea hactenus ad manus noſtras non venerunt. Interim è tantâ ſcriptorum Metallicorum ſegete parum admodum excuſſeris, quod intimam metallorum naturam in conſpectum tibi producat.

Qui aquam omnium corporum faciunt elementum, idem quoque metallis ſubſternunt. Quam veterum quorundam Piloſophorum ſententiam reſuſcitarunt è recentioribus *Helmontius*, *Bernhardus Paliſſy*, *Henricus de Rochaz*: ac confirmat, quæ viget apud nonnullos de liquore ſolvente Catholico, quem Alcaheſt ipſi vocant, opinio, cujus beneficio in liquorem inſipidum corpora naturalia, ac ipſa adeò metalla abire creduntur. Quæ hypotheſis multorum animos ſollicitos habuit, multas Chemicorum fornaculas calefecit: ſed labore planè irrito. Nam nunquam fuit, qui vidiſſe ſe talem liquorem aſſeverare potuerit: cum ſint tamen non pauci, ut ex hiſtoriis notum eſt, qui ipſum magnum Philoſophorum lapidem non ſemel viderint. Quin adverſatur ſibi ipſe Helmontius, qui alio in loco reſolvi in puram & limpidam aquam corpora hoc liquore vult; alio feces remanere dicit. Ante tempora certe Paracelſi & Helmontii iſta in Chemicorum Scholis inaudita fuerunt: alia enim omnia, *Villanovani*, *Lullii*, *Baconi* ſimiliumque Philoſophorum ſcripta loquuntur. Et ſi rem ipſam conſideres, naturæ rerum repugnare videtur. Diſtinctæ enim ſunt liquidarum & conſiſtentium rerum naturæ: ac licet hæ nonnunquam per illas vinculis, quibus cohærent, exſolvantur, ut diſſipatæ oculorum aciem effugiant, nunquam tamen inter ſe commutantur, nec ab illis principium ac originem trahunt. *Bernhardus Paliſſy* Gallus, homo quidem plebejus, ſed tamen II.

ingeniosus, libris patriâ linguâ de naturâ fontium, metallis, gemmis, conscriptis, ex aquis omnia, metalla quoque & lapides durissimos produci vult: aquas tamen duas statuit; alteram materialem; alteram congelantem. Quæ si recte perpendas, diversitatem principiorum perspicies, ut nihil novi hîc præter nomina deprehendas. *Henricus de Rochaz* popularis ejus, qui de aquis metallicis ac secretis fodinarum metallicarum quædam edidit, Physicam itidem reformatam scripsit, aquam quidem materiale rerum principium facit, sed salem illi adjungit, principium corpora consolidans. Propiora tamen etiam in compositione corporum admittit. In eandem sententiam propendet Vir illustris *Robertus Boilius*, libello nuper de Gemmis edito, quarum primam originem substantiam fuisse liquidam statuit, quæ si tincturis quibusdam mineralibus, dum fluidæ vel molles sunt, imbuantur, colores pro ratione mineralis obvii acquirant. In Opacis quales Hæmatitæ, Jaspides similesque lapilli sunt, terram metallicis succis imprægnatam, accessione liquoris petrescentis, seu spiritus petrifici in lapidis formam coagulari putat. Multa sunt in illo libro præclara, quæ ad hanc doctrinam illustrandam faciunt. Meminit hîc cujusdam liquoris casu oblati, qui gemmas solvere potuerit. Terram plenam esse menstruis aliisque liquoribus variorum generum existimat, è fodinis, per quas vagantur, variè imprægnatis, qui quibusdam casibus vice menstrui fungi, alio vero modo concurrere ad productionem corporum mineralium possint. Quin ipsam aquam communem variis mineralium effluviis infectam, ut est plerumque (quod *Thurnbeuserus* libro de aquis minerabilis docet) id præstare posse credit. Quod argumentum plenius se libro de subterraneis menstruis executum esse testatur. Hæc cum recito, in memoriam mihi revoco, quæ *Abrahamus è Porta Leonis*, Medicus Hebræus libro de auro, in quo de auri in re medica facultate disputat, de Aquis Fabariensibus prope Rhenum, commemorat: quod succum aureum à naturâ nondum concretum obtineat, unde mirabiles illæ virtutes in ægris curandis oriantur; nulla enim in illis auri ramenta cerni ait, quæ tamen in propinquis Rheni fluviis appareant, illa medendi facultate destitutis. Sed in his succum illum concrescere in aurum corporeum putat: unde rejicit usum vini, in quo aurea lamina exstincta, quod illud nullas è corporei auri ramentis vires nancisci possit. Quæ omnia, an ex vero dicantur, esto aliorum judicium. In rebus obscuris & à sensu remotis conjecturis tantum locus est. Quod si menstrua illa subterranea admittimus, non omnino de nihilo esse quis crediderit. Eandem telam nuperquoque texuit *Thomas Sherley* Regis Angliæ Medicus in Dissertatione, quam de causis lapidum publicavit. Quâ occasione simul in originem omnium corporum inquirit, quæ ex Aquâ & Seminibus suis pro-

produci vult. Eam præmisit, ut viam sterneret Tractatui Medico, quem de causis calculorum in corpore humano scripturus est. Non pauca hic erudita & curiosa, quæ ad hoc argumentum & naturam petrificationis spectant, afferuntur, quibus hic ut immoremur, instituti nostri ratio non permittit. Summâ denique curâ & industriâ rem illam demonstrandam suscipiet Ingeniosissimus *Steno*, in dissertatione de Solido intra solidum naturaliter contento, cujus prodromum superiore, ut puto, anno publicavit. E quo totum opus, velut ex ungue Leonem, judicare facilè est. Corpus naturale vel solidum est, vel fluidum: Illud, si secundum naturæ leges productum est, à fluido productum esse ait: Crescere illud, dum particulis ejus novæ apponuntur particulæ, ab externo fluido secretæ: fieri autem appositionem hanc vel à fluido externo immediate, vel mediante fluido interno uno vel pluribus. Quæ omnia eleganter illustrat comparatione corporis humani cum productis terræ institutâ. In omnibus locum productionis accuratè inspiciendum docet: id est corpora vicina, quæ ad inclusorum productorum figuras componenda. Sic in saxorum examine multa detegi posse judicat, quæ in mineralium ipsorum examine frustra tentantur, quandoquidem perquam probabile sit, omnia illa mineralia, quæ saxorum spatia vel fissa vel dilatata implent, pro materiâ habuisse ex ipsis saxis expulsum vaporem: Quod an perpetuæ & indubitatæ fidei sit, ego in medio relinquo, nam aliunde etiam impleri fissuræ possunt, quàm vaporibus è saxis ipsis expulsis. De Crystalli productione multa subtiliter disquirit: an inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & solidum; an vero in ipso fluido producatur: nam è fluido productam esse dubium illi nullum est; frigore tamen concretam, aut è cineribus ignis vi in vitrum exustam negat. Neque enim vi ignis tantum vitri fieri productionem, sed & absque ignis violentiâ fieri posse & humano artificio putat: modo quis instituat accuratam analysin saxorum, in quorum cavitatibus optimæ crystalli formantur: Certum enim esse, ut ex fluido concrevit crystallus, sic in fluidum eandem posse resolvi, modò quis verum Naturæ menstruum imitari norit: Nec obstare: quod corpora, à quibus menstruum totum vi ignis ablatum est, non amplius resolvi possint: cum alia sit ratio eorum corporum coagulatorum, quæ in medio fluido seu menstruo concrescunt, cujus partes inter coagulati corporis particulas relinquuntur. Fluidum enim, in quo crystallus crescit, eodem modo se habere ad crystallum, quomodo aqua communis se habet ad salia. Cum vitro per ignis violentiam parato aliter res se habet, nam humor ejus penè omnis expellitur. Memini tamen ego etiam in vitro vulgari tantum obtinere posse singularem quendam liquorem, ut ad tempus saltem flexibile illud reddat, si non solvit: quò imagines ex eo

fingi possint, aut characteres illi imprimi, cujus mentionem feci in Epistola ad Cl. Dn. D. Majorem, *de Scypho vitreo per sonum fracto* scripta. Addo, cùm è diversis corporibus jam tum concretis, quæ nonnisi propriis singula menstruis resolvi possunt, componatur vitri corpus: vero est simile, nullum dari posse menstruum, quod in corpora sic juncta operetur. Ad hujus doctrinæ illustrationem mirificè facit historia artificialium gemmarum per aquam & pulverem coagulantem confectarum, à me in dictâ epistolâ commemorata: quam recensere hic nolo: cum in tuis non tantum, sed & in omnium manibus sit dissertatio typis ante annum divulgata. Lucem etiam addere poterit experimentum, quod vidi, cum Amsterodami commorarer, apud *Birrium* Medicum, editis quibusdam in Chemiâ libris non ignotum. Is mihi lapillos monstravit satis pellucidos ac elegantes, & ad modum gemmarum politos, quos è liquore quodam, quem præmonstrabat, se parasse ajebat. Ponderosus ille erat longe ultra vulgaris aquæ indolem, claritate tamen & perspicuitate eam æquabat. Sapiebat tamen nescio quid leviter stypticum, & salsum. Hunc ille non solum pro insigni medicamento habebat, sed & mira se in solutione corporum eo efficere posse memorabat. Vino Rhenano cum guttulas aliquot infunderet, sensim è flavo in saturum rubrum colorem, sed temporis aliquo intervallo, concedebat: & si rectè memini, etiam crystalli in fundo subsidebant. Ego non dubitavi è Tartari sale confectum esse, nam similem saporem deprehendi: quanquam ille celaret hæc arcana. Ex isto liquore cum præcipitasset pulverem, eum igni vitrificatorio exposuit, usque dum in substantiam crystallis similem concresceret: è qua gemmas illas formari sibi fecerat. De duritie illarum nihil mihi constat, cum nec tactu, nec visu ea deprehendi possit. Si non superarunt, saltem exæquarunt vitri duritiem, cùm polituram sustinere potuerint. E corporibus, quæ ad metallorum naturam propius accedunt, præcipuè corpora lamellata in fluido & ex fluido concrevisse *Steno* censet. Quo in genere Talcum est, cujus solidum corpus in fluidum resolvi posse ait, cum ex fluido illud concrevisse extra controversiam sit. Illos autem à verò longissimè aberrare, qui ignis torturâ hanc ab illo gratiam extorquere nituntur: *mitius enim* (ait) *à naturâ haberi solitum Talcum, tantam in venustatis amatoribus sævitiam indignatur, & vindictæ loco Vulcano cedit illam sui resolventis partem, quam sibi inclusam conservat.* Denique & ipsa metalla perfectiora è liquore certo originem suam habere videri possent, si vera essent, quæ *Franciscus Lana* in Prodromo all' arte Maëstra *c. 20.* suo edoctus, ut perhibet, experimento nobis prodidit: Cujus ipsa verba, ut plenior rei fides sit, hîc adducam: *Non direi questo*, inquit, *se io medesimo non havessi havuto fortuna di havere aliquanta di una simile miniera, dalla quale con non molto artificio fu*

cavata

cavata una poca quantità di certo liquore aureo, che era la vera semenza di oro, ma per non esser conosciuto, tutto fu consumato con gettarlo sopra una quantità di argento vivo bollente, il quale tutto subito congelossi, & accresciuto il fuoco restarono cinque parti di esso perfettamente fisso, cioè, a dire una mezz' oncia di quel liquore fisso, due oncie e mezza di argento vivo; che se fosse stato maggiormente depurato, e poi congionto come anima al suo corpo proportionato, sarebbesi con esso potuta formare la vera pietra, ma fin hora non ho mai potuto ritrovare altra miniera simile a quella. id est: *Non dicerem illud, nisi mihi ipsi bona fortuna talem mineram* (de minera auri loquitur) *suppeditasset, e qua non magno artificio expressa fuit exigua aliqua quantitas certi liquoris aurei, verum auri semen: sed quia pretium ejus non intelligebam, totus ille liquor consumptus fuit projectione supra argentum vivum, quod statim congelavit, ac igne aucto superfuerunt quinque partes ejus perfectè fixa: videlicet dimidia uncia istius liquoris fixi, duæ & dimidia argenti vivi. Quæ si magis depuratæ fuissent, ac postea conjunctæ quemadmodum anima cum corpore sibi adæquato, potuisset eo verus lapis confici: Verum ad hunc usque diem non potui illi similem invenire mineram.* Hæc Autor ille magnâ quâdam fiduciâ scribit; quorum tamen fides penes ipsum esto. Quin extraxerit ille è minerâ talem liquorem, qui figere potuerit argentum vivum; an vincet, inde semen auri se habuisse, aut è commistione corporum illorum lapidem, quem vocant, Philosophorum potuisse produci? Nos, ut tandem nostram quoque de his opinionibus sententiam in medium profeamus, ita arbitramur: nec gemmas, nec metalla è solâ aquâ simplici posse produci. Metalla, quia corpora habeo secundùm mista, quæ decomposita alii vocant, in partibus suis constituentibus primò mistis, agnoscunt fortassis liquorem primogenium, sed qui in ipsa specificâ metallorum productione non apparet, ac inutilis est in metallo per artem producendo. Sed de his inferiùs plura. Quod ad gemmarum, & crystallorum ex aquâ concretionem spectat, ea nondum satis expedita mihi quidem videtur. Quanquam enim, quia texturæ simplicioris esse videntur, ob pelluciditatem, ad aquæ naturam propius accedere videantur; dubia tamen non pauca rem illam urgent, quæ alio se modo eam habere posse persuadeant. Esto, pellucidas esse: sed tamen & duræ sunt, & fragiles: quod indicio esse possit, minus inesse iis humoris, quam ipsis metallis, quorum lentor inspissatum liquorem non obscurè ostendit. *Bernhardus Balissy*, qui ex aquâ productas vult, non è simplici sed è gemmis componi putat, quarum altera, quam coagulantem vocat, nihil aliud quam Sal est, ut explicat *Sorellus*, aut alia quædam substantia lapidifica, quæ ab aquæ naturâ diversa est: ut itaque ex ipsis ejus principiis pateat, crystallum non esse corpus ὁμοιομερές. Crassam satis communium lapidum misturam arguit observatio illa *Peireskii, à Gassendo* in

vitâ ejus relata: qui ex aquâ limum viſcoſum eruit, ad contactum aëris in lapidem abeuntem. Quid vetat, etiam in cryſtallis & gemmis diverſos ſuccos vel terras, ſed naturæ purioris, miſceri? Sed Aquarum in cryſtallorum incunabulis veſtigia invenit ſolertiſſimus *Steno*, unde eas concretas judicat. At fortaſſis illæ vehiculorum vice fungebantur, quæ naturas gemmarum conſtitutivas ad loca illa deferrent, extra autem corpus ipſum conſiſtebant. Nec crederem ego idoneum hinc argumentum peti: quod cum cryſtalli, gemmæ hoc vel illo liquore ſolvantur, è liquoribus quoque illæ ſint compoſitæ. Multos ego dari vel per artem parari liquores poſſe credo, quorum particulæ ita ſint comparatæ, ut ſpatia miſtorum nonnullorum pervadant illaque compage ſuâ ſolvant, quæ ad conſtitutionem tamen eorum nihil conferunt. Inventus caſu quodam in Angliâ fuit liquor blandiſſimus vegetabilis, qui marmor duriſſimum pervadens coloribus admiſtis in interioribus ſubſtantiæ particulis tingeret. *Berigardus*, ut refert in Circulo ſuo Piſano *p. 534.* phlegmate illo debili, quod primo ſtillicidio ex aceto acerrimo defluxit, facile uniones & alia multa diſſolvit; poſtremo vero illo, quod vi ſummâ ignis extrahitur longè acriùs & coloratius, nihil effecit. Iis tamen liquoribus nec marmor, nec uniones, natales ſuos debuerunt. Quin habeamus illum liquorem, è quo vel concrevit, vel præcipitata fuit ſubſtantia cryſtallum componens, non tamen crediderim, quod putat ſubtiliſſimus *Steno*, eodem reſolvi in liquidam naturam poſſe. Denique & hoc veroſimile alicui videri poſſit: gemmas, ſi non omnes, ſaltem aliquas è diverſis corporibus, per ignem vehementiorem, eodem modo, quo à nobis vitrum conficitur, compingi poſſe. Certè qui artem χρυσοποιητικὴν profitentur, etiam gemmas, ſi rectè memini, per ignem fabricare docent; & earum quaſi typum quendam ob oculos ponunt, adulterinæ illæ, quarum *Antonius Nerus* præparationem tradit.

III. Alii iterum ſunt, qui metallorum originem â ſale petunt. Qui vero ſic ſentiunt, non idem omnes ſentiunt. Quidam enim univerſale aliquod ſal comminiſcuntur, quô neſcio quæ miracula in univerſa natura atque adeò in regno minerali ſe effecturos ſperant. Quæ opinio à Paracelſi tempore primum invaluit, ac à non nullis ejus aſſeclis, & Fratribus Roſeæ crucis, ad hæc usque tempora propagata eſt. Extat quoque ſpecioſus de vero ſale philoſophorum liber à Gallo *Nuiſement* ſcriptus & in Latinam linguam à *Combachio* converſus, ubi ſententia illa & proponitur & propugnatur. Sal illud cœleſte, æthereum, aëreum, univeſi nominant, quod vel ex rore, vel aëre, vel nitro, vel excrementis etiam animalium extrahunt. Tale aliquod an detur, ego quidem definire non auſim: vetuſtiorum certè Chemicorum ſchola ignoravit. Ex aëre extrahi poſſe ſal, non negaverim,

ſed

ſed univerſale illud eſſe vix crediderim. Vagantur in aëre particulæ ſalinæ variorum generum, quæ ignibus ſubterraneis & Solis calore ſubtiliatæ in athmoſphæram provehuntur, prout ſoli ſubjacentis indoles illas ſubminiſtrat, nitroſæ, vitriolicæ, aut alterius cujusdam naturæ, vel ſic ſeorſim, vel inter ſe miſtæ. Quibus ego vires catholicas tamen non adſcriberem. Commodè hîc mihi hujus Diſſertationis occaſione incidit, quod Amſterodami apud Virum ſolertiſſimum *Theodorum Kerckringium* vidi. Is veri ac genuini vitrioli ſed impuri quantitatem non exiguam monſtravit, quam ex aëre Amſtelodamenſi multis aquarum ſalſarum & ſoli paludoſi effluviis impr‌ægnato machinæ cujusdam beneficio extraxerat. Magna ſcilicet Naturæ Architectonicæ inſtrumenta ſunt Ignis & Salia: ſed varia, ut varia ſunt corpora corporumque miſtiones, quorum miniſterio, pro ſubjectorum ingenio, in compoſitione & diſſolutione eorum utitur. Ea tamen eſſentiam illorum non ingrediuntur. Miras in corporibus tùm metallicis, tùm aliis, natura facit viciſſitudines beneficio Salium, quæ ſubterranea æſtuaria per omnem telluris compagem omnesque venas & fodinas metallorum ordine tumultuario diſpergunt. Unde plerumque varia inter ſe ſalium & ſulphurum corpuſcula in mineris deprehenduntur: quæ tamen ad metallorum conſtitutionem pertinere quis temerè non dixerit. Vidi in Angliâ Brabantum aliquem, qui ſolo moderamine ignis, ſine ullâ alius rei additione, è Saturni minerâ verum vitriolum, verum ſulphur, ſal commune, nitrum, producere; acetum, tincturam ac plura alia parare poterat. Quod ille artificium ut rem ſecretiſſimam tegens nonniſi CC aureorum pretio vendere cogitabat. Acceperat à Doctore quodam Pariſienſi illud, non quidem contemnendum, ſed quod ad ſummam rei metallicæ nil faceret. Neque enim ex illis componebatur corpus metallicum, quæ fortuitò tantùm ad mineræ locum confluxerant. Nam ex aliis alia fortè produxiſſet: quanquam ille in Minerâ plumbi & Antimonii tantum experimentum fecerat. Auri & argenti mineras, puto, hoc artificio ſuo non expugnaſſet. Quin eſt in quâlibet terrâ peculiaris quædam ſubſtantia ſalina vel ſingularis vel aliis miſta, quam differentiam cœcum quendam nautam guſtu deprehendere potuiſſe mihi narravit vir fide digniſſimus. Nam cum mari terræ vicino bolis immitteretur, terrâ, quæ bolidi adhæſit, guſtatâ, nominare citra errorem potuit locum, in quò verſarentur. Hamelius *lib. 2. de Foſſilibus cap. 9.* huic quodammodo ſententiæ favere videtur: primum enim metalli rudimentum facit ſubſtantiam quandam ſalſam in aquam reſolubilem, quæ paulatim excoquatur, neque aëris amplius vel aquæ injurias reformidet. Sed hæc merâ conjecturâ dicuntur, & citra ullam veri ſpeciem. Nam quæ illa foret ſubſtantia ſalſa? nec nominare illam poteſt ipſe, nec inter cognitas ulla eſt, quæ id præſtare officium poſſit.

IV.

IV. Sunt porro, qui sale illo universali relicto, quod ubique venantur & nusquam inveniunt, ad nota ac vulgaria illa descendunt. Cum enim, nitri, vitrioli, salis communis vires in divellendis corporibus metallicis videant, alia quædam sub illis latere arcana suspicantur. Animos addunt tot passim historiolæ, quas vel fando acceperunt, vel literis consignatas legerunt. Quales sunt de argento spiritus salis beneficio è plumbo extracto apud *Joh. Frid. Helvetium in Vitulo aureo*; de bonâ auri quantitate è vitriolo quodam Hungarico educta apud *Beccherum in Physica subterraneâ*. Quæ per separationem potius argenti & auri latentis, quam per singularem aliquam ingenerationem contigerunt: nolo enim hominum, qui illa memoriæ prodiderunt, fidem in dubium revocare. Ac fateor non temerè me credere, quæ *Salomon de Blauenstein*, ut ficto procul dubio se nomine appellat, quique artis χρυσοποιητικῆς se verum alumnum ipse profitetur, in Interpellatione ad Philosophos pro Lapide Philosophorum contra Mundum subterraneum Kircheri cap. 2. scripsit. Ita verò ille: *Quid multis? possem & ego dare aliud Epicharema P. Kirchero, si mihi per tres horas duntaxat adesset, & incredulo palpandum præbere: quomodo ex puro puto argento, toto quanto, fiat purum putum aurum additione simplicis salis præparati, sine aliquo vel minimo addito.* Quid ille sale suo simplici præparato intelligat; equidem ignoro: si commune, fateor, nihil posse mirabilius fingi, quod adeò veterum Chemicorum principiis repugnet. Præ cæteris in vitriolo & nitro ad insaniam usque laborârunt nonnulli: Aliqui integris voluminibus ista executi sunt: cumque ipsi cœci essent; aliis tamen viam commonstrare voluerunt, rapientes in sensum suum Chemicorum dicta, quæ ipsi, nominum varietate decepti non satis intellexerunt, nec è consensu autorum interpretari rectè potuerunt: quibus Vitrioli, & nitri nomina aliud quid significant, ac illi putant. Quot non processus, ut vocant, ab Impostoribus, è vitriolo circumferuntur? Extat & è Vitriolo Processus cujusdam *Jodoci v. R.* qui addi solet operibus *Fr. Basilii Valentini*, ad summam hominum & metallorum medicinam, magno apparatu descriptus, ac operosus, quem Amicus, qui ad præscriptum ejus operatus est, nullo, nisi effectu ipso mendacem invenit. Cætera in illo sat bene se habent. Quos non *Glauberus* strepitus cum nitro suo fecit, è quo tot libris scriptis miracula magno hiatu promisit. Non pauca eximia sunt & præclara: plurima ex ingenii potius, quam fornacum calore nata. Cæterùm aureos montes non vidimus. In multis tamen ejus fidem sequitur libro de Fossilibus Hamelius, quam exploratam prius habere oportebat. Non negaverim equidem stupenda in rerum naturâ horum salium ac nitri imprimis effici beneficio posse, sed metallum ipsum producere posse dubito. Planè enim ad aliam Mineralium fami-

liam

liam pertinet, nec ad lentum illum & viscosum humorem metallicum constituendum aptum natum est. Interim si sub acrioris spiritus forma comparent, tyrannicum in corpora illa exercent imperium; si in subtiliorem & blandiorem naturam clementiori igne redigantur, vel ab auro ipso tincturam elicere, ac secum per alembicum auferre videntur. Quæ fortassis alicujus in medicinâ usus, in metallis verò emendandis, cum corporeæ tantùm naturæ sit, inefficax est. De Salis nitrosi subtilis spiritu è rore Majali extracto mira passim prædicant nonnulli. Nollius hujus salis spiritu & oleo, quod è rore Majali conficitur, in agone constitutos revocari, tincturam ex auro evocari posse scribit. Mirum quam triumphat hoc arcano Borellus *Cent. 1. obs. 6.* qui amplius aliquid indagavit: *Multis*, inquit, *exantlatis laboribus & vigiliis, in arcanis naturæ perquirendis secretum auri solvendi tandem nactus sum, id est menstruum benignum, amicè aurum intra paucas horas solvens, & sine fumo, imò sine igni quoque dissolutum potest ad salis naturam & olei reduci, cujus grana 3. 4. vel 6. juxta ætates varias propinata intra quatuor horas circiter, sudoribus copiosis febres malignas purpuratas, epitemicas & pertinaces curarunt. Sciant verò lectores, à spiritu roris illud factum fuisse juxta Sendivogii doctrinam. At dicent multi: cur non ejus copiam mihi comparo? Sed sciant expensas lucrum superare. Notandum est* (addit porrò) *collectores auri fluvii Gard juxta Urbem Vigam asserere, roris guttas unicuique auri paleæ adhærere mane in arenâ eóque nutriri. Rorem illum coctione longâ abhinc nigrum albissimum & citrinum reddidi, sed sine projectione fuit.* Adjecit deinde quædam de modo præparandi, quæ illic legere poteris. Quin observatum est, auri folia, si rori ipsi, non spiritui injiciantur, ac cum illo per aliquod tempus lento igne digerantur, tandem disparere; cum verò postea per filtrum ros percolatur, in fundo ejus substantiam velleri vel nivi similem, cujus felicissimus in cordis affectibus usus sit, remanere. Quod rori vel spiritui roris tribuitur hic; alii spiritui vel essentiæ mellis, quod & ipsum rore constat, tribuunt. Aurum enim solvere dicitur, ejusque tincturam per alembicum rapere, quæ auri potabilis instar esse possit, & mira in transmutatione metallorum præstare. Ac vidi ipse auri aliquam tincturam hoc modo paratam ab homine, qui nescio quos thesauros inde sperans magno precio Principi alicui hoc secretum vendiderat. Quod si quis gratis scire cupiat, adeat Johannem Nardium Florentinum *Disq. Physicâ de Rore cap. 23.* ubi modum præparandi docet. Mathesius *Sarept. Conc. 3.* aureum nummum rore vel pluviâ Majali aliquoties aspersum atque à Sole siccatum vel terrâ abscondi- tum ponderosiorem fieri notavit. Hæc quanquam speciosè satis omnia dicantur, nondum tamen me movent, ut in auro conficiendo vel radicitus solvendo aliquas vel nitro vel spiritui roris aut mellis partes tribuam. Agunt

illi liquores vel potiùs salia liquoribus permista, non aliter, quam modo vulgari, ut quævis aquæ corrodentes: sed quia attenuata & subtiliora, subtiliores etiam particulas avellunt, quas citra molestiam aliquam ignis propellere per alembicum possit, suis tamen naturis nondum disjunctas. Hæc mea de nitri vel salis nitrosi in rore contenti circa metallica operationibus sententia est: cujus tamen magnas vires in Vegetabilium ac animalium generatione non ignoro. Ejus illustre Exemplum proferam, nisi displicet, Vir Amplissime, hic ultra argumenti nostri carceres excursus. Anguillas arte produci posse, nec fando audiveram olim, nec in aliquo rerum naturalium Scriptore legeram, quod in Belgio roris beneficio facere agricolas nupero itinere medio didici. Primùm ego fidem habere narrationi huic nolui: sed incidi postea in *Abrahami Mylii* scriptum de origine animalium & migratione populorum, ac idem apud illum artificium legi pag. libri 10. cujus verba referam: *Mense Majo,* inquit, *cum largiter rorabit, seca & discinde ligone ex campo graminoso ante ortum Solis duos aquales cespites, eosque impositos, alterum alteri, ubi graminosi sunt, repone in margine alicujus piscina à parte aquilonari, ubi Sol radios suos maxime emittit. Videbis inde propullulare quasi examen pullorum Anguillarium ante horas paucas elapsas. Sic quidam cum non pænitendo fructu piscinis suis anguillarum numerosam copiam ingenerant.* Et verosimile hoc experimentum facit, quod nullum reperiatur in anguillis semen, nulla organa generationis, ut multa fuerit de earum origine Scriptoribus Historiæ naturalis disputatio. Si Piscatores interroges, è vermiculis quibusdam, qui certo anni tempore in omnis generis piscium carne nascuntur, produci docent. Quos & ipse non semel deprehendi. Leges etiam inter acta Philosophica Anglica. *p.35.* quæ observavit *Thomas Henschaw* Nobilis Anglus, de vermium è rore putrefacto generatione. Ac memini ego apum ex Hydromelle putrefacto generationem notatam à quopiam fuisse. Rori denique soli in acceptis ferenda est illa Plantarum è cineribus resuscitatio, de quâ *Caramuel, Harsdorfferus* in libris suis; *Voigtius* singulari dissertatione egit: quamque integri libri materiem facturum se promisit *Kircherus.* Magna itaque hujus Salis vis est in vegetabilium ac animalium productione: metalla quanquam vexari ac affici variè ab illo possint, emendari tamen, mutari, augeri, fœcundari, ut in vegetabilibus fit, minimè possunt.

V. A Salium familiâ rectà ad metalla itur. Inter quæ primum omnium compellari solet argentum vivum, mirabilis profectò substantia, quæ mille se in formas fingit atque refingit, quâcunque etiam arte tractetur. Plinius vomicam liquoris æterni vocat: Liquida enim & fluida est. Cumque miro amore aurum amplectatur, eique per intima se uniat, & præ reliquis metallis humor tantùm aliquis & rudimentum metalli videatur: plurimi

ſanè primum metallorum ens, ut ita loquar, in illa deprehendere ſibi viſi ſunt: Nec deſunt hodiè qui idem ſtatuunt, tot in illo mari aliorum naufragiis nondum cautiores facti. Accedit venerabile illud Mercurii nomen, quod in Chemicorum ſcriptis adeò frequens eſt: conſpirant tot deſcriptiones, tot requiſita, ut vel cautiſſimus iis omnibus fallatur. Aliqui Virginem Mercurium volunt, quem natura produxit à flammis voracibus nondum tentatum: aliqui è metallis cæteris per artem extractum. Quod an fieri poſſit, dubitatum hactenus fuit; ſed veritatem ejus artificii, tua, Vir Clariſſime, Epiſtola commonſtravit. Sed hunc ego nihil à vulgari illo differre ſtatuo; quicquid etiam aliis videatur. Nam cum mirabilis ſit illa & imperceptibilis penè Mercurii in minima diſſipatio, quæ fit in mineris per ignes ſubterraneos, facilè ſe metallis inſinuat ac commiſcet; ſed non radicitus. Quædam ejus particulæ primâ metalli fuſione evaneſcunt in auras: quæ tenaciùs hærent, remanent, ac tandem ſalium ope eruuntur, & à reliquis particulis ſeparantur. Facilius autem id efficitur in mineris, in quas pronior illi ingreſſus eſt, ac promtius iterum expellitur. Quando per fuſionem particulæ metallicæ propius junctæ ſunt, difficilius ſuccedunt omnia. Ex Antimonio & plumbo extrahi non difficulter poteſt, facilius ex ejus mineris. Tere mineram plumbi in minutum pulverem, ac ſtylum in illo aureum moveto parumper, & adhærebunt ſtatim auro particulæ quædam Mercuriales. Nec metallis tantùm ſed & lingno ſe miſcet. Habui ego ab amico fruſtum ligni, quod ex arbore è terrâ metalliferâ prognatâ reciſum fuerat, in quo per omnes ejus fibrillas & venulas diſſeminatæ erant argenti vivæ particulæ, ut valido motu etiam excuti poſſent, quod fieri facilè poterat: quia, laxiores ſunt in ligno quam in metallo viæ. Oſtendebam, cum Londini commorarer, Illuſtri Dn. *Boilio*, qui & arte tale lignum parari poſſe credebat. Sed eſto. Eodem tamen modo, ſcilicet per ſublimationem, tàm à natura, quàm ab arte fit. Memorat Autor libri, cui titulis *l' Europe vivante tom. 1. part. 2.* è relatione cujusdam Nobilis Angli de Operario, qui diu in fodinis Mercurii laboraverat, cui particulæ ejus minimæ totum corpus adeò pervaſerant, ut fruſtum cupri oris ejus halitu ac digiti affrictu ita inalbeſceret, ac ſi ipſius Mercurii corpus quis affricuiſſet. Falli itaque omninò credo, qui, quod à metallis Mercurium educi poſſe vident, ex eo illa intrinſecus componi ſtatim exiſtimant. Quanquam, fateor, adeò ſpecioſæ hæ ſunt rationes, quas ſupra adduximus, ut facile in iſtam ſententiam aliquem adducant. Sed tot experimentis hactenus nil actum eſt, ac uno omnes Chemici cordatiores ore clamant: nihil ſibi eſſe rei cum Mercurio vulgi, nolle ſe argentum vivum currens, quod ovum ſubventaneum alicubi vocat *Lullius*, ſed aliam quandam ſubſtantiam metallicam, immaturam, non tamen in radice ſuâ impu-

ram, quam illi Mercurium suum vocant; argenti vivi, absque illo, nullum esse in metallorum transmutatione usum. Quod sexcentis illorum effatis firmare possem, nisi scirem, hæc tibi esse cognitissima. Novi tamen aliquos, qui viâ, ut vocant, particulari, nobilius ex argento vivo metallum se confecisse, quanquam sine lucro, glorientur, de quo in sequentibus dicam. Quanti porro in Antimonium insumpti fuere labores, è quo sperarunt non pauci maximum illud naturæ arcanum. Sed non est in illo genuinus Mercurius metallicus, qualis ad corpora perfectissima metallica componenda requiritur: ut patet è fragili hujus textura. Sulphuris fortassis purioris aliquid reconditum est, unde particularis quædam transmutatio concedi possit. Quod & innuere videtur *Basilius Valentinus* in Curru triumphali Antimonii, ac commentator ejus *Theodorus Kerckringius*. Nam ad magnum opus, ipsis fatentibus, nihil rei confert. Utilissima tamen latent in illo remedia, præcipuè in morbis ab infectione sanguinis oriundis, quos ad miraculum edomare valet: Ea ad cœlum usque laudibus extollit *Basilius Valentinus*, ac experimentis suis firmat *Kerckringius*. Non desunt qui vel ex uno metallo immaturo, vel duorum, perfecti & imperfecti, conjugio, solâ diuturnâ coctione, quæ naturæ operationes subterraneas imitetur, perfectius aliquod metallum se facturos putant, cum in naturâ plumbi mineras, successu temporis in argentum commutatas deprehendant metallurgi. Fuit in eâ sententiâ sagacissimus rerum naturalium scrutator *Baco Verulamius*, qui in *Historia Naturali Cent*. 4. methodum præscripsit, quâ possibile sibi videbatur, ignobilius metallum in nobilius commutare. Postquam requisita ejus operis recensuit, tandem *num. 327.* ita rem instituere jubet: *Angusta paretur fornax, temperatusque excitetur calor, & quidem talis, ut metallum perpetuò liquefactum conservet, non vehementior; quod ad rem maximè facit. Materia sit argentum, metallum maximè cum auro symbolizans, cum eo quoque decima Mercurii vivi pars imponatur, duodecima nitri justo pondere, quæ vegetando corpusque metalli aperiendo serviunt. Operatio per sex menses ad minimum continuetur. Velim & oleosas quandoque injici substantias, quales adhibentur recuperando auro, tormentis separationum exasperato; in eum finem, ut partes arctius leviusque disponantur; magnum instituti momentum. Aurum enim, ut constat, compactissimum omniumque metallorum ponderosissimum est, maximèque flexibile & extensibile.* Hæc *Baco Verulamius*; quem verè sic statuisse confirmavit mihi Amicus Londinensis. Nam quanquam passim in scriptis tenuiter de studio Chemiæ metallicæ sentiat, privatis tamen studiis diligentissime rem illam, nec sine magnis sumptibus, eâque, quam hic sibi præscripsit, methodo tractavit. Sed nihil omninò effecit, nec efficere istâ viâ potuit, ut facilè, qui harum rerum intelligens est, animadvertit. Sic & *Fr. Lana* loco, quem supra laudavimus, Aurum

cum Mercurio amalgamatum, si longo igne maceretur, tandem in Elixir Philosophicum mutari putat. Illud vero non comtemnendum est, quod ignis accuratam haberi rationem voluerit *Baco*: quo solo interdum plus efficitur, quam sexcentis aliis subsidiis. Quare nihil magis ipsi veteres etiam Chemici inculcant, ac scio ipse ejus experimenta bene multa. Quis nescit Talci calcinationem rem haberi difficillimam? Torreas summo igne pro lubitu, ad diuturnum etiam tempus, & vim omnem flammarum pertinaciter eludet. Vidi tamen vel intra dimidiæ horæ spatium, paucissimo igne, rudi ad speciem artificio, totam ejus substantiam ita calcinatam, ut colore flavo ablato, spongiosa facta sub digitis in minutissimum pollinem comminueretur. Quare patet, non adeò indomabile igni esse Talcum, ut quidam crediderunt, qui aliquod auro simile sibi in eo, præcipuè, flavo visi sunt deprehendere. Quâ in opinione non omninò falsi fuerunt: nam & hodiè metallurgi separare ex eo aurum norunt, ac latet in eo sulphur aliquod purius, quam credas fortassis. Dixitque mihi aliquando Amicus, novisse se Medicum, qui sulphure per singulare artificium ex hoc corpore extracto, curare immedicabiles morbos potuerit, in alterum illi à maximo Elixire locum posuerit. Testatur & Martin. Martini in *Atlante Sinico p. 79.* Talcum in calcem redactum vinoque mixtum ac epotum Sinicis Medicis ut singulare Medicamentum ad vitam longam commendari. Videri ergo hoc experimento potest, quam etiam in Vulcani regno sæpe

— *Peragat tranquilla potestas,*
Quod violenta nequit;

quam cedant mitioribus flammis interdum corpora duriora, fortioribus resistant. Cui Dissertationi, quoniam jam in eâ sum, amplius insistam, & nisi loquacitas Tibi mea molesta est, ectissimis speciminibus confirmatum ibo; quanquam non è proximo omnia; aliqua è longinquo tantum rem nostram illustrent. Cum Amsterodami viverem, confessus mihi est *Theodorus Kerckringius*, se ex argento vivo argentum & aurum verum fecisse: monstrabat enim quatuor frusta metallica annularis digiti crassitiem æquantia; quorum primum stanno simile; alterum argento; tertium subflavum erat; quartum colore respondebat auro. Hæc solo regimine ignis, ex argento vivo, addito exiguo quodam pulvisculo (quem ex Antimonio confectum ego suspicabar, nec ipse visus est diffiteri) se fecisse asseverabat. Ac videtur ipse nonnullis in locis Commentarii super *Basilii Valentini* currum triumphalem id innuere. Vidi & apud eundem insigne artificium, solo ignis ministerio, nec ullâ re aliâ additâ, solvendi succinum. Nam ostendit mihi cadavera infantum succino obducta, ut omnia membra transparerent. Monstravit etiam phialam vitream tali succino soluto, iterumque

congelato impletam. Quam ſplendidè jam magnatum cadavera condi ac â putredine conſervari poſſent: nam citra ullam corporum eviſcerationem, contra omnem injuriam aëris & humorum, novâ hâc è ſuccino tunica quaſi cataphracti jacerent. Quid non lucri ex hoc invento naſceretur, cum ſuccini fragmenta, quo majora eò pretioſiora ſint, ac in Oriente ultra aurũ æſtimentur: illa verò hîc quantitate, quâ quis velit, exhiberi poſſint. Ergo quod tot modis à ſolertiſſimis Chemicis tentatũ eſt, unico nunc ignis regimini debetur. Diu multumq;, fateor, animũ in ſuccini naturâ cognoſcendâ exercui: & facit profectò inventi iſtius novitas, ut ne nunc quidem, quanquam loco alieno mihi temperem. De Succini natalibus res dubia. Aliqui maris ſobolem habent; aliqui ex terrâ prodire ſtatuunt, quæ mihi ſententia veroſimilior videtur: teſtanturque animalcula & inſecta terreſtria paſſim in ſuccino reperta: quod fuſius aliquando deducet Clariſſimus Collega noſter *D. Major* in libro de Succini natalibus non maritimis. Naſcitur verò frequenter in locis, ubi pinus & Terebinthi creſcunt, quod argumento eſſe poſſet, â ſimili quâdam viſcoſa ſubſtantiâ, qualis in arboribus illis reperitur, per terram diſperſâ naſci, & â particulis ſalinis maris proximi vel aliundè coagulari. Nam pene conſimilem naturam arguunt multa, ſimilis inflammabilitas, ac odor, qui à Terebinthinæ Cypriæ incenſæ odore vix differt; quodque è ſuccis illarum arborum per artem confieri poſſit, hodieque conficiant Chinenſes, teſte Martinio in *Atlante Sinico p. 65. Putant quidam,* inquit ille, *ex defæcatis illud oriri pinorum medullis, temporis longinquitate induratis ac pellucentibus. Et vidi ego ſanè ex pice pinea ſeu reſina per decoctionem illud arte fieri divendique à Sinis ita egregiè effictum, ut vero invidiam facere poſſit.* Ego quidem per ſimilis naturæ oleoſum humorem diſſolvi poſſe exiſtimo. Poteſt & impurum ſuccinum arte corrigi, & ſubtiliari, docente *Glaubero* lib. de Furnis Philoſophicis, per Spiritum Salis rectificatum: ſed tum duritiem illam deponit, nec durat, niſi in loco frigido vel temperatè calido. Si calor plus juſto intenſior, diffluit. Novi qui tentarint experimentum bono eventu; ſi quis ſolidare iterum ſuccinum alio artificio noſſet, jam naturæ artibus ſuperior eſſet. Exhibet tamen & illa nonnunquam inelaboratum, quale fuit illud, quod alterâ ſui parte molle; alterâ durum, & cui ſigillum imprimere potuit Nobilisſimus *Dn. Oldenburgius*, de quo memorat ipſe in *Actis Philoſophicis p. 2061.* Pingere etiam Natura illud ſolet variis characteribus, quale fruſtum nuper ad me miſit Nobilisſimus *Dn. Johannes Tinctorius*, Sereniſſimo Electori Brandenburgenſi à Conſiliis, in quo litera D perſpicuo naturæ ductu delineata, etiam cæteras, ut eſt humanisſimus, Alphabeti literas, ſic in ſuccino depictas, ſubmiſſurus. Cum itaque hanc de ſuccini origine ſententiam vero ſimillimam judicem, falli puto autorem libri qui *l' Europe Vivante* inſcribitur,

tur, *qui tom. 1. part. 2.* oriri illud putat à melle, quod in littore Maris Indici in petris ab apibus congestum, post Solis coctionem in mare prolapsum, sale marino induretur, & ad aliarum regionum litora à mari ejiciatur. Allegat nescio cujus Chemici autoritatem, qui in fracto succino substantiam mollem melli sapore similem invenerit, quoque eadem post solutionem ejus per spiritum Vini Tartarisatum remaneat. Quæ omnia absurda esse quivis facilè videt, ut non sit opus iis immorari. Sed nos de Succino, occasione solutionis ejus, quæ per solum ignem fit, satis diximus. Redeamus nunc ex isto diverticulo in viam, ad usum scilicet Ignis in Chemicis laboribns, si rectè administretur. Cujus aliud exemplum è superioribus repeti hic velim de homine Brabanto, qui in uno ignis artificio viginti penè numero diversissimas res ex unicâ Saturni minerâ educere potuit. Quomodo verò absque igne, spiritus quicunque, ex animalibus, plantis, lignis, lapidibus aliisque corporibus eorumque partibus eliciendi, quod artificium proponit *Magnus Pegelius* in Thesauro rerum selectarum *p. 109.* id inter cetera ejus arcana sepultum remaneat. Nam (ut hoc in transcursu commemorem) publicavit ille Autor, qui Medicus & Philosophus in Academia Rostochiensi fuit, Anno 1604. lemmata quædam singularium inventionum, tam Physicarum quam Mathematicarum, inter quæ non pauca sunt ab illo vel cogitata vel indicata, quæ hoc nostro tempore ab aliis inventa & in lucem producta sunt.

Porrò qui metallorum causas in terra non inveniunt, è cœlo eas, VI. vel principem saltem eorum partem constituentem deducere moliuntur. Hinc certos quosdam Planetas ad certa Metalla damnant, quibus illa originem suam debere creduntur, imo iisdem nominibus salutantur, ut hæc nova quasi astra subterranea habeamus. Quæ sententia quanquam ideò exagitatur à nonnullis, quod evidens hujus rei ratio dari nequeat, contemnenda tamen omnino non est, cum non χθὲς καὶ πρῴην nata, sed antiquitate suâ se tueatur, ut doctissimus in præclaro opere de ortu & progressu Chemiæ docet *Borrichius*, cujus ego scrinia non compilabo. Globorum magni hujus Orbis, præcipuè Planetarii, tùm quâ totum systema, tùm quâ partes nobiliores, inter quas in terrestri globo omninò referendi sunt spiritus metallici, per vastissimum hoc corpus dispersi, nullam esse conspirationem, aut mutuam efficacitatem, nemo mihi temerè persuaserit. Sed cum observandi facultas ultra humanum ingenium sit, nihil accurrati definire possumus, explodere tamen & exagitare non debemus, si quæ ab aliis, antiquioribus præcipuè, de eo tradita invenimus. Solis & Lunæ vires in hæc inferiora facilè sentimus. Illi cum auro: huic cum argento singulare commercium vulgò tribuitur: ne quid de cæteris metallis nunc dicam.

Solis

Solis & auri similitudinem ostendunt splendor, color, qui à sulphure optimè digesto, quod à Sole huic metallo ingenerari creditur, provenit. Quod si *Honorati Fabri* sententiam, quam tamen ex Hypothesi pronuntiat, audire volumus: Solis ipsius substantia ex auro liquefacto constat. Mirum ergò, si non hæc semina etiam per terram spargeret, ac in eâ substantiam sibi similem produceret. Refert *Digbaus*, sed ex fide amici, radios Solis per vasa vitrea & concava certò quodam modo disposita in purpureum & minutissimum pulverem præcipitari. Quis non è credulis illis, cum hæc legit, de sulphure naturæ exclamet? Sed qui hæc Digbæo narravit, sibi ipsi blandè imposuit. Volitant enim in aëre semper particulæ vel salinæ, vel alterius generis, quæ igne hoc speculari collectæ ac ad ruborem exustæ vel calcinatæ. Scripsit jam antea Paracelsus de Solari pulvere è speculis per radios Solis collecto, quo ritè præparato excitare in nobis igneam naturam possimus, & cum dæmonibus igneis aliquod inire commercium. Sed hæ imposturæ sunt. De Sole vulgaris opinio est, quod plumbo ac cupro, quo templa & ædes tegi solent, aurum ingeneret. Quam licet anilem fabulam vocet *Honoratus Fabri*; novi tamen qui è plumbo ac stanno veteri per repetitas calcinationes & reductiones non contemnendo lucro aliquid auri & argenti expresserint; sive id à causis quibusdam latentibus productum, sive separatum fuerit. Nam, quod plumbum ac cuprum in tectis repositnm attinet, continuis pluviis, in quibus subtilissimæ particulæ salinæ reconditæ, & calore solis, in iis metallis, ut nullum metallum solitarium est, maturari aliquid purioris metalli potuit. Albinus *in Chronico suo metallico. p. 29* observat: semper in fodinis Schnebergensibus argentum copiosum, sub Saturni in signum Cancri ingressum, accedente Lunâ, repertum fuisse. De Unionibus Garcias ab Horto prodidit: eos post plenilunium captos cum tempore minui & decrescere: qui verò ante plenilunium capiuntur, huic vitio non esse obnoxios. Annon notum est de Gemmis, cujus maculæ æquales subeunt cum Lunâ mutationes? Deprehendimus in animalium corporibus, in vegetabilibus, Lunæ vires. Quas multis rationibus in libro de Motu marium impugnatum it *Isaacus Vossius*, cum aliud doceat Experientia.

VII. Intrabimus nunc Chemicorum ludum: & eorum oracula audiemus. Illi nobis Mercurium suum & sulphur inculcant. Si excutias, quid rei sub illis nominibus lateat (nam vulgari illa accipi significatione nolunt) sexcenta tibi vocabula obtrudent, descripriones obscuras & ænigmaticas, in quibus venari aliquos sensus oportet, eosque ut lacera Hyppoliti membra hinc illinc colligere. Quos ubi assecutus fueris, consensum tamen in illis reperies: nisi quod novissima Chemicorum secta, post Paracelsi tempora tertium,

tertium, duobus illis, Mercurio & Sulphuri, principium, Sal ſcilicet, addidit. Nolo hîc prolixius disquirere de iſto principiorum numero, & an illa omni corpori conveniant, ac quantum à communibus discrepent: id enim doctiſſimè copioſèque diſputatum eſt ab Illuſtri Viro *Roberto Boilio* in Chemiſtâ Sceptico & *Hamelio*, libro de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ *lib. 2. c. 4.* Veteres vero illi ante Paracelſum, duo hæc, Mercurium & Sulphur, non communia, quæ hodierni noſtri volunt, ſed metallica tantum ſtatuerunt principia. Quâ in re audiendos illos præ cæteris puto, cum metallorum naturam uſu ipſo rectiùs didicerint, quàm ii, qui rationes tantum & opiniones ſuas ſequuntur. Remota illa corporum principia, elementa ſcilicet, & atomos ad ſe pertinere non cenſebant: è quibus metalla immediatè non componuntur, unde non niſi ſoli naturæ aliquid producere datum eſt. Propiora principia etiam manibus hominum tractari ac in opus aliquod deduci poſſunt. Si cum curâ illorum libros legas, ac inter ſe ſententias illorum conferas, non abſurda illos docere videbis, & quæ conciliare quam optimè cum veterum Philoſophorum, *Platonis* ac *Ariſtotelis*, ſcholis poſſis, ut conciliavit Hamelius *de Foſſilibus lib. 2. c. 9.* qui & eo in loco varias diverſorum Philoſophorum circa generationem metallorum ſententias congeſſit, ac dijudicavit: ut nos iſto labore ſuperſedere poſſimus. Per Mercurium & ſulphur non intelligunt illi, quæ vulgo ſic vocamus, nam illa potius recrementa metallica illis ſunt, quam vera principia. Mercurius, vel potius argentum vivum quantum è ſcriptis illorum colligere poſſumus, illis eſt ſubſtantia metallica, è perfectorum metallorum familiâ, immatura, ad levem calorem fluidiſſima, ponderoſa, volatilis, ſummè ductilis, non currens, ut vulgaris Mercurius, unicum & ſummum naturæ metallicæ agens, quod illi ſexcentis nominibus deſcribunt, nullo tamen appellant aut demonſtrant. Hoc ita crudum in naturâ inveniri ajunt, undè ſummâ arte eliciunt ſubſtantiam puriſſimam, viſcoſam, quæ propior materia eſt metalli conſtituendi. Hoc quidem etiam reliquis metallis commune eſt principium, ſed prout ſulphur vel purius vel impurius illud temperat, aliam vel aliam miſtionem ſortitur; unde vulgo diverſæ illæ metallorum ſpecies conſtituuntur. Quæ an ita vocandæ ſint, inutiliter diſputatur, nec Alchemiſtarum rem magnopere vel juvat vel affligit. Hanc materiam in perfectorum metallorum incunabulis inquirere, cumque inter perfecta metalla ab auro compacto ſperari nihil poſſit, ab argento, vel aliquo, quod illi cognatum eſt, petere jubent. Quod innumera autorum loca innuunt, quibus integrum implere volumen quis poſſet: E quibus illa quaſi per lancem ſaturam dabo. In capitulis, quæ Hermeti adſcribuntur, ita Lapis ipſe loqui fingitur: *Luna mihi propria eſt, & lumen meum omne lu-*

men superat. Arnoldus in Semitâ semitæ illa Hermetis: *Pater ejus est Sol, Mater Luna,* ita explicat: *Per Solem intelligimus aurum, per Lunam argentum.* & subjicit: *Jam igitur sufficienter tibi demonstravi &c.* Rosarium majus: *Magnesia nostra est Luna plena, Mercurius Philosophorum, id est: materia, in qua continetur Mercurius Philosophorum. Et est ille quem natura paululum operata est, & in metallicam formam formavit: tamen imperfectum reliquit.* Autor Anonymus: *Oportet quod Sol habeat sui spermatis & suæ tincturæ receptaculum & idoneum & sibi consonum, & illud est Luna, id est argentum.* Sendivogius, vel potius Setonius, tractat. XI. vocat *menstruum ex Sphærâ Lunæ, quod possit calcinare Solem.* Scala Philosophorum: *Adjuva ergo solutionem per Lunam & coagulationem per Solem.* Turba aliquoties vocat *sputum Lunæ.* Sed quis omnia enumeret? Videmus hinc, quorsum illi digitum intendant. Hanc illi materiam ignem, aquam, acetum vocant, quod in metalla perfecta ita operetur, quemadmodum ignis in corpora inflammabilia, aqua in salia & glaciem, acetum in corpora, quæ ab illo solvi possunt. Inquirendæ ergo fodinæ essent, an tale quid inveniri in illis possit: nam è metallorum scriptoribus sapere hic non licet. Describunt illi non paucas argenti immaturi, aut informis species, sed quis eas vel vidit unquam vel exploravit? Exhibet se interdum illud specie lenti humoris, qui postea in optimum argentum coagulatur, cujus memorabilem historiam refert Albinus, Berg-Chronic. *pag. 110.* quam hic apponere ipsis Autoris verbis fortassis non erit injucundum: In des Grafen zu Hoenstein Bergwercken am Hartz/ fürnehmlich auffm Enders-Berg / auf dem beruffenstem Zechen/ der Samson genant/ hat sich dieses gedenckwürdiges und unerhörtes zugetragen/ daß man alda ein weiß fliessend gediegen Silber angetroffen/ einem Queckfilber gleich/ welches aus dem Gang und draussen geflossen/ daß mans mit Händen zusammen gerafft/ und so bald es ins Feuer kommen/ von stund an fein worden/ dessen ich von glaubwürdigen Leuten berichtet bin. Wie etliche reden/ ist das Ertz gleich wie eine Buttermilch gewesen/ so bald es aber eine weile in der Lufft gehalten worden/ oder auch in Gefässen verwahret/ darinnen mans weich zubehalten vermeinet/ ist es hart worden/ gleich einem Sand oder Grieß / und ist die weisse Farbe auch in braun oder rüstig verändert worden. Hæc ille de mirabili hâc materiâ, penè iis respondentia, quæ de suo *Gur* memorat Mathesius, quod tamen ad argenti puri naturam nondum accessit. Idem Albinus *pag. 127.* ejusdem libri, de mineris argenti diversis notabilia adducit, quæ illic legi malim, ne chartas spissioribus testimoniis impleamus. Fortassis & illa contemplatione digna sunt, quæ *Nirenbergius Hist. nat. lib. 16. cap. 19.* de singulari quodam metallo, ad argenti solutionem adhibito refert: *Argentum vivum*, inquit, *notum tantum fuit barbaris, sed nullius usus: namque loco illius ad argenti beneficium*

aliud

aliud metallum sufficiebatur, inventum in alio colle humiliori, qui juxta Potosi tumulum jacet. Vocant Indi huayna Potochi, id est: Potochi adolescentem. Hic inventum quoddam vilius metallum, & pene plumbum, admixtum argento pro hydrargyro fuit. Illud Zuruchec dixere, quod significat faciens dilabi, *quoniam ejus inflatione argentum liquefieret, nec adureretur.* Hæc sunt, quæ de primo Metallorum principio Mercurio, in Chemicorum scriptis vestigia deprehendimus, quæ tamen adeò illi tegunt, ne quis altius ad eorum arcana penetret. Nil enim studiosius, quam rem istam celant, unde omne alchemiæ negotium dependet. Alterum illis principium, Sulphur est, spirituosum, penetrans, coagulans materiam metallicam, cujus illi fontes non dissimulant. Ab auro, sed per materiale illud principium primum soluto, illud elici volunt: reliquorum enim metallorum sulphura, ut impura contemnunt. Primos ejus natales aliqui à Sole & sideribus deducunt, sed ea omnia incerta; aliqui ab ignibus subterraneis: quo quidem non adeò absurdi sunt. Cum enim terra compages sit omnium naturarum primarum, quæ ad mistorum generationem sunt necessariæ, concludi illic necesse est magnam ignis vim, sine quo generari nihil aut misceri potest. Eum familiares sibi habere naturas oleosas oportet, variorum generum, quibus primo miscetur, unde ad exteriores partes halitus oleaginosi jam puriores, jam impuriores propelluntur, vel magis vel minus excocti. Qui vel aquis vel terræ commisti alias aliasque species producere videntur. Non sunt inter illa, tantum nobis vulgò cognita, sulphur, bitumen & similia, sed longè plura nobis incognita, quibus ignis maximè familiaris est, & ad mutuam permistionem sponte contendit, adeò ut separari nequeant. Combustio enim rerum oleaginosarum, nihil aliud esse videtur, quam separatio ignis ab istis materiis, in quibus habitat. Quare cum Sulphur illud Chemicorum reverâ sit oleaginosa substantia, sed incombustibilis, & tamen ignis, ut illi loquuntur, corporatus, aut naturæ ignis, è tali primâ mistione illud descendere per est verosimile. Sulphur illud nec ab astris, nec ab igne centrali deducendum putat Hamelius *de Fossilibus lib. 2. cap. 9. pag. 246.* cui ejusdem cum vulgari sulphure naturæ videtur, nisi quod longâ alteratione in fixum, purum & incorruptibile evasit. Cujus sententia non omnino spernenda videtur. Memini enim in Chemicorum scriptis, & nisi fallor, *in Richardi Anglici Correctorio* me legisse; quod in interiori vulgaris sulphuris natura reconditum lateat incombustibile sulphur illud, ac posse auro, cui sulphur suum extractum est, ex ejus quasi visceribus restitui. Quod mihi in mentem revocat historiolam, quam legi in libro quodam Manuscripto verbis germanicis consignatam, de auro beneficio sulphuris vulgaris è cupro extracto, vel potius in cupro ad maturitatem redacto: quam integram hîc apponam: D. Gregorius Euseb. von Ma-

drit hat mir erzehlet/ daß ein Chimicus zum Montano kommen und um eine kleine Gelegenheit zu laboriren gebeten/ die ihm denn geworden: da hat der Laborant Kupfer genommen ein Zentner/ und dasselbe immer im flusse gehalten/ und immer Schwefel nachgetragen/ und damit das Kupfer zur reiffe bringen wollen: Endlich haben sich die Nachbaren des Gestancks halber beklaget/ da hat ihn Montanus gehen lassen: Er aber hat sehr beklaget/ daß ers nicht absolviren können. Nach etlicher Zeit reist Montanus die Esse ein/ worinnen er laboriret/ und findet einen Zee von 10. Untzen Goldes im Ofen stecken/ welches hineingelauffen war durch einen Riß. Montanus hat ihm vergebens nachgeschrieben/ welcher es dem Fürsten von Anhalt selbst erzehlet. Hujus ego rei fidem in medio relinquo: neque enim alicui autor sim, ut sumptus in rem incertam faciat; omittere tamen nolui, cum rem nostram illustraret. Cæterum de partibus metallorum, quas Chemici ita distinxere, dubium nullum superesse videtur. Nam quod quidam putarunt constare substantiam Auri partibus similibus, falsum est, cum Sulphur seu tinctura ab eo possit separari. In ignobilioribus, Cupro præsertim, fieri illud posse experimentis plurimis constat. De gemmis idem testatur Hamelius de Fossilibus lib. 2. cap. 7. *Sunt qui alias minoris notæ gemmas, ut Amethystum, Saphirum, Chrysolithum, laminulæ ferreæ impositas calce vivâ, vel chalybeâ scobe condant & vivis carbonibus operiant, ut igne sensim aucto nativis coloribus exuantur, atque adamantis speciem præ se ferant: nam si durities lapidi adsit & perspicuitas, vix quidquam ab Adamante differt.* Quæ res si succederet, magnum haberemus ex ignobilioribus gemmis nobiliores conficiendi arcanum. Arte factarum colores corrodentes liquores interdum eluunt. In Vegetabilium ordine idem fieri potest. Quid magis tingit quam crocus; Et tamen ab eo ita colorem omnem separari posse, â Nobilissimo quodam Viro edoctus, scio, ut omnem Croci odorem & saporem sub crystallinæ perspicuitatis liquore repræsentare possim, nihilque croco simile quis videat, merum tamen crocum aut subtilissimam ejus essentiam gustet. Quod non leviter mirati sunt, quibus illum liquorem ostendi, qui magno etiam cum fructu in medicina adhibetur. Ex auro, quamvis tenacius illic hæreat, sulphur seu tincturam, quam etiam animam auri vocant, separari posse testantur Chemici tam veteres quam recentiores, quod firmat etiam *Franciscus Lana*, loco ejus libri, quem supra laudavimus. Fitque hoc modo, ut quantum ponderis habuit aurum; è quo tinctura educta est, tantum argenti ipsa tinctura, si illi superjiciatur, colore suo tingat inque aurum ipsum covertat. Qùod cum fit, candida ex auro massa remanet, æquè ut prius ponderosa, cui per cæmenta hinc color reddi suus potest. Simile quid de tali auri tincturâ super argentum vivum, publicè Venetiis projectâ

refert

refert doctissimus Vir, *Alexander Tassonus*, Italus, libro gentis suæ linguâ scripto, cui titulum fecit: *Pensieri diversi, libr. 10. cap. 26.* Cujus verba ipsa apponam: *Fra le doti curiosissime dell' Alchimia niuna s' agguaglia a quella dell' esaminazione dell' oro, che di masse grandi il reduce in pochissima pulvere di color purpurino, chiamata da alcuni lapis Philosophorum, che poi gittandosi in quantità di Mercurio fatto bollire a lento fuoco, il convertisse in oro, se con la prima quantità si conforma: ma si il Mercurio eccede la quantità del primo oro, l' affissa in argento. E la prouasu publicamente mostrata in Venetia, pocchi anni sono.* Id est: *Inter curiosissimas Alchimiæ dotes, nulla est, quæ comparari possit cum illo auri examine, quo massam ejus grandem reducunt in exiguum pulverem purpureum, qui vocatur quibusdam lapis Philosophorum. Ille argento vivo, super ignem lentum calefacto, injectus, ex eo tantum in aurum convertit, quantum respondet primo ponderi (massæ scilicet aureæ, unde extractus est pulvis.) Quantum Mercurii illud excedit, figit in argentum. Cujus experimentum paucis ab hinc annis publicè Venetiis factum est.* Hæc Autor ille de hâc Auri tincturâ, quam, suo ex judicio, lapidem philosophorum vocat. Quæ duo toto inter se cœlo differunt. Venetiis tamen publicè rem gestam testatur. Ac ipsam Rempublicam Venetam tale habere arcanum multi credunt, quod communicasse cum Senatu ejus *Joh. Augustum Panthenm*, Sacerdotem Venetum dicunt, qui & ipse librum quendam obscurissimum scripsit de arte, quam barbaro nomine vocat *Voarchadumiam*, aliam planè ab Alchemia, eumque Venetorum Principi dedicavit. Reperitur in Theatri Chemici volumine secundo. Conjecerunt & sagaciores ex eo, quod nulla moneta aurea vel argentea peregrina publicum illic valorem habeat; sed in aliam monetam commutetur: Cumque ipsi fodinas auri non habeant, *Secinos* tamen auream monetam cudant, quæ ratione coloris gradu aliquo superet omne nativum aurum, licet optimum. Forsan & huc referat aliquis, quod Mathesius *in Sarepta conc.* 11. de Venetis commemorat: multum illos rubri Sulphuris è Carinthiâ annuatim petere, quo ad tingendum utantur. Sed de eo pronunciari nil certi potest, omnia enim plena sunt conjecturis. Præ cæteris memorabilis historia est de sulphure aureo extracto, quam unà cum judicio *Roberti Boilii* ex ejus *tentaminibus Physiologicis, tentamine 2. de Experimentis, quæ non succedunt*, adducam: *Rem hic commemorabo*, inquit, *mihi seriò à D. D. K. Viro, si quis alius, à falsiloquii consuetudine alienissimo, narratam: Is mihi affirmavit, quod cum laboratorium suum in Batavia amico cuidam peregrè proficiscens utendum concessisset, ibique aliquot Aquarum Fortium species ad Tincturam suam escarlatinam comparatas reliquisset, amicus iste paulò post ipsius discessum ipsi per literas significavit, se Aurum in quâdam Aquâ forti digerendo, Tincturam sive flavum sulphur ab illo prolicuisse, eandem volatilem reddidisse re-*

siduâ metalli substantiâ ad salsedinem vergente, & cum hâc tincturâ aureâ argentum non sine lucro in perfectissimum aurum transmutasse. Hoc audito, D. D. ad laboratorium suum subitò reversus, ipse cum eadem aquâ forti, aliquoties volatilem auri tincturam impetravit, quæ similiter argentum in verum aurum convertit, & cum percontarer, utrum tinctura ista argentum auro, è quo ipsa eliciebatur, pondere æquale transmutare valeret, se ex unicâ auri unciâ tantum sulphuris sive tincturæ obtinuisse profitebatur, quod sesquiuncia argenti in nobilissimum metallum vertenda sufficeret. Et hoc (addit Boilius) *pronius credo, tum quoniam substantiam flavam sive tincturam separari ab auro posse, experimentis nonnullis mihi certius constat, quam ut dubitare de eo liceat: tum etiam, quoniam argento sulphur quoddam inesse, quod maturatione aurum evadat, inde mihi fit probabile, quod nonnulli in re metallicâ exercitatissimi & observationum suarum fide testati sunt, aliquando ope liquorum solventium (quod etiam D. Franciscus Baconus alicubi novit) aliquando verò communis sulphuris (probè excocti & salibus idoneis conjuncti) beneficio aliquot purissimi auri grana ex argento fuisse extracta. Cæterum Doctorem nostrum conceptæ ex hoc experimento divitiarum spes prorsus fefellere; nam paulò post tempore iterum susceptam ipsius operam elusit: culpam autem in aquam fortem rejicit, ideoque operationem denuò aggressurus est. Verum quandoquidem omnes illius conatus hactenus in irritum ceciderint, probabile videtur, errorem ab aliquâ latente causâ fuisse profectum: nam istiusmodi casus quibusdam citra omnimodum remedium obtigisse novimus.* Ex iis itaque, quæ prolixè adduximus, facile perspiciemus, sulphur esse, ut in omnibus metallis, ita in auro distinctum ac separabile, unde color ejus dependet. Atque hinc pulchrè ratio explicari potest, unde flavus in auro color oriatur. Nam cum sulphur purpureum plerumque sit, cætera auri massa candida; è purpurearum ac candidarum particularum accurata mistione flavum oriri colorem necesse est, non secus, ac cum è cupro & zinco inter se justa proportione commistis, substantia oritur, quæ flavo colore & externâ facie auro optimo comparari possit. Quod si itaque sulphur abest, vel extrahitur, candidum fit aurum, quod lunam fixam appellant vulgò, cum pondus auri habeat, & in aqua forti persistat. Huic aureus ille color si reddi possit, ut reddi posse docent, multum inde lucri posset acquiri. Quanquam & *Boilius*, loco suprà memorato, inter incerta experimenta referat. Præterea diversam sulphuris seu coloris in auro naturam ostendit, quod intendi ac augeri per cæmenta sulphureæ naturæ, quamvis impuræ possit. Potest aurum cum certis quibusdam substantiis ita misceri ac igne torreri, ut cum in Regulos, ut vocant, funditur, primus penè rubeat, secundus citrini sit coloris, tertius sit longe colore debilior, ut vix aurum credas. Quo apparet, optimas sulphuris particulas primâ effusione præcipitari, ut primo stillicidio optima

quæ-

quæque decidere ſolent, ac jungi arctiùs, & disjungi poſſe. Non ſemel mihi narratum eſt à Viris hujus rei peritis, poſſe aurum Rhenanum, cujus color pallidior eſt, & vilioris eam ob cauſam pretii, per cæmenta ita tractari, ut colore ſuo ipſum Hungaricum provocet. Idem confirmavit mihi, cum in Angliâ eſſem, Nobilis quidam Bohemus de Veneto quodam, qui iſtâ arte tantas acquiſiverat divitias, ut Senatus in ſe inquiſitionem concitaverit. Unde factum eſt, ut detectis opum ſuarum cauſis, lucrum etiam ex eo tempore ceſſaret. Illud jam olim factitatum quoque fuiſſe in Galliâ, ſuſpicio non levis eſt, quam injecit mihi Thomas Freigius *Phyſicor. lib. 26. p. 708.* qui quidem aureos Rhenanos nobiliori auro commiſtos illic fuiſſe exiſtimat: Nam Galli Rhenanum aurum exportare prohibuerunt: tot millia aureorum quotannis in Galliam à mercatoribus miſſa, quæ illic tamen rarò comparuerunt. Recuſi itaque procul dubio ſunt, ſive nobiliori auro miſtum fuerit Rhenanum, ſive aliis ſubſidiis in ſplendidiorem colorem excoctum. Mirum certè eſt, quod cum tanto numero olim cuderentur aurei iſti, ut illic computat *Freigius*, adeò tamen rari fuerint.

Atque hæc hactenus de metallorum productione ex ſententiâ Chemicorum dixiſſe ſufficiat. Quibus experimenta noſtra jungenda, explorandi metallurgi, inſpiciendæ, ſi fieri poteſt, fodinæ, eæ præcipuè, quæ perfectiora metalla generant; conſulendi libri, quibus tamen ego oculatam fidem præfero, ſic de metallorum inter ſe commutatione rectius judicabimus. Ut itaque de transmutatione metallorum, utrum illa fieri humana operâ poſſit; vel minus, quicquam tandem ſtatuamus, & fieri eam poſſe, & factam fuiſſe credimus. Quæ ab aliis hic toties appoſita crambe eſt, totiesque recocta, eam iterum non recoquimus. Quot non diſſertationes, ac integra de hoc negotio volumina ſcripta, quibus argumenta in utramque partem & afferuntur & diſcutiuntur. Sed his ego recenſendis, nec otio meo, nec tuâ, Vir Ampliſſime, patientiâ abutar. Præcido primum omnes illas quæſtiunculas: *An Metalla vivant? An animam habeant vegetativam & certum ſemen? An ſpecie illa ſint diſtincta, an accidentibus? an mutua poſſit eſſe ſpecierum commutatio?* quæ omnia plurimam partem à ſolis ingenii contemplationibus dependent. Vivere Metalla Bengardus *Circulo Piſano 3.* ſpecioſâ diſſertatione evicit, & Jordanus Brunus *libro 5. de Univerſo & Innumerabilibus c. 12.* totam tellurem ac omnes ejus partes vivere ſtatuit, argumento è lapidibus ducto. Ac illę quidem eodem modo, ut dentes & oſſa in corpore humano, nutriri putat. Alii rurſus negant, illi præprimis, qui Peripateticos ſequuntur, Scaliger, Cæſalpinus, Jacobus Aubertus, *libro de ortu Metallorum*, Fallopius. Semen illi metallis tribuunt; hi negant. Similiter de ſpecificâ vel accidentali metallorum differentiâ multæ ſunt diſputa- IIX.

sputationes, quibus chartas hîc implere nec instituti ratio admittit, nec nostra valde refert. Cæterum vegetationem metallorum demonstrare alicui ac ob oculos ponere possunt, si quis pertinaciter negaverit, Arbores illæ Philosophicæ ex argento vivo productæ, & mirabilis illa arboris argenteæ in aquis ex eodem metallo germinatio, quæ à *San-Simonio* Bruxellis, injecto pulvere, quem homo Leodiensis ignotus illi dederat, peracta est, teste Cl. Borrichio *lib. de Ortu & pogr. Chem. p. 103.* Quo colligas, semen argentificum, aut aliquid semini analogum, isto in pulvere delituisse.

De transmutationibus metallorum in universum plenè hîc quidem agere animus non est: sunt enim in imperfectioribus illis variæ mutationes, quales ferri in cuprum, plumbi in stannum & similes, quas pauci in dubium vocant; in ipsis denique metallis variæ sunt puriorum ab impuris separationes, quæ magno interdum cum lucro instituuntur, sed eæ cum arte χρυσοποιητικῇ nihil commune habent, ostendere tamen aliquam verosimilitudinem possunt. Ferri in cuprum mutationem multi negant. Sed obstat *Erkeri*, viri in istâ re scientissimi, autoritas, pluraque alia exempla, ut in dubium vocari non possit. Ferri in chalybem, plumbi in stannum mutatio fit per separationem partium puriorum ab impuris. In minerarum purgationibus multa adhuc latent arcana, quæ si quis rectè explorare noverit, lucri satis inde reportaturus esset. Novi Virum Nobilissimum, qui è mineris nonnullis argentiferis Hungariæ, sulphure multo & arsenico abundantibus, quæ, cum igne fusorio tractantur, maximâ sui parte cum sulphureis illis halitibus in fumum abeunt, argenti vim decuplo majorem per liquorem extrahere potest. Liquor enim ita comparatus est, ut omnes sulpureas substantias è minerâ contusâ extrahat: dumque illi liquori supernatant, vel miscentur, argenti purissimi partes subsidunt. Quales mineræ cum admodum frequentes sint, ac in Norwegiâ etiam, ut audivi, reperiantur, quas ob exiguum commodum abjicere solent metallurgi; quanta hinc se & alios ditandi occasio obvenire posset, si quis rem istam seriò & cum cura ageret? E luto per oleum lini ferrum se produxisse, singulari librò, *Supplemento Physicæ subterraneæ*, scribit *Beccherus*, qui quidem reverâ generatum illic ferrum putat. Quod mihi, ut fatear, persuadere hactenus non potuit. Quid enim oleum lini ad metallicam naturam conferre valeat, quod separare fortassis partes heterogeneas, novum verò aliquid à naturâ suâ diversum producere non potuit? Latitarunt sine dubio in luto isto particulæ ferreæ, quæ per omnes adeò lapides omnemque terram dispersæ, lutum præcipuè, quod vel ipso suo colore aliquid, quod ferream naturam sapit, prodit, quæ operatione ista evocatæ fuerut. Et sanè *Gilbertus lib. 1. de magnete cap. 8.* nullam terram dari, quæ ferreâ non imbuta sit

mate-

materiâ, testatur: præcipuè verò omnem argillam & terram argillaceam. Belgæ è cespitibus sulphureis bituminosis cuprum & ferrum nonnunquam eruunt. Quod mihi minus mirum videtur: cum & ipsum aërem, ipsasque plantas & arbores subtiles quidam halitus metallici pervadant. Quibus non absurdè, meâ quidam sententiâ, vegetabilium quorundam & productorum in fundo maris naturas adscribit *Alexander Achilles*, homo ordinis militaris, libro Germanico *de causis terræ motûs & mineralium.* E quibus illud memorabile est, quod corallorum productionem exhalationibus auri; unionum verò argenti vaporibus, qui è terris subjectis istarum minerarum feracibus evehuntur, adscribat. In cujus rei fidem affert experimentum de virgulâ venarum argentiferarum indice, quæ ad uniones vel ostrea æquè ut argentum se inclinaverit. Quæ de alternis venarum metalli & carbonum fossilium processibus similibusque habet idem Autor, ea metallurgis judicanda relinquo. Ad hanc Experimentorum classem, scilicet ad modos, quibus puriora metalla ab impuris separantur, referendum etiam puto, quod *Stocmannus* in Oratione Inaugurali Rostochii in Academiæ jubilæo A. 1619. habitâ, de argento in aurum per cæmentum mutato narrat. *Propriam*, inquit, *fidem testor, quod aliquando hisce oculis viderim, laminas & bene magni ponderis argenti frusta per subviride cæmentum ita perfici, ut auri naturam induerent optima nota, idque spatio paucarum horarum, & igne non magno.* Mira hæc, fateor, operatio per cæmenta est; ac vellem accuratiùs narrasset rem omnem: nam magna mihi suspicio est, sophismate aliquo imposuisse viro illi, qui hæc exhibuit. Talibus enim operandi modis plerumque dignoscendi Pseudo-Chemici, qui adeò speciosè fraudes suas tegere possunt, ut vel oculatissimos nonnunquam fallant: per insidias enim auri pulverem vel carbonibus, vel instrumentis, quibus operantur, recondunt, ut arte factum quis putet, quod verum est & nativum. Quorum quinquaginta & ampliùs fraudes sanè ingeniosissimas recenset *Michael Mejerus in Examine Fucorum Pseudo-Chemicorum detectorum*: quem vel ideò librum legendum suaserim, ne fallamur ab agyrtis istis & impostoribus, quorum unicus labor est, spe lucri aliis ostensâ sibi lucrum quærere: quo fit, ut innoxia Alchemiæ studia in invidiam adducantur, honestique homines vel ut res inanes ludibrio habeant, vel ut fraudulentas detestentur. Quot non obtruduntur passim, tàm libris editis, quam schedis, quæ circumferuntur, operationum metallicarum fomulæ? sed nequam omnes & dolosæ: à quibus caveat sibi, qui nec opum suarum, nec temporis vult dispendium facere. Et vereor sanè, ne & illæ, quæ apud Franciscum Lanam occurrunt de stanni & argenti vivi in verum argentum mutatione, ad eorum classem sint referendæ. Leguntur & apud *Johannem Franciscum Mirandulanum, libro*

de Auro, transmutationum metallicarum quædam historiæ, qualis est illa *lib. 3. c. 6.* de argento vivo per nescio quos succos & folia herbarum in aurum commutato, & quædam similes, quibus fortasse doctissimo Principi imposuerunt, qui hæc narrarunt: ista enim adeò sunt à ratione aliena, ut fidem apud illum invenisse mirer. Quæ de auro per separationes ac plurimorum metallorum commistiones producto refert, fortassis vera sunt, non tamen cum magno lucro conjuncta. Quid non talium rerum tentavit & publicis etiam scriptis jactavit Glauberus? Quæ si vera essent omnia, jam ab Indis & Amercanis aurum & argentum tam sumptuosis petere navigationibus necesse non haberemus. Quod est eorum, qui Ephemerides Eruditorum Gallicas scripsere, judicium.

IX. Sed nos missis illis omnibus ad veram illam veterum Alchemiam, quâ ignobiliora metalla in aurum converterunt, nos convertimus. Quam cum plurimi impugnarint, nemo tamen acerbius ac immodestius, &, ut verum fatear, indoctius eam ejusque assertores tractavit, quàm *Kircherus in Mundo subterraneo*: totam enim ut impostoriam rejecit. Historias transmutationum sine discrimine pro fabulis habet. Ubi solida argumenta exspectes, perpetuæ leguntur ejus in Impostores Chemicos declamatiunculæ. Quos ut tales demonstret, farraginem præparationum sophisticarum, quales passim ab agyrtis circumferuntur, in medium producit. Cum his larvis penè ubique pugnat. Quæ de Chelidoniâ, succo lunariæ ad metalla commutanda adhibendo & similibus Chemici ænigmatica memorant, ille suo sensu accipit; cum tamen illi per succum Lunariæ longè aliud quid intelligant, illud scilicet, quod è sphærâ Lunæ principium petunt, cujus supra mentionem fecimus. Quo ostendit, ne quidem legisse se Chemicos, contra quos tamen pugnat. Refutavit eum *Bonvicinius* singulari libro, quem *Lancem Peripateticam* inscribit; qui tamen hactenus ad manus meas non pervenit, & quidam *Salomon de Blauenstein*. Sunt & nonnulli, qui, cùm artem per se impossibilem dicere vereantur; ab homine tamen, ob causas occultiores, nisi fortè ab Angelo aut Dæmone, in effectum deduci posse negant. Quâ in sententiâ *Honoratus Fabri* est. Sed malignos quidem spiritus ab his sacris, ne abutantur, arcebit Deus: boni aliud habebunt, quod agent. Quid verò impedit, homines in metallicis, datis scilicet causis proximis, eadem agere, quæ in vegetabilibus agunt quotidie hortulani? Neque enim è primis elementis illi semina colligunt, sed jam à naturâ parata excolunt, ornant, augent, quod rustici omnes faciunt & agricolæ. Inepti sunt & in societatem humanam injurii, qui arti amplius aliquid, quàm naturæ licere negant: ac miserè profecto nobiscum ageretur, nisi semper ars naturam juvaret. Quam tamen ipsam aliquid auro producere interdum perfectius, ostendit

histo-

historia apud Becherum *Physʃ. ʃubterran. lib. 1. ʃect. 3. c. 3.* de minerali rubro, pro realgar habito, ac cum argenti quinque partibus commiſto, quæ in purum putum aurum converſæ fuerunt. Alii, cum experientiam negare nec velint nec poſſint, caſu illud factum arbitrantur; inter quos eſt *Jac. Rohault in Phyʃicâ ʃuâ* Gallicâ linguâ non ita pridem editâ *part. 3. c. 6.* cujus iſta planè inepta eſt ratiocinatio: *Cum ignoretur,* inquit, *quæ ʃit figura & magnitudo particularum metalla componentium, & earum, quæ inʃervire transmutationi poʃʃunt, nec modus repertus ʃit, quo illa conʃtringi poʃʃint, exiʃtimandum eʃt, ʃi verum eʃt, aliquando à Chemicis plumbum converʃum fuiʃʃe in aurum, pari caʃu id evenisʃe, ac ʃi, cum ex altiori loco arenam in tabulam quis projecerit, granula ita diʃponerentur, ut legere quis integram è Virgilii Æneide paginam poʃʃet.* Fruſtra itaque omnes eſſe putat, qui de tali arte ſolliciti ſint. Vide quæſo quantum hominis acumen ſit! Quid ad artificem particularum conſtitutio, è quibus corpus vel corporis partes primo componuntur? Ergo, qui aliquid rerum naturalium arte producturus eſt, primum è particulis rerum cauſas colligit? Naturæ illud opus eſto. Artifex ea, quæ jam in promptu ſunt conjungit, ac naturæ ſuo adjumento perficienda relinquit. Aurum aliqui arte nullâ corrumpi, reſolvi, aut in meliorem redigi naturam poſſe objiciunt, cum ſit jam perfectisſimum. Quod quidem verum eſt, quam diu naturæ iſti non conjungis aliam, quæ deſtruere aut reſolvere illud poteſt: qualem ſe ſcire Chemicorum ſchola fatetur, extra quam unicam nulla in hoc univerſo eſt, quæ præſtare illud poſſit. Nam quod *Honoratus Fabri Phyʃ. tract. 7. prop. 34. & 35.* corruptibile eſſe aurum ex eo judicat: quod ſalibus ſolvatur, qui humorem ejus, ut loquitur, exugant, faciantque ut ab igne conſumatur: quod vel à vapore in patinarum operculis atteri & attenuari poſſit, planè non admittendum videtur. Aurum, ut rectè idem ſtatuit, duplici particularum plexu conſtat, interiori ſcilicet & exteriori. Interior eſt, quo miſcibilia & ipſa corpora primogenia ſibi implicantur; Exterior, quo partes miſtæ ipſius ſcilicet auri continentur. Exteriorem plexum diſturbare multa poſſunt, tritus, pulſus, ſales, ita ut in inſenſibiles particulas abeat, quarum tamen quævis auri formam retinet: nec corrumpi ideò dici poteſt aurum, ut vult Honoratus Fabri, quod inſenſibiles particulæ in palpabile aurum reduci nequeant. Interiorem plexum nihil, niſi quod ex ipsâ auri natura primogeniâ eſt, à vinculis ſuis ſolvit. Quem itaque Canonem Honoratus Fabri ſic format: *Si aurum nullo modo corrumpi ʃeu deʃtrui poʃʃet, Chemicorum ʃors adeò mala non eʃʃet:* rectius ita pronunciabo: *Si aurum corrumpere & deʃtruere poʃʃent Chemici, optimè cum illis ageretur.* Species hinc & formas, ſplendida iſta nomina, alii crepant; converti illas non poſſe audacter aſſerunt: qui tamen non animadvertunt, quotidianum hoc eſſe naturæ

 negotium

negotium, ut ſubinde in alias aliasque formas Protei inſtar ſe vertat. Inepta igitur eſt, quæ hoc fundamento innititur *Kircheri* objectio: Quod ſi μεταμόρφωσις iſta in metallis fieri poſſit, fieri etiam in animalium ac vegetabilium genere poſſe. e. g. Si pulvis ex abſynthio confectus ſupra aridum mortuumque abſynthii caulem projiceretur, pari ratione id in herbam reſuſcitaturum: idem & de pulvere ex animali combuſto facto, & in cadaver ejusdem vel alterius animalis conjecto dicendum eſſe: item ſi vini ſepties & amplius diſtillati gutta dolio aquæ infunderetur, aquam in vinum abituram. Non enim ratio ſubjectorum eſt eadem, nec eodem modo in omnibus natura operatur. Materia metallorum proxima communis eſt, non item vegetabilium & animalium. Metalla è paucis partibus miſcentur, ac ſimpliciorem texturam habent: Vegetabilia & animalia tot diſſimilibus partibus conſtant, ac alio planè modô producuntur. Quid vero pulvis alicujus herbæ in aridos caules operetur? Quanquam tamen & hoc ſatis mirabile ſit, quod è pulvere ejus certo modô præparato herba quaſi reſuſcitari poſſit: An in pulvere combuſti alicujus animalis tota ejus vis lateat? Memini tamen, è pulvere combuſti cancri, ſi ſuper rivulos ſpargatur, aliquibus cancros produci. Sic & in ſpiritu vini ſubtilisſimo volatili non tota eſſentia vini latet, quæ aquam in ſui naturam convertere poſſit. Neque talis aliqua ſpirituum ſubtilitas, quæ vaſe nullo teneri poſſit, ut ineptè putat, in metallorum converſione requiritur. Niſi enim ad fixam naturam ſpiritus fugitivi reducantur, nullius ſunt uſûs. Quod verò de aquæ in vinum converſione attulit, non adeò abſurdum eſt, ut ille forſan exiſtimat. Narravit mihi Clarisſimus Collega meus *Caſpar Marchius*, Vir in Vulcani palæſtrâ exercitatisſimus, de *Laurentio Eichſtadio*, Mathematico celeberrimo, cujus tum ille domeſticâ informatione utebatur, potuiſſe illum certo quodam pulvere in aquam juſtâ proportione injecto, perfecti vini ſapore eam imbuere, idque in conviviis animi gratiâ non ſine admiratione convivarum factitaſſe. Ac latent fortaſſis non pauca, etiam in vegetabilium ac animalium genere, talia arcana, humano ingenio nondum inveſtigata. Fruſtra itaque eſt cum ſuis objectionibus *Kircherus*. Quandoquidem verò transmutationis nomen adeò Miſochemicis odioſum eſt, ac ſenſibus illorum repugnat: nam, formam in viliori metallo, quod ſpecie ab altero diverſum habent, deſtrui; novam ſub exigui grani ſpecie, penè infinitâ vi multiplicativâ præditi, quæ figat & ſe ipſo ponderoſius corpus reddat, introduci, inſolens illis videtur & ἀδύνατον: videamus, quomodo fieri tale quid poſſit. Velim itaque primum, auferant nobis invidioſum illud transmutationis nomen: ſolâ enim miſtione res tota poteſt expediri. Communis, ut vidimus, metallorum materia eſt, Mercurius, ſubſtantia ponderoſa,

rosa, ductilis, liquabilis: illis enim notis à reliquo fossilium genere metallicum distinguitur: adeò, ut quò minus ductilitatis corpus aliquod habet, eò minùs metallicæ naturæ habeat. Substantia illa, & altera, quæ sulphur vocatur, sive rubræ sit naturæ, sive candidæ, quo puriores sunt & impuriores, distinctionem suam metalla recipiunt. Inter perfectius mista, aurum est, & quod secundum ab illo gradum habet, argentum; illud è puri sulphuris rubri; hoc è puri sulphuris candidi familiâ, arctiori tamen & propiori, ob æqualem puriorum partium mistionem, cognatione juncta, quàm cætera illa: plumbum & ferrum, stannum & cuprum, quæ in se mutuò, immediatè saltem, non convertuntur, ut cuprum & ferrum, plumbum & stannum: præ cæteris vero illa, quæ sulphur in se candidum habent, Hydrargyrus, plumbum, stannum, argentum, facilius aurei sulphuris operationibus obsequuntur, quàm illa, quæ à rubro sulphure ortum trahunt: habet enim eorum, ut cupri & ferri, sulphur majorem impuritatem cum quâdam pervicaciâ conjunctam, quàm cæterorum, quorum Mercurius copiosior est, & sulphur immaturum facilius excoqui in rubrum perfectius à perfecto sulphure potest: nam in imperfectum rubrum vulgaribus etiam operationibus convertitur. Hinc Chemici lubentius vel plumbo vel hydrargyro in auri confectione utuntur, quam ferro aut cupro. Quando itaque Elixir suum componunt Chemici, materiam metallicam tot operationibus depuratam cum purissimo sulphure auri conjungunt, & in subtilissimam, fixam tamen naturam, convertunt, omni auro longè perfectiorem, quæ iteratis resolutionibus & coagulationibus majores semper perfectionis suæ gradus acquirit. Incredibile hic Misochemicis videtur, pulvisculo grani quantitatem æquante mille & amplius grana vulgaris metalli in aurum tingi posse: & vident tamen illi quotidie, exiguam croci partem sufficere, ut mille vel amplius partes aquæ cum illâ misceantur, ac flavo se colore tingant. Jam cogitent mihi illi admirabilem auri etiam vulgaris naturam, quàm illud dilatari & extendi vel per rudem mallei operationem possit. Quis credat, ex nummo aureo tot bracteolas cudi, & tres quatuorve bracteolas, quibus argenteus Cylindrus inauratur, dum ille in filum tenuissimum & longissimum ducitur, illas simul produci, ut semper superficiei adhæreant, ac ipsum filum tot ulnas longum inauratum habeamus. Quid ergo non faciet aurum in naturam centies vel millies subtiliorem redactum? Illud itaque Elixir viliori metallo, plumbo e. g. sed priùs à scoriis & sordibus suis per certos pulveres purgato, dumque funditur, injectum statim cum Mercurio plumbi, tanquam sibi congenere, ejusque partibus purioribus miscetur unà cum sulphure quàm arctissime secum juncto, dum partes heterogeneæ vel separantur vel fumo avolant. Falluntur enim, qui

totam illam plumbi massam in aurum converti putant. Mercurius per mutuum illum partium consensum statim se sociat Mercurio subtiliori, ejusque sulphur adjunctum etiam in interiorem sui naturam recipit, excluso illo, qui sibi adhæret, impuriori. Nec est quod quis celerem illum particularum motum & complexum miretur, cum & vulgaribus operationibus hoc fieri videamus. Insere liquori perspicuo, in quo argentum solutum est, alterius naturæ metallum, statim ut farina dispersa è latebris suis prodiens argentum fundum petet, cum sales se alteri metallo applicant. Infunde argentum vivum laminis auri ignitis, & uno momento in substantiam butyro similem, quam amalgama vocant, per mutuum complexum commutantur. Est scilicet mutuus quidam naturarum consensus nobis incomprehensibilis, per quem inusitata sæpe in naturâ phænomena se ostendunt: qualia non per generationes, transmutationes, ut vulgò loquimur, fiunt: sed per alteratas partium interiorum mistiones, vel fermentationes. Fermentatio enim, cujus Tu, Vir Amplissime, vires mirabiles etiam in epistolâ tuâ deprædicas, est, quæ omnia naturæ mista, ipsa etiam metalla, vinculis suis solvit & in subtiliores naturas mirâ vi ἐνεργείῃ præditas extollit. Hujus ego exempla aliquot è natura vegetabili proferam, unde lux metallicis etiam mutationibus inferri potest. Novi Virum Nobilem, qui singulare aliquod fermentum excogitavit, quo dolia lignea imbuit: quibus infusa aqua in acerrimum acetum, quale unquam è vino parari potest, commutatur. Quæ vis in vasis illis non perdurat tantùm, sed & continuo usu in infinitum augetur. Quod ille arcanum sibi servat, nec facilè, cum lucrosum esse possit, in publicum proferet. Memini quidem, Andream Matthiolum, de aquâ, per panis tosti aliquoties aceto vini imbuti & exsiccati injectionem, in acetum commutandâ, quædam alicubi memorare, sed hoc cum artificio comparari nullo modo potest. Memorabile itidem est, quod refert Thaddæus Hagecius *opusc. de cerevis. c. 12.* rosarum odore afflato acescere cerevisiam è tritico paratam. *Illud*, inquit, *mirabile videtur & non nisi fortè ad ἀντιπάθειαν quandam referendum, quod rosarum fragrantium odorem aversetur triticea cerevisia. Hæc enim in Cellarium reposita, aut si saltem pincerna coronato serto rosaceo illud fuerit ingressus, illico pervertetur & acescet.* Quod certè non nisi per momentaneam quandam fermentationem à rosarum fragrantium particulis ortam fieri potuit. Sic, si quis poculo, in quo panis fermentatus est, per siphonem è dolio cerevisiam infundat, cerevisia omnis acescet, derivatâ in cerevisiam, quæ in dolio existit, fermentatione. Ex adverso liquor aliquis dari potest, qui cerevisiam & vinum corruptissimum guttis aliquibus instillatis ex tempore in priorem statum vel meliorem etiam restituit. Illud vidisse se & gustu suo examinasse mihi asseveravit Mer-

cator

cator Anglus *Carolus de Corsellis*, Vir honestus & fide dignissimus. Liquor rubri coloris fuit, sed noluit homo ille artificium prodere, quod ex Oriente reportaverat. Fermentationis beneficio, *si Vreeswikio*, qui id in nupero suo tractatu Belgicè scripto *de Sale Philosophorum* asseruit, credimus, è quolibet penè vegetabili, avenâ, pisis, brassicæ etiam foliis & similibus spiritus ardens vinosus produci potest. Quod si itaque tam miranda in vegetabilibus, nonnunquam uno momento per fermentationem, quæ quasi tritus quidam naturæ est, fieri possunt: cur in metallis fieri talia posse negamus? In quibus carere possumus generationis & transmutationis nominibus, cum sola mistio auri tincturam alteri metallo inferat, & arctiori partes interiores plexu conjungat: unde auctum pondus est, quod in lateribus coctis vel solus ignis præstare potest.

Venio nunc ad alteram Dissertatiois meæ partem, de antiquitate hujus artis & autoribus, per quos illa tradita est & propagata. Quo in argumento cum dudum summo ingenio ac industriâ versati fuerint Viri præclarissimi: *Conringius libro de Medicinâ Hermeticâ: Reinesius in defensione Chymiatriæ: Borrichius libro de ortu & progressu Chemiæ*: quid opus est cramben illam à nobis recoqui? Suspenso ergo pede hanc viam ingredior, ita tamen, ut nonnulla interdum tollam, quæ illi reliquerunt. Negari vero non potest: ea, quæ vulgo hic afferuntur antiquitatis argumenta, omnia esse conjecturæ plena & incerta: quanquam tamen Borrichius in rerum istarum tenebris ita versatus fuit, ut non exiguam etiam antiquitati Chemiæ lucem intulerit. Natales certè ejus altius spectare, quam crediderunt aliqui, si non omninò evicit, id tamen effecit, ut perquam probabilis res illa videatur. Mitto, quæ è fabulosis Enochi scriptis petuntur documenta, aut quæ Bochartus de Chamo ejus autore conjicit. Hermetem aliquem fuisse, hujusque scientiæ quædam tradidisse non negamus: quanqam non omnia, quæ sub nomine ejus circumferuntur, ab illo fortassis sunt profecta. Tabulæ Smaragdinæ, quæ illi adscribitur, origo est incerta: mentitur tamen Kircherus, qui ante Lullii tempora extitisse negat: cum Johannes de Garlandia, qui Hortulanus aliàs dicitur, ac seculo Decimo, teste *Balæo*, vivit, jam tum in eam commentarium scripserit. *Kriegsmannus* illam linguâ Phœniciâ publicavit, sed unde illam habeat, si rectè memini, non indicavit. Hactenus ergo rei veritas in suspensô est. Apud Ægyptios hanc artem inter arcana habitam multa argumento sunt. Nam, quanquam nil disertè proditum literis sit: hieroglyphica tamen illa quædam hujus condidisse videntur. Neque enim credibile est, homines illos non profectò stupidos ac inertes, fallendi temporis gratiâ has quasi cucurbitas pingere voluisse, aut morales quosdam, aut alios vulgares sensus sub iis occultasse, X.

cum

cum ocultandi nulla causa esset. Servare his monumentis sapientioribus majora quædam naturæ arcana voluerunt. Quid in mensæ Isiacæ figuris sibi volunt *Leones Lunati?* facilè interpretabitur qui in Chemicorum veterum ænigmatibus non planè hospes est. Quid significent *Serpentes cum capite accipitrino* aliud, quam naturam fixam volatilem? Cui respondet istud Chemicorum effatum: *Bufo gradiens super terram, & Aquila volans est mysterium nostrum.* Sed omnia alia comminiscuntur, qui hæc interpretantur, præcipuè Herwartus, qui mensæ Isiacæ imagines, ridiculis planè argumentis ductus, de magnete & pyxide nautica explicat. Hinc plurimas Græcorum fabulas natas fuisse vorosimile est, quas ingeniosè satis ad Chemicos sensus explicat *Michael Mejerus,* Vir doctus, *in Arcanis suis arcanissimis,* sive *Hieroglyphicis Ægyptio-Græcis vulgo nondum cognitis,* qui tamen ob amorem artis fortasis nimium ingenio suo indulget. Quem sequuntur in hoc instituto *Vigenerius, Commentario in Philostrati tabulas, & Pet. Job. Faber, in PanChymico suo.* Negare certè ipse Conringius non potest, docendi ac scribendi rationem apud Ægytios, Chemicorum ordini semper familiarem, & ad hos ab illis derivatam videri posse. Kircherus verò noster quasi è tripode pronunciat (*Oedip. Ægyptiac. tom. 2. classe 10. de Alchymiâ Ægyptiacâ*) Ægyptios praxin lapidis philosophorum haud intendisse, sed rem quandam in inferiori mundo Soli analogam & quintam quandam essentiam pro morbis omnibus curandis & vitâ in omni felicitate traducendâ. Hanc ob summam subtilitatem & perfectionem cœlum appellasse: *Hoc Elixir,* inquit, *sive quinta essentia tam eminentis virtutis erat, ut cuicunque distillata ex quibusvis herbis aqua affunderetur, virtutem ejusdem, quæ certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret. Verbi gratiâ, si aqua ex hepaticâ extracta apponeretur, illa aqua decuplo validiorem in hepatis curâ effectum præstaret; eratque hæc aqua ad eam temperiem per continuas circulationes reducta, ut frigidis apposita decuplo ea frigidiora; calidis addita decuplo calidiora, siccis juncta decuplo sicciora, humidis denique admixta decuplo ea humidiora efficeret. Quæ omnia fusè ex mente Ægyptiorum prosequitur Balsan Arabs in libro de Elixiris vitæ compositione. Hanc aquam,* (porro addit) *& lapidem dicebant, eò quod ex lapidibus pretiosissimis fuisset extracta, quam & aquam vitæ, vegetabile naturæ Semen, animam solarem, similibusque lapidi Hermetico impositis denominationibus nuncupabant.* Gemina illis Lullius in suo de quinta essentia libro scribit, quam & ipse cœlum vocat, in quam falsò Kircherus in mundo subterraneo dicit cogitationes suas convertisse Lullium, postquam lapidis Philosophici spem abjecerat. Non pauca enim in isto libro sunt mendacia. Quod si vera sunt, quæ de Ægyptiorum Elixire adducit, suo profecto gladio se jugulat: nam quod ista præstare potuit, facilè etiam in metalla vires suas exseret.

ret. Ante Christum natum Chemiam ignotam fuisse, & omne opus *χημευτικόν* putat *Cl. Conringius*, cum tamen jam tùm Herodotus vitreorum operum mentionem fecerit, quæ inter *χημευτικά* omnino referenda sunt. Kircherus quoque magnâ, ut solet, audaciâ: *Nos*, inquit, *quantum fieri potuit, antiquitati hujus perditæ artis incumbentes nullam ante Christum à quopiam scriptore hujus artis mentionem fieri deprehendimus.* Ibidem Arabes facit primos hujus lapidis autores, sed qui tamen successerint Græcis illis autoribus, qui circa tempora Constantini Magni περὶ χρυσοποιΐας scripserunt. Quæ an cum sanâ mente consistere possint, dubito: qui enim primi sunt, aliis quomodo successêre? Id vero vehementer miror, adeò obliviosum aut cœcum fuisse, ut cum aliàs sæpè exscriberet, eum in *Martinii Atlante Sinico* locum vel præterviderit, vel in memoriam sibi non revocarit, quo de antiquitate artis Chemicæ apud Chinenses agit. Ita vero ille p. 71. *Scribunt de Totan parvo lacu* (forte legendum loco) *ad Pukiang, quod in eo Hiangtius arti Chemicæ, vulgo Alchimiam vocant, operam dederit, idque BIS MILLE QVINGENTIS EOQVE AMPLIUS ANNIS ANTE CHRISTI NATIVITATEM.* Addit ulterius Autor ille: *Quare habent etiam hic unde antiquissimos natales suæ scientiæ atque artis accersant Chemicorum filii, potiùs quàm à fabuloso suo Mose, aut Maria ejus Sorore, ac Pythagoreis, uti à supposititiis illis Græculis decoctoribus factum vidimus.* Hæc Vir ille, nec ipso Kirchero negaturo, fide dignus, quem Chemicæ arti aliàs favisse non constat, in monumentis Chinensium legit: quæ eâ fide ac diligentiâ scripta esse scimus, ut parem nulla gens historiis suis adhibuerit. Quam ob causam testimonii hujus autoritatem ipse etiam autor commendat. Hæc si legisset Vir Clarissimus, Conringius, non, opinor, scripsisset *Medic. Hermet. lib. 2. c. 14.* quod ab Arabibus ad Chinenses χρυσοποιΐας studium pervenerit. Errat & Fallopius, qui artem ante Muhamedanam sectam exortam negans; à quodam Mahometis nepote primùm excogitatam putat. Occurrunt plura apud eundem Matinium loca, ut in Provinc. 8. 1. Urbe Nanchang. p. 86. *Hoc in loco, qui extra mœnia est, fabulantur, olim fuisse virum quendam, qui egenorum complurium necessitatibus succurrerit, multaque populo liberalissimè erogarit; quippe qui in Chemicâ arte non fictitium, sed verum argentum elaborarit.* Provinc. 9. urb. 2. p. 102. *Prope Xeu civitatem mons est Zukin, in quo ingens auri frustum repertum contra plures morbos fuit adhibitum, unde illud Chemicâ arte factum vulgò autumant.* Provinc. Huguang. p. 75. *Nullus fere memoratu dignus mons occurrit præter eum, quem Kieuchin vocant, hoc est, novem virginum. Namque in eo sorores novem Virginitatem perpetuam servasse & Alchemiæ deditas fuisse scribunt.* Quæ cum extare in historiis suis omni exceptione majoribus documenta viderent Sinenses, factum est, ut insanâ auri & præcipuè argenti ex hydrargyro conficiendi cupidine,

pidine, & olim flagrarint, & nunc quoque ducantur, testibus scriptoribus novissimis.

XI. E Græcis scriptoribus libros Democriti, Zosimi, Synesii, Pselli, Heliodori, qui præter Æthiopica, quæ & Chemici argumenti videntur, eo præsertim loco, ubi de Phœnice, ad Chemicos sensus confictâ fabulâ, agit, librum περὶ χρυσοποιίας scripsit, abundè examinarunt *Reinesius*, *Conringius*, *Borrichius*, *Salmasius*, ut illis quod addam nihil amplius habeam. Vitri flexilis historia, quæ inter fabulas tamen referenda non videtur, etiam proximè post Christi nati tempora in usu fuisse opéra χημευτικὰ plusquam vulgaria ostendit. Lucernas veterum perpetuas in tumulis repertas Hermolaus Barbarus ex auro, Chemico modo paratas putat, & pluribus argumentis vincere laborat, *Claud. Guichard. libro de Funeribus Græcorum & Romanorum*, ante Kirchmannum Gallicâ linguâ scripto *l. 1. c. 8. à p. 83. ad p. 86.* Cujus in rei fidem affertur à Borrichio Inscriptio illa lucernæ in tumulo Maximi Olibii inventæ; de quâ judicium meum suspendo, cum Virum in Inscriptionibus dijudicandis peritissimum pro non genuinâ habere sciam. Cognatum tamen hoc lucernæ inexstinguibilis artificium cum magno Chemicorum opere ostendit historia, quam mihi narravit Vir honestus, & fide dignissimus. Is cum Lovanii literis operam daret, in notitiam Burgundi alicujus pervenit, à quo in museum suum, singularis artificii videndi gratiâ, invitatus fuit. Obductis itaque fenestris, ne externum lumen impediret, vitrum aliquod angusti oris, liquore purissimo plenum, cui insertum erat filum aureum, produxit Burgundus, & lucernâ filo admotâ, tantum repente lumen exortum fuit, ac si in medio sole versarentur: incredibilis vero suavitatis odor totum museum complevit. Suppressâ postea flammâ hospitem, sed sub juratâ silentii fide, dimísit. Increbuit hinc post discessum Burgundi quidam de χρυσοποιία ejus rumor, & Amsterodami magnam ab eôdem pecuniæ vim in homines miseros erogatam comperit, qui hæc mihi narravit. Non fuit tamen in ullâ gente fortassis frequentius Chemiæ tam Medicæ, quàm metallicæ studium, quàm apud Arabes; sive à Græcis, sive aliunde habuerint. Ab illis primùm liquores confectos sub Essentiarum nomine è Vegetabilibus, quibus mirandas virtutes adscribunt, & de quibus Lullius, Rupescissa, Drebelius ac plurimi alii scripsere, satis constat. Nec desunt hodie, qui istis vigorem juvenilem, cujus signa pili & ungues mutati, reduci posse vel credunt, vel experimenta ejus vidisse se asseverent. Videri possunt, quæ è relatione cujusdam Regis Galliæ Chemiatri scribit illustris Boilius *part. 2. libri* cui titulus: *of the usefulnesse of natural philosophy p. 182. & seqq.* De Guilielmo Postello etiam nonnulli, ac, ni fallor, ipse alicubi scribit, tali remedio canos suos in nigerrimi coloris pilos

los ſibi commutaſſe: quanquam alii tinxiſſe illos artificio quodam velint. Videatur *Scævola Samarthanus Elog. lib. 3. & Verdierius in Bibliothecâ Gallicâ.* Chinenſes quoque, teſte Martinio in *Atlante Sinico p. 77.* ſimplicem aliquam herbam jactant, quam *mille annorum* vocant, ac immortalem eſſe ſcribunt: quâ in aquâ maceratâ ac epotâ albi crines in nigros commutentur, atque vita producatur. Spiritus Vini, quo in Eſſentiis conficiendis uſi fuerunt Arabes, ab illis certè primum ad Europæos devenit, docente ejus uſum primùm Arnoldo Villanovano. Diu is in officinis ad medicinam tantùm ſervatus fuit, antequam gulæ in delicias cederet, cujus occaſionem notat Alexander Taſſonus, libro, cui titulus: *Penſieri diverſi lib. 10. c. 26.* quam ipſius verbis ex Italico converſis referam: *Aquæ vitæ uſus innotuit primum è libris quorundam Medicorum Arabum, qui illam in Medicinæ gratiam confecerunt: qui ejus uſus perduravit, uſque dum Mutinenſes magnâ copiâ per provincias Septentrionales eam vulgarunt, idque effecerunt, ut in potus ordinarii genere haberetur, quod ita factum eſt. Conficiebatur primum aqua vitæ tantum è vinis corruptis exiguâ quantitate, ut ultra guttam bibi vix poſſet. Erat autem aliquando per totam Italiam copioſiſſimus vini proventus, ut Mutinenſium vinorum, quæ Venetiis vendi ſolebant, cum debiliora cæteris eſſent, ac emptores non invenirent, bona pars corrumperetur. Mutinenſes aquam vitæ ex iis diſtillabant, quibus vina nondum corrupta, ſed quæ vendi non poterant, miſcuerant, atque ut majori copiâ conficerent, bis ſtillatam Venetiis non ſine lucro vendiderunt. Veneti cum intelligerent, Metallorum foſſores in Germaniâ potu tali indigere, qui vigorem & calorem corporis conſervaret, venalem illis potum mittentes magnum inde quæſtum confecerunt. Mutinenſes poſtea majori copiâ, cum vino abundarent, aquam vitæ ſtillarunt: cum bonorum vinorum pretium creſcere ex eo viderent. Et vidi ego centum dolia unâ vice Venetias miſſa.* Hæc occaſione Spiritus vini ab Arabibus primùm confecti, loco minimè alieno adducere viſum fuit. Iidem etiam metallicis operationibus diligentiſſimè vacarunt: ac ab iis primum uſus aquarum fortium ad Europæos pervenit. Fortaſis & Turcæ ipſi ab iis quædam didicere. Nam meminit Paulus Rycotius, qui non ita pridem omnium accuratiſſimè Imperii Turcici ſtatum Anglicâ linguâ deſcripſit, *lib. 2. c. 20.* cujusdam *Hirek* (qui vixit circa annum Chriſti 716.) quod χρυσοποιΐας gnarus aurum multum inter ſectatores ſuos diſtribuerit, ac Xenodochia multa erexerit. Sed Arabum Chemicorum hiſtoria obſcura eſt & incognita: non pauca tamen extare creduntur in *Leonis Africani libro de vitis Philoſophorum Arabum* manuſcripto hactenus, quem ſervat in Bibliothecâ ſuâ *Iſaacus Voſſius*. Magnam in eâ copiam Manuſcriptorum Chemicorum vidi ab Autoribus tàm cognitis, quàm incognitis. Plurima enim illic ſunt nomina, quorum nulla in Chemicorum ſcriptorum Nomenclatoribus mentio eſt. Quanquam & multa illic, ut fieri ſolet, miſcentur IX

inepta & futilia. Possem Tibi integrum hîc eorum catalogum sistere (nam habeo ab amico) nisi tædiosum foret, & dissertatio nostra, quæ jam dudum epistolæ limites egressa est, brevem me esse juberet. Scriptorum Chemicorum historiam accuratam, ut in aliis quibusdam disciplinis, hactenus non habemus, nec fortassis habituri sumus: quod ars ipsa unà cum Doctoribus ejus tot tenebris sit involuta, ipsique summo studio se celaverint. Potest tamen longè accuratior haberi, quàm est ista, quæ à *Borello* edita est. Scripsit is *Bibliothecam Chemicam*, in quâ MMMM Autores, ut titulus habet, recenset. Sed adeò is confusus est, ut sibi nunquam visis autoribus, quos è *Joh. Baptist. Nazari* libro Italicè de *transmutatione metallicâ* scripto, qui syllabum illic Chemicorum quorundam congerit, excerpsit: nonnunquam fictis & mentitis è turba Philosophorum depromptis, chartas cumulet, adeoque indiligenter libros consignet, ut somnianti excidisse potius, quàm studio aliquo scriptus liber videatur. Promisit idem Autor in catalogo operum suorum, quem dedit in frontispicio Dictionarii Gallici sui, cui titulus: *Tresor des Recherches & antiquitez Gauloises & Francoises*, multos ejus argumenti libros: *Cribrum Philosophorum Chemicorum: Topographiam Chemicam: Vitas Chemicorum quorundam: Bibliothecam Chemicam chronologicè concinnatam, cum secundâ parte & vitis Autorum compendiosis: Librum de projectionum Chimicarum historiis: Theatrum Chimicum gallicum: Dissertationem de eo, quod lapis Philosophorum debeat propalari, ac de materia ejus revelatione. Volumina septem in folio de materiâ ac proprietatibus mineralium &c.* Sed hactenus præter titulos nihil vidimus. Ac erit fortassis, ut, quod ille promisit, alius accuratius exsequatur. Novi enim Virum Nobilem, qui ut multorum arcanorum chemicorum supra vulgarem doctrinam peritissimus est; ita incredibili planè labore & inusitatâ multorum annorum diligentiâ, omnes quos indagere ullâ in gente potuit, scriptores Chemicos, veteres, recentiores pervolvit, inter se contulit, omnemque eorum historiam, quoad fieri potuit, è tenebris eruit, ut vivere ego non credam, qui similem laborem susceperit; aut futurum unquam, qui suscepturus sit. Fortassis & *Joh. Gerhard. Vossius* rariora quædam nos docuisset, in *opere suo artium, ac constitutione omnium artium & scientiarum*, ubi de Chrysopoeia se acturum promiserat *Theol. gentil. lib. 6. c. 5.* Sed vel ineditum adhuc vel inelaboratum illud relictum ab Autore fuit, cujus fortè λειπανθρώπινον est liber de Scientiis Mathematicis & Philologiâ.

XII. Cum vero tam ampla sit Scriptorum Chemicorum seges, major impostorum, quorum discrimen nosse ingenii est in lectione horum autorum jam tum subacti: è vasto illorum numero nobiliores excerpemus. *Geber* Arabs, quem Regulum aliqui fuisse volunt, inter antiquiores à Christo na-

to referendus eſt. Ejus ſcripta aliqua habemus multis circumductionibus & ambagibus plena. De eo ita ſentiunt ſagaciores: illum & ſummum Philoſophum, & ſummum Sophiſtam fuiſſe: ſub præparationibus enim & vocabulis notiſſimis omnia alia intelligit. Ejus ſcripta vehementer variant, ac nuper *Georgius Hornius* in Belgio quædam edidit à prius editis diverſa. Ex Oriente codicem ſcriptorum *Gebri* altero tanto locupletiorem exportavit *Chriſtianus Ravius*, ut ex *ſpolio Orientis*, quod hic Kilonii publicavit, videri poteſt. Ejus antiquus quidam commentator eſt *Paganus*, de cujus ſcriptis nihil hactenus editum eſt: nam inter ſcrinia Philo-Chemicorum hactenus delituerunt. Perſpicuo utitur ſcribendi genere, quali nemo pene è cæteris. Gallus ille fuit, quantum perſpicere licet: ac errant, qui illum cum *Gebro* ipſo confundunt: putant enim id nomen illi inditum à *Lullio*, quia Mahumedanus fuit. At revera alius eſt, & fuerunt ejus nominis complures, hodieque ſunt in Galliâ. Ac fuit fortaſſis ex ejus familiâ *Jacobus Paganus*, cujus *Guibertus* in libro *de Alchemiæ interitu* meminit, qui ad finem magnum opus perduxerat, quod illi neſcio quo caſu turbatum fuit, unde *Guibertus* pro Dæmonis illuſione habet, irriſus propterea à *Libavio Defenſ. 2. Alchemiæ transmutator. not. 8.* Qui an idem *Jacobus Paganus* ſit, de quo memorat *Joh. Pier. Valerianus lib. 1. de Literator. infelicitate*, equidem ignoro. Laudat & ipſe Lullius *Pagani ſummam Hebraicam*, quod mendum eſſe puto, ac legendum *Gebraicam*. Reperitur & in *Bibliotheca Borelli p. 147.* liber manuſcriptus gallicus, cui hic titulus: *Oeure parfaite & pratique ſelon Lulle, qu' il avoit eue de Paganus*, id eſt, *Opus perfectum & conſummatum ſecundum Lullium, quod habuit ille à Pagano.* Quod hanc mihi ſuſpicionem primùm injecit: intelligi illic fortè per *Paganum*, *Villanovanum*, ob ſimilem nominis rationem: nam ab illo artem *Lullius* didiciſſe perhibetur. Sed quoniam *Lullius* aliquoties *Pagani* mentionem facit, & *Pagani* gentis; *Villanovani* Patriæ nomen eſt, verius illa diſtinguuntur. Ab hoc ad *Arnoldum Villanovanum & Raimundum Lullium* me confero, quos *Gabriel Naudæus in defenſione hominum Magiæ inſimulatorum* gallicè ſcripta, Chemicorum Deos tutelares per contemptum vocat. Ille Magiſter Lullii in hâc arte, ut conſtat è teſtimoniis ab aliis adductis. *Raimundus Lullius*, Vir ex antiquâ & nobili Lulliorum Barcinonenſium familiâ oriundus, & pro genio illorum temporum ingenioſiſſimus fuit: Injuriam enim illi facit Naudæus, qui ut indoctum Monachum longè Arnoldo minorem habet. Magnam vim librorum, tum in omni doctrinâ, tum in Chemiâ conſcripſit, quorum quingentos aliqui; aliqui vel mille numerant. Chemicorum, qui quidem editi, per quàm multi ſunt: ineditorum longe plures. Eorum, ſi rectè memini, penè ſexaginta ſunt in Bibliothecâ Viennenſi, quorum catalogum mihi oſtendit Nobiliſſimus Dn.

 Olden-

Oldenburgius: exstantque etiam in Bibliothecâ Vossianâ non pauci. Invehitur in illum *Bzovius ad A. C. 1372.* tribuens illi hæreses ac errores: aliqui etiam magiæ insimulant. Sed confuderunt duos ejus nominis. Alter enim è Judæo conversus ad fidem Christianam 60. annis majoricano illo posterior fuit, qui magicos libros de invocatione Dæmonum scripsit. Videri ea de re potest *Franciscus Penna in notis ad Directorium Eimerici part. 2. ad quæst. 20. & 27. Rainaudus in Erotematibus de malis ac bonis libris part. 1. erotem. 10. n. 246.* Plusscula etiam in *Odorici Rainaldi continuatione Annalium Baronii* de iis, quæ ad *Lullium* & *Villanovanum* spectant, legere me memini. Sed jam liber non est ad manus. Id quoque in more positum esse video Scriptoribus Pontificiis, ut hominum suorum scripta Chemica vel dissimulent, vel pro suppositis habeant, cum tamen scripta ab illis fuisse longè sit certissimum. Id & in *Villanovani*, & in *Lullii* operibus recensendis factum ab illis est; ac *Villanovani* opera omnia, quæ uno volumine edita sunt, disertis verbis Chemica, ceu ficta & spuria excludunt. Idem in nonnullis Scriptoribus Anglis fecit *Centuriarum Balei* compilator *Pitsæus*. Ubi enim ille vel è *Lelandi* monumentis, vel antiquâ traditione Operum Chemicorum à Viris illustribus conscriptorum mentionem facit, pertinaci silentio plagiarius *Pitsæus* omnia abscondit, ne ulla ejus rei memoria relinquatur. Quod fortè ob contemptum artis χρυσοποιητικῆς factum est; ne scilicet in re, Pontificum decretis improbatâ, vel se indignâ, operam posuisse viderentur. Constanti famâ traditur, & ut *Cambdenus* in Reliquiis suis (*Remaines*) *p. 172.* ait, veritate non scriptâ, *by an unwritten verity* (nisi quod Lullius passim illud ipse fateatur, ac Cremerus Abbas Westmonasteriensis in Testamento suo testetur) confectum fuisse à Lullio in Angliâ in arce Londinensi aurum pro Rege Edoardo III. ut eo in bello adversus infideles uteretur: unde postea moneta illa cusa, quæ *Rosa nobilis* vel *Nobile Raimundi* vocata fuit; cujus effigiem Seldenus *Maris clausi lib. 2. c. 25.* exhibuit, alterâ parte rosâ insignitæ: alterâ navi, cum inscriptione symboli Chemicorum: *JESUS autem transibat per medium eorum.* Ejus rei veritatem Robertus Constantinus se inquirendo comperisse testatur in *Nomenclat. Script. Medic.* ut calumnia itaque sit *Alexandri à Suchten*, qui Nobile Raimundi à Rege Raimundo, qui nullus in Angliâ fuit, non à Raimundo Lullio originem habuisse persvadere nobis contendit. Et auget ejus fidem, quod ipse etiam Cambdenus loco memorato observat, nullam fuisse in Angliâ auream monetam cusam ante Edoardi III. tempora. Fortassis & ista χρυσοποιΐα occasionem Edoardo dedit, ut legem diceret de non exportando auro & argento, nec eo multiplicando. Quod Vir quidam doctus, quidam etiam è gente Anglicâ, ita acceperunt, ac si omnis Alchemia sub multiplicatione auri & argenti interdicta fuerit. Sed is error est. Is enim

nim

nim hujus legis (quæ Anglicâ lingua ſcripta in libro ſtatutorum *Poultoni* invenitur) ſenſus eſt: non eſſe miſcenda cum auro & argento alia metalla: id enim per multiplicationem hîc intelligitur, quod ipſa legis verba innuunt. Ac ſtulta omninò fuiſſet multiplicationis Chemicæ prohibitio. Id quoque referri hîc meretur, iſtâ hiſtoriâ præcipuè motum Henricum IV. Regem Angliæ, quatuor edicta publicaſſe ad omnes nobiles, milites, Doctores, Profeſſores, Sacerdotes, quibus eos adhortatur, ut Lapidis Philoſophici præparationem inveniant, aut ſi quis ſciat arcanum illud, revelet ſibi: quo æris alieni onere liberari Reſpublica poſſit. Speciatim verò ad Sacerdotes lepidâ hâc ratione uſus eſt: quod, cum ſint adeò felices in pane & vino in corpus & ſanguinem Chriſti transſubſtantiandis, facilè etiam ignobilius metallum in nobilius convertere poſſint. Sed fruſtra res omnis fuit, ac nemo comparuit. Mentionem horum edictorum facit *Joh. Pettus* libro Anglicâ linguâ ſcripto, cui titulus: *Fodinæ Regales, or the hiſtory, Laws and places of the chief mines and mineral works in Engeland &c. part. 1. c. 27.* & ipſe Londini apud cuſtodem Regiorum diplomatum inquiſivi, qui autographa hodieque ſupereſſe in Archivo teſtabatur. Non defuerunt tamen, qui tot exiſtentibus documentis, hiſtoriæ de Lullio ejuſque aurificio veritatem in dubium vocare auſi ſunt, moti præcipuè temporum incertitudine. Nam, ut notiora tranſeam, *Vincentius Mutius* Hiſpanus, libro, cui titulus: *Hiſtoria del reyno de Malorca, non paucis argumentis productis omnem* χρυσοποιίας Lullianæ famam elevare laborat, quorum præcipuum eſt: fato jam functum fuiſſe in Africâ Lullium *Anno 1315.* cum puer triennis eſſet Edoardus III. quem Conringius etiam ſcrupulum injecit. Qui tantum apud Borrichium pondus habuit, ut hiſtoriam hujus rei, contra communem ipſorum Anglorum ſententiam, in tempora Edoardi I. rejiceret. Verum cum Vincentius Mutius, ut Borrichius jam tum probavit, in Anglicâ hiſtoriâ planè hoſpes fuerit, vero eſt ſimile, in Lullianâ etiam impingere. Natus fuit Lullius, ſi Mutio credimus, A. C. 1235. Edoardus III. *Anno à nato Chriſtô 1327.* ætatis quarto & decimo regnare cœpit, undecimo ſcilicet à morte Lullii creditâ: cujus primi anni illuſtre ſpecimen dedit, in defendendâ ab injuriis oppidanorum Cantabrigienſi Academiâ, teſte *Cajo lib. 1. Hiſt. Acad. Cantabr. p. 67.* Admittamus nativitatis tempus: mortis tempus falsò aſſignari certus ſum. Nam præterquam, quod *Wolff. Juſtus in Chronol. Med.* vixiſſe adhuc Lullium Anno 1321. ſedente ad clavum imperii Ludovico Bavaro, ſcribit, ipſe de ſe Lullius, teſtis inter omnes fide digniſſimus, *libro de Mercuriis cap. 40.* narrat, ſe Mediolani A. C. 1333. cum ſociis quibusdam ſuis Lapidis Philoſophici opus abſolviſſe. Quo in loco, quanquam typographi erratum cauſatur Borrichius, ex aliis tamen Lullii locis idem pro-

probatur, ubi disertis verbis, non ciphris, scripta hæc habentur. Sic enim circa finem Testamenti novissimi sui Lullius: *Factum habemus testamentum per virtutem Dei in insulâ Angliæ terræ, in Ecclesiâ Sanctæ Catharinæ apud Londinenses, versus partem Castelli, ante Cameram, regnante Edoardo per Dei gratiam, in cujus manibus ponimus in custodiâ per voluntatem DEI præsens testamentum, anno post incarnationem millesimo trecentesimo trigesimo secundo, cum omnibus suis voluminibus.* Verum hìc alius ex alio scrupulus oritur. Vixit Lullius *anno 1332.* Londini, ac ibi libros in arte Chemicâ scripsit, fortassis & aurum tum confecit; & *librò de Mercuriis* tamen anno sequenti in Italia se opus suum absolvisse scribit. Aut itaque bis Angliam adiit, quod placuit quidem *Eliæ Ashmol*, Nobili Anglo, *notis in Theatrum Chemicum Britannicum à se editum p. 443.* sed probabile non videtur, libros Chemicos Lullium scripsisse, antequam plenam artis suæ notitiam adeptus fuerat: aut error aliquis in annorum numeris latet, quod vero esse simile probari è *Lullii Testamento Novissimo cap. 14.* potest: ubi Anno 1330. opus suum se Mediolani absolvisse memorat. Potuit itaque ex eo tempore adiisse Angliam, invitatus à *Cremero Abbate Westmonasteriensi,* quem & ipsum Edoardi III. tempore vixisse constat. Is enim cum per Italiam peregrinaretur, ad notitiam Raimundi artisque communionem admissus, secum illum duxit. Juvat ipsum audire in *Testamento* suo hæc narrantem: *Quanto magis legi, tanto magis erravi usque dum in Italiam divinâ providentiâ me contulerim, ubi Deo optimo maximo visum fuerat, me in sodalitium unius viri non minus dignitate, quàm omni genere eruditionis præditi, Raimundi nomine, destinare, in cujus sodalitate diu remoratus sum, sicque favorem in conspectu boni hujus Viri nactus sim, quod ille aliquam partem hujus tanti mysterii aperuerit, propterea illum multis precibus ita tractavi, quod mecum in hanc Insulam veniret, mecumque duos annos manserit. In cujus temporis tractu sum absolutivè tantum opus consecutus. Posteaque hunc Virum egregium in conspectu inclitissimi Regis Edoardi deduxi, à quo meritâ dignitate recipitur, & omni humanitate tractatur, ibique multis promissis, pactis conditionibusque à Rege inductus, erat contentus, Regem permissione divina suâ arte divitem facere. Hâc solummodo conditione, ut Rex in propriâ personâ adversus Turcas, inimicos Dei, bellum gereret, impenderetque super Domum Domini. Sed proh dolor hoc promissum erat irritum à Rege violatumque, tum ille vir pius in spiritibus penetralibusque cordis sui afflictus hinc trans mare lamentabili miserabilique more aufugit, quod cor meum urit non mediocriter.* Ex iis itaque, quæ hìc jecimus, argumentis, satis, ut puto, patet, non mutandos esse Edoardos, quod vult Vir Clarissimus, sed historiam omnem ad Tertium ejus nominis referendam: cætera enim, quæ illic in contrarium adducit, non tanti mihi videntur, ut aliam sententiam persuadeant. Fuerit itaque Lullius, cum in Angliâ testamentum suum novissi-

vissimum scriberet, si annum nativitatis, quem nominavit Mutius, supponimus, nonaginta & septem annos natus: quod à vero alienum censeri non debet, cum extremâ demum senectâ secreti tanti participem factum fuisse constet, ac in *Petri Pacifici Legatione Persicâ* ad annum centesimum & quadragesimum quintum vitam beneficio auri sui potabilis produxisse legamus: cujus tamen an aliud exstet fide dignum testimonium, dubito. Vitam ejus scripserunt *Symphorianus Campegius & Carolus Bovillus*, ac alii nonnulli. Scripsit & popularis ejus Vitæ Lullianæ historiam, sed quam videre nunquam contigit, nisi titulo tantùm in Catalogo selectissimæ bibliothecæ *Raphaelis Tricheti du Fresne*, hoc modo notatam: *Vida del admirable Dottor Romon Lull compuesta por Juan Segti en Malorcq 1605. 8.* Quæ si ad manus fuisset, paratiora hinc fortè ad dissertationem nostram illustrandam habuissemus subsidia: in quâ diutius hæsimus, cum nullum exstet illustrius ad omnem posteritatem exemplum. Lullio σύγχρονος fuit *Petrus Bonus*, qui *Margaritam*, uti vocat, *pretiosam* scripsit unà cum *introductione ad Alchemiam*, quâ barbaro quidam stilo, sed more tunc temporis Scholasticis usitato, è Principiis peripateticis doctrinam Chemicorum stabilivit. Scriptus liber est A. 1330. in civitate *Pole*, provinciâ Istriæ. Primùm edidit *Toxites* Medicus Argentoratensis Basileæ *A. C. 1572.* quæ editio melior est eâ, quæ in *Theatro* habetur. Scripsit idem, ut in fine libri hujus fatetur, alium de eâdem materiâ, quem ipse potiùs abolere, quam in lucem mittere voluit. In epitomen ejus aliorumque nonnullorum scripta redegit *Janus Lacinius*, Monachus Calaber in *Collectaneis*, ut vocat, *Chemicis*, Noribergæ apud Petreum impressis, & in *pretiosâ Margaritâ* Venetiis apud Aldum eleganti typo, cum iconibus etiam vasorum ad Alchemiam necessariorum, editâ. *Rogeri Baconis* Angli scripta in summo etiam Philo-Chemicis pretio, & meritò quidem habentur. Ejus pauca habentur in *Theatro Chemico*; aliqua opuscula seorsim edita Francofurti. Plurima ejus manuscripta latent in Bibliothecis Anglicis; ac magno ære redimitur, quicquid ejus viri haberi potest. Fuit ultra seculi sui genium ad stuporem in omni eruditionis genere doctissimus. Qui epistolam ejus *de secretis artis & naturæ* leget, tot in rebus naturalibus & mathematicis, jam tum illi inventa videbit, quibus nostra nunc secula triumphant. Pulveris certè pyrii prima excogitatio huic tribuenda est, non *Bartholdo* illi *Swartzio* Cimbro. Iniquior enim populari suo est *Cambdenus*, qui in *Reliquiis* suis *Baconi* abjudicatam *Swartzio* tribuit: cum ille duobus, ni fallor, seculis prior jam tùm pulveris istius indicium faciat. Habuit certè è Baconum familiâ felicissima semper ingenia Gens Anglica, & nuper *Franciscum*, immortale abstrusioris doctrinæ decus, & magnum seculi nostri ornamentum. Famosus ille Anglorum Propheta *Merlinus* à *Balao* inter

Oo Posses-

Possessores magni arcani refertur, totamque ejus Prophetiam, in quam *Alanus ab Insulis* commentatus est, chemici argumenti esse multi contendunt: ac extat de illo in *Arte Auriferâ* aliquod scripti Alchemici fragmentum. De Fratre *Valentino Basilio* omnia incerta sunt, quæ memorantur, quanquam diligentissime in ejus historiam inquisitum fuerit ab Imperatoribus Germanicis. Ejus scripta in multis apparent mutilata. Nam monstravit mihi *Ericus Mauritius*, Collega quondam meus conjunctissimus, nunc illustris Cameræ Spirensis Assessor, magnum non Jurisprudentiæ tantùm, sed & omnis elegantioris doctrinæ decus, quas è Manuscripto Codice Bibliothecæ Viennensis insignes lacinias enotaverat, quæ in impressis exemplaribus non comparent. Non paucos etiam in Chemicorum ordine Poëtas habemus, qui & ipsi ποιηταί à Scriptoribus Græcis Chemicis dicti sunt, inter quos est *Johannes de Meung Clopinell*, Autor Gallus, Doctor etiam Theologiæ, sed lepidi ingenii homo, è quibus falsò duos facit *Naudæus* in notâ illâ, quam citat *Hornius in præfatione Gebri sui*: dicit enim autores fabulæ de Rosâ fuisse Johannem de Meung & Clopinellum: cum tamen alterum verum nomen sit, alterum à patriâ desumptum. Scripsit is fabulam Comicam de Rosâ (*le Roman de la Rose*) inchoatam à *Guilielmo de Lorris*, cujus vetustum exemplar ad manus meas pervenit. Multa hic admiscet Chemica, quæ indicio sunt, altius quid illum sapuisse. Et mihi quidem dubium non est, permultos tales libros amatorios fabulosos ab omni ævo fuisse scriptos, qui tegerent hæc sub involucris istis arcana. In Heliodori Æthiopicis, quem Chemico studio fuisse addictum constat, ejus rei vestigia clara deprehenduntur: cumque ab Ægyptiis & Arabibus primùm id genus librorum frequentatum fuerit, ut docuit nos in pulcherrimâ suâ dissertatione *de l' origine des Romans Daniel Huetus*, per est verosimile, multos è libris istis ad artem Alchemicam, quam illi profitebantur, tegendam fuisse scriptos. Plura de Clopinello hoc lepida commemorant *Fauchet de antiquis Gallorum Poëtis lib. 2. 126.* & qui ex eo plurima capit in Bibliothecâ Gallicâ *Verdierius*. Scripsit & alios quosdam de erroribus Alchemistarum versus, in quos commentatus est *Nicolaus Flamellus*, scriba Parisiensis, quem & ipsum possessorem Arcani Chemici habent; maximas enim impensas in templa & magnificas structuras fecit: quanquam *Georgius Hornius* in præfatione Gebri è Naudæo referat, Flamellum non operationibus Chemicis, sed aliis quibusdam artibus, è Judæorum relegatorum bonis, tantas parasse opes, quas lapidis Philosophici figmento occultarit. Idem refert *Croix du Maine* in Bibliothecâ suâ *p. 343.* Pluribus vero argumentis non contemnendis imputatas illi fraudes confutat, chemicæque ejus scientiæ veritatem demonstrat *P. Borellus in Dictionario antiquarum vocum Gallicarum p. 158. & seqq.* Nam quod de Judæis è

Gal-

Galliâ pulsis, unde opes suas acquisiverit, objicitur, centum & amplius annis post Flamelli tempora factum id fuisse dicit, qui opus magnum Anno 1382. confecit: Calumniæ verò occasionem hinc datam, quod cum Judæis conversatus fuerit, quibus opus habuit ad interpretationem libri Hebraici ab Abrahamo Judæo quodam scripti, unde lapidis confectionem didicit. Qui liber tandem in manus Cardinalis Richelii, paulò ante mortem ejus pervenit, ut narravit Borello *Dominus de Cabrieres*, Nobilis Gallicus, qui ipsum illud *αὐτόγραφον* vidit. Immensæ fuerunt Flamelli divitiæ, quas liberalissimâ manu in miseros homines, templa & Xenodochia impendit, ut Parisiis penè nullum sit Xenodochium aut ædes sacra, in quâ ejus effigies & figuræ quædam hieroglyphicæ Chemicæ non compareant. Quæ cum innotescerent Regi, in mandatis Magistro libellorum supplicum tunc temporis *Cramoisio* dedit, ut de iis inquireret. Flamellus verò, ut hanc à se amoveret molestiam, pyxidem pulvere aurifico plenam *Cramoisio* obtulit, quam diu in istâ familiâ asservatam fama est. Ejus testamenti tabulas, Codicillum, cum quadraginta aliis schedis, inspexit Borellus, copiam eorum faciente *Domino de Sauvale*, è quibus id comperit: Uxoris ejus Petronellæ sororem, *Perierio* cuidam nuptam, unum è filiis Nicolaum habuisse, quem Borellus arcani chemici hæredem à Flamello institutum ex eo conjicit. Fuit *Perierius* aliquis Medicus hujus pulveris possessor, quem cognatus ejus *Boisius* post mortem ejus inter schedas inventum abstulit, sed suo exitio. Nam cum imprudenter passim experimenta faceret, seque autorem gereret, artem vero ipsam, quod ab eo poscebatur, docere non posset, suspendio affectus est, dicente sententiam Richelio. De auro per pulverem *Boisii* confecto memorabile est, quod narrat idem *Borellus p.488.* quod cum plumbo in cupella positum, bonam plumbi partem in sui naturam converterit. Quod ideo factum, quia ipse veram pulveris ad metallum tingendum proportionem ignoravit. Circumferuntur quidem aliqui processus de Lapide Philosophico sub *Boisii* nomine: nam vidi ipse aliquem inter schedas Anglicas manu Digbei scriptas, quas possidet *Caspar Marchius* Collega meus honoratissimus: sed falsi procul dubio sunt, & ab impostoribus conficti. Plura legi apud ipsum Borellum possunt. Inter latinos scriptores non ineleganti carmine libris tribus *χρυσοποιΐαν Johannes Aurelius Augurellus* descripsit, ut alios incultiores prætereeam. Anglorum de istâ arte Poëtas & eorum fragmenta collegit *Elias Ashmol* in primâ parte *Theatri Chimici Britannici*, & notas adjecit, quibus non pauca continentur ad historiam Chemicorum Anglorum facientia. Cæteræ ejus partes frustra exspectantur. Magna de *Paracelso* superiore seculo fama fuit, quo de homine varia sunt doctorum judicia. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Præcipua suæ doctrinæ *Isaaci Hollandi* scriptis editis, unde multa de-

ſcripſiſſe quidam volunt, & Doctoris cujusdam Chemici informationi debet. Ingenioſum fuiſſe ac magnorum arcanorum poſſeſſorem nemo tamen negaverit. Id magnam homini invidiam conciliavit, quod ubique in Medicos debacchetur & profundam naturæ ignorantiam objiciat: quanquam fervore tum opus erat, ſi aliquam novæ ſuæ doctrinæ autoritatem conciliare vellet. Id quoque in eo deſiderari poteſt, quod Philoſophorum veterum ſcholis non ſatis imbutus miras & monſtroſas ſibi opiniones, ac neſcio quæ aſtra ac Entia multorum effectuum principia finxerit, forte Lucretianum illud animo volvens:

Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.

Denique & magiæ illum accuſant, à quâ tamen, vel ſaltim praxi ejus, illum defendit Naudæus in *Apologia hominum pro Magis habitorum part. 1. c. 14.* & æquius fortaſſis judicabunt, qui non ab ipſo ſed ab aliis Scripta ejus edita perpendent. Multos habuit adverſarios, & quidem inter ipſos Chemiæ veteris Profeſſores, qui eum ut Sophiſtam & Impoſtorem paſſim depingunt, inter quos Libavius aliique fuerunt. Conringius quoque accuratè in ejus vitam & ſcripta inquiſivit, libro de Medicinâ Hermeticâ. Sed tamen non paucos defenſores ac in doctrinâ ſuâ ſectatores habuit. De diſſenſu ejus à veterum Chemicorum ſcriptis jam ſuperiùs dixi. Quanquam veroſimile ſit longo ex uſu ſemper doctiorem Paracelſum in multis ſub finem vitæ aliter quàm olim ſenſiſſe. Exſtant quædam χρυσοποιΐας ejus teſtimonia, quibus tamen alii habent, quæ opponant. Si manus à Theologiâ abſtinuiſſet; minus opinor in ſe invidiæ derivaſſet. Nam & hujus dogmata ad principia Chemica refingere voluit: ac vidi tria, ſi rectè memini, manuſcipta Paracelſi volumina in Bibliothecâ Voſſianâ, quibus in libros Novi Fœderis commentatur. Hinc orta illa *Fratrum Roſeæ Crucis* ſocietas, ſimilia Theologo-Magico-Chemica dogmata jactans, cujus doctrinam inanem & ſophiſticam detexit *Libavius* & *Naudæus peculiari ad Gaſſendum epiſtolâ.* Non paucis tamen, etiam viris doctis illi homines impoſuere; *Michaeli* quoque *Mejero*, qui aliquot libris eorum cauſam egit. Mirum quanta inde ſequentibus annis ſeges Chemico-Enthuſiaſtarum orta fuerit; quanta librorum ſophiſticorum turba, planè alia à veteribus illis docentium. Nam plurimi illorum maluerunt ἀσεβεῖν, & vel à ſpiritu mundi, vel ſale univerſali, aut aliâ re incomprehenſibili, chemica principia deducere; quam cum veteribus in incunabulis ſuis, terræ ſcilicet viſceribus, illa quærere. Novi ex hujus farinæ ſcriptoribus multos, atque inter illos *Weigelii librum de Igne & Azot*, manuſcriptos omnes, magno pretio Amſterodami venditos. Sed non eſt ut illis immoremur. *Theobaldi ab Hogbeland*, qui ſe ficto nomine appel-

appellat *Ewaldum Vogelium*, tractatus Chemici à peritis ejus artis præ cæteris æstimari solent. Scripsit librum de *difficultatibus Alchemiæ*, aliumque de *Lapidis Physici conditionibus*. Nec memini unquam ab eo de *vanitate Alchemiæ* quicquam scriptum, ut vult Kircherus. Habemus & alium ab eo librum, in quo historias transmutationum metallicarum consignavit. Perspicuâ dictione usus est, & cæteris luculentius scribit. Multis arcani possessor creditur; initium operis se habuisse ipse non diffitetur. Filius ejus *Cornelius ab Hogheland*, qui de *Dei existentiâ* scripsit & de *Oeconomia animalis*, nihil quidem ipse habuit arcani, sed scripta Theobaldi quædam secutus, multa cum Cartesio operatus est, ut narravit mihi amicus, nullo tamen successu. *Petrus Job. Faber*, qui fotassis etiam hodie vivit, *à Comite de Flisco Decad. de Fato p. 132.* pro vero possessore habetur. *Nostris*, inquit, *temporibus Petrus Job. Faber lapidem Philosophicum composuit.* Multis certè scriptis id ipse orbi persuadere voluit. Verùm apud me, nisi idoneis documentis fulciantur, talia non facilè fidem inveniunt. *Arcanum Hermeticæ Philosophiæ*, opus quod *Enchiridio Physicæ restitutæ Spagneti* additur, eleganter scriptum est, & genuinum se facilè ipso habitu ostendit: nec leve argumentum est, quod ab *Anonymo Philalethâ*, quem verum hodie vivere possessorem, è relatione illustris Viri scio, aliquoties ejus mentio fiat, qui interdum, ubi non nominat, integras ex eo periodos exscribit. In utroque vero ita sibi respondet dictio non inculta, ut ab uno autore omnia profecta quis existimare possit. Nam *Spagnetum* non esse Autorem Arcani Hermetici, sed editorem tantùm, *Borellus in Bibliothecâ* suâ prodidit: Anonymus vero Nobilis Galli, non *Spagneti* nomine eum citat. Est vero is, qui se *Philaletben* vocat, gente Anglus, de quo hæc mihi Londini narravit Vir Illustris & fide dignissimus, qui & ipse Virum hunc benè novit. Appulit is aliquando locum aliquem Indiæ Orientalis, cujus nomen mihi excidit, hospitio *Georgii Starkey* Pharmacopolæ, popularis sui, exceptus. Cum hujus filio familiariter conversatus nomen illi suum sub jurisjurandi fide revelavit, ac tincturæ particulam dedit, unà cum libro quodam edendo, cujus pars aliqua sub titulo: *Introitus apertus ad occlusum Regis palatium*, ante aliquot annos, curante *Johanne Langio*, Amstelodami edita: altera pars alio titulo à *Birrio* Medico Amstelodamensi, sed cui Philalethæ nomen incognitum, prodiit. Diu ineditus liber per manus Philo-Chemicorum vagatus est, & mentionem ejus facit *Georgius Hornius in præfatione Gebri* à se editi: sed injurius in bonum hunc Autorem est, quo nemo, ut apparet, candidius & majori perspicuitate in hoc argumento versatus est, eum vocando Sophistam, quod ad ejus præscriptum operatus nihil profecerit. Latinâ linguâ librum scriptum esse arguunt omnia: non potuit enim mihi sententiam suam probare, qui Anglicâ lin-

câ linguâ Αὐτόγραφον, à Langianâ editione in quibusdam discrepans, nuper publicavit. Dictio ipsa latina, versiculi παρῳμιώδεις nonnunquam è Poetis citati facilè id evincunt. Quæ in Anglicâ editione nonnunquam interseruntur laciniæ, ab aliena manu esse videntur, & loco alieno assutæ. Bina ego aliquando habui exemplaria manuscripta latina, quorum alterum à communicatione ipsius *Starkey*, cujus nomen in frontispicio, & India patria posita erat, profectum; unde historiæ, quam supra narravi, fides firmatur; alterum ab alio amico habui. Quæ tam à Birrio, quàm à Langio edita sunt, in illis conjunguntur. Sed deest in editis *à Birrio tract.* 3. parti, cui titulus: *Fons Chemicæ Philosophiæ*, integrum caput præliminare de *calcinatione Philosophicâ*, quod in scriptis habetur: ubi alia quoque est librorum partitio, ac integri nonnunquam versus & periodi habentur, quæ in editis non comparent. Ille verò *Starkey*, qui ab Autore hunc librum habuit, Angliam postea redux aliquoties pulveris sui experimenta Londini fecit: cumque ipse ad operis confectionem accedere vellet (præcepta enim aliqua à Doctore suo acceperat) frustra laboravit. Audio tamen in librorum suorum aliquo, cui titulus: *Marrow of Alchimy* i. e. *medulla Alchemiæ*, mentionem quandam de his rebus facere: sed adipisci librum in Angliâ non potui, quâcunq; etiam diligentiâ quæsitum. Cæteri ejus libri de *pyrotechniâ*, & quos in *defensionem Helmontii* scripsit, non adeò rari sunt. Intempestivum hîc esset, & Tibi, Vir Amplissime, tædiosum, cæteris quibusdam minutioribus recensendis tempus inutiliter terere: nam & ipse longè eos rectiùs nosti, quàm ego, qui hæc Tibi scribo, & præcipui eorum junctim quibusdam voluminibus: *Arte Auriferâ: Theatro Chemico: Museo Hermetico* (è quo multa se arcana didicisse fatetur *Petrus Joh. Faber*, quod penè in cœlum laudibus extollit) *Theatro Chemico Britannico* ab *Elia Ashmol* edito, in lucem prodierunt. Multa quæ ad artem ipsam & autorum historiam pertinent, *Michael Mejerus in Symbolis aureæ mensæ; septimanâ Philosophicâ*, & *Libavius* in scriptis suis eruditè nec indiligenter tractarunt. Atque hæc de Autoribus hujus doctrinæ dicta sunto: quos scio multos spernere ob horridam dictionem, rerum obscuritatem, & morem philosophandi hoc seculo insolitum. Sed iniqui sunt censores, qui talia vitio hominibus illis vertunt. Frustra enim ab illo seculo quis exspectaverit elegantias: res ipsa, ne planè indignis illa pateret, non nisi ænigmaticâ scribendi formâ proponi volebat. Nec sordere modus philosophandi tum publicus in Philosophiâ naturali debet. Modo rem videat, verba & notiones æquus arbiter facilè condonabit. Latuerunt nonnunquam intra Cœnobiorum parietes præclara ingenia, quæ, cum otio abundarent, sibi relicta, nec rerum domesticarum curis angerentur, in multa arcana meditatione ac experimentis assiduis penetrare potuerunt,

runt, à quibus aliis negotiis distenti submoventur. Hinc apud Monachos plura artis Chemicæ documenta, quàm alibi invenimus. Qui fructum aliquem è scriptis illis reportare cupit, singulari arte ἑρμηνευτικῇ opus habet: nam terminos primùm nosse debet, occultiores illos, quorum integrum Lexicon facilè quis conficiat. Vulgarium enim Lexica complura scripta: sensus è locis similibus per collationes mutuas investigandi: cujus aliquod specimen *Lagnæus in Harmoniâ suâ Chemica* dedit. Nec alio consilio, quanquam tumultuariâ operâ, congesta est *Turba Philosophorum* in *Arte aurifera*, à quâ tamen multum discrepat illa, quæ reperitur in *Theatro Chemico.* Aliam Gallicâ linguâ *Bernhardus Comes Trevisanus* concinnavit.

Restat nunc, ut de artis hujus experimentis, quæ ad notitiam hominum pervenêre, quædam hactenus ignota in medium producam: neque enim animus est recoquere, quæ à *Theobaldo Hogheland* aliisque collecta sunt χρυσοποιΐας exempla: & multa ipsi jam in superioribus recensuimus. Primo loco hîc nominabo tot experimentis celebrem nobilem Scotum *Alexandrum Setonium vel Sidonium*, qui magnam libri Hoghelandæi partem conficit. Sed ad Hoghelandi notitiam omnia non pervenerunt. Ostensa mihi fuit Amstelodami lamina quædam aurea, *à Johannis Antonidæ van der Linden*, Medici Professoris Clarissimi filio Medico, quæ particula erat auri, quod Scotus ille Enchusæ, ubi medicinam faciebat Pater *Johannis Antonidæ*, Amstelodamensis Medici Avus, in ædibus nautæ *Jacobi Hanssen*, è plumbo confecerat, à quo habuit particulam illam Medicus Enchusanus. Tempus verò ille manu suâ accuratè signaverat: Annum 1602. diem 13. Martii, horam quartam pomeridianam. Occasio notitiæ, quæ Scoto cum nautâ fuit, è naufragio orta est. Nauta enim ad littus Scoticum eô tractu, quo prædia ille habebat, ejectus, humaniter ab illo habitus, hospitio Enchusam venientem exceperat. Is postea in Germaniâ plura artis suæ specimina ostendit, ut pene exitium sibi ipsi struxerit, à quo per Sendivogium, Polonum, vel Moravum, ut alii volunt, liberatus præmii loco pyxidem pulvere aurifico plenam illi obtulit. Diem interea Setonius obiit. Sendevogius viduâ ejus in uxorem ductâ, quam artis habere notitiam putabat, magnâ spe excidit: nec præter donatum pulverem quicquam habuit. Quem cum ille partim multiplicatione inutiliter tentatâ, partim projectionibus frequentibus coram magnatibus exhausisset, in magna vitæ pericula & in paupertatem ipsam à tantis divitiis incidit. Quæ omnia summ â diligentiâ descripsit *Dominus des Noyers*, Reginæ Poloniæ à Secretis, cujus epistolam *Dictionario suo Borellus p. 479.* inseruit. Nam altera illa, quam & ibidem habet, relatio *Budowskii* Oeconomi Sendivogiani fidem non meretur. Nihil quicquam quod ad summam rei faceret, Sendivogius scivit. Librum tamen Setoni, qui

se

ſe Coſmopolitam vocavit, duodecim ſcilicet Tractatus imprimi curavit. Alter Tractatus de Sulphure ſpurius *Domino de Noyers* habetur, cujus ibi multa affert argumenta. Illud mirabile de Imperiali, cujus dimidiam partem in aurum tinxerat Sendivogius, alterâ parte manente argenteâ. Pars verò aurea tota poroſa fuit, quo patet pulveris aurifici vis in metalli particulas. Hunc nummum ſæpè oſtendit Pariſiis *Dn. de Noyers*, qui ejus poſſeſſor fuit. Novi ipſe amicum, qui ſimilem ab illo nummum vidit alternis ſtriis auriis & argenteis interſtinctum. Quem hoc modo tinxerat Sendivogius. Penicillo aquâ imbuto lineas in nummo duxit: his lineis pulverem inſperſit, ac ſuper ignem, uſque dum candeſceret, poſuit. Quâ itaque parte lineæ ductæ, mutatio in aurum facta eſt, cæteris manentibus argenteis. Sed illud non potuit absque notabili pulveris jacturâ fieri, cujus major quantitas in ignitum, quàm fuſum metallum impendenda eſt. Quâ ratione etiam clavi ferrei tingi poſſunt, copia tincturæ ſupplente quod deeſt habilitati materiæ, quæ tingitur: quemadmodum ſpiritus petrifici ligna ſimilesque materias in lapidem convertunt, quoniam illorum tanta copia eſt, ut omnes occupare poros & meatus poſſint. De Setonio quædam χρυσοποιΐας ſpecimina Hamburgi data *Lavaterus* in librò *de Cenſu* recenſet. De *Eduardo Kellæo* Anglo, res eſt notiſſima, eum coram Imperatore Rudolpho ac Pragæ in ædibus *Thaddæi Hagecii* tinxiſſe, referente id etiam *Gaſſendo, libro de metallis cap. 7.* Habitus erat vulgo pro vero poſſeſſore; ſed tincturam aliundè habuit. Cum vero integra ejus hiſtoria vulgo non ſit cognita, adſcribam, ut ex ore illuſtris viri, qui à famulo Kellæi illam habet, mihi eſt narrata: Notatu enim digna eſt, ac multa habet memorabilia. Fuit Kellæus non Nobilis Anglus, ut quidam putarunt, ſed homo plebejus, Notarius & Advocatus Londinenſis. Is quia liguæ veteris Anglicanæ peritiſſimus fuit, in aliquorum gratiam vetera quædam inſtrumenta auſus eſt corrumpere: cujus criminis cum convinceretur, auribus abſciſſis Londino relegatus eſt, teſte *Weavero* in *monumentis funeralibus*. Profectus itaque Kellæus verſus Walliam, Angliæ Provinciam, ac in oppido aliquo, cujus nomen mihi nunc excidit, apud Cauponem ejus loci divertit. Hîc ante feneſtram poſitum invenit librum antiquiſſimâ lingua Wallica (cujus ille erat peritiſſimus) de arcano lapidis Philoſophici ſcriptum, è cujus lectione occulta quædam tegi ſuſpicatus eſt. Cum itaque quæreret è Caupone, unde hunc librum haberet: reſpondit ille: repertum fuiſſe in ſepulchro cujusdam Epiſcopi, quod eſſet in vicino templo. Res autem ita acta erat. Cum fureret plebs in ſacras imagines ac cruces eo in loco, fama magnarum opum in ſepulchro Epiſcopi reconditarum commota illud aperuit, atque nihil aliud, quàm librum iſtum & duos globos eburneos invenit. Cum ergò ob

ſpem

ſpem illuſam indignarentur, globum alterum eburneum fregerunt, in quo rubicundisſimus ac ponderoſiſſimus pulvis inventus: cujus magna pars, cum guſtu ac odore deſtitueretur, rejecta ac pedibus conculcata fuit. Caupo verò iſte, ut antiquitatis aliquod documentum ſecum tulerat, & librum, & alterum globum integrum (in quo tinctura alba) cum parte pulveris rubicundi ſuperſtite. Rogante itaque Kellæo, ut pulverem ſibi oſtenderet, alterumque globum eburneum, quo ad luſus ſuos jam uſi fuerant pueri, protulit omnia, ac denique libram Sterlingiam offerenti Kellæo vendidit, ut res uſui ſibi non futuras. Kellæus verò cum multa magnifica ac ſplendida in iſto libro legeret, ac diras in eos, qui eſſent abuſuri hoc theſauro, Londinum reverſus eſt, ac in ſuburbio ſubſiſtens, nuncium ad *Johannem Dee, Doct. Theologiæ*, vicinum quondam ſuum, inſignem mathematicum, & rerum Chemicarum æſtimatorem miſit, quò is quàm citiſſimè ad ſe veniret, magnum aliquod ac memorabile viſurus. Advolavit ille à Kellæo ſtatim compellatus: Tu verò dic mihi, quid eſt projectio? ſubridens *Johannes Dee:* Tu verò, ait, rem illam mihi trade, quâ projectio inſtitui debet, & ſtatim te docebo. Tum ille re omni narratâ ac pulvere prolato ad aurifabrum cum *Johanne Dee* abiit, facturus ejus rei experimentum. Ac revera tunc plumbum in aurum mutatum hâc tincturâ viderunt. In ſpem itaque addiſcendi hujus arcani *Joh. Dee* arrectus unà cum *Kellæo*, ac totâ familiâ in Germaniam prius, hinc Pragam in Bohemia commigravit, forte ut fodinis Metallicis propiores, tentare quædam ad libri præſcriptum poſſent, aut ſecuriores illìc, quàm in Patriâ viverent. At Kellæus ſplendida iſtâ fortunâ elatus, ac parum circumſpectus in projectionibus publicè coram Imperatoribus & magnatibus faciendis, magnam primò exiſtimationem ſibi acquiſivit, magnis ac plus quàm regiis largitionibus, quas recenſet *Elias Ashmol in Theatro Chymico Anglico, notis ad librum Eduardi Kellai,* quem edidit fortè ut à Caupone habuit; aut ut ipſe interpolavit. Nam Principibus non ſolùm & legatis multa donavit, ſed & ancillæ ſuæ quatuor millia librarum (credo Sterlingiarum) in dotem dedit. Qui aliunde illum habuiſſe tincturam ignorarunt, crediderunt, tantum ignobilioris metalli illum in aurum mutare potuiſſe, quantum auri pondus fuerat, à quo pulverem vel liquorem fortè extraxerat. Quare autores fuerunt Imperatori, ut non uncias, ſed libras conficere juberet: quod ille quidem facturum ſe promiſit; at non præſtitit. Sed non habuit fortaſſis tantum, quantum libris tingendis ſufficeret. Cum itaque jam ſera eſſet in fundo parſimonia, & Imperator, cui artis, quam ipſe neſciebat, manifeſtationem Kellæus promiſerat, illum urgeret, carceresque minaretur, ad artes magi-

cas confugit, ac ſpiritus conjurans rationem tincturæ parandæ ab illis diſcere voluit. Quotidie ferè inſtituta cum ſpiritibus colloquia, quæ quàm diligentiſſimè notavit omnia *Joh. Deè ſingulari Diario*, quod poſt mortem in manus *Merici Caſauboni*, *Iſaaci Filii*, incidit, qui illud edidit, ut convinceret homines atheos de Spirituum exiſtentiâ. Liber ſpiſſus eſt in folio, miris nugis, precibus, conjurationibus, ſomniis refertus; ſed è quô perfectè omnem hiſtoriam horum hominum ediſcas. Pervenit ejus rei fama ad Eliſabetham Angliæ Reginam, quæ cum Kellæum fruſtra hactenus invitaſſet, *Joh. Dee* tandem precibus ſuis in Angliam revocatum lautæ conditioni præfecit; Is vero ſpes ejus implere non poterat, ac mortuus demum eſt in Angliâ, cum Kellæus antea è crure fracto, dum funiculis ſe è carcere demittere voluit, diem ſuum obierat. Ejusdem mihi hiſtoriæ veritas *à Joachimo Polemanno* confirmabatur, qui eam ſæpe ex ore *Digbæi* audiverat. *Elias* verò *Aſhmol* hujus planè ignarus pro vero Poſſeſſore illum in notis ad Theatrum ſuum habuit: qui & ipſe aliud Diarium manu *Johannis Dee* ſcriptum, ut mihi narravit, poſſidet, è quo plurima ad Kellæi hiſtoriam facientia excerpſit. Sed recentius procul dubio eſt diarium, quod Caſaubonus edidit: nam in *Aſhmoli* illo paſſim notatum eſt: quot uncias auri hoc vel illo die confecerit. Memorabile eſt hoc, quod fragmentum Vaſis cujusdam culinaris in argentum mutaverit, ita ut extrema fragmenti Vaſi accuratè aptari potuerint, quod ad Reginam Eliſabetham unà cum ipſo vaſe transmiſſum eſt. De *Butlero*, de cujus lapillo mirabiles curationes recenſet Helmontius, cum ejus hiſtoria nemini, quod ſciam, prodita ſit, ut ex ore ejusdem Viri illuſtris habeo, recitabo. Fuit *Butlerus* nobilis Hibernus, cumque Juvenis in Africam navigaturus eſſet, à Piratis captus Regulo cuidam Arabi pro mancipio venditus eſt. Is poſſeſſor magni arcani fuit, ut ſunt in Arabiâ multi, & hujus ſervi ſui miniſterio ad opera quædam vulgaria Chemica uſus eſt. Qui cum eſſet ſagaciſſimus, ſubolfecit ſecretiores Domini ſui labores, ac in pyxidem aliquam incidit, quâ recondebatur magnus ille naturæ theſaurus. Cujus rei cùm jam certus eſſet, cum mercatore Anglico illic vivente pactus eſt, ut ſe ab hero ſuo redimeret. Redemit ille: *Butlerus* verò pyxidem illam tanti arcani cuſtodem furto ſubripuit, atque in Angliam navigavit, ubi privatim coram aliquibus projectionem fecit. Ea fama pervenerat ad Medicum quendam Hibernum, popularem ejus, quem permovit, ut relictâ familiâ ſuâ ac praxi medicâ, ipſe Butlero, ſpe arcani potiundi, famularetur. Multum temporis interceſſerat, cum nihil deprehendere potuit Medicus, & omnia clanculum ageret Butlerus. Transegit itaque cum hoſpite pretio dato, ut locum aliquem

quem obſcurum poſt Butleri conclave ſibi concederet, quo per rimas aut foramina quædam obſervare illum poſſet. Accidit itaque, cum aliquando plumbi & hydrargyri quantitatem emere juſſiſſet Butlerus, ac ſtatim in vicinam urbem negotii cauſa ablegaſſet, ut ille tempus jam idoneum ſuſpicatus ſimulato abitu domi remanſerit. Quare poſt conclave in ſellis duabus vel tribus ſibi ſuperimpoſitis conſtitit, ut per foramina prius à ſe facta deſpicere in conclave Butleri poſſet. Vidit itaque furnum parare Butlerum, plumbum ac hydrargyrum igni apponere. Vidit de pavimento, effracto lapide, producentem pyxidem aliquam rubicundo pulvere plenam. Cumq; quantum ſatis erat, è pyxide ceperat Butlerus, ac jamjam liquefacto plumbo ac hydrargyro calido immiſſurus erat: Medicus nimio videndi deſiderio incenſus propius ſe foramini admovit; cum corporis ſui pondere ſella ſuprema inclinata præcipitem illum dedit. Quo ſtrepitu attonitus Butlerus obſervatorem ſuum penè transfixiſſet, niſi interceſſiſſet hoſpes; Medicus verò ille ſtatim herum ſuum coram Magiſtratu Londinenſi, ut Monetæ falſarium, accuſavit. Quo in carcerem conjecto, ac ſuppellectile ejus perluſtratâ nihil quidem inſtrumentorum monetariorum, ſed quadraginta auri libræ inventæ ſunt. Quod cum falſum primò ſuſpicarentur judices, genuinum omni examine deprehenderunt. Quoniam itaque documenta non eſſent, quibus convinci poſſet Butlerus, è carcere iterum dimiſſus eſt. Idem Butlerus Ducem de Buckingham, cum iter ſuum in peregrinas regiones inſtituturus eſſet, *(narrabo, quæ ex ipſius Ducis Oeconomi ore accepit qui hæc mihi narravit)* adiit, ac aliquam Cambii ſchedulam ad Mercatorem Batavum ultro obtulit, ſi fortè apud peregrinos pecunia illum aliquando deficeret. Riſit Dux; ſed ne inofficioſus videretur, ſchedulam accepit, eam ut nullo ſibi uſui futuram negligens. Accidit itaque, ut Ducem Amſtelodami viventem Mercator aliquis Butleri nomine ſalutaret, ac ducenties millia aureorum ejus nomine offerret, ſi pecunia egeret. Obſtupuit ſummâ iſtâ oblatâ Dux; ſed accipere detrectavit. Cum verò poſtea per Angliam inoteſceret de Butleri divitiis, per artem Chemicam paratis, ac ſaluti ſuæ diffideret, in Hiſpaniam navigans unà cum tincturâ aquis ſubmerſus eſt. Medicus verò ille laqueo poſtea multatus eſt, quod populares ſuos rebelles pulveris pyrii conficiendi rationem docuerit. Atque ita Butlerus furti, Medicus proditionis pœnam dedit. Hanc hiſtoriam è relatione ipſius Medici Hiberni Vir ille illuſtris habuit. *Jacobus Cor* Regi Galliæ Carolo VII. à Conſiliis, Vir illuſtris & magnorum munerum, à Borello inter Poſſeſſores tanti quoque arcani habetur, &, ſi rectè memini, *Claudius Seiſſelius in hiſtoriâ Lud. XI.* tradit, adjutum fuiſſe Regem Carolum, auro ejus

Chemico in bello contra Anglos. Borellus in *Dictionar. à p. 272. ad 279.* varia ejus χρυσοποιΐας probandæ argumenta affert. Inter quæ & illud refert: quod vitrum malleabile confecerit, clarissimum quidem & perspicuum, sed quod Solis tantum corpus videndum exhiberet; radios verò non transmitteret. In eo tamen miserè labitur, quod à Lullio artem didicisse putet, qui penè integro à Lullio seculo distat. Non contemnendum & illud aurificii specimen est, quod ipse tentavit *Berigardus circ. Pisan. 25. Referam*, inquit, *tibi fideliter, quod olim mihi contigit, cum vehementer ambigerem, an aurum ex hydrargyro fieri posset: accepi à Viro industrio, qui hunc mihi scrupulum auferre voluit, drachmam pulveris, colore non absimilis flori papaveris sylvestris, odore vero sal marinum adustum referentis, atque ut abesset omnis suspicio jocosæ fraudis, vasculum è multis venalibus unum accepi, carbonem & hydrargyrum, quibus nihil auri occultè, ut fit à circulatoribus, subjectum esset. Decem istis drachmis pulverem injeci subjecto igne satis valido, statimque omnia exiguo intertrimento in decem fere drachmas auri optimæ naturæ coaluerunt, quippe quod aurificum judicio nullam non subiit tentationem. Hoc nisi in solo loco & remoto ab arbitris comprobassem: suspicarer aliquid subesse fraudis: nam fidenter testari possum, rem ita esse.* Hæc ille, Vir elegantis doctrinæ & minimè vanus. Quibus subjicio quæ Hamelius refert libro *de Fossilibus lib. 2. c. 10. p. 252. Paucis*, inquit, *abhinc annis* (editus vero est liber anno 1660) *aurifaber Parisiensis, quem, si necesse foret, nomine designarem, aliquot granula pulveris aurifici à Polono in Patriam remeante accepit, cujus ope plumbum fusum in aurum purissimum commutavit.* Addit porro ad collocutorem (nam Dialogus est) se convertens: *Est homo nasutissimus, ac tibi forte, mi Theophile, à nomine & facie notus. Thuillius* quoque Commentario in Emblema *Alciati 189.* auri factitii talis meminit: *Quid quod ego ipse hisce oculis vidi, hisce manibus contrectavi massam auri à quodam mihi satis noto & familiari confectam, & in Archiducali Academiæ Frieburgi Brisgoiæ publicæ Disputationi, quæ fieri id posse negabat, illatam.* De Libero Barone *de Chaos*, qui antea Richthenser/ dictus fuit, satis nota sunt specimina, quæ coram Imperatore Ferdinando III. fecit: quorum testis exhibetur nummus, cujus effigies in *Zwelfferi Mantissâ Spagyricâ* & apud alios visitur. Unde verò is pulverem habuerit, è relatione cujusdam Amici scio. Sed illa privatis aliquando colloquiis reservo. Habuit idem Rubinum uviformem, arte ab alio quodam confectum, quem ad manus Reginæ Christinæ ex occupatione Pragensi pervenisse Amicus mihi narravit. In historiam transmutationis in *Cornelii Martini*, Professoris Helmstadiensis ædibus à Nobili quodam factæ, quam narrat *Zwelfferus Mantiss. Spagyr. p. 329.* inquisivi diligentius: sed non potuerunt eam mihi confirmare Amici Helmstadi-

ſtadienſes: niſi quod *Cornelium Martini* multam laboribus Chemicis impendiſſe operam teſtentur. Ac ipſe in *Analyſi Logica c. 8.* ſuo teſtimonio veritatem artis comprobat. Narrationem de pulvere aurifico Imperatori à ſene quodam incognito oblato, ac rei experimento, habet *Monconiſius Itinerario ſuo part. 2. p. 371.* qui & *p. 378. & 379.* hiſtoriam transmutationis per Baronem de Chaos factæ recenſet & *pag. 372.* aliam de projectione coram Electore Moguntino factam, & *p. 381.* iterum aliam de auro Chemico Guſtavo Adolpho à quodam Mercatore Lubecenſi oblato. Similiter & *in Miſcellaneis Medico-Phyſicis Naturæ Curioſorum de An. 1670.* de Rudolpho II. hujus artis gnaro, quam cubiculario ſuo manifeſtavit: de milite quodam, qui plumbum in argentum convertit, cui pyxis argentifico pulvere plena furto ſubrepta, hiſtoriæ antehac ignotæ referuntur. Sed quis omnium illorum teſtimoniorum numerum iniret? Non pauca his jam à me allatis addere poſſem, ab amicis, quorum certa fides eſt, mihi narrata. Sed iſta mihi ac aliis amicis privatim ſcio, nec in publicum ea proferre licet. Sufficere, ut arbitror, ea, quæ adduximus, poſſunt ad expugnandam eorum pervicaciam, qui nullis argumentis & vix ſuis convinci ſenſibus poſſunt. Quorum ſanè hominum plurimi ſunt. Cum enim maxima eorum pars rerum naturalium viciſſitudines & abſconditam poteſtatem ignoret, aut ingenii ſui normâ metiatur, fieri plerumque ſolet, ut quod novum illis aut inſolitum videtur, primum in dubium vocent; hinc, cum ingenio conſequi non valent, ut rem inanem & fictam contemnant: cæterosque cupidine inquirendi ductos rideant aut inſectentur. Illorum quanquam reprehendenda arrogantia & malitia eſt, horum tamen laudanda quidem eſt, ſed non ſuadenda inconſulta induſtria. Cum enim tot tantisque difficultatibus obſepta ſint hæc ſtudia, imprudenter profecto facit, qui in rem omnium incertiſſimam & ſumptus & bonas horas impendit. Niſi enim θεὸς ἀπὸ μηχανῆς intervenerit, aut Doctor aliquis, fruſtra omnem pro lapide conſequendo lapidem movebimus. Accedit fatalis, qui comitatur illa ſtudia, contemptus, homini honeſto gravis: detrahit enim de judicii opinione apud Viros prudentes malè inſtituta utilium proviſio, cum molimur rem inanem, tot impoſturis infamem, tot aliorum damnis & periculis nobilitatam. Quam ob cauſam inter perdita ingenia referebat Cardinalis Perronius (ut ex ſchedis illis, quæ à F F. Puteanis conſignatæ ſunt, conſtat) quæ in ſtudiis illis, vel multiplicatione cubi, vel perpetuo mobili, vel Aſtrologiâ judiciaria tempus ſuum ponunt. Rectiùs itaque agunt, qui præcipitio hoc relicto ad plana ſe conferunt & in vicina naturæ opera contemplationes minore cum damno & periculo conjunctas defigunt. Unde & ſapientiæ natu-

naturali & Medicinæ nova ſemper lux inferri poſſit. Quod facere Te, Vir Ampliſſime, cum magno Virorum celeberrimorum applauſu videmus, qui nova ſubinde ex officinâ tuâ Chemicâ arcana exſpectant. Ego verò quem aliena planè ſtudia ſibi mancipatum habent (neque enim vel legibus Romanis, vel humanioribus ſtudiis, quibus hactenus vaco, quicquam cum re Chemicâ commercii eſt) per tranſennam iſta inſpiciens vobis intra Cancellos veſtros dijudicanda relinquo. De Epiſtolâ hâc, jam in librum moleſtiâ & tædiosâ tibi diſſertatione abeunte, quod libitum eſt, ſtatues: quæ ſi lucem ferre apta nata non eſt, tuâ ſententiâ in ignem eat, victima Vulcani aris immolanda. Vale. Dab. Kiloni a. d. XXVI. Febr. Anno CIↃ IↃC LXXIII.

DE

DE

PARADOXIS SENSUUM,

Resp. ANDR. PLOMANN, Regiomont.

Ad diem 7. Mart. 1676.

CAPUT I.

DE

Paradoxis sensuum in genere.

De Paradoxis sensuum dissertaturi, primum, quid eo titulo intellectum velimus, monebimus, ut constet, quos intrà carceres tenere se debeat, quæ nobis instituitur disputatio. Primum ratio sensionis, quâ in re consistat, inter Peripateticos recentioresque Philosophos disceptatur, quibus omnibus recensendis ventilandisque ut immoremur, instituti nostri ratio non admittit. In eo conveniunt omnes, tria potissimum ad actionem sentiendi requiri. Organa bene constituta, sive illa communia sint, sive propria. 2. Objecta. 3. Media inter organa & objecta. Singulis suæ sunt conditiones in determinandis sensibus. Quæ si non recte se habeant, accidit sæpe, ut in errores inducantur sensus nostri: unde circa affectiones rerum demonstrandas imponere nobis ipsis aliisque solemus, ut quot capita, tot sensus habeamus. De ea sensuum etiam in manifestis aberratione sunt qui integros libros scripsere: sed ea ad παράδοξα nostra non pertinent. Quo nomine ea comprehendimus, quæ sensui præter opinionem communem accidunt. Accidunt vero 1. Ratione *organi*, si quis sine organo sensui suo familiari, vel alterius sensus organo, quid percipiat; ut, si alio, quam auditus organo, sonum percipiat; alio organo, quam oculis videat, vel plane sine illo quicquam sentiat. 2. Ratione *objecti*, si obje-

objectum uni sensui conveniens alio comprehendatur: ut si, quod oculorum judicium est manuum tactu exploretur; vel si ipsum objectum non sit ejus naturæ, ut sentiri possit, & tamen sentiatur; aut ejus excellentia, quæ sensus lædere solet, tamen non lædat, sed boni aliquid afferat. 3. Ratione *medii*, si vel illud plane deficiat, vel inconveniens sit, vel non eo modo se habeat, quo illud habere se debet. 4. Ratione *effectus*, si sensio ista talem effectum vel in suo, vel in alio corpore producat, qui sit à communi opinione alienus, aut plane portentosus. E quatuor istis capitibus censeri παράδοξα nostra volo. Notari tamen hic velim, non intelligere nos objecta pluribus sensibus communia: qualia sunt, motus, quies, numerus, situs, magnitudo. In iis enim nullum est παράδοξον, sed quæ uni sensui propria sunt. Quemadmodum non citra magnam aliquam παραδοξολογίαν aut τρόπον sonus videri, vel color audiri dicitur: Est enim color visûs objectum proprium, sonus auditûs. Quanquam enim sonorum & radiorum magna sit inter se proportio, aut, ut *Verulamius* loquitur *in Sylva Sylvarum*, symbolizatio, quo in loco pluribus experimentis doctrinam hanc illustrat: Quanquam etiam ad unicum sensum internum omnes illi exteriores, velut ad scopum & centrum suum tendant, ac proinde etiam inter se conspirent, unde unicum nonnullis sensum Tactus statuere placuit, absque quô nullum haberi sensum etiam Aristoteles ajebat l. 3. de anima c. 13. ratione tamen organorum, quibus suscipiuntur isti motus, & ad interiora transmittuntur, & aliquarum tum objecti, tum medii, conditionum diversitas est. Neque enim auris ita formata est, ut coloribus moveri, aut affici queat; neque oculi machina apta est, ut motus sonoros persentiscat. Ipsius itaque naturæ monitu sensus secundum illa distribuere ac definire docemur: quorum munia limitesque si vel verè pervertantur, aut perverti videantur; si ipsi inusitatos effectus producant, id haberi παράδοξον potest. Verum de iis speciatim infra agemus. Circa sensus in genere consideratos παράδοξα nonnullorum etiam placita sunt, quæ revera talia, & falsa potius, dicenda sunt. Sunt hic, qui in excessu, sunt, qui in defectu peccant. Aliqui sensuum imperium latius, quam par est, extendunt, aliqui nimis restringunt. *Thomas Campanella* sensu suo adeo abundat, ut de eo omnibus corporibus largiatur. Scripsit enim *de sensu libros quatuor*, quibus demonstrare laborat, mundum omnesque illius partes partiumque particulas sensu donatas esse, alias clariori, alias obscuriori, quantum sufficit ipsarum conservationi ac totius. In hac sententia sua, tum rationibus, tum exemplis adstruenda, mire ingeniosus & operosus est. Quæ tamen si excusseris, parum solidi, plusque fuci & ornatus, quam veri sensus habent. *Hobbesius* in physic. sive naturæ phænom. c. 25. irrefragabilem hanc habet opinionem

nem, si natura sensionis in reactione sola collocatur. Et rectè quidem. Neque enim quia nullus sensus sine reactione est, omnis reactio sensum infert. Multi sunt in natura corporum motus tum interni, tum externi, quos ad sentiendi facultatem reducere nulla nos ratio jubet. Cujus rationem formalem quanquam in contactu solo ponit Campanella: *ridiculum enim*, inquit, *esse, ideo sensum rebus negare, quod organis destituantur:* est tamen præter tactum aliquod principium ponendum, quo corpora sentire dicantur. Ex tactu enim solo demonstrari id nequit. Si ad animam mundi recurramus; quam id longe petitum sit, quivis videt. Nam & ipsi à non paucis dica scribitur. Et si maxime esset, non inde sensus omnium particularum probaretur. Elementa sentire dicit Campanella, quia componunt corpora sentiendi facultate prædita, animalia sc. nihil autem esse in effectis, quod non sit in causis. Quo certe argumento nihil colligitur; nam nec animalia proximè ex elementis composita, sed ex semine à corpore sentienti deciso. An vero prima illa animalia à Deo creata elementis sentiendi facultatem debeant, nec Campellana, nec quivis alius definiverit. Ac si res ita se haberet, ut vult Campanella, vereor ne canoni illi litem moturi sunt nonnulli. Nam Gassendus in libro suo de sensu non contemnentis argumentis probare nititur, posse ex re insensili rem sensilem fieri. Nolo nunc dicere, quibus absurdis per hanc sententiam fenestra aperiatur. Nam si quid occultius occurrit in natura phænomenon, quod vel occulta qualitate, magnetismo, sympathia, antipathia absolvunt, qui veras rerum causas vel ignorant, vel reddere nequeunt, ac quidvis potius causantur, quam ut causarum rudes habeantur; novum nunc illis latibulum in sensu hoc rerum universali repertum est. Campanella certe viam hoc commento ostendit, atque omnia ista magnetismi, sympathiæ exempla vulgo jactata, quanquam magnam partem fabulosa, & à recentioribus nonnullis ad manifestas causas reducta, ad probandam suam sententiam operose adducit. Verum non ignorantiæ tantum, sed & omnium anilium superstitionum & præstigiarum magicarum velamentum est, cui fini scripti potissimum libri illi videntur; quorum extremus de magia est, multa continens censura severiore digna. Nihil non est somniorum, divinationum, præstigiarum, fascinationum, incantationum, quod non ista hypothesi, velut Orci aliquâ galeâ, defendatur. Quam enim παράδοξα & errorum fœcunda dogmata illa sunt, quæ libro tertio inculcat: *Aerem esse spiritum communem, & deferre scientiam spirituum animalibus inclusorum ab altero in alterum: aërem affici rebus præsentibus futurisque, atque nobis communicare.* Sed mittam ista. In plantis adhuc luculentiora sensus specimina esse contendit, ut quæ organa quædam habeant animalibus conformia: *Si plantis*,

inquit, *insunt ossa, medulla, nervi, fibra, corium, os, vestes, arma & prolificatio, fatendum est, animalia esse, sensuque abundare. Hoc quidem argumentum imperitis & stupidis quoque suaderet, qui sensum non norunt, nisi per organa.* Habet is quidem ejusdem sententiæ patronos inter veteres, Democritum, Anaxagoram, & Empedoclem, si Aristoteli l. 1. de plantis referenti fides habenda est, & novissime *Marcellus Malpighius*, subtilissimus corporum scrutator, in plantis simulacra quædam organorum respiratoriorum sibi deprehendere visus est: At ego certè fateor, me non adeo subtilem esse, ut perspiciam, in quo vis argumenti ejus sita sit, quæ stupidos etiam de sensu plantarum convincat. Mihi ista non nisi vegetationis argumenta sunt. Quo magis miror, observatorem rerum naturalium diligentissimum in eandem sententiam nuper prolapsum, libro, quem de insectis scripsit, rationibus certe non magni momenti inductum. Ut enim prætercam, quæ è Poëtis Italis prolixe in pompam potius, quam in rei fidem, adducit, his etiam argumentis pugnat: quod plantæ animalium instar nutriantur, crescant, semenque pariter & fructum producant, nec non anxie solem, & apertum serenumque aërem quærant, umbras noxias fugiant: quæ nec simpliciter vera sunt, & vegetationem tantum ostendunt. Illô vero, quod subjungit: *Quis scit, si non usque adeo altè in terris redicata essent, & pedes organaque haberent, annon vitatura lædentem & læsa lamentis & vocibus dolorem suum testatura essent:* non philosophum, sed declamatorem, aut Poëtam agere mihi vir doctissimus videtur. Quod attinet animalcula in fructibus arborum nata, quibus probare intendit, propagari in ista animam sentientem ex ipsâ arbore, de iis magna certe adhuc sub judice lis est, annon aliunde invecta istorum insectorum semina. A quâ sententiâ nec ipsum abhorrere Virum doctissimum, ex libro ejus constat, ac confirmant hodie accuratissimi insectorum exploratores. Quæ recensentur ab Herbariis ad eam rem historiolæ, vel fabulosæ sunt, vel in fallacia causæ versantur, ut nihil efficiant illis sensus in plantis propugnatores. Campanellæ lepida de fungis quibusdam gregatim in Bisniani territorio nascentibus affertur narratio, qui moschum olentes, si quis ventrem exoneraverit in loco, ubi nascuntur, fugiant, ac paulò distantius nascantur. Adeò ne fungi quidem fungi sunt, quibus etiam nasum habere datum est! Quod de foliis arborum ad lacum quendam provinciæ Peking positarum narrant Sinici scriptores, ea in hirundines mutari, ipse pro fabula habet Vir doctissimus in experimentis suis naturalibus. Anseres vel Anates, quas Bernacles vocant, ex arboribus, vel ejusdem fructibus, vel truncis, vel conchis nasci, fabula est; quicquid etiam tum ratiociniis tum testimoniis eam ornet Meierus libro de volucri arborea, frustra ad oculatam suam fidem provocans. Nam falsum eo fuisse optimum doctissimum-

mumque virum, ex nuperis itinerum relationibus constat, quæ veros ovi natales iis asserunt. Ut itaque ex istis Historiolis parum firmetur ista assertio. Mirum est, non reperiri etiam nunc, qui ita cum ratione insaniant, ut cum Manichæis animam plantis rationalem adscribant, aut Ovidianâ μεταμορφώσει eam in plantas deductam credant, aut cum Ægyptiis latitantia sub iis numina venerentur. Qui in defectu peccant, adeo sunt à sensu communi & suo alieni, ut quia de re omni dubitant, etiam sensibus suis diffidant. Quâ opinione, vel morbo potius, laborarunt olim Pyrrhonii & Sceptici, qui per sophisticas ineptias merosque paralogismos, ex eô, quod sensus sæpe fallant, non eorum tantum certitudinem, sed omnium, quæ â sensibus dependent, scientiarum fundamenta concutere laborarunt. Quanquam multi etiam inter illos vafritie quadam ignorantiam rerum manifestarum simulabant, ut ea, quæ nesciebant, scire putarentur: multi vanam gloriolam ex ostentatione declamatoria, in utramque partem de re quavis disserendo, quærebant. Sed istas argutias solide refutavit libro *de veritate scientiarum Marinus Mersennus.* Aliqui animalibus sensus inesse negarunt, ac nuper admodum *Antonius Grandis*, perspicuus diligentissimusque Cartesianæ Philosophiæ assertor, libellum conscripsit singularem, *de carentia sensus & cognitionis in brutis.* De istoc argumento jam superiori seculo operosum edidit & triginta annorum librum *Gometius Pereira*, Philosophus ac Medicus Hispanus. Inscribitur liber, ab Antonio & Margaritâ, parentum nominibus, *Antoniana Margarita*, excusus Methynæ Campi, anno 1554. & peculiari pro eo apologiâ scriptâ defenditur ab objectionibus *Michaelis à Palacios*, Theologi Salmanticensis. Summa utriusque libri, si rem ipsam videamus, pene conspirat. Uterque enim sensum à ratione non sejungit, quæ olim etiam Stratonis physici, & Ænesidemi, teste Laertio & Sexto Empirico, ac aliorum sententia fuit. Quo consequetur, bestias vel carere sensu, quia carent ratione, vel rationales esse, cum sentiant. Posterius Pythagoræi olim & Platonici statuebant: quorum sententiam è recentioribus defendendam suscepit *Franciscus Patricius, in πανψυχίᾳ sua.* Quibus absurdiora videntur illa, quæ nuper Vir clarissimus, * *libro de Poëmatum cantu & viribus Rhythmi* pag. 66. scribit: *Animalium, quæ vulgo bruta creduntur, meliorem longe, quam nostram videri conditionem, utpote quæ promtius & forsan felicius sensus suos & cogitationes sine interprete significant, quam nulli queant mortales, præsertim si peregrino utantur sermone.* Quare autor est hominibus, ut *pulsa tot linguarum peste & confusione unam hanc artem discant, quâ signis, nutibus, gestibusque quidvis explicent.* Quo certè consilio homines dediscere humanam, ac induere brutorum naturam jubemur: quæ fortassis ad geniorum naturam, (si Diis placet) propius accedunt,

* Est is *Isaacus Vossius.*

dunt, quod citra ambages cogitata sua significent. Verum cum ista absurda fuerit visa plurimis sententia, contrariam arripuerunt, qua sensu omni exuerunt bruta animantia. Antonius Grandis, ut animi sui sensa luculentius explicaret, tres sentiendi gradus fecit. Primus gradus illi simplicem motum continet, quem objectum nervis imprimit. Secundus perceptionem complectitur, quæ illi motui alligata est, quales sunt perceptiones doloris, sitis, famis, caloris. Tertius comprehendit omnia illa judicia, quæ eas perceptiones sequuntur. Jam verò bruta illi non nisi primo gradu sentiunt, qui illi verus sensus non est, atque adeò mere passive illa se hic habent. Gometii Pereiræ sententia non discrepat. Censet enim, animantium organa à speciebus rerum amicarum trahi per sympathiam, illa vero fugere à re inimicâ sibi objectâ. Quibus, quanquam sympathiæ & antipathiæ, tractionis & fugæ vocabula delicatioribus Philosophis fastidio sint, nihil tamen aliud significatur, quàm quod in sola aliqua passione consistat brutorum sensus. Omnes itaque illas actiones brutorum vel ex solo motu organi corporei, vel ex peculiari naturæ instinctu deducit, qui an à sensu sejungi possit, alii viderint. Antonii Grandis sententia è Cartesiana hypothesi derivatur, quæ bruta habet automata quædam naturalia. Cartesius sc. ut animæ rationalis naturam demonstraret, in cogitatione eam reposuit. Quam ideò brutis abjudicavit, ut eo certiora haberet præsidia, quibus animam humanam in solido collocaret: A præjudicio itaque nostro esse putat, quod, quia nostra sensione cogitatio includitur, ideo cogitare etiam animalia existimemus, cum ista sensio solâ illa corporis & organorum dispositione possit expediri. A quâ sententiâ nec Honoratum Fabri, Aristoteli aliàs addictum, alienum video. Gometium Pereiram, popularem suum, quanquam dissimulato nomine, paucis refutat *Valesius de Philosophia sacra c. 55.* Nec video, quam ob causam secundus ille sensûs gradus, qui in perceptione consistit Antonio Grandi, brutis animantibus sit negandus; quæ revera percipere famem, dolorem, sitim, videmus. Ad quam intellectu, mea quidem sententiâ, non indigent; sufficere autem distinctioni inter bruta & homines tertius sentiendi gradus possit. Quis credat, non distinguere bruta quæ vident, licet de coloribus non judicent, ac nominibus suis designent. Atque eo modo, cum Clar. *Wallisio, libro de anima brutorum*, cognitionem eis adscribere non vereor, præsertim cum tam admirabiles sint operationes eorum, quibus in explicandis multum fatigatur Gran-[illegible] Non tamen adeò irrefragabilem sententiam suam ipse, quâ est mode-[illegible]dicat Cartesius. *Quamvis*, inquit, in Ep. ad Henricum Morum, [illegible] *monstrato habeam, probari non posse, aliquam esse in brutis cogitationem,* [illegible] *puto posse demonstrari, nullam esse, quia mens humana illorum corda non*

perva-

pervadit. Nullam vero iis esse, ex eo colligit, quod nunquam fuerit observatum, ullum brutum animal eò perfectionis devenisse, ut verâ loquelâ uteretur, hoc est, ut aliquid vel voce vel nutibus indicaret, quod ad solam cogitationem, non verò ad impetum naturalem possit referri. Quæ, si Autorem Tract. de Poëmatum cantu audimus, non modo falsa sunt: sed & bruta animatia cogitationum significatione humanum etiam genus superant. Ego vero Terentianum hoc ingemino:

Næ, faciunt homines intelligendo, ut nihil intelligant!

CAP. II.

DE
Paradoxis Visus.

VEniamus nunc ad paradoxa singulorum sensuum, in quibus primas Visus merito tenet. Ejus *organon* oculus; *objectum*, corpus lucidum & coloratum; *medium*, aer illuminatus, vel quodvis aliud diaphanum. De singulis plena manu Optici. Nos paradoxa nostra videbimus. Ac primum quidem *ratione organi* paradoxa quandoque accidunt visui. Nolo nunc recensere prolixius, quæ de oculi organo per humorum expressionem turbato passim notata sunt, quem una cum visu restituere per aquam ex Chelidonia præparatam docuit peculiaribus epistolis ad Bartholinum scriptis *Fr. Burrius*: alii solius naturæ ope regenerari observarunt, quibus similia jam tum suo tempore *Aristoteles, in Historia sua Naturali* de hirundinibus & serpentibus notaverat, pro fabulosis habita, nisi experimenti novitas veteri narrationi, ut sæpissime fieri nunc videmus, fidem quasi postliminio reduxisset. Quæri hic à nonnullis possit: an cœci, quibus oculi non afficiuntur objectorum specie, sentire tamen objecta ad visum pertinentia interno quodam sensu possint? Disputatur apud doctissimum Philosophum Patavinum, *Claudium Berigardum in Circulo Pisano, parte 7. Circulo 12.* prolixè eo de negotio, & ostenditur, etiam cœcos colorum imagines videre posse, modo nervus opticus talem motionem subeat, quam illi imprimerent res luminosæ, si oculus esset omnibus suis numeris absolutus. Qualia phænomena vel ignium lucentium, vel colorum, nobis sæpe observantur, in ipsis etiam spissis tenebris, oculisque clausis, etiam post gravem plagam inflictam oculis, aut fauces elisas, aut vehementem capitis percussionem. Hinc esse, quod cœci narrent, mira se aliquando comprehendere inter-

dunt, quod citra ambages cogitata sua significent. Verum cum ista absurda fuerit visa plurimis sententia, contrariam arripuerunt, qua sensu omni exuerunt bruta animantia. Antonius Grandis, ut animi sui sensa luculentius explicaret, tres sentiendi gradus fecit. Primus gradus illi simplicem motum continet, quem objectum nervis imprimit. Secundus perceptionem complectitur, quæ illi motui alligata est, quales sunt perceptiones doloris, sitis, famis, caloris. Tertius comprehendit omnia illa judicia, quæ eas perceptiones sequuntur. Jam verò bruta illi non nisi primo gradu sentiunt, qui illi verus sensus non est, atque adeò mere passive illa se hic habent. Gometii Pereiræ sententia non discrepat. Censet enim, animantium organa à speciebus rerum amicarum trahi per sympathiam, illa vero fugere à re inimicâ sibi objectâ. Quibus, quanquam sympathiæ & antipathiæ, tractionis & fugæ vocabula delicatioribus Philosophis fastidio sint, nihil tamen aliud significatur, quàm quod in sola aliqua passione consistat brutorum sensus. Omnes itaque illas actiones brutorum vel ex solo motu organi corporei, vel ex peculiari naturæ instinctu deducit, qui an à sensu sejungi possit, alii viderint. Antonii Grandis sententia è Cartesiana hypothesi derivatur, quæ bruta habet automata quædam naturalia. Cartesius sc. ut animæ rationalis naturam demonstraret, in cogitatione eam reposuit. Quam ideò brutis abjudicavit, ut eo certiora haberet præsidia, quibus animam humanam in solido collocaret: A præjudicio itaque nostro esse putat, quod, quia nostra sensione cogitatio includitur, ideo cogitare etiam animalia existimemus, cum ista sensio solâ illa corporis & organorum dispositione possit expediri. A quâ sententiâ nec Honoratum Fabri, Aristoteli aliàs addictum, alienum video. Gometium Pereiram, popularem suum, quanquam dissimulato nomine, paucis refutat *Valesius de Philosophia sacra c. 55.* Nec video, quam ob causam secundus ille sensûs gradus, qui in perceptione consistit Antonio Grandi, brutis animantibus sit negandus; quæ revera percipere famem, dolorem, sitim, videmus. Ad quam intellectu, mea quidem sententiâ, non indigent; sufficere autem distinctioni inter bruta & homines tertius sentiendi gradus possit. Quis credat, non distinguere bruta quæ vident, licet de coloribus non judicent, ac nominibus suis designent. Atque eo modo, cum Clar. *Wallisio, libro de anima brutorum,* cognitionem eis adscribere non vereor, præsertim cum tam admirabiles sint operationes eorum, quibus in explicandis multum fatigatur Grandis. Non tamen adeò irrefragabilem sententiam suam ipse, quâ est modestia, judicat Cartesius. *Quamvis*, inquit, in Ep. ad Henricum Morum, *pro demonstrato habeam, probari non posse, aliquam esse in brutis cogitationem, non ideo puto posse demonstrari, nullam esse, quia mens humana illorum corda non*

perva-

pervadit. Nullam vero iis esse, ex eo colligit, quod nunquam fuerit observatum, ullum brutum animal eò perfectionis devenisse, ut verâ loquelâ uteretur, hoc est, ut aliquid vel voce vel nutibus indicaret, quod ad solam cogitationem, non verò ad impetum naturalem possit referri. Quæ, si Autorem Tract. de Poëmatum cantu audimus, non modo falsa sunt: sed & bruta animatia cogitationum significatione humanum etiam genus superant. Ego vero Terentianum hoc ingemino:

Ne, faciunt homines intelligendo, ut nihil intelligant!

CAP. II.

DE *Paradoxis Visus.*

VEniamus nunc ad paradoxa singulorum sensuum, in quibus primas Visus merito tenet. Ejus *organon* oculus; *objectum*, corpus lucidum & coloratum; *medium*, aer illuminatus, vel quodvis aliud diaphanum. De singulis plena manu Optici. Nos paradoxa nostra videbimus. Ac primum quidem *vitione organi* paradoxa quandoque accidunt visui. Nolo nunc recensere prolixius, quæ de oculi organo per humorum expressionem turbato passim notata sunt, quem una cum visu restituere per aquam ex Chelidonia præparatam docuit peculiaribus epistolis ad Bartholinum scriptis *Fr. Barrius:* alii solius naturæ ope regenerari observarunt, quibus similia jam tum suo tempore *Aristoteles, in Historia sua Naturali* de hirundinibus & serpentibus notaverat, pro fabulosis habita, nisi experimenti novitas veteri narrationi, ut sæpissime fieri nunc videmus, fidem quasi postliminio reduxisset. Quæri hic à nonnullis possit: an cœci, quibus oculi non afficiuntur objectorum specie, sentire tamen objecta ad visum pertinentia interno quodam sensu possint? Disputatur apud doctissimum Philosophum Patavinum, *Claudium Berigardum in Circulo Pisano, parte 7. Circulo 12.* prolixè eo de negotio, & ostenditur, etiam cœcos colorum imagines videre posse, modo nervus opticus talem motionem subeat, quam illi imprimerent res luminosæ, si oculus esset omnibus suis numeris absolutus. Qualia phænomena vel ignium lucentium, vel colorum, nobis sæpe observantur, in ipsis etiam spissis tenebris, oculisque clausis, etiam post gravem plagam inflictam oculis, aut fauces elisas, aut vehementem capitis percussionem. Hinc esse, quod cœci narrent, mira se aliquando comprehendere

 inter-

interno sensu, quæ & ipsi colores vocant: sed quoniam illorum nomina, ac distinctionem ostendere non possunt, propterea judicium de coloribus ferre non posse, quibus tamen nomina sibi nota imponere possunt. Ac puto hic distinctione etiam opus esse, inter eum, qui natura cæcus est, & eum qui casu postea factus. Sententiam hanc egregie illustrat exemplum, à *Kenelmo Digbao* productum, *in Tract. de naturâ corporum c. 28. num. 7.* Habuit is pædagogum, cui humor crystallinus utroque in oculo penitus deperierat, ut ne solis quidem claritate moveretur. Is toto corpore, præsertim in cerebro, mutationem quandam persentiscebat à solis præsentia, unde nubilum diem à sereno accurate discernebat, quanquam cubiculo radiis & calori solis impervio inclusus: lusitavit chartis pictis peritissime & latrunculis, globos missiles, orbiculos metallicos super mensâ accuratè torsit, ac multa alia miranda præstitit, internorum sensuum & phantasiæ beneficio, quæ ab aliis accurato oculorum judicio peragi solent. Referri etiam huc memorabile exemplum potest, quod in *Epist. Medicinalibus (75. & 76.)* consignavit *Laurentius Scholtzius*, cui oculi vulnerati per imperitiam chirurgi ita restituti, ut radii visionis in interiorem capitis partem conversi fuerint, oculorum organo totô turbatô; cui tamen ex errore chirurgi ea contigit felicitas, ut per caveam narium videret, iis pro tubo optico usus. Sed de eo rectius disquirent Anatomici. *Ratione Objecti* vario modo paradoxa obveniunt visui. Non tangam nunc, quod in scholis Mathematicis & olim Scepticis disputabatur paradoxon: An objecta vero suo locô videantur verâque quantitate? Primum hic quod notamus est: Non nisi corpora, quatenus lucem & colorem habent, objecta visûs esse posse. Excluduntur itaque Spiritus, & quicquid ad illorum familiam pertinet, nisi ii corpore assumpto sensibus se ingerant, aut nos cum novatoribus quibusdam etiam iis sua quædam corpora largiamur. Quomodo sulphureas quasdam exhalationes iis concedit *Thomas Brown in Pseudodoxia sua Epidemica l. 5. c. 22.* unde colore cæruleo tingi lucernæ possint, hac ratione communem illam vulgi sententiam confirmaturus. Sunt tamen, qui à quibusdam, singulari quasi prærogativa visus, spiritus percipi posse contendunt. Ac Rabbini quidem, diligentissimi nugarum promicondi, singulare parant pro videndis dæmonibus collyrium, quod horribile secretum docuit nos nuper *Clar. Wagenseilius* in Sota *p. 482. Si cui oculis dæmonas usurpare lubido sit, huic capienda secundina felis fœminæ nigræ, primo partu à matre primogenitâ editæ, ea comburenda atque redigenda est in pulverem minutissimum; iste pulvis oculis inspersus faciet, ut dæmones sint visibiles. Cæterum servari istum pluverem oportet in canaliculo ferreo, ferreo annulo obsignato, ne quid exinde suffurentur dæmones, os quoque canalis probe obturandum, ut omne caveatur periculum.* Quanto conatu,

tu, quantæ nugæ! Ejusdem farinæ est, quod observat *Joach. Fortius Ringelbergius, in Experimentis Encyclopædiæ suæ adjectis:* Fabam è corde felis crescentem efficere, ut homo, cujus corpus tangat, non videatur. O catas feles, in quibus repositum hoc arcanum videmus, ut ipsi simus invisibiles, & videamus invisibilia! Similia alii de nigris gallinis nugantur: quæ an ad albæ gallinæ filios, an vero ad nigri Ditis mancipia & Magorum scholas referenda sint, alii viderint. Nos nugas mittimus, & seria agimus. Referri huc potest, quod in *Actis Hafniensibus, volum. 2.* observavit ὁ πολυμαθέστατος Borrichius, de Lynceis quibusdam, ut vocat, Islandicis, qui hominum sive umbras anteambulones, in animalis speciem formatas, sive genios appellare quis malit, clarè distinctèque conspiciant, & ex figuris umbrarum judicent de occultâ hominum inclinatione. Ex earum umbrarum prævisu horis aliquot prænoscere illos, ait, hujus illiusve hominis adventum, prænunciare etiam mercatoribus advenientibus, à quorum conversatione cavere debeant, ex umbrarum amica conspiratione vel aversatione id conjicientes. Quibus geminam historiam è Plutarcho ibidem adducit Vir Clar. sed nobis sane, quid de umbraticis his Vatibus pronunciandum sit, non liquet. Quod illi ex umbris, Fr. Josephus Burrus è lucidis quibusdam speciebus videre se jactitabat, notante Clar. *Thoma Bartholino de luce animal. l. 3. c. 8. Naturale,* inquit, *sibi esse, mihi narravit Fr. Joseph. Burrus, ut lucida species oculis obversantes rerum variarum indicia vel præsagia afferant.* Ex eorum forte familia etiam fuit fatuus ille LEP, quem alebat Tycho Brahe, videns in conclavi, quæ in loco longe ab illo remoto gerebantur, atque ista pronuncians. Cujus singularia aliquot exempla in *Tychonis Brahei vita* recensuit *Gassend. l. 6.* Nisi singularis fortè stultorum quædam prærogativa est, ut volunt nonnulli, futura & absentia tanquàm præsentia intueri. Refertur & apud Camerarium exemplum Hispani alicujus, in Europa, quæ in Africa gerebantur, videntis. Ac sunt, qui specula magica docent conficere, sub certa siderum constellatione, ex omnis generis metallis, arcanâ quâdam proportione inter se mistis, quibus ea, quæ in longinquis etiam locis geruntur, oculis subjiciantur. Nec desunt, qui rationibus etiam naturalibus id tueri non verentur. Quorum in numero Vir suo tempore scientia & experimentis naturæ & artis admirabilis *Rogerus Baco* fuisse videtur, ut conjicere licet ex iis, quæ è *MSto ejus opere ad Clementem IV.* adducit *A. Wood, in Historia & Antiquitatibus Oxoniensibus, l. 1. ad A. 1272.* ubi ait, *omnia sciri per perspectivam, quoniam omnes actiones rerum fiunt secundum specierum & virtutum multiplicationem ab agentibus hujus mundi in materias patientes, & leges hujusmodi multiplicationum non sciuntur, nisi à perspectivâ, nec alibi sunt traditæ adhuc, cum tamen non solum sint communes actioni in*

ni in visum, sed in omnem sensum; & in totam mundi machinam, & in cœlestibus, & inferioribus. Hæc ille, in quibus tamen nos nihil temere pronunciamus: facile enim istis lucis radiis tenebrarum princeps se ingerit. Qui sensum luci cum Campanella attribuunt, non hæc tantum, sed quicquid est magicarum operationum, defendent. Quod si *Marcum Marci* audimus, in *Philosophiâ suâ veteri restitutâ*, non difficile erit, etiam illis portentis fidem facere, & causas assignare. Nam in *part. 3. operis sui section. 5.* prolixe disputat, esse aliquam unionem objectorum & animarum in corpore existentium, etiam præter sensus. Fingit aliquod chaos aëreum & mentale, illud ideis seminalibus, hoc, cujus subjectum cerebrum est, speciebus imaginativis plenum. Utriusque esse occultam aliquam sympathiam, unde contingat sæpe, ut species imaginativæ, quæ chao mentali obversantur, aërem in eadem simulachra convertant; præprimis, si forte tales ideæ quædam seminales in chao aëreo vagentur. Quare in potestate hominis melancholici esse existimat, spectra sibi in aëre efformare. Hinc ecstaticos videre, quæ in longinquis locis fiunt. Hâc arte, his mediis, naturalibus tamen, exercere præstigias suas, dæmonas. Ad has causas refert, quæ in Africæ locis supra syrtim, teste *Diodoro Siculo l. 3.* in tranquillo ac sereno aëre conspiciuntur variorum animalium species, & phasma illud aëreum, quod *Morgana* dicitur, ac similia alia; *quæ Kircherus l. 10. de Arte lucis & umbræ, part. 2. c. 1.* ad rationes opticas reduxit. De quibus, cum prolixiora sint, agere hoc loco fusius non possumus. Eidem, ut puto, causæ adscripsisset Marcus Marci, quod Campanella *l. 3. de sensu rerum c. 10.* affert de Petro aliquo, cujus tanta fuerit sagacitas, ut extemplo perciperet, quicquid alter cogitaret, & quando amicis paratæ fuere insidiæ, sicut venaticus canis odoratus fuerit, & præviderit. Quod ille more suo ad aëris sensum nobiscum communicantem refert. Non possum tamen Marci Marci sententias amplecti, quæ ad salvandas prodigiosas has narratiunculas, quarum tamen fides non usque adeo explorata est, videntur excogitatæ, ac quodammodo cum Campanellæ rerum universali sensu conveniunt. Negari vero non potest, decipi sæpe oculos nostros, & sensus omnes, fingi interdum aliqua à quibusdam, ut novi aliquid observasse videantur. Ac præterea relinquenda est multo maxima pars phænomenorum Physicorum occultioribus quibusdam causis, quæ ab humano ingenio satis deprehendi non possunt. Sit itaque firmum, quod primo loco ponebamus: Spiritus per se non esse objectum visûs; non enim παραδοξολογεῖν, sed falsa dicere videntur, qui in contraria sunt sententia. Venimus nunc ad vera visûs objecta, quæ sunt lux & color, de quibus quæri posset: an illa alterius cujusdam sensus objectum constituere possint? De luce docuit nos Digbæus, ejus radios converti

verti in rubicundum pulverem posse, ut sub tactum cadant. Voluit & nuper Illustris Robertus Boilius tentare, an radii solaris partes ponderabiles efficere posset, ut fecit partes aliquas flammæ. Sed sereno aëre deficiente desistendum illi ab incepto fuit. Quanquam fieri posse non desperet. Qua ratione etiam sub tactum quodammodo quantitas radii solaris cadere possit: sed an in pulverem congenerem abire possit, de eo vehementer dubito. Nos quidem radii aliquam crassitiem esse existimamus, cum *Grimaldo in Physico-Mathesi, de lumine & coloribus, l. 1. prop. 18. num. 5.* quæ & quodammodo, cum per vitrum causticum transmittuntur radii, deprehendi potest, sed certa ejus mensura determinari oculis nequit, quemadmodum sonorum diversi gradus ab aure comprehenduntur. Colores, qui corporibus inhærent, Tactu distingui potuisse à cœco, autor est *Robertus Boilius, libro de coloribus*, quod à superficiei vel lævitate vel asperitate conjecit qui tetigit cœcus. Ajebat ille asperrimam superficiem albi nigrique, glaberrimam rubri, nigrum tamen albo asperiorem, ceteros colores, prout ab extremis abeunt, ferè asperitate decrescere. Cujus rationem non ineptam forte suppeditat *Leibnizius, in hypoth. nova physica num. 31.* quod alba luci magis convexitatem, nigra concavitatem obvertant: unde illa reflectant, hæc abdant lucem, & facies nigri minus planiciei, plus aculeorum habeat: Hinc coctionem ait rubedinem efficere, quod inæqualitates abradat. Objecta visui cum reliquis sensibus communia gradibus differunt, aliqua magis ad visum, minus ad cæteros sensus pertinent. In iis objectis, quæ visum propius tangunt, aliorum sensuum ministerio deprehendendis, mire sagaces esse cœcos, non paucis exemplis constat. Ex istis præcipuum *motus* est. Is si celer nimis sit, vel nimis tardus, oculi observationem excedit. Germinatio, generatio motibus minimorum corporum peraguntur, qui deprehendi oculis non possunt. Sunt tamen, qui eos propemodum visibiles efficere conati sunt. Quemadmodum paucarum horarum spatio Petroselinum è terra produci possit, docet *Honoratus Fabri in libro de plant.* Macerat primum semen aceto, & postea fœcundæ terræ inspergit, cui siliquarum fabarum cineres superinjicit, quos spiritu vini subinde humectat. *Schottus in Jocoseriis artis & naturæ Prop. 55.* monstrat, quomodo lactuca intra horæ spatium è terra produci possit. *Monconisius in secretis Itinerario suo adjectis, Sorellus in Scientia sua Univers. cap. de usu & perfect. plant.* alias methodos præscribunt. Hujus rei fidem labefactare ego nolo, quanquam *Scharrockius*, qui argumentum *de propagatione Plantarum* diligenter exsecutus est, multis tentaminibus nihil se effecisse queratur. Vidimus tamen à natura ipsa maturari fungorum una nocte vegetationem. Referri etiam huc debet, quod Kircherus Monconisium docuit (narrante illo in Itinerario suo)

muſcas ſiccas in pulverem redactas, & poſtea aquâ pluviali aſperſas, horæ unius ſpatio in muſcas iterum formari. Hujus rei fides penes narrantem ſit. Error quoque vulgaris eſt, generari quaſi in inſtanti ranulas ab æſtivâ pluviâ, cui extemporalem hanc generationem adſcribit Campanella. *Joh. Maria Jenochius*, ut refert *Marcus Marci* libro ſuperius citato, p. 3. ſect. 6. ſubject. 4. ajebat, ſe menſe Julio aquæ cœleſtis guttam pulveri illapſam vidiſſe, quæ illico in ranæ formam ſe induerit. At *Scaliger Exerc.* 191. poſt ſemihoram, ex quo pluvia ceciderat, apparuiſſe demum teſtatur. Quæ tamen teſtimonia mihi non ſufficiunt ad extemporalem aliquam generationem probandam: eam enim ſatis operoſam eſſe in ranis, teſtatur *Obſervatio XXXIX. in Actorum Hafnienſium Vol. II.* Nec vero ſimile eſt, naturam nullo tempore ad productionem corporis organici indigere. Itaque ſi obſervatæ ſunt cum pluviæ ortu, vel in nubibus formatæ ſunt, è vaporibus ſeminio ranarum prægnantibus, vel prodierunt è latebris ſuis ad odorem pluviæ, quâ velut lacte paſcuntur, quamque clamoribus provocare ſolent. Quemadmodum lumbrici ad odorem pluviæ è terra prodeunt. Quare ſuperſedere hac in re Philoſophiâ ſuâ arcanâ poterat Marcus Marci, qui neſcio quas ideas ſeminales in guttis pluvialibus comminiſcitur, & ranas quaſdam umbratiles, quæ, poſtquam guttæ ſpiritu terreſtri magis ſolidatæ, in veras ranulas abeant. Sed de objectis viſûs ſatis quidem hactenus. *Medium* aër eſt, iſque illuminatus, vel quodvis aliud diaphanum, abſque quo ſi eſſet, viſio non perficeretur. Sunt tamen exempla non pauca tum animalium tum hominum, qui in tenebris etiam vident, quæ ſumma diligentia recenſet clariſſimus Vir *Thomas Bartholinus, de luce animalium l. 1. c. 14.* & paſſim toto libro, cujus rei cauſa in ſolâ oculorum luce etiam medium per certum aliquod ſpatium illuminante reponenda eſt. Illud autem inprimis mirabile eſt & paradoxon, quod *Boilius in Exerc. de naturâ determinatâ effluviorum* commemorat, de quôdam, qui ex oculorum morbo illud viſus acumen adeptus fuerat, ut noctu evigilans plane videret, & colores ac alia objecta diſtingueret, beneficio morbi illud conſecutus, quod non niſi paucis nativum eſt. Similiter & illud paradoxon eſſe videtur, quod de ligno lucente in tenebris affert idem Autor in Experimentis, quæ in *Actis Anglicis* leguntur *M. Jan. A 1667.* Hoc cum machinæ pnevmaticæ ſuæ imponeret, aëre exantlato lumen omne amiſit, eoque per gradus iterum admiſſo, per gradus illud recepit. Unde patet, neceſſarium quibusdam objectis eſſe aërem ad radios ſpargendos, aliis etiam corpus aëre ſubtilius pro medio inſervire poſſe. Sed ſolida phænomeni hujus ratio hactenus in ſuſpenſo eſt. Procedimus ad *effectus* viſionis. Ii mirabiles nonnullis recenſentur, magnam etiam partem ſuperſtitioſi. Quamquam enim libenter largiar, luci & coloribus

imper-

imperium aliquod esse in spiritus nostros, ut non plane damnandus sit Helmontius, ejusque hac in parte defensor Marcus Marci, qui irradiationi corporum aliquam etiam in curandis morbis potentiam adscribit: non tamen calculum temere adjicerem omnibus amuletis ac Talismanicis imaginibus, quarum doctam defensionem suscepit *Gaffarellus, in Curiositatibus suis inauditis*, quæ tamen omnia phantasiæ operationi adscribenda sunt; uti & illud, quod refert *Bartholinus Cent. 5. Hist. Anatom. 6.* de quodam, cui visô antimonio statim laxata alvus fuerat. De vi fascinatrice oculorum mirabiles ac aniles circumferuntur ineptiæ, quarum potissima pars vix speciem aliquam Physici effectus præ se fert. Ac est sane rerum naturalium, quod civilium, fatum, ut libenter ipsi fingamus portentosas historias, ac svavibus fabulis lubenter nobis imponi patiamur. Larga manu omnia cumulavit in vastissimo libro *de Fascinatione Frommannus*; & experientia, rationibus, & autoritatibus defendere laborat doctissimus Hebræus, *Manasse Ben-Israel*, in *Addendis ad Conciliat. Pentateuchi*, quæ Hispanica lingua producit *Wagenseil in Sota* p. 763. & in Lat. ling. convertit p. 1139. Legi quoque ea de re *Marcus Marci* potest, *in libro sæpius laudato part. 5. sect. 2. & 3.* qui in Idearum suarum principiis facile harum rerum causas invenit. Arabes mirificas & paradoxas sententias huic fundamento superstruunt, & eorum doctrinam secutus *Campanella l. 4. de sensu rerum*, asserit, ex oculis emanare vim immutativam, posse intuitu prosterni & exanimari homines, cujus ille rationem valde ridiculam è sensu suo aëreo adducit: quod aër sc. alteratus à spiritu nobili terreat viles. Apud Plinium de populis integris legitur, qui fascinantes oculos habeant, cujus signum pupilla in oculo duplex. Eos ajunt, prata, flores, aspectu suo exurere, ac fœtibus tenellis virus afflare: At in contraria sententia Sinenses sunt, solertissimi Physiognomi & accurati formarum spectatores, qui inusitatæ felicitatis habent argumentum pupillam duplicem; ejusque exemplum habent in laudatissimo Imperatore suo Xuno, referente *Martino Martini Hist. Sinica l. 1. p. 44. Vidi ipse*, inquit, *puerulum in oculo dextro duas pupillas habentem, qua res parentes ejus singulari gaudio affecit, reputantes, eum congenitam futuræ prosperitatis tesseram in oculis ferre. Nec vani augures fuere. Filius namque cum familia universa Christianis sacris imbutus, non alio nomine, quam isto potuit esse felicior.* Quibus opinatoribus jam palma debeatur, nemo facile dixerit. Adeo fluctuant homines in sententiis, &

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Caput III.

De Paradoxis Auditûs.

SEcundum inter externos sensus locum jure sibi vindicat Auditus, cujus cum Visu singularis quædam affinitas est. Quemadmodum enim radii à corpore lucido sparguntur; ita & radii quidam sonori à corporum collisione, quorum quanquam motus tardior est, est tamen aliqua proportio; de qua proportione vel symbolizatione multa apud *Verulamium in Sylva Sylvarum* legi possunt, & apud *Charletonum in Physiologia lib. 3. c. 6. sect. 2.* Ac notavit *Bartholinus libr. 3. de Luce Animal. cap. 11.* multum conferre ipsam lucem ad expeditiorem auditum. Quod exemplo surdastrorum probat, qui si ad fenestram vel ad candelam admoverint aures, species sonorum percipiunt facilius, cum in tenebris audiant nihil. Cujus ratio illa forte est, quod beneficio luminis quasi rarescens aër expeditorem sonis illis viam sternat. Quanquam etiam hi per visum è gestibus & habitu pronunciantis verba eorumque sensus colligant, ubi auris deficit. Nos paradoxa nostra ex *organo, objecto, medio, effectibus* contemplabimur. *Organon* auditus mirabile est, mirabilis auris machina, quam secundum omnes partes excutiunt Anatomici. Ejus structura ubi rectè se non habet, vel surdi vel surdastri efficiuntur. Quæri hic possit: An alio modo, quam per aures, verba percipi possint? Ac docet nos ipse *Imperator Justinianus l. 10. C. qui testament. fac. poss.* nullum esse adeo surdum, qui non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, *Jubentii*, vel, ut alii rectius, *Juventii Celsi* autoritatem laudans. Quæ sententia optima ratione naturali nititur: quanquam *Menagius in Amœnitatibus Juris Civilis c. 27.* difficillimam eam esse existimat. Cum enim vox sit ἀνωφερὴς, ut quæ ex aëre constat, facilius putat, surdum audire debere, si quis infra cerebrum illius, quam si quis supra, loqueretur. Quem nodum ut solvat, affert locum ex Aristotelis Problematibus, ubi ratio datur, cur vox è superiori loco melius in inferiori audiatur, quam positu contrario. Quæ tamen huic rei non convenit. Consistit verò in eo, quod sonus propius illic ferire nervos auditorios possit, quàm alia quacunque parte, qui sonum è motu aëris atque adeo ex tactu percipiunt. Quod si enim circelli isti aërei in sonis corpora ad rupturam usque movent, quid ni etiam per cranium transeant, & eundem nervis suis motum incutiant, quanquam obscuriorem, quam est is,

qui

qui per canales apertos in organo bene constituto immittitur. Justiani vel Celsi observationem binis confirmat exemplis Menagius. *Novi Leonorium Labardium, Canonicum Ecclesiæ Parisiensis, qui, surdaster cum sit, minus tarde audit, quando ei sic loquuntur, qui cum eo colloquuntur. Imo & vidi olim non dubiæ fidei hominem affirmantem, se surdum nosse, qui penitus, nisi hoc ei modo loqueretur, qui cum eo sermonem habebat, non exaudiret.* Idem experimentum in illis, qui animam agunt, à nonnullis institutum est. Nam cum aure sonos percipere nequeunt, percipiunt tamen, si quis supra caput illis loquatur. Constat itaque, organi auditorii damna aliunde posse compensari; cui & mechanico modo subveniri potest, per instrumentum aliquod ad auris figuram formatum, in quo sonus ob frequentem repercussionem multiplicatus, ac proinde fortior, etiam è longinquo audiatur. Quod & Tuba Stentorophonica vel Morlandi vel Kircheri (is enim nuper in opere suo Phonurgico inventum illud sibi vindicavit) præstare potest. Quemadmodum enim vocis sonus in loquendo intenditur, ita idem, cum instrumentum auri admovetur, intenditur, ut, quæ mussitando dicuntur, satis clarè & distinctè procul etiam audiri possint. Quod expeditius procedet, si anfractibus quibusdam ad auris instar elaboretur instrumentum. Videmus itaque aliqua ex parte jam confectum esse, quod habebat in votis instrumentum auriculare *Campanella, lib. 7. Astrolog. cap. 3.* quo ille ridiculè sane concentus orbium cœlestium audiri posse existimabat. *Spero etiam,* inquit, *sicuti stellas novas ocularia nova in lucem eruerunt, ita musicam cœlorum, quoniam omnis motus sonus est, propediem auriculare organum pandet.* Non audivimus hactenus, audiet fortassis aliquando quispiam Argivo illi Horatiano similis,

Qui se credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo solus sessor plausorque theatro.

Objectum auditus sonus quicunque est: nos vocem præcipue humanam hic considerabimus, cujus mirificam vim nulla satis lingua loquetur. Præ reliquis mirabile illud & paradoxon est, quod singulari primum Epistolâ, mox auctiore multò Dissertatione alias propositum, posse scilicet certo vocis humanæ sono, si intendatur, vitrum ei consonum rumpi. Quæ cum hoc quoque volumine extet, opus non est, prolixius de voce ὑαλοκλάστῃ disscerere. Neque sanè idonea dissentiendi causa est, si modo ipsius experimenti testis αὐτόπτης fuisset, Athanasio Kirchero, qui in Phonurgiæ suæ opere Epistolam quidem laudat, sed de causa illic assignata dubitat. Quod si Campanellæ innotuisset, miros ille de sensu rerum clamores excitasset. Sed ista nunc ad nos non spectant, qui vocem tantum & sonos consideramus, quatenus ad sensus nostros referuntur. Formatur itaque vox in ore,

bene-

beneficio linguæ, dentium & labiorum. Quanquam exemplum plane mirabile & παράδοξον in Gallia notatum fuerit pueri octennis, qui linguam ubi variolarum morbo amiserat totam, postmodum tamen distincte satis loqui etiam sine lingua potuit. Quam historiam *Jacobus Rolandus de Belebad*, Chirurgus Salmuriensis, integram edidit Salmurii Anno 1630. in Latinam autem linguam convertit, & notis suis auxit, *Carolus Raigerus*, adjectam Anno Tertio Ephemeridum Germanicarum Medico-Physicarum, sub *Aglossostomographiæ* titulo. Fuit itaque hic Lingua sine linguâ. Quo majus prodigium facile dari non poterat, quodque olim in elinguatis martyribus miraculum habitum fuit. Mutilatas & præcisas linguas loquelam tamen vel retinuisse, vel recuperasse, memorabilibus exemplis traditum est à *Pareo & Tulpio, observat. Medic. l. 1. c. 41.* Sed nostrum hoc fidem pene omnem superat. Sonus ille, qui motu labiorum formatur, aures ferit, ut ita motu oris & aurium ministerio & exprimantur & percipiantur animi sensus. Quod si itaque oculis quis voces percipere possit, quas alii auribus, monstro profecto simile videri nonnullis possit. Sed fieri hoc posse atque factum esse, docuit *Digbæus, Tract. de Natura corporum cap. 28.* testis αὐτόπτης. Novit ille olim in Hispaniâ fratrem natu minorem Comitis stabuli Castellæ, à nativitate surdum, ac proinde non quidem organorum, sed informationis defectu mutum. Hunc tamen sacerdos aliquis improbo labore, & suis quibusdam præceptis, quæ singulari libro comprehensa sunt, ita erudivit, ut, modo lumen non abesset, aut tergum non obverteretur, è motu oris, labiorum, aliarumque partium, perfecte intelligere voces loquentium, ad interrogata respondere, vocabulorum vel in incognita sibi lingua sonum & accentum accuratè ad alterius pronuntiationem reddere potuerit. Nisi quod tonum vocis eundem servare non poterat. Quod miraculo simile non immerito quidem habitum; ac fassus ingenue est informator istius principis, artis suæ regulas discipuli solertia in observando fuisse superatas. De libro ipso, qui præcepta hujus artis continet, plura commemorantur in dictâ paulò ante dissertatione, capite XV. ubi & illud observatum, antiquiorem esse artem, quam existimarunt nonnulli, præcipue illi, qui proximorum annorum inventum esse volunt, aut se primos ejus autores venditant. E *Rudolphi Agricolæ* testimonio illic citato patet, informari posse mutum, ut scripturæ beneficio intelligat alios, ac ipse sensus suos exprimat. Cujus ratio optima à *Cardano* adducitur *in libro περὶ θαυμαςῶν. cap. 8. tom. X. operum in Paralipomenis.* Atque eidem fundamento innititur altera illa ars perfectior, quæ motus oris loquentis, & cum illis sonos articulatos exprimere docet: An vero inventor istius artis *Paulus Bonnettus* sit, sub cujus nomine liber Hispanico idiomate prodiit isto titulo

tulo: *Reduction de las letras y arte para enseñar a ablar los mutos*, non facile quis dixerit. Non dubitat hujus artis inventionem illi adscribere *Caramuel in Apparatu suo Philosophico lib. 1. disput. 2. num. 16.* quem illic laudat, adductis exemplis & addito in istam artem à se confecto Epigrammate. Quod tamen dubium esse apparet ex judicio illo, quod Antonius Perez, Abbas Benedictinus, Bonnetti libro præfigit, quo habetur, Petrum Pontium, Monachum Benedictinum, principium huic arti dedisse. Ac memoriæ etiam prodidit Valesius libro de Sacr. Philosoph. cap. 3. *Petrus Pontius*, inquit ille, *Monachus S. Benedicti, amicus meus, natos surdos docebat loqui, non alia arte, quàm docens primum scribere, res ipsas digito indicando, quæ characteribus illis significarentur; deinde ad motus linguæ, qui characteribus responderent, provocando.* E quibus verbis patet, pro fundamento hujus informationis *scripturam* adhibitam fuisse, quod in exemplo sui temporis etiam notarat Rudolphus Agricola. Pontium autem Bonnetto antiquiorem esse, argumento est, quod Valesius ista primum anno 1590. scripserit; Bonnetti autem liber Hispanicus anno 1620. editus sit. Forte Pontius artis principia invenit, Bonnettus perfecit, aut literis consignavit. Meminit ejusdem artis in Hispania inventæ *Stephan. Rodericus, Castrensis, Comm. in libr. Hippoc. de aliment. Sect. 2. p. 247.* ita tamen, ut Autorem non nominet. Holterus Anglica linguâ, uti & Wallisius artem istam tradidere, & Helmontius Filius. Nemo vero unus ex illis libri Hispanici mentionem fecit. Artis ipsius viva hodienum superant in Angliâ exempla. *Franciscus Lana Prodromo all' arte maëstra cap. 4.* aliqua istius præcepta, (de quibus neminem ante se cogitasse, falso vel subdole jactitat) sed confusè admodum proponit, præque cæteris commendat oris ad speculi compositionem, in discendis ejus motibus. Neque solum surdis, sed quibusvis aliis inservire ista ars posset. Facile enim hujus beneficio secretiora etiam colloquia rimabimur, non auriti sed oculati eorum interpretes. Cujus artificii usus in negotiis publicis, in aula, in foro, atque adeo in omni vitæ genere versantibus, permagnus futurus esset, quibus ne surdis quidem impune possent narrari fabulæ. Ab objecto ad *medium* transimus, quod aër est, vel etiam aqua, sub qua, Urinatores etiam exaudire sonos, quanquam obscurius, posse, narrant aliqui. Quo rarior verò aër & tranquillior est, eò clarius percipiuntur soni: nam ubi nubilus est, & nivium floccis obsitus, obscurè audiuntur soni, quorum undulationes ab obstantibus corpusculis impediuntur. Quo magis mirum est, fuisse, cui ex febre id contigit beneficium, ut durante illâ exquisitissimum nancisceretur auditus sensum, submissos etiam audiens susurros, qui ad magnam satis distantiam edebantur, etiam inter strepitus aliorum adstantium, qui tamen

eos

eos non audiebant, notante *Roberto Boilio Excercit. de naturâ determinatâ effluviorum:* Quod ſenſus acumen convaleſcens perdidit. Id quoque memorabile eſt, fuiſſe non leviter ſurdum, qui inter tympanorum proximos & validiſſimos ſonos etiam ſubmiſſas voces audiebat, quas intenſiores etjam extra tympanorum tumultus non audiebat. Erat ratio ſurditatis in tympano auris non debitè tenſo, quod â tympanorum pulſu tenſum ſonos tenuiores etiam allabentes rectè excipiebat. Prolixior ejus hiſtoria in *Actis Anglicis* habetur *Menſ. Maj. A. 1668.* Si *effectus* illos omnes, qui ſenſui huic tribuuntur, recenſere nunc velimus, voluminis illa res eſſet. Mirabile præ cæteris eſt, quod tamen vulgatiſſimum, poſſe ex auditu verborum ac orationis elaboratæ homines duci & quaſi extra ſe rapi. Cujus meditationis tanta eſt ſublimitas ac ſubtilitas, ut explicari ſatis nequeat. Nemo autem ſubtilius explicuit, quam qui Gallicâ linguâ omnibus linguis dignum *de Verbo librum* ſcripſit *Cerdemoëus*, in quo demonſtrat, duo eſſe in verbis conſideranda, Materiale & Ideale; illud nihil efficere per ſe, alterum verò propaginem eſſe quandam cogitationum animi, ſingulis orationis partibus, figuris, verbis, apicibus, accentibus infixam, & cum ipſius ſoni modulatione transfuſam. Quæ ſingula luculentis diſſertationibus deducit. Quod ut verum eſt artis oratoriæ fundamentum, ita vellem à Rhetoribus, naturalis ſcientiæ non ignaris, plenius & accuratius, quàm hactenus factum eſt, tractari. Omnis illa figurarum doctrina, quæ ad affectus dicentis ſe componere debet, confuſa admodum eſt, neque ſatis aptè ad ſua principia reducta, & in certas claſſes tributa, unde nec earum uſus, qui in perſuadendo maximus eſt, ſufficienter cognitus. Utinam lucem adſpexiſſet, nec furaci manu autori ſubreptum fuiſſet, quod meditabatur in Pathologicis opus, *Emanuel Theſaurus*, Vir in rebus iſtis perſpicaciſſimus; magna enim parte augeri potuiſſet Res Oratoria. Nec in homines tantum, ſed & in bruta magna ſonorum efficacia eſt, ut non ineptè, meâ quidem ſententiâ, judicaverit nonnemo è Regia Anglorum ſocietate, de quo in *Actis noviſſimis* mentio fit, poſſe fieri, ut certis inſtrumentis Muſicis, certa compoſitione concentuum ferociſſimæ etiam beſtiæ, abſque ullo alio adminiculo, cicurentur. Cujus exempla nonnulla illic producuntur. Nolo hic prolixè recenſere, quæ beneficio auditus in affectibus, & morbis per ſonos curandis, fieri poſſunt. De iis, qui à Tarantulis punguntur, res eſt notiſſima, & vaſtiſſimis libris ita explicata, ut diſquiſitioni ulteriori locus relictus non ſit. Quod verò *J. B. Porta* exiſtimabat, morbos omnes muſicâ vi depelli poſſe, ſi fiſtulâ quis inſonet, quæ è lignis plantarum morbis illis medentium conficiatur, nugatorium eſt, & rectè à *Kirchero Muſurgiæ lib. 9. c. 8.* refutatur. Idem *l. 9. c. 7.* formulam barbararum vocum recitat, quâ pronun-

nunciatâ piscis Xiphias ad capturam prolicitur. Quod si verum est, nec aliquid magici, quod tamen negat, subest, non tam vocibus illis, quam pronunciationi ipsi, cum doctissimo *Borrichio diss. de caus. divers. linguar. num. 21.* adscriberem. Campanæ sonitu, vel voce canorâ loquentis aut canentis, animi deliquium passam puellam nobilem, testatur *H. ab Heer, Observat. Spadanâ ultimâ.* Tonitru audito laxabatur alvo, ac crebro vomebat femina nobilis, testibus *Actis Anglic. p. 550.* De equite quodam Vascone refert *Scalig. Exerc. 134. sect. 6.* eum audito phormyngis sono urinam continere non potuisse. Sed infinita forent, si persequi illa velimus. Fabularum & superstitionum longè plurimum est, Fascinationum per vocem, Incantationum. Ita ajunt, fistulis ex ossibus murium confectis convocari mures posse: ita aliam parant, quâ convocentur serpentes, de quâ historiam & apparatum omnem recenset *Burggravius in Achille panoplo, pag. 77. Paracelsus* in Hispaniâ visum sibi fuisse narrat, qui tintinnabulum ex electro paratum habebat, cujus sono varia spectra & spirituum phantasmata evocabat. Sed nolumus hic nugarum plaustra congerere.

Cap. IV.

De
Paradoxis Odoratûs & Gustûs.

JUngimus duos sensus magna inter se affinitate junctos, Odoratum & Gustum. Quod vel ex eo patet, cibos odoratu ab animalibus explorari, & plerumque saporis boni esse, qui bonum odorem spargunt. Cujus naribus flos veteris vini objicitur, promulsidem ex ipso odore habet. Pasci & nutriri spiritus posse odoribus per tempus aliquod, dubium nullum est, quod Democritus olim, hodieque quotidie coqui sentiunt. Ne quid dicam de accolis fontis Gangis viventibus odore pomorum sylvestrium, teste *Solino in Polyh. c. 52.* aut de eo, quem *Rhodiginus l. 24. c. xi.* aëre solo & sole, sine alio alimento, vixisse memorat. Quorum tamen fidem ad autores suos remitto. Ut autem de singulis quædam dicamus: Odoratus *organon* in controversiam vocatur. Variè enim veteres sentiunt, quâ præcipuè parte sentiatur odor. Organon exterius vel canalis ille, per quem feruntur odores, Nasus est, è cujus longitudine & amplitudine intensior etiam sensus est, non in brutis tantum, sed & hominibus. Ac bruta quidem animantia prærogativam odoratus habere, quod

eo quasi rationis defectum supplere videantur, homines vero eos intellectu aliis superiores esse, qui odoratu superant alios, nonnulli existimant. Quod vero istam brutorum prærogativam attinet, non credendum est, eam per se brutis animantibus inesse, sed potius à ratione victus obvenire. Quoniam enim parciore cibo utuntur, & ficciore, ut homines, non iis insitis quibusdam fuliginibus nares obsidentur, ut effluvia extus advenientia dignosci nequeant. Quod sane è canibus venaticis manifestum est, qui sagaciores sunt, quo parcior illis cibus præbetur. Eandem in hominibus excitari posse naturam, exemplo memorabili, quod Digbæus adducit, probari potest. Vixerat in sylvis diu radicibus & glandibus Joannes quidam Leodiensis, milites fugiens: is è simplici illo cibo hac polluit facultate, ut odoratu cibos explorare, homines ac venatores distinguere, eorumque insidias eludere potuerit. Hinc est, quod aliqui observant, è tenuis cibi & potus usu non odoratum tantum, sed omnes adeo sensus externos & internos, defæcatiores fieri. Quos ut haberent, Philosophos aquam bibisse, & oleribus pastos fuisse, memoriæ proditum est. De Pythagorâ id Laërtius perhibet, ac inter disciplinæ suæ capita Zeno auditoribus suis proponebat, ὑδροποτεῖν ὕδωρ, aquam bibere, ut ex Comico meminit *Clemens Alexandrin. 2. Strom.* Alius, nescio quis, Græcorum Poëtarum ait, ex hydroposia illa homines fieri εὑρετικοὺς, *inveniendis rebus peracutos & ingeniosos.* Quorum sententia quanquam rationibus non destituatur, ægrè tamen sibi Philosophiam tam sobriam homines nostri persuaderi patientur. Esse verò aliquos homines præ cæteris odorandi facultate aliqua præditos, è quacunque etiam causâ illud contingat, sæpe observamus, & notat quoque *Campanella de sensu rer. lib. 3. c. 8. Plurimos vidi homines*, ille ait, *qui aliquam intrantes domum subito olfactu noscunt, ubi oleum latet aut vinum, aut caseus, magis autem ignari, qui magis ista attendunt.* Canum singularis in odoratu vis est, cujus miranda exempla recitat *Boilius in Exercitatione de naturâ determinatâ effluviorum*, quæ brevitatis studio omittimus. Canibus hâc parte similes dixeris Æthiopes illos, quorum meminit descriptor Antillarum Insularum Gallus, qui odoratu tam subtili præditi, ut vestigia etiam Æthiopis alicujus & Galli discernere potuerint, modo locum illum viæ olfecerint, quâ incesserunt. Quod fieri posse, à *Petro Valleo*, illustri illo peregrinatore, discimus *part 1. Itiner. sui p. 370.* ubi refert, quemadmodum sibi Arabiæ deserta peragranti adfuerint homines, nautæ officium in itinere terrestri exercentes, qui memoria tenentes omnia loca, aquas, vias breviores ac longiores, per periculosas arenarum vias deducebant, noctu stellas observantes, interdiu signa quædam soli eminentis & depressioris, coloris herbarum, & odoris præterea beneficio optimè invenientes omnes

vias,

vias, quas desiderabant. Quod cum verum sit, non, opinior, fabulis accenseri debet, quod ex Bava Batra producit *Wagenseil in Sota p. 1019.* Mercatorem Arabem per deserta iter facientem glebâ naribus admotâ dixisse: Hæc via ad hanc urbem: ista ad istam producit, Quæsitum quam procul ab aquâ abessent, glebâ naribus iterum pertentatâ respondisse: octo milliaribus. Cum aliquandiu processissent, iterum rogatum tria milliaria indicasse: cumque glebam priorem clam ablatam novâ commutassent, decipi tamen eum non potuisse, in priore responso perseverantem. Cui simile est, quod de cæco nauta narratur supra, in *Epistolâ de Metallorum transmutatione*, n. III. paulo ante fin. qui è terrâ bolidi mari immissæ adhærente gustatâ nominare citra errorem potuit regionem illam, cui erat vicina navis. Quod prodigio pene simile videtur, odoratu & gustu deprehendi vias posse. *In objectis* odoratûs etiam *futura* esse, memorabile & παράδοξον est. Quod de Vulturibus ajunt: prædorari illos posse magnam aliquam cladem. Cujus rationem rogatus Campanella ad sensum suum aëreum recurrit libr. 3. c. 18. Sed negato primo ejus principio evanescit ista subtilitas. Nisi à tenuissimis effluviis corporum in mortem vicinam putrescentium, qualia semper in integro exercitu sunt, id explicetur, nulla dari commoda ratio potest. Quæ fortassis anûs illius nares vellicare potuerunt, quæ fixis oculis intuens eum, quem morti fata destinarant, ac naribus auras captans toto octiduo funus prædorata est, de qua in *Act. Hafn. vol. 2. observ. 117.* Odoris vires & *effectus* multi sunt & admirandi. Quis nescit tenuissimis effluviis eos propagatos, ubi nihil vident, aliquos percellere, qui naturæ instinctu ab istis abhorrent, ut morbos etiam contrahant. Quotidianæ sunt ea in re historiæ. Per odores morbis medicinam fieri posse, nemo ignorat. Quare consilium inibat *Magnus Pegelius*, quod proponit in *Thesauro rerum suarum selectarum, pag. 108.* quomodo conclave aliquod aptandum, quod repleri posset, quo velis, aëre, fumo, halitibus juvenum vigentium & saluberrimorum, variis item liquorum, vegetabilium certis morbis medentium ordoribus, ut peregrini aëris nihil accedat. Quibus corpus ægrum, dum respiratione perpetua quasi in spirituum suorum familiam adoptat salutares odores, sanitati restitui posse non dubitat. Video eadem etiam cogitasse postea Baconum Verulamium. Subtilissimi Veneficiorum magistri solâ tenui aliquâ aurâ contagium homini sano adflant. Effluviorum odororum vim mirabilis etiam pulvis ille sternutatorius ostendit, *Kirchero in Regno Magnetico* suo *vegetabili* deprædicatus.

De Gustu pauca dicenda restant, ad cujus naturam illustrandam pleraque illa pertinent, quæ de odoribus diximus. Ejus *organon* lingua

vulgo habetur, cujus mirabilem è papillis nerveis superficiem, in qua tota gustus ratio consistit, demonstrant Malpighius & Bellinus. Perfici tamen etiam absque linguâ gustum posse, ex exemplo elinguis pueri superiori capite adducto patet, cujus ratio in historiâ ipsa legatur velim. Memorabile hic est & παράδοξον sapit, quod fructus haliocacabi dulcis vel levissimo digitorum, non vero oris & labiorum, tactu in abominabilem amarorem converti possit. Nisi id à salsugine quadam cuticulæ digiti adhærente, cujus cum partibus haliocacabi mistura id efficiat, deducamus, causam equidem dare nequeo, quam se ignorare ingenue fatetur singulare Germanicorum Philosophorum decus *Velschius, Hecatosth. 1. observat. 9.* Cæterum tota illa saporum doctrina magnis adhuc difficultatibus premitur, nec omnia satis expedita, de quibus hic anxie disquirere nostri non est instituti. Admirabile est, effluvia illa tenuia corpusculorum sapidorum adeo inalterata sæpe in sanguinem, lac, carnes propagari, ut deprehendi vel gustu vel odoratu possint, ut pluribus ostendit *Boilius* in sæpius laudata *Exercit. de nat. determ. eff.* Quemadmodum & hoc miraculo pene simile est, quod refert *Ludovic. Gvion. diverf. Lect. tom. 1. lib. 2.* de puero à lupa nutrito, cui adeo in naturam lactis lupini effluvia abierant, ut capti postea sputum, si eo oves illinerentur, lupos fugarit. Multa esse *παράδοξα effectuum* à saporibus, multæ confirmant historiæ hominum absurdo appetitu & aversatione quædam vel desiderantium vel rejicientium. Quod *Casei aversationem* attinet, videri *Schockius* potest, *peculiari dissertatione* in eam inquirens. Potest & per saporum temperaturas medicina institui, ut cum aliqui gallorum Indicorum viperis pastorum carnes, aut eosdem aliorum gallorum carnibus pastos ad singulares affectus commendant. Norunt & Scholæ Apicianæ magistri singularia saporum vel commutandorum vel propagandorum Experimenta, è quibus incidit facetum aliquod deliciantis gulæ commentum. De M. Antonio de Comitis refert Erythræus Pinacothecâ primâ Imag. 32. *Nulla unquam conditione adduci potuisset, ut ovum unum gallinæ, quæ in triviis & stabulis fimo aliisque sordibus impletur, suum in ventrem immitteret; sed gallinas aliquot domi Martiis panibus alebat, & cum amicus aliquis aut hospes salutandi gratia domum ad ipsum veniebat, par illi ovorum, quæ è gallinis suis acceperat, dono dabat, referens quo pabulo alerentur.* O delicatas fauces! Tanti est sapere! Multa de gustu adhuc dici possent, sed nos è magno illo fonte delibamus quædam ut Canis è Nilo, & pauca hæc in gustum damus, utinam & ad palatum!

Cap. V.

DE
Paradoxis Tactûs.

REjicitur ad ultimum locum sensus Tactus, qui ignobilior vulgo habetur, & quàm longissimè ab intelligentia distare creditur, cum tamen ad omnem sensum concurrat. *Organon* ejus aliis cor, aliis caro, aliis nervus constituitur. Sentimus autem toto corpore, quàm late tenduntur nervi, & spiritus animales membra movent. Ideoque παράδοξον est, quod Digbæus *Tract. de Naturâ Corporum num. 32.* narrat de homine, qui labores omnes strenue obiens, res de loco in locum transferens, onus quodlibet portans, omni tamen tangendi sensu adeo vacuus erat, ut parietibus nec non veteramentis scrutisque, quibus versandis occupabatur, attritæ manus & sanguinolentæ essent, ipso interim causæ hujus ignaro. Cujus rei causam ille in spirituum animalium his in partibus nimia conspissatione reponit. Hinc quibus callus subjectam cutem armat, minus sentiunt, ac prunas interdum impune tenent manibus, vel eis inambulant. Quod de iis perhibetur, qui in innocentiæ suæ testimonium ferrum candens manibus versabant, aut aquis bullientibus eas immergebant, quod *Judicium divinum* sive *Ordaléum* vocabant, id ad nos non pertinet. Censebant enim divino auxilio hanc ἀναισθησίαν corporibus induci, ut bonæ causæ esset documentum, quemadmodum potionem adulteræ exhibitam credunt linguâ ejus tactam amarescere Rabbini, cum per se amara non esset, immutante saporem DEO. Cæterum naturalibus mediis, ut Æagropilæ beneficio, aut characteribus, similibusque nugamentis homines ἀναισθήτους fieri posse, adeò ut & à vulneribus immunes sint, ipsam rerum naturam & fidem superat: quicquid etiam contendat *Burggrafius in Achille* suo *panoplo*, cujus inania argumenta solide refutat doctissimus *Naudæus de studio militari lib. 1. num. 32.* cui tamen temere non accredam, fabulosa esse omnia, quæ ea de re sparguntur, nec per dæmonum artem vel fieri posse vel facta esse. Dæmones certè ἀναισθησίαν corporibus illis inducere posse eâ parte, quam illi stigmate notarunt, è documentis fide dignissimis notum est. Quorum perquam multa videri possunt apud *Raimaudum*, libro *de Stigmatismo sacro, profano, & dæmoniaco.* *Objecta* Tactûs Corpora sunt: *Tangere enim & tangi, nisi Corpus, nulla potest res*, ut ait Lucretius. Oportet tamen illa nec tenuia nimis esse, nec mo-

le suâ mensuram organi excedentia. Quomodo Colores tactu deprehensi fuerint, in præcedentibus diximus. Morbos adeò per arteriarum pulsum deprehendere tactu norunt Chinenses, ut statim causam eorum indicent, & sedem ac originem: quâ arte multum superari Europæos à Chinensibus judicat *Autor libri de Poematum Cantu*. Ego multum ineptis persuasionibus hic dari existimo. Nunc referam, quod de Ægyptiis narrat, Georgius Sandius, qui ex unica terræ gleba totius inundationis, quam Nilus efficit, molem & terminos ponderant, atque ita quasi sub tactum reducunt. Scilicet terræ aliqua portio diligenter custodita die 17. Junii in observato augetur pondere, pro ratione fluminis. Illo scilicet die, quod & *Chambræus* notavit, libro *de Causis inundationis Nili*, nubeculæ quædam roscidæ nitrosæ, fermenti instar, misceri aquis incipiunt, unde illæ turgentiores excursibus suis totam terram fœcundant. Quâ occasione in memoriam mihi revoco, quæ Rabbini de causis inundationis comminiscuntur, bellè hanc Chambræi narrationem illustrantia. Ajunt illi (referente Wagenseilio Commentario in Sotam) *Deum circa solstitium dejicere guttam unam, pilæ magnitudine, ex aquis masculis* (ita vocant aquas superiores, rorem & pluviam, cum inferiores aquæ vocentur illis femininæ) *in medium Nilum. Istam vero guttam ita se habere, ut fermentum in massâ, unde omnes aquæ Nili efficiantur masculæ. Illam verò guttam à Deo precibus Abrahami impetratam*. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Objecta Tactûs si excedant impetu, lædere sensorium constat. Non desunt tamen exempla, ubi non lædant, sed juvent. Fuit Venusiæ Princeps, referente *Campanellâ Medicinal. l. 3. c. 5. art. 12.* qui alvum deponere non poterat, nisi verberatus à servo ad id adscito, cujus causam ille adscribit metui cogenti spiritum ad interiora, de quâ mihi tamen aliter videtur. Sunt qui ad sacra Veneris inermes accedant, nisi flagellis primùm & verberibus probè mulctati, cujus rationem erudito libello *Johan. Henr. Meibomius* inquirit. Eâdem arte tauros à quibusdam in Venerem adigi perhibetur. De *Effectibus*, qui à Tactu proveniunt, tum in arte Medicâ, tum in aliis naturalibus operationibus, mira dici possent. De Regibus, qui tactu strumas & alios morbos curant, actum supra *in Principe Medico*, cujus causæ variæ à Variis afferuntur. Fuit ante aliquot annos in Angliâ *Valentinus Greatreak*, robusto & sanguineo corpore & ad invidiam sano præditus. Is magnô cum successu omnis generis morbos solo tactu & frictione curabat: quorum historiam ipse singulari libro enarravit eumque illustri viro Roberto Boilio inscripsit. Nec defuerunt Viri præstantiores, qui multum istis curationibus tribuebant, easque testimoniis suis ornabant, quæ ille libro suo adjecit. Vel singularis aliqua vis medica effluviis ejus fuit, vel persuasioni multum datum est cui Cl.

Willisius

Willisius eam, quæ fit à Regibus, & prole septimâ masculâ, curationem adscribit. Quales verè factas fuisse, ipse testatur *Anat. Cereb. c. 20.* & *Lossius* quoque *observ. Med. l. 1. observ. 34.* Observat. *Borellus cent. 2. observ. 91.* esse homines, qui naturali virtute morbos fugant, ac recitat ibi exemplum, solâ brachiorum frictione febres curantis. Notat *Henricus More in Differt. de Enthusiasmo*, Enthusiastas naturaliter posse tactu curare, quod spiritus Melancholicorum aliàs graves & ponderosi extraordinario calore subtilitati Elixiri alicui Chemico similes sint, in operationibus. De qua ratione Chemici viderint. Nos fieri posse credimus, ut contagia aliqua dentur salutaria, uti dantur venenata. De Soldano Combarensi refert *Ludovicus Bartema*, eum salivâ, continuo venenorum usu infectâ, hominem interficere potuisse, modò saliva corpus nudum tetigerit. Fortassis & optimorum antidotorum usu contraria natura inducetur. Cardanus certè vim illam medicam Regum Galliæ continuo aromatum esui adscribit. Quam rectè, nunc non disputo. Empiricos Brasilienses miranda præstare tactu, frictione, suctione, testis est *Casp. Barlæus descriptione rerum in Brasiliâ gestarum*, cujus causas ingeniosâ dissertatione indagat *Boilius lib. de usu Experimentalis Philosophiæ sect. 2. c. 15.* Fuit Faber ferrarius, qui demulso stomacho vomitum excitare, ventre attrectato alvum laxare, lenire etiam arthritidem, aliosque dolores, palpando partes affectas, potuit: testibus Actis Anglic. mense Majo, Anno *1666*. Aliqui feliciter scopis setaceis arthriticos dolores leniunt, si singulis diebus corpus aut partes affectas iis percurrant. Quod sane everrere morbos est. Incredibilis planè Tactûs etiam indistans operatio est per minima & insensibilia effluvia à Torpedine pisce. Piscatores affirmant, vim istam stupefacientem Torpedinis per funem retis & hastam fuscinæ transire in manum & bracchium operantis. Ejus experimentum cepit *Fr. Redus*, qui *in Experimentis naturalibus* suis hæc commemorat, vix se piscem illum manu constrictum tetigisse, cum formicare manus, bracchium & humerus cœpit, cum tremore usque adeò fastidioso, & dolore acuto in mucrone cubiti, ut statim manum abducere coactus fuerit: vim tamen illam stupefacientem sensim cum ipsâ vitâ exspirasse. Si jam Magorum scholas adimus, multa nobis obveniunt prodigia è contactu illo occulto spiritali. Huic fundamento superstruuntur morborum transplantationes, operationes sympathicæ, Magnetismi, de quibus multa à nonnullis collecta sunt plurimam partem fabulosa & superstitiosa. Sed ego hæc

— — *melius non tangere clamo.*

Poteramus plura in sensibus tam externis, quàm internis, παράδοξα venari, sed nos hic pedem figimus. Magna sunt Sensuum mysteria: majora Men-

Mentis, quæ illis internunciis & apparitoribus utitur. *Hanc in ipsa domo sua hospitem vix noscimus: vicinissimam eminus vix videmus. Sensibus ipsis fallimur, ad lucem & colores cæcutimus, in sonorum natura pervestiganda obmutescimus, in odoribus captandis non satis emunctæ naris sumus, in saporibus parum sapimus, ad tactum stupemus, ac ipsos sensus nostros vix sentimus.* Quod summum nobis esto, sed verissimum, ΤΩΝ ΠΑΡΑΔΟΞΩΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

1. Affectus non sunt opiniones.
2. Non datur ἀπάθεια.
3. Non dantur virtutes nobiscum congenitæ.
4. Ad generationem virtutis non sufficiunt actiones bonæ.
5. Non quivis homo Ethices auditor esse potest.
6. Joci & ludi quoque aliqua virtus est.
7. Non statim ille, qui virtuosa agit, virtuosus est dicendus.



STEN-

STENTOR ΥΑΛΟΚΛΑΣΤΗΣ,

sive

DE SCYPHO VITREO

per certum humanæ vocis ſonum fracto

ad

V. Cl.

DN. JOHANNEM DANIELEM MAJOREM,

Profeſſorem Medicum Celeberrimum, Primarium,

Collegam honoratiſſimum,

DISSERTATIO,

quâ ſoni natura non parum illuſtratur,

Editio altera priori longè auctior.

PRÆFATIO
ad
BENEVOLUM LECTOREM.

ANte hos decem annos, & quod excurrit, de Scypho vitreo, per certum humanæ vocis sonum fracto, (cujus ego experimenti, sanè rarissimi, spectator fueram) epistolam in lucem edidi, instigante Viro Clarissimo, Collegâ meo honoratissimo, Dn. JOHANNE DANIELE MAJORE: cujus voluntati lubens tum obsequi volui, utut non eâ doctrina instructus, quam ad naturæ arcana excutienda ingeniosior aliquis requirat. Etsi autem non istâ fini scripseram, ut me in his studiis efferrem, quibus seculi hujus ingenia omni contentione incumbunt: non defuerunt tamen Viri Clarissimi, quibus tenuis hæc opella nostra non probata tantum, sed & impensius, quam merebatur, laudata fuit. Eodem anno, nescio quis, (nomen enim non apposuit) in Linguam Belgicam conversis, ac Amstelodami edidit, interspersis passim notulis, satis quidem concinnè, nisi quod in nonnullis mentem meam non satis assecutus, & in ipsâ experimenti historiâ de fracto per sonum diapason vitro, dissentiat; quâ de re in ipsâ Dissertatione pluribus agetur. Prodiit hinc Celeberrimi KIRCHERI Phonurgia, Opus, quo varia circa sonum experimenta instituuntur, & ab aliis notata examinantur. Illic & hujus experimenti & Epistolæ nostræ honorifica quidem mentio facta; sed tamen de rei veritate subdubitare videtur, cum ait: Causam hujus rei anxiè sanè inquirere conatus est eruditus Vir, Daniel Georgius Morhofius, in opusculo supra citato. Sed adhuc sub judice lis est, compluribus id tentantibus quidem, sed non cum eo, quem sperabant, successu. *Putat itaque Vir Cl. in vitrei vasis amplitudinem, capacitatem &c. amplius esse inquirendum. At verò nullâ hîc dubitatione opus erat: ut appareat, non satis attento animo illum legisse Epistolam, in quâ historia omnis tam accuratè recensetur, ut nulla falsi species subesse possit: præterea & testes fide dignissimi laudantur, Viri Clarissimi, ad quos notitia hujus rei jam ante pervenerat. Ac laudat sane KIRCHERUS ipse aliud quoddam opusculum de eodem Experimento:* Prodiit, *inquit*, non ita pridem in Bataviâ opusculum de ventricosæ ampullæ vitreæ rupturâ, sono vocis causatâ, inventore quodam Amstelodamensi Haslurgo, Opifice Vitriario. *Quis ille Haslurgus, Quale opusculum hoc sit, cum ignarissimis scio. Non potuit omni curâ mea indagari libellus iste, qui, ut ex anno editæ Phonurgiæ Kircherianæ conjicere licet, post Epistolam meam prodiit, si unquam, (nam dubitandi cau-*

sa est) lucem aspexit. Neque enim Hasturgi illius nomen tum, cum Amsterodami viverem, mihi innotuit, neque post ab amicis, quibus id negotium dederam, investigari potuit. Unicum omnes exteri tum salutabant vitrorum expugnatorem Petterum. Imò si fuit aliquis Hasturgus, Opifex Vitriarius, inventor ille hujus experimenti non fuit, cum dudum ante hunc Petterum & aliis idem feliciter tentatum fuisse in Dissertatione meâ notaverim. Fuerunt & alii, qui in Dissertationibus Physicis suis passim hujus epistolæ nostræ mentionem fecerunt: ac ante biennium Bononiæ sermone Italico librum de Sono & tremoribus Harmonicis *doctissimus Vir, ac pluribus scriptis argutissimis literato orbi cognitus, DANIEL BARTOLI, è Soc. Jesu, publicavit. Qui oportunam illic in hoc experimentum inquirendi occasionem nactus* tratt. 3. cap. 8. *omnes in partes illud versat, & compluribus aliis tum ratiociniis tum experimentis illustrat, bonâ quoque eorum parte, quæ in Epistolâ nostrâ habentur, adductâ; in quâ tamen aliquid desiderare visus est: nam rationes è principiis Philosophiæ Democritéæ adductas fastidit. Sunt verò hæc ejus verba:* Io havea scritto fin qui, nè altro mi rimaneva che aggiugnere: quando mi si die', dopo lungamente cercatolo, à vedere un trattato, sotto nome di Lettera *di Daniele Georgio Morhof. de Scypho Vitreo per certum humanæ vocis sonum rupto.* Lettolo avidamente, ne giudicai dotto l' Autore, e l' opera piena d' eruditione e d' ingegno. Vidi in essa hauerui del favorevole; e del contrario a me, oltre al filosofare, ch' egli adopera, didotto da' principi d' un tal moderno sistema Democritico riformato, che a me non va punto pel verso. *Hujus Viri elogiis ut non parum afficior, ita candidam ejus censuram non subterfugerem, si nos docere rectiora posset Vir Clarissimus. Neque enim ullâ mentis contentione explorari causa potest, quæ nos veri alicujus umbrâ pascat; nisi ad minutissimas corporum particulas, earum texturas, pororum figurationes, aëris, aut materiæ subtilioris elaterem confugiamus. Quæ tamen omnia ad soni & tremorum harmonicorum rationem requiri ipsa ratio dictitat. Cum enim nullo tono clamantis dissono, utut validissimo, commoveri ad sonum vitrum possit, consono autem, etiam leviter impellente, sonet, & intensiore frangatur; non impulsu externo, sed interiorum vellicatione particularum, per undulas aëreas vocis humanæ, certo occultoque aditu admissas & sonum formari, & vitrum frangi apparet. Qui alio quam consono tono vitrum se rumpere posse putat, næ is fauces sibi & guttur citius ruperit, quam vitrum. Nam quod* Daniel Bartoli *clamore etiam dissono Scyphi vitrei orificio impacto, illud confregerit, id puto alia ex causâ, nimiâ scilicet vitri tenuitate, aut non satis solidâ compaginatione, ortum. Qualia vitra, præsertim tenuiora Veneta, eo enim usus fuit, vel ad occursum aëris frigidioris dissilire possunt. Ipse quidem non ignoro, in causarum inquisitione, ad has ratiunculas, è minimorum situ, nexu, figura petitas, multos tanquam ad sacram anchoram*

ram confugere: qui tamen his argutiis nihilo plus sæpe præstant, quam formis suis & qualitatibus Peripatetici, & majore in illis jactantiâ & σοφιστείᾳ, quam operâ versantur. Sed tamen non relinquenda omnino est illa sensuum via, soloque ingenio standum. Sequi enim naturam, quousque licet, oculorum acie debemus, ingenii acie, ubi oculi fallunt, in subsidium vocata, quæ tamen alteri illi sensuum via sit παράλληλος, & naturæ deficientis vestigia eodem gradu insequatur. Falsus itaque omnino est Vir doctissimus, cum negat componi vitrum ex armillis rigidioribus, quæ è compressione frangi possunt, ut in Epistolâ meâ scripseram: nam ipsa rei evidentia ostendit, non aliis, quam talibus particulis vitrum concrescere: cum in fila tenuissima rigida, per se, sine sufflatione extendi in officinis videamus. Flatus vero artificis illas armillas, in latitudinem præterea quandam diductas, peripheria globi istius aërei, per impulsum in orbem continuum moti, sibi mutuò impositas, quasi circumponit, & certam tum particulis vehementiâ flatus & tenuitate expansionis configurationem, tum toti vasi figuram, & quæ hæc omnia consequitur, tensionem & sonum largitur. Vim certè sensibus suis faceret, qui imaginaria hæc & commentitia haberet: cum ita rem se habere vel microscopiis aliquâ ex parte deprehendi possit, & quæ visui impervia, intelligentiæ vi colligimus, necessario cum sensibilibus nexu copulentur. Nulla itaque causa est, quæ à ratiociniis, quibus in Epistola meâ usus eram, me dimovere possit, debeatve. Permotus ergò hac occasione fui, ut denuo auctiorem hanc dissertationem ederem, præsertim cum dudum distractis prioribus exemplaribus, illam sæpe flagitarent amici, & Vir Cl. Frommannus in operoso illo de Fascinatione volumine lib. 3. part. 3. sect. 2. cap. 3. §. 4. *de ejus raritate queratur. Ne autem longior pro modo Epistolæ, post accessiones istas, videretur dissertatio, in capita tribuimus, singulisque lemmata sua præmisimus, ut in oculos omnia distinctius incurrerent. Vale, Benevole Lector, &*

— Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non; his utere mecum.

Dab. è Museo meo, ipsis Kal. Decembr.
A. cIↃ IↃc LXXXII.

CAP.

CAPUT I.

Occasio hujus Dissertationis. Historia Experimenti Petteriani. XXV. Scyphi dimidiâ horâ per sonum fracti. Scyphus bis fractus. Petteri ars luctatoria. Affectatio variarum vocum. Testes experimenti αὐτόπται, M. Dux Etruriæ. Thevenotius. Experimentum Societati Regiæ Anglicæ propositum. Experimentum novissimum. Tubæ sono vitri sonus provocatus. Non facile frangitur. Tibiæ sono cur non afficiatur? Mistura tonorum in vitro. Portiuncula orbicularis è vitro excussa. Aditus ad investigationem rationum.

CUm non ita pridem inter nos sermo incideret, de Vitro sono vocis humanæ fracto, cujus ego rei nuper *αὐτόπτης* testis fueram in Belgio, peteresque, Collega honoratissime, ut experimenti rarissimi historiam accuratè consignarem; lubens voluntati tuæ obsequi volui: eòque cupidius, quò me & mutua, quæ inter nos est amicitia, vehementius impellit, ac ista rerum naturalium studia, quorum ego suavitate mirificè afficior, blandius invitant. Ab ovo itaque rem omnem ordiar, nihil prætermissurus eorum, quæ vel fidem facere experimento, aut lucem causæ, si in eam inquirere animus fortè sit, afferre queunt.

Cum Amsterodami viverem, perveni ad notitiam *Jodoci Plumeri*, qui celebris ejus loci bibliopola est. Is primus, nescio quâ datâ occasione, de Oenopolâ quodam, *Nicolao Pettero*, habitante in plateâ, *de Princen Gracht* dictâ, sub insigni *in de Gustavsburg*, qui Scyphos vitreos voce suâ frangere possit, mihi narrabat. Cum mirum id mihi ac insolens videretur, urgere Bibliopolam non destiti, ut me ad hominem illum deduceret. Deduxit: cumque de experimento me præsente faciendo rogaret, produxit ille scyphos aliquos ventricosos vitreos pedibus nodosis, quos vulgò *Römer* vocamus, sed qui pintæ mensuram non excedebant. Eligebam ipse, (quod voluit, ne forte dolum subesse suspicarer) aliquem, qui validissimus mihi videbatur. Tum is, explorato primum ejus tono mihi tenendum porrigebat, oreque mediæ parti admoto, voce, quæ ad diapason (ut tum mihi videbatur) vitri superabat tonum, insonabat. Consonabat statim vitrum penè ad stridorem usque, & tremorem manus mea sentiebat. Quam cum ille vocem non interruptam longo pneumate continuaret, cum strepitu frangebatur vitrum, ita quidem, ut ruptura orbicularis obliqua per ventrem scyphi ipsósque pedis nodos ex adversâ oris parte transiret.

Daniel Bartoli, qui in libro *del Suono tratt. 3. c. 8.* idem experimen-

tum proponit, ait, se Cornelio Meiero Belga periculum faciente, obsservasse: voce intra quatuor plausus musicos continuata, rupturam insecutam. Qui vocem tam validam non habet, ut ad hanc mensuram sine variatione extendat, eum frustra laborare judicat.

Succedebat Pettero & in aliis scyphis res. At mihi idem tum tentanti, cum vox esset obtusior, atque ob affectationem varia & inconstans, defuit eventus. Sæpe accidit, ut, cum clamore ad stridorem usque provocarem vitrum, illeque instaret, ut ulterius vel tantillum vocem producerem, (jam enim proximam rupturæ momento dicebat) spiritu me subito destituente, omnis labor in irritum caderet.

Facile tum videbam in quo experimenti ratio consisteret, quod & ipse non negabat Oenopola, in æqualitate sc. soni, quam quidem adeò accuratam requiri ille ajebat, ut si vel commate integro, aut dimidio variaret, irritus futurus sit effectus. Ille verò diuturno usu ita vocem moderari didicerat, ut nunquam eventu frustraretur. Habebat & filium, qui idem præstare poterat, & quidem expeditius, cum vocem haberet acutiorem.

Convenerunt in ædibus ejus Viri quidam nobiles, (ut interpres epistolæ meæ Belgicus in notis suis memorat) d. 16. Jan. Anno 1672., qui de XXV Scyphis à Pettero intra unius horæ spacium per vocem frangendis, sponsione se lacessiverant, eumque rogarunt, ut vires & latera sua tentaret. Tentavit ille, vixque hora dimidia elapsa erat, cum omnes illi XXV scyphi vitrei vocis telo prostrati jacerent, quæ vel integræ officinæ vitriariæ stragem inferre potuisset. Quasi scilicet (ut JCti ajunt, nihil magis naturale esse, quam ut eo modo solvatur, quo ligatum aliquid est) natura ita sapienter hoc ordinarit, ut vitrum, quod flatu artificis illam formam acquisiverat, solo spiritu domari & confringi possit.

Illud vero memorabile est, quod apud Danielem Bartoli loco suprà laudato legitur: Cornelium istum Meierum, qui semel scyphum vitreum voce fregerat, residuum istius scyphi iterata voce frangere potuisse. Quæ certè vis fauces validissimas requirit. Nam ut Autor ille ait: Non omnibus datum est vitra fracta denuo voce frangere: nam major vocis contentio requiritur; & deprehendi ipse debilem admodum sonum in vitri talis frusto, cum clamore consono lacesserem.

Sunt quotidie quos curiositas videndi experimenti ad Petterum illum invitat, qui præterea artis luctatoriæ peritissimus est, cujus ille principia accuratè deducta singulari libro nunc exhibuit. Potest & adeò diversas uno eodemque pene tempore voces edere, ut sex, septem in uno conclavi inter se vel eâdem vel diversis linguis rixari aut confabulari jurares, si ignarus

rus foris auscultares. Perveneratejus fama ad Magnum Etruriæ Ducem, cum apud Batavos hospitaretur, qui ad se vocavit hominem, nec sine lauto munere, postquam omnia demonstraverat, dimisit. (*Quæ epistolæ meæ prioris verba* Joannes Cinellus *in* Bibliotheca sua volante, *uti vocat*, *Florentiæ Anno 1677. editâ, excerpsit, eo ipso testimonium narrationis meæ veritati perhibens.*) Testis itidem αὐτόπτης aliquando fuit illustris Thevenotius, sagacissimus omnium naturalium & mechanicarum artium scrutator, quarum ipse Pandectas à se aliquando edendas meditabatur.

Accidit postea, cum in Angliam navigans Viros illustres clarissimosque è Societate Regiâ compellarem, Boilium inprimis & Oldenburgium, ac mentionem ejus experimenti facerem, Cl. Dn. Oldenburgius ad Societatem deferret: in cujus illustri consessu, cum aliquando admitterer, rem omnem exposui. Decretum itaque fuit, ut ejus veritas exploraretur: sed, ut rescivi, res non successit: fortassis quod non omnia requisita observarentur. Tentavi & ipse aliquoties, sed irrito semper conatu, donec tandem in vitro tenuiori responderet eventus.

Novissimum deinde experimentum feliciter cessit in calice è tenuiore vitro Brabantico confecto; qui è formâ inferius cylindricâ, superiori parte in convexum crescebat. Extremæ ejus oræ circulus è vitro albo opaco circumponebatur. Observabam vero in extremo margine vitri, infra circulum illum album, fissuram aliquam tenuem, sed superficiariam, qualis forte acutiore vitro aut gemmâ imprimi poterat, quæ tamen nullatenus impediebat vitri sonum. Cum itaque sonum eâdem voce ὁμοτόνῳ lacesserem, ubi diu fauces valido clamore exercueram, tandem cum minimè exspectarem, tensâ æqualiter aliquando voce, non usque adeò sonarâ & forti, frangebatur vitrum, ut rupturæ initium à fissurâ illâ primum rectâ lineâ procederet, hinc vero ad latus flecteretur. Quo argumento patet interiorum particularum inter se luctantium motus, quæ erumpere parant, modo viam invenerint, quæ illis per hanc fissuram aperta fuit.

Cogitavi etiam, annon tubæ sonitu citius, quam voce rumperentur scyphi vitrei. Feci periculum: sed vel è viginti scyphis ne unus quidem fuit, cujus diapason assequi potuerit tubicen. Infusâ itaque aquâ tonum moderabar, ut facilius assequeretur. Ac vidi aquam in vitro modicè sonante leviter crispatam, cum eodem tono sonaret tuba: cum in dissonos tonos incideret, nec movebatur aqua, nec sonabat vitrum. At cum diapason sonaret, & tremorem in vitro clarè sonante sentiebam (nam manu tenebam): aqua vero tanto impetu concutiebatur, ut per totam mensam guttulæ prosilientes spargerentur. Et credo fractum fuisset vitrum, si diutius in tono illo subsistere potuisset tubicen; nisi forte aquæ nimia dissipatio

vitri

vitri tonum variasset. Videbar & ad tonos harmonicos aliquem in vitro tremorem persentiscere, sed exiguum.

Tentavit idem cum tubâ experimentum Daniel Bartoli, ac deprehendit, longè fortius sonare vitrum, ad tubæ sonum æqualem; cum manu tenetur, quam ubi filo suspenditur: nunquam tamen ruptura subsecuta est. Putat enim cum vitrum vibrationibus tracheæ vicinius est, majoribus percussionibus feriri, quam cum flatus oris per tubam distenditur. Sed hâc de re vix aliquid definiri potest, cum ægrè reperiatur tubicen adeò validorum laterum, ut per quatuor plausus Musicos distendere spiritum æquali ratione possit, licet invenerit vitrum, cui æqualis in tuba tonus respondeat, qui non semper est in potestate artificis, ob intervallorum saltus, è minimâ flatus variatione ortos.

Cum tibiâ sonarem, ægrè sonum aliquem in vitro deprehendebam: quoniam spiritus nimium est tenuis, & per varios exitus quasi discerptus, ut nec validè satis, nec rectâ ferire vitrum possit. Accidit tamen aliquando, ut ad aliquem tibiæ tonum, sonus quidam æqualis, sed subordinatus (si ita vocare licet) ac secundarius in vitro responderet: cum non audiretur princeps totius vitri sonus. Quod mirum mihi visum est: potuisse aliquas superficies inæqualis crassitiei vel compactionis (inde enim soni diversitas in vitris est) seorsim ita percelli ab aëris motu undulatorio, ut non consonarent reliquæ partes. Contra verò primarius vitri tonus nunquam audiebatur, quin consonaret alter ille sonus subordinatus, licet exilior, qui & variato præcipuo vitri per aquam infusam sono, eâdem proportione variabatur.

Ex ista inæquali crassitie aut compactione est, quod nonnunquam variè sonat in diversis partibus scyphus vitreus, aut impurum edat sonum, quando duo soni audiuntur æque validi. Quo casu qui clamore rupturus erat vitrum, tonum superiorem eligebat. Ab inferiori enim non frangebatur. Cujus ego causam existimo, quod in acutiore sono fortior aëris vibratio movendis in vitro particulis, eoque rumpendo magis idonea.

Memini narrare mihi filium istius Oenopolæ, sibi clamanti aliquando rotundam portiunculam è medio vitro in os prosiliisse. Quod nulli quidem causæ, quam inæquali crassitiei, ut mihi videtur, adscribi potest. Potuit enim rotunda illa & tenuior vitri portiuncula per validam concussionem particularum vitri totius quasi elidi.

In reditu meo, cum Amsterodamum transirem, iterum Oenopolam adii, & mecum amicos duxi, ejusdem rei videndæ desiderio ductos. Qui non sine admiratione aliquot scyphos vitreos eodem modo confractos viderunt.

Habes, Collega honoratissime, quæ de hoc experimento observata

mihi

mihi fuerunt, digna utique accuratiore aliquâ consideratione: non parum enim illustrant nobilem de sonis corporum doctrinam, cui explicandæ tam præclara insudarunt ingenia. Hujus Phænomeni rationes inquirere operæ pretium est, quas te quidem præcipere (quæ ingenii tui sagacitas est) non dubito; ut ineptus fortassis videri queam, si apud Te, accuratissimum rerum naturalium indagatorem, de rerum causis ratiocinari, ac in tuo foro sapere animum induxerim. Sed confabulemur aliquantum: quandoquidem parva & chartæ & temporis jactura est: humanitas verò tua vel nuganti, ut spero, veniam dabit.

CAP. II.

Vitri tanquam subjecti consideratio præmittitur. Ejus natura, fragilitas. Quæ sit ratio ductilitatis in metallis. Humore metallico sublato vitrificantur metalla. Humore alieno rigidis metallis ductilitas collata. Exempla adducta. An detur Vitrum malleabile. Cornuum & Vitri Muscovitici à nostro diversitas. Campanellæ consilium de vitro malleabili reddendo. Vitrum nostri temporis malleabile è Velschio. Vitrum per liquores chimicos flexibile redditur. Catena vitrea impunè terra illisa. Alex. Tassoni de Vitro malleabili sententia. Monconisii & Fallopii modus, quo vitrum redditur flexile. Novum inventum de ossibus emolliendis. Aliud de lignis, fœno &c. in pultem vertendis. Vitra cum carnibus cocta eas emolliunt. Vitra Medica. Vitrum absque igne paratum. Memorabilis historia de aqua per pulverem inspissatione, & de gemmis ex aquâ confectis. Aquarum in lapides vulgares conversio, inventum Anglicum. Crystallus an ex aqua? Montes Crystallini in Helvetia. Crystalli in locis subterraneis istorum montium inventi. Aqua guttæ, pili, festucæ, crystallis inclusa.

PRimum itaque vitrum, ipsum hujus Phænomeni subjectum videamus, quod P. Cherubinus in libro Gallico, de *Impermeabilitate Vitri*, pene in cœlum laudibus extollit, cum summo naturæ opificio, auro scilicet, hoc artis humanæ magisterium in contentionem adducens. Est vero corpus, ut notissimum est, ex arenâ, cinere & sale summâ caloris vi, per colliquationem compactum, jam crassius jam subtilius, prout vel arenæ & silices, vel sales & cineres variant, de cujus primâ inventione variâque misturâ pulchrè Plinius *lib. 36 c. 26.* Aliquo humore constat, cum liquetur, sed modico ac tantillum viscoso, æqualiter tamen diviso. Unde ob siccitatem talem rationem plexus sortitur, quæ ductilitatem ac flexilitatem vix admittit, estque fragile. Ductilitas enim humidum admodum pingue requirit.

Exemplum in plumbo eſt, quod ductile eſt, quam diu humor ejus durat. Simulac autem vitrificatur; & humor perit, & ductilitati fragilitas ſuccedit. Videas & in argento vivo, quod per vaporem plumbi fuſi leviter coagulatum vel ſolum lini oleum, ſi per tempus aliquod imponatur, malleo parere docet. Eandem ob cauſam ferrum molleſcit, paulatim butyro vel oleo immerſum, induratur verò, ubi urinæ & aceto immerſeris. Idem è venâ recens facile liquatur, & inſtar aquæ decurrit, ſed ægre funditur, ubi ſemel conflatum eſt: non parum enim humoris primâ fuſione deceſſerat, remanentibus craſſioribus particulis, quæ molleſcere quidem flammis poſſunt, non verò ad fuſionem diſponi.

Videmus, cum mineræ metallicæ funduntur, partes ſicciores, nullo humore metallico imprægnatas, quas ſcoreas vocamus, quæque ad vitri naturam quodammodo accedunt, ſupernatantes. Illæ ubi frigore induruerint, fragiles exiſtunt. Aqua fortis ſtanno affuſa indeque iterum abſtracta, ita obdurat ſtannum, ut fundi vix poſſit, ac vitro candido ſimile fiat. Cujus rei cauſa ſali nitri adſcribenda eſt, quo aqua fortis conſtat. Nam admiſtio ſalinarum particularum fragilem ipſi naturam induit. Hujus aut ſimilis forte naturæ fuit Belus ille Phœniciæ fluvius, cujus tum Plinius, tum Joſephus meminere, qui arenam in vitrum commutavit: quæ arena vitrea poſtea alia quoque metalla, quæ attigerat, in vitrum convertit.

Ex adverſo è ferro metallum formari poteſt, quod ad ferri naturam non redit, ſed tantò ductilius eſt, & coloratius, quanto magis igne liquatur violento, ope cæmenti alicujus ſulphurei, quod nova pinguedine ferri partes imbuit, ſeparatque molliores partes & coloratas à rigidioribus. Quod experimentum ſanè memorabile refert è Ferdinando Bouvota Berigardus in Circulo Piſano *part. 4. circ. 25. p. 314.*

Eſt itaque potisſimam partem à ſale fragilitas Vitri, cujus particulæ rigidiores ſunt, quam ut ad flexionem corpus aliquod diſponant. Quanquam ſalem dari flexilem poſſe experientiâ ſuâ teſtetur Cl. Borrichius libro de *Ortu & progreſſu Chemiæ.* Quare non ſine causâ dubitant Merretus in *notis ad Antonii Neri artem vitriariam p. 268.* & Honoratus Faber *Tract. 7. Phyſic. lib. 2. prop. 68. num. 5.* an dari vitrum aliquod malleabile poſſit, ac fidem hiſtoriæ in dubium vocat. Quod cornua, ungulas, ſimiliaque corpora attinet, eæ quidem quà perſpicuitatem, vitri formam præ ſe ferunt, ſed earum perſpicuitas à vitreâ multum differt. Imo ipſum vitrum Muſcoviticum ab aliis vitris arte factis diverſum eſt: cum colliquabilitas, & friabilitas his competat; illud verò fiſſile ſit, atque combuſtibile: cujus texturæ diverſitas vel ex eo patet, quod colores per laminam, ſi craſſior ſit, non appareant. Nam cum inordinatior ejus corporis compages ſit, tam

tam tenues lucis modificationes facile confunduntur. Ne quid dicam de ſono, qui diverſitatem texturæ ſtatim prodit.

Quod hiſtoriam de vitro malleabili attinet, ei ego fidem temerè non derogaverim: nam aliud planè vitri genus fuit, ut rectè ſentit loco laudato Borrichius, metallicum ſcilicet. Et ſanè ſi verum eſt, haberi poſſe unctuoſum illud metallicum, ſummè perſpicuum, viſcoſum & incombuſtibile, quale jactant magni arcani Phyſici poſſeſſores, non equidem abſurdum fuerit, illud ita admiſcere materiæ vitreæ, ut malleo obſequatur etiam frigefacta. Quod unicè hactenus metalla, præcipue præſtantiora faciunt.

Campanella ſanè in *Quaſt. Phyſiolog. quaſt. 3. art. 8.* conjiciebat: Si quis liquefactum vitrum Mercurio vel plumbo vel ſtanno liquefactis, noſſet incorporare, illum poſſe fortaſſis etiam vitrum ductile ac flexile efficere. Quod verò perſpicuitatem attinet, ne illa amittatur, ita rem inſtitui poſſe exiſtimat: Si metallum illud per calcinationes, ſublimationes, & admiſtiones aquarum lavaretur, (poſſe enim opacum dilutum perſpicuitatem aſſumere judicat, ut ſaccharum poſt liquefactionem in aquâ ſiruporum redditur transparens,) e.g. ſi quis Mercurium ſæpe lavaret, & ne exhalet, argenti ſcobe, vel liquore conglutinaret, & vitro fuſo incorporaret, perſpicuum & ductile fore corpus autumat. Ita quidem Campanella, qui vereor ne ſpe ſua fruſtretur. Me enim judice, his lotionibus ſuis laterem lavaret, & omnes ſuas fornaculas citius rumperet, quam vitrum fragilitatem dedoceret. Male enim iſtis omnibus inter ſe convenire quilibet videt, neque hac via quicquam effici, niſi aliâ arcaniori arte Mercurius præparetur.

Interim tamen & noſtro tempore non usque adeò ignotum Vitrum malleabile, quanquam non conſtet quâ arte paratum. Teſtis eſt ille Medicorum Germanorum ocellus Velſchius *Hecatoſtea I. Obſervat. Phyſico-Medic. Obſ. 42.* vidiſſe ſe Vitrum duriſſimum Chemicâ arte productum, quod nullo modò diffringi poterat, opus Sereniſſimi Principis Sigismundi Electoris Brandeburgici, cujus exemplum ad Philip. II. Ducem Pomeraniæ olim detulit Philippus Heinhoferus, raritate eximiâ celebratum.

Cæterum & flexilitatem vitro aliquam parari poſſe absque arcani elixiris ope facile conceſſerim: nec deſunt experimenta. Narratum mihi à fide digno Viro eſt, fuiſſe in aula Regis Poloniæ Caſimiri Italum quendam, qui certo quodam ſpiritu vitrum frigidum ita ſubigere ac emollire noverat, ut nummos ex eo ac imagines formare, & quaslibet imprimere formas potuerit. Ac audivi cum Londini commorarer, eſſe in Angliâ, quibus idem cognitum ſit artificium. Verum id poſtea priorem fragilitatem recepit.

Patet tamen hinc non usque adeò impoſſibile eſſe vitro dare flexilitatem. Meminit Cardanus aliquo in loco catenæ è vitro confectæ, quam

viderat impune terræ illisam. Sed flexilem fuisse non apparet. Putat & Alexander Tassonus, Vir doctissimus, in libro qui inscribitur *Pensieri diversi lib. 10. c. 26.* non esse tantam vitri flexilis inveniendi difficultatem, ac ab artificibus vitriariis Italis brevi fortassis in lucem protrahendum, quod tamen hunc usque in diem factum non memini. Docuit quidem etiam Monconisius in *Itinerario part. 1. p. 42.* quomodo flexile vitrum fieri possit: scilicet, si molliatur aquâ aluminis, ac intus & extus allio illinatur. Sed vereor ne & hoc cum plurimis illic aliis congestis vota nostra fallat. Qui enim hoc postumum ejus Viri opus ediderunt, sine discrimine collectanea illa publicarunt, quorum fortassis accuratiorem delectum instituisset Autor, si supervixisset. Varia quoque miscere docuit Gabriel Fallopius *lib. 3. secretor.* ad vitrum emolliendum, aquam ex adipe pedis equini, ejusque nervis & ossibus distillatam, sanguinem hircinum, anserinum, quibus vitrum candens immersum, vel coctione maceratum, mollem formam acquirat; quorum experimentum ipse non feci. Neque tamen planè à vero alienum est, posse Vitri partes à liquoribus certis corrodi & subigi, ut ex iis, quæ infra dicentur, patebit: cum & durissima ossa, intra vas arte nova nunc paratum, solâ cum aquâ coctione, ad mollitiem gelatinæ attenuari possint. Quod in culinæ & rei familiaris commodum, in fraudem vero canum, inventum, superiore anno ex Angliâ prodiit. Neque tamen adeo novum hoc videri possit, si vera sunt, quæ inter secreta Collegii Rosiani Petrus Mormius Anno 1630 prodidit. Is in libello magnifici tituli: *Arcana totius naturæ secretissima, nec unquam hactenus detecta p. 45.* in arcano contra famem hæc habet: *Sed & si penuria ingravescat, ipsa ligna, paleas, stramina perviæ concoctioni reddimus, ut pultes ex eis confectæ sufficienter nutriant.* Majus & incredibilius quid ille pollicetur cum ista alienissima ad palatum hominum accommodat & vel lapides, ut puto, vorare nos docebit. Sed hoc arte spagyrica illum effecturum credimus, nisi promissoris hic hiatus corvos deludat hiantes.

Id vero fidem excedere videtur, quod aliquibus traditur, vitrum per se rigidum, si cum carnibus coquatur, illas emollire posse. Testatur tamen id Berigardus *Circulo Pisano part. 2. circ. 27. p. 534.* licet causam ejus rei ignorare se profiteatur. *Non est dictu facile*, inquit, *quid emittatur à vitro conjecto in ollam, in quâ coquuntur carnes: tamen sæpius vidi carnibus admisceri tres aut quatuor pedes scyphi vitrei, & tunc eas coqui multo facilius.* Ac certè si vitra metallica tot ignibus torta tam mirabili modo vires suas dispergunt, ut Antimonii Vitrum: quis credat omni etiam virtute vulgaria illa destitui vitra? Velschius loco supra citato multa de Vitro Ægyptio Regio, quod Arabes in Medicinam adsumpsere, commemorat, cujus ille virtutes à nitri Nilotici in arena latitantis præcellentiâ deducit. Quid

Quid verò videtur de Vitro absque igne parato? Quale confici posse ex ore illustris Viri Roberti Boilii didici, cum ad eruditissima colloquia sua me admitteret. Suis enim manibus se palpasse gemmas asseverabat, non per ignem, sed per aquam factas, ejus pulchritudinis, ut cum ipsis genuinis certare sibi visæ fuerint, quanquam duritiem earum non exploraverat. Fuit tamen procul dubio materia ad vitri naturam accedens: fortassis & metallici aliquid subfuit, quod suspicari aliquis possit. Non ingratum tibi fore arbitror, Collega honoratissime, si integram ejus rei, ut â Dn. Boilio accepi, recitavero historiam. Quanquam enim ad nostrum adeò institutum non pertinet: argumenti tamen raritas, cujus nunquam, quod sciam, fama ad orbis eruditi aures pervenit (nec enim vel ab aliis, vel ab ipso Boilio quicquam literis eâ de re proditum est) liberius divagantem excusabit.

Fuit Londini Peregrinus, qui in diversorio aliquo forte fortuna in colloquium Medici Angli incidit. Dum illi inter pocula confabulantur, peregrinus poculum aquâ plenum afferri jubet, cui pulverem albissimum inspergit, ac seponit. Post horam fortè cum abitum uterque pararet, Peregrinus quasi oblitus: At! at! inquit, videamus, quid aquâ nostrâ factum sit. Obstupuit verò Medicus Anglus, cum vidit Aquam totam in solidam materiam conversam, cujus contusæ frusta aliquot Peregrinus Medico Anglo donaverat, à quo portiunculam aliquam (quæ tamen friabilis fuit) obtinuit etiam Boilius, quam etiamnum servare se asseverabat. Accidit postea, ut idem ille Peregrinus Boilium adiret, & post mutuos sermones habitos, gemmas aliquas factitias (quas ipse tales dicebat) monstraret. Cum singularem earum nitorem miraretur Boilius, & quòd adeò nullæ in iis conspicerentur ex igne maculæ; Peregrinus nunquam sensisse ignem respondit. Cum magis miraretur Boilius, subjunxit Peregrinus: Ex aquâ factæ sunt: specificum enim pulverem habeo, qui certum liquorem in solidissimam substantiam potest convertere. Increbuit is rumor Londini & ad magnatum quorundam aures pervenit. Qui cum diligentius inquirerent; Peregrinus ne artificium prodere cogeretur, se subduxit.

Memorabilis profectò historia est, de cujus fide, cum tanto teste nitatur, dubitare nefas fuerit. Pulvis vero iste secretioris mihi videtur originis. Memini equidem legere me in Viri Clarissimi, Thomæ Bartholini Commentario de Nive, de quodam, qui è nive salem parare noverit, cujus ope coagulari aqua potuerit. Sed ab isto talia non exspectaverim arcana. Id verò dubium injicere alicui possit, quare, cum primum injiceret pulverem, coagulatæ aquæ substantia friabilis remanserit: nisi fortè excedens pulveris quantitas obstiterit, quò minus soliditatem firmiorem acquireret aqua. Ac

potuit fortasſis aquæ coagulatæ pars demum in ſolidiorem ſubſtantiam alium liquorem convertere.

Neſcio an ad hanc claſſem quoque referre debeam, quod nunc in Anglia inventum eſſe teſtatur Beccherus in libello Germanico, non ita pridem edito, de aquarum in lapides vulgares converſione, qui in formas quascunque pro libitu compingi poſſint, ut integræ ſtructurarum moles inde educi poſſint. Nam promiſerat artifex ille Regi: ſe portum opere tali lapidario exſtructurum. Latitat alioquin in aquis & ſub aquis interdum limus, qui extra aquam in durisſimos lapides concreſcit, ut conſtat ex obſervatione aliquâ Peireſcianâ & è Boilio in *Hiſtor. Fluiditatis & Firmitatis ſect. 78.* ubi de argilla viridi fluminis Amazonum, quæ aëri expoſita in lapidem abeat adamanti duritie æqualem, unde ſecures pro findendis lignis confici ſoleant.

Tale aliquod vitri ex aquâ confecti genus cryſtallus eſſet, ſi vera eſt eorum ſententia, qui è glacie vel nive oriri cryſtallos putant. Quam ſententiam tamen impugnari ab aliis conſtat, & præcipuè adductis argumentis, poſt Matthiolum, Cardanum, Boëtium de Boot, Agricolam, refutat Thomas Broun, Anglus, idem ſcilicet, qui libri de Religione Medici Autor eſt, in elegantisſimo libro vernaculâ linguâ ſcripto, & nunc in Belgicam converſo: *Pſeudodoxia Epidemica lib. 2. c. 1.* Nec moverent me Alexandri Roſſæi ratiunculæ adverſus hanc Brounii ſententiam in ſingulari libro adductæ, qui in Harveo, Bacone, Brounio aliisque refutandis interdum non felicius verſatur, quam cum in Poëtas virgulam illam cenſoriam ſtringit, quorum ſenſus ſæpisſimè non capit: Niſi notabilis illa cujusdam Muralti Tigurini de montibus cryſtallinis in Helvetia è perpetuâ nivis ac glaciei conglobatione natis, quæ in Actis Coll. Regii *p. 982.* habetur, relatio veterem ſententiam ſtabiliret. Cujus domeſticum teſtem quoque habemus, Joh. Jacobum Wagnerum, qui *Helvetia Curioſa ſect. 1. artic. 5.* hanc Alpium glaciem inveteratam graphicè deſcribit. Glacies illa, quam vernaculâ linguâ *Gletſcher* vocant, autor ille ait, naturam glaciei communis exuit, utpote quæ perennando duritiem cryſtallinam quodammodo induit; neque ad ſolem niſi longisſimo tempore ſolvitur. Vero ſimile itaque eſt, per ſeculorum aliquot tractus in veram cryſtallum conſolidari glaciem illam poſſe. Cujus non contemnendum eſſe documentum poteſt, quod è literis Urſtiſii adfert Gul. Fabr. Hildanus *Obſervat. Chirurg. cent. 4. obſ. 22.* Miſerat ille Fabricio fragmentum lapidis in Neoſtadienſium Alpium perpetua nive ac glacie tectarum locis ſubterraneis reperti, quem ille ad cryſtalli naturam, quanquam non tanta ejus durities, accedere judicabat. Imò ex aquâ cryſtallum primum concreviſſe, ut & alias gemmas,

tum

tum Nicolaus Steno, in *prodromo Differtationis de folido intra folidum*, tum Robertus Boilius *libro de gemmis* ingeniofisfimis ratiociniis demonftrare laborant. Præterea non leviter hanc fententiam confirmant obfervata Laurentii Pignorii in *Symbol. Epiftol. Epift. 15.* de guttula aquæ, pilis, feftucis, mufco virenti, cryftallino lapidi inclufis. Quibus geminum quiddam Nierembergius *Hift. Nat. lib. 16. c. 21.* recenfet.

CAP. III.

Vitrum effe porofum. Quæ ejus textura? è Cartefio & Nulando. If. Voffii argumenta adverfus porofitatem Vitri. Ab illo diffenfum. Corporum divifio in fimplicia & folida non rectè inftituta. Porofitas non repugnat foliditati. Solidiffima multos habent meatus. Illorum mira & incomprehenfibilis fubtilitas. Comparatio ex Ariftotelis problematibus non inconcinna. Ut opacorum lamellæ funt perfpicuæ, ita perfpicuarum lamellarum corpora coagmentata opaca. P. Cherubini argumenta examinantur. Filorum vitreorum flexilitas potius porofitatem quam impenetrabilitatem vitri probat. Aer craffior extrahi è vitro poteft remanente æthere. Aer multa corpora etiam porofiffima non pervadit. Et liquores certa corpora funditus penetrant. Bullæ aëreæ ex ipfo vitro extractæ. Confervatio diuturna rerum corruptibilium in Vitro evacuato. Vitra liquoribus, caponum fermento ftomachico, comminuta & corrofa. Gemmæ adulterinæ adfperfæ aquâ forti maculam contrahunt. Aqua vitrum transfudans. Mufcæ in porulis vitri an pedes figant. Diftillatio frigida per nives. An argentum vivum & liquores Chimici vitri meatus pervadere poffint? ejus rei experimenta. Radii folares in vitrum incidentes non impenetrabilitatem, fed porofitatem vitri probant. Vitri meatus per fonos, etiam in vitro evacuato excitatos, & per magneticorum motuum transmisfionem evidentisfimè probantur. Flatus artificis & aër externus ad texturam partium vitri multum confert. Roberti Hoockii laus. Ruptura lacrymarum Vitri orbicularis. Vitrum folidum ad affrictum levem fractum. Venti Boreales & aër ferenus vitri & metallorum fufioni commodi. Aëris ambientis vis in metalla. Aër intra vitrum detentus. Unde motus interiorum partium. Ex illo motu gemmis adulterinis macula. Etiam genuinis interdum.

SEd mittamus myfteria & ad quotidiana noftra revertamur. Vitrum noftrum, ut diximus, ob minimarum particularum plexum fragile eft. Quæ ipfa fragilitas fatis de poris vitri teftatur, quos negatum ire aliquos miror. Cartefius ideo fragile dicit: quia fuperficies, fecundũ quas ejus particulæ fe invicem tangunt, fint admodum exiguæ & parvæ: in punctis enim

enim duntaxat se contingunt. Quodsi Nulandum Cartesianarum Hypothesium impugnatorem audimus, is *p. 51. element. Physic.* vitri particulas ait constare figuris magnum vacuum admittentibus, invicem tamen firmiter connexis. Vacuum enim in rerum naturam reducere laborat. Spaciola itaque aliqua in vitro concedamus necesse est, quæ si non planè vacua, aërem tamen aut æthera inclusum habent. Nec profecto particulæ vitri heterogeneæ, unde componitur, adeò aptari per ignem accuratè possunt, ut non figuræ aliquæ in extremis remaneant, ac aliquæ vacuitates.

Scio quam inter se hic digladientur Viri Præstantissimi, illis impenetrabilitatem, aliis penetrabilitatem Vitri adstruentibus. If. Vossius in *libro de Luce cap. 6.* vitrum, aquam & eximiè pellucida corpora carere poris omnibus contendit, quia non ex corpusculis, sed ex continuâ & uniformi constent materiâ. Corpora ille distinguit in fluida & solida. Fluida corpora illi sunt, quæ non habent consistentiam: Solida vero quæ eundem servant partium situm, etiamsi moveantur. Illa iterum dividit in simplicia & composita. Simplicia solida sunt illi corpuscula, è quibus composita solida fiunt, & in quæ vice versa dissolvuntur. Jam verò ait, in confesso esse, talia corpuscula poris carere, si enim non careant iis, non esse simplicia, non solida, denique non corpora. Harum rationum vim me planè non capere fateor. Fluida corpora à solidis distinguuntur solâ consistentiâ; Ideoque minima ita utrinque oportet esse figurata, ut in illis facile mobilia, in his non sint. Solida si sint simplicia, è quibus solida alia componuntur; jam scire velim, quo in ordine vitrum habeat: certè inter simplicia non referet, cum è trium potissimum corporum particulis componatur. Si inter composita referet, ut certè referre debet, ac è simplicibus illis solidis compactum velit, scire velim, an corpuscula illa simplicia, solida, si sint, ita inter se jungi possint extremorum figuris, ut omnis aeri vel ætheri via præclusa sit. Planè enim non video vim hujus argumenti, quo utitur: *Si interstitia, quæ meatus separant, non sint solida, ubique erunt meatus, nihilque erit in rerum naturâ corporeum.* Nam si interstitia sunt, quomodò solida esse possunt. Quæ denique ratio cogit me credere, nihil esse in natura corporeum, si ubique sint meatus. Sunt enim corpora, licet meatus suos habeant. Neque illud propriè corpus dicendum est, quod omnibus meatibus destituitur. E mistionis enim ratione major minorve soliditas dependet. De Corporibus verò etiam solidissimis verum est, quod Berigardus in *Circulo Pisano part. 6. circ. 15.* ait: *Corpora solida meatus habent innumerabiles, tenuibus aliis corporibus refertos.* & *in Part. 4. Circ 25. Substantiæ simplices, dum aliæ aliis adhærescunt, relinqunt exigua quædam spacia plena corpusculis aliis ad concrescendum inutilibus, quos meatus poros appellant, conspicuos*

spicuos quidem in multis, in plerisque ob exiguitatem occultos. Non satis solida illa argumentatio est: Si vitrum ubique meatus habet, sequitur, ut vitrum nullas partes solidas habeat, ac si pori ubique sunt, nusquam erit vitrum. Ea enim subtilitas meatuum esse potest, ut non nisi subtilissimæ substantiæ luminis & ætheris pateat, ea denique compositio partium, ut ordine tali cohæreant, qui transitum certæ substantiæ particulis præbeat, reliquas omnes excludat. Qui licet sub dimensionem nostram non cadat, tamen è conjecturis certis, colligi potest. Non sanè inepta est, quæ in Aristotelis Problematibus *sect. 11. prob. 61.* affertur ratio: *Per vitrum, quod densissimum est, transpicere licet, per ferulam, quæ rara solutaque est, non licet. In altero enim meatus respondent inter se; in alterâ variant. Nec quicquam juvat, amplos esse meatus, nisi rectè ad lineam positi sint.* Illam meatuum rectitudinem causam esse perspicuitatis, vel ex eo apparet, quod, ut Berigardus loco laudato ait, nullum corpus solidum tam sit opacum, ut si in tenuem lamellam ducatur, aditum lumini non præbeat, tum enim meatuum anfractus minores aliquem luci transitum concedunt: imo egò addo: nullum corpus tam esse perspicuum, quin crassitie nimiâ, id est, meatuum obstructione, fiat opacum. Porosum itaque vitrum est, & minus solidum, quod vel ipsa levitas extendit. Aurum sane nemo negabit inter corpora esse solidissimum, quia gravissimum: quod tamen porosum esse omnes agnoscent. Multò magis itaque porosum est vitrum.

Mittamus Vossium, qui è perspicuitate Vitri soliditatem potissimum stabilire voluit. Ante aliquot annos P. Cherubinus singulari dissertatione Gallica *de l' impermeabilité du Verre*, eandem causam magno apparatu egit. Cujus tamen rationes à me assensum extorquere non possunt. Quando enim ait, quod vitrum in tenuiora & subtiliora fila, quam ipsum aurum, duci possit, quæ in omnes partes sine ruptura flexilia, arguant nullos illis filis esse poros: illâ ratiocinatione vehementer illum falli existimo. Inverti enim hoc telum potest. Ideo scilicet flectuntur fila, quod spaciola quædam illis insint, quorum adductione & remissione in varias se partes versare possunt. In Auro, cum quo vitri ductilitas comparari nequit, ut statuit Autor, meatus dari, ipsâ experientiâ docemur: Multo magis itaque dantur in vitro.

Operam præterea ludit, cum è singulari encaustæ cujusdam dexteritate, quâ in operibus minutissimis è vitri cujuscunque frustulis, sine ullâ ejus rupturâ, conflandis utebatur, vitra impervia judicat. Cum in auro, quod omni vitro longè tenacius & ductilius est, viarum ostia facile vel aquis fortibus, vel argento vivo pateant, quod illis quasi cuniculis subre-

pens, quasi compage sua solvit. Ac idem vitro fieri posse & supra ostendimus, & in sequentibus amplius probabimus.

Argutatur porro, si vitrum poris constet, in machinis pneumaticis, aëre per summam vim extracto, novum per poros subiturum, quod tamen non fiat. In tubo item Torricelliano, existimat aërem poros vitri, si quos haberet, perrupturum, eo spacio, quod argentum vivum suspendit, cum tenuissimum foramen, quale aciculæ puncturâ formari possit, argentum vivum præcipitari possit. Quâ de re fusius agit in libro de *vi Contiguitatis Corporum gallicè scripto part. 1. c. 7.* Sed neque illo argumento quicquam efficiet. Primò enim cui ignotum est, omnia corpora, etiam porosissima, ob implicationem meatuum, aërem excludere externum posse: Nam vitrum non adeò liberè ab aëre, facilius quidem à materiâ subtili vel æthere penetrari potest: non autem usque adeò in hoc experimento Torricelliano. Naturalis enim illa aëris consistentia & gravatio non permittet, ut vel elabantur vel intrudantur per poros particulæ, nisi vis compressionis major prævaleat. Ac memorabile sane est, quod de Robervallo apud Pecquet: in *dissert. Anat. de circ. sanguinis* legitur, vesiculas carpii flaccidas sed validè ligatas, in inani tubi Torricelliani spacio, validè fuisse inflatas, exiguo illo aëre intra vesicas contento per elaterem suum se extendente, quæ vero statim admissi aëris externi pressione flaccescere visæ sunt. Quo patet, suis se finibus continere aërem, & pro re nata premere, premi, dilatari: pro ponderis autem ratione tantum materiæ subtilis, vel ætheris, qui in aere, ut spiritus vini in vino continetur, quantum opus est, admittere, vel expellere. Imò frangitur nonnunquam vitreus ille tubus, cum delabitur argentum vivum subducto digito, per vim irruente vel aëre vel æthere, vacuum repleturo, ut accidit Valeriano Magno, qui occasionem inde arripuit, ut singulari dissertatione *de Vitro mirabiliter fracto*, per longam argumentationum seriem fractorem Vitri esse spiritum ostenderet. Quanquam sine hoc mysterio res non insolita explicari poterat; (nam & aquâ, dum tubo exsugitur, per aerem repressâ idem continget,) tamen mirè hic circa ordinatissimas è duobus centris fracturas ellipticas philosophatur, in minutiis his supra modum operosus. E quibus omnibus colligit: Inclinationem partium ad continuationem, sive corporum ad motum, sympathiam, antipathiam, gravitatem, levitatem & alia ejusmodi naturæ esse spiritualis locomotivæ. Moverunt hæc aliaque dubia Henricum Morum, Philosophum sanè argutissimum, ut, explosâ omni illa vi aëris elastica, quam ad demonstrationem horum Phænomenorum adducunt sagaciores, ad principium Hylarchicum confugeret, & similibus experimentis illud stabilitum iret. Ac fatendum sane est, in causarum investigatione plus subesse sæpe difficultatis,

tatis, etiam in minimis, quam credant Lyncei illi minutiarum ſpeculatores. Quæ me cauſa aliquando impellebat, ut de *Principiis naturæ incognitis* commentarium meditarer, per omnia naturalis ſcientiæ capita demonſtraturus, ſine principii alicujus incogniti ſubſidio, extricari nos his difficultatibus non poſſe, ac nullam hunc usque in diem ſectam ſatis validos his nodis cuneos admovere. De lagenis evacuatis intra campanam urinatoriam fractis fusè Sinclarus *lib. 2. dial. 5. p. 234.*

Sed iſta hujus loci non ſunt. De vitri poris dicere inſtitueramus, quos ineptè idcirco in dubium nonnulli vocant, quod aër difficulter eos pertranſeat. Videmus aërem in tubulis metallicis, imo ligneis, adeò comprimi poſſe, ut globulum cum impetu foras pellat: cum corpora illa longè ſint vitris poroſiora. Nam ſanè aer externus non poteſt omnium corporum meatus pervadere, & minus interdum, quam liquores & ſpiritus Chimici. Non penetrabit ille tot papyri folia ſibi juncta, quot penetrant auripigmenti aquâ diluti corpuſcula, in ultimo grandis libri folio, aceto albo ductas literas cœcas nigro colore infectura, de quo plenius agit Berigardus *Circulo Piſano part. 5. p. 573.* & Boilius *libro de nat. determ. Effluvior. p. 113.* Marmora blandus liquor perrumpit, aere externo excluſo. Imo vero hoſpitari in vitris minimis aerem vel materiam ſubtiliorem, experimentis certiſſimis probarunt tum Robertus Boilius, tum Otto Gericke. Ac ille quidem in *Continuatione Experimentorum Phyſico-Mechanicorum, experimento 9.* vidit bullas vitreas, aere plenas, ſed Hermetice ſigillatas, in vitro, cui aer extractus erat, in minutiſſimas particulas confractas, quod aer interior detentus viam ſibi quæreret. Hic vero in Experimentis ſuis Magdeburgenſibus accuratè præterea obſervavit, bullas aereas, effluvia aerea corporum, quæ odores ille vocat, è vitro vacuo, ſed recenti, ſurgere, quæ tamen deſierint, poſtquam aeri externo nullus amplius ingreſſus datus: ſimul ac verò machinula aliquot dies aperta ſtetit, ad extractionem bullulas illas iterum apparuiſſe. Quo patet, per vim illam prolecta hæc corpuſcula aerea è vitri meatibus, externum vero aerem non ſucceſſiſſe. Legatur ille amplius *lib. 3. cap. 8. p. 82.* Idem confirmat experimentum Valeriani Magni in libro de *incorruptibilitate aquæ*, qui obſervavit, vitrum aqua plenum igni expoſitum bullas per aquam diſpergere, quas ille per aerem poris immiſſum excitatas judicat. Quæ bullæ ſtatim deſierunt, ex quo vitrum aqua plenum aquæ in aheno bullienti impoſuit: aqua enim poris vitri circumpoſita illos implevit, ne aer tranſiret. Unde veriſſimum eſſe apparet, quod ingenioſè Leibnizius in *Theoria motus concreti p. 11.* ait: *Quoties ſubtilia perrumpere per denſa conantur, & eſt quod obſiſtat, formantur denſa in cavas quaſdam bullas.* Cujus eo in loco de bullis, ut primis rerum ſeminibus, ab-

 ſtruſâ

ſtruſa & ſubtilisſima philoſophia eſt: ubi Terræ ipſius baſin, magnam aliquam bullam vitream (primum enim & poſtremum in naturâ ipſi vitrificatio) in tenuiores hinc bullas vitreas, aereas, aqueas abituram ſtatuit. Cæterum evacuari ab aere illo crasſiori vitrum poſſe, inque illo res aeris fermento corruptibiles longo tempore incorruptas ſervari poſſe, ſingulari libello *Experimentorum circa conſervationem corporum* demonſtravit Boilius.

Provocat amplius ad Chimicos, quibus vitrum ſpiritus fortiſſimos indemnes præſtet. Sed refutat ipſum & in hoc experientia. Ipſemet aliquoties vidi à ſpiritu acri ita corroſum vitrum, quo continebatur, ut ſpiritu effluente, vitrum in arenulas manu tactum abiret. Vidi à ſola calce viva vitro ſervata ita infeſſa vitri ſpaciola vacua, ut nulla arte potuerint eradi. Hinc facilis eſt adulterinas à genuinis gemmis diſcernendi modus, ſi aquæ fortis paulum ſaphiro factitio illeveris, inſinuabit enim ſe poris liquor, & maculam vitrum metallo tinctum contrahet, cum nulla ejus in genuinam gemmam vis exiſtat. Multa hic nos docere poterit nobiliſſimus Franciſcus Redus in Experimentis naturalibus, qui illic plurima affert, quomodo liquores blandi vitium ex ipſo vitro & cryſtallo traxerint: limpidiſſimi enim liquores albeſcunt à ſale, ut ille opinatur, qui in vaſis cryſtallinis effloreſcens, lapſu temporis illa corrodat. Quot ille globulos vitreos, ſolidos, vacuos, caponibus, columbis deglutiendos dedit? qui vel in pulverem comminuti fuerunt, vel notabili pondere imminuti, aut in ſuperficie corroſi, à liquore in ventriculis illorum contento? Imo & Borelli extat obſervatio de perſpiciliis ab oculorum acribus ſpiritibus perterebratis. Pertinet huc Dni. Hydden obſervatio, cujus meminit Borrichius *lib. citat. p. 118.* de globulis tenuiſſimis, quos aqua communis infuſa penetravit. Legi aliquando in ſcripto Anglico, cujus Autor nunc non ſuccurrit, vitro exceptum grandinem, cum in aquam ſolveretur, magnâ ſui parte transſudaſſe. Eraſ. Bartolinus in diſſertatione de *Poris Corporum*, ex eo vitri poros demonſtrat, quod humoribus perfuſa ſuperficies madeſcat, quodque muſcæ ac inſecta perrepant. Sed ea ob ſcabram ſuperficiem accidere poſſunt, non verò ob poros totum corpus permeantes. Ac probavit ſuo experimento Honoratus Faber, ſuperficiem vitri adeò levigari poliendo poſſe, ut in eo muſcæ ſiſtere minimè poſſint. Longè certius judicium eſſet, ſi verum eſt, quod idem affert Bartholinus, poſſe ſubtilisſimorum ſpirituum minima effluvia ipſas etiam ſigillatas, ut vocant, phialas vitreas permeare, quod deprehendere odore etiam licet. Denique nec glacies vitro admota frigus in illud transferre poſſet: nec alembico, vaſi vitreo accuratè juncto, ſuperpoſita nix ſpiritus è vino provocare poſſet, ut per alembici roſtrum ſtillent, absque ignis ope, quod

Magni

Magni Ducis Etruriæ experimentum est, si poris suis destitueretur vitrum. Adde his quæ de Mercurii per vitrum penetratione è Magnano, deque tinctura ferri vitrum transsudante ad magnetis contactum, refert Schottus *Technica curiosâ lib. 5. p. 250.* Hæc in dubium vocare videtur Boilius in libello de *detecta penetrabilitate Vitri exp. 3. Nullatenus*, inquit, *cum iis sentio, qui putant, vitrum facile penetrari posse, vel, ut multi volunt, à liquoribus Chymicis, vel ut quidam, ab argento vivo, vel ut alii saltem ab aëre nostro; cum opiniones istæ experimentis illis non consonent, quæ ad eas examinandas de industriâ peregi.* Verum Daniel Bartoli libro toties laudato, *tract. 3. c. 7.* testatur: Medico cuidam excellentissimo, quem noverat, id sæpius contigisse, ut Mercurius vitro hermeticè sigillato inclusus, calore balnei semper aucto, poros vitri sine ejus rupturâ penetrarit, crustamque ipsi circumposuerit. Tum & Thomas Cornelius Consentinus in Epistolâ *de Circumpulsione Platonica* de eâdem re ita disserit: *Sæpe ex ampulla vitreâ sigillo hermetico clausa, tenuissimi quidam liquores ad ignem exhalant, & nonnulli etiam chymici sales egrediuntur. Quin videmus quoque hydrargyrum in aquâ stygia, ut vocant, solutum per vitri poros exsudare.* Quæ sanè tot testibus probata sunt, ut in dubium amplius vocari non possint.

Nolo ulterius immorari illis, quæ Autor Gallus è natura radiorum in vitrum incidentium argutatur, nam in ipsum potius hæc valent. Demonstrant sanè specula ustoria, pertransire meatus vitri radios lucidos, & ob meatuum obliquitatem in sphærica vitri figura, in conum colligi, unde ipsa combustio sequatur. Quæ tam sunt manifesta, ut palpari penè possint. Multa ex illustris Boili libello *de Penetrabilitate vitri*, suis partibus applicat, quæ si quis recte inspexerit, nihil ipsius sententiæ commodant. Illis ut immoremur, non est necessum. Neminem puto de vitri meatibus dubitaturum, qui quidem novit, sonos per vitrum hermeticè sigillatum, etiam aëre exhausto, audiri, & magnetem interposito vitro etiam vacuo ferrum ad se rapere. De sono experimenta multa à multis instituta sunt. Cicada vitro obstructo inclusa, cantu tamen aures ferit. Mersennus in tubo vitreo aëris experte clarè tamen campanæ sonum & invariatum, audiri testis est. At Boilius, qui tot ejus rei experimenta fecerat, in *Continuatione Experimentarum Physico-Mechanicorum, exp. 41.* audiri quidem pronunciat, sed obtusius, & quasi è longinquo, ac cum stridore aliquo. Otto Gericke idem pene testatur, sonum quidem percipi, sed sine tinnitu, ob aëris defectum. At Bertus invento suo ostendit, in vitri vacuo, si marculus ferreus ita campanæ aptetur, ut ad magnetis applicationem attrahatur, campanam lapsu suo pulsaturus, sonum clarissimè audiri. Quo uno experimento duplex aperitur meatibus vitri via, disputationibus aliorum obstructa.

 Cum

Cum itaque certum sit, poros habere vitrum, eos habet & à primâ texturâ, quos tamen exiguos esse existimo, & sortitur à particulis aëris, quæ flatu ab artifice impinguntur; non parum enim iste ad locationem particularum in vitro confert: quoniam & ipsæ per se aeriæ particulæ facilè candentem materiam & quidem penetrantius impulsæ subeunt: undè inæqualitas superficiei in vitro est, & circularis aliquis positus particularum, qui in complanato rectus est. Quin observavit jam dudum fissuras exiguas rectilineas in vitro per microscopium Borellus. Hinc fracturæ rectilineæ plerumque sunt, cum vitra crepant, ac velut ex centro quodam, ubi urget confluxus aliquis particularum motarum, ac erumpere cupientium, oriuntur: Quod fieri solet, in loco, ubi granulum arenæ ut molecula salis alcali cernitur: Textura enim illic non satis firma, ac reliquis partibus attemperata, portam aliquam aeri irruenti aperit, unde incipit reliquas partes pervadere & laxare, ut ex impetus inæqualitate vitra dehiscant. Orbiculares verò fracturæ sunt, cum per sonum vocis humanæ universalis iste particularum intestinarum per vitrum sphæricum motus excitatur. Tales etiam in Vitro stillaticio observavit Vir doctissimus Hoockius *in Micrographiâ suâ observat. 7.* quo nemo accuratius hujus vitri phænomena sub examen vocavit. Optandum verò esset, ut libri elegantissimi ex Anglicâ in notiorem linguam conversione, ad plures Orbis eruditi Cives ejus fructus dimanaret.

Est vero operæ pretium & ad scopum nostrum maximè facit, ejus rei rationem omnem perdiscere. Quare afferam, quæ Hamelius ex illo in linguam latinam convertit *libro de Corporis affectionibus 1. c. 7. Contextus partium exteriorum, arcuata, & fornicis instar erecta interiorum figura, omnium tensio, inflexio, laxior textura, vis denique elastica, qua partes compressæ se se in statum sibi naturalem solent restituere, hunc mirabilem effectum procreant. Hæc ita se habere hinc colligimus, quod cum una ex iis lacrymis cum tenui pelle hædinâ, & ichthyocollâ esset ab R. Hokio diligenter involuta, disrupto pedunculo lachryma sic confracta est, ut partes non dissiluerint, sed suum quæque situm servaverint, tumque in circulos penè infinitos divisa est lacryma, & pars intima substantiâ magis spongiosâ constare visa est, plures lineæ in punctum quoddam hujus velut medullæ desinebant, qui apex erat pyramidis, cujus basis erat circulus obscurioris partis maximus.* Addit sub finem capitis idem Autor: *Quod autem contextus partium, figura, & tensio præcipuæ sint hujus phænomeni causæ, hinc etiam licet conjicere, quod pila conflata ex vitro candido (quod viridi fragilius est, & poris magis pervium, nec ex fornace extractum in arcâ superiori, ut aliæ vitra reponitur) facile in partes dissiliunt, ubi scalpelli, vel styli apice celeri & reciprocò motu perfricantur: nam partes præsertim interioris pilæ, aut vitri con-*

cavi,

cavi, hoc celebri motu luxatæ, non valent amplius exteriores continere. Et quidem mihi anno proximè elapso ostendit D. Boyle vitrum solidum, crystallo purissima simile, quod levi motu affrictum in varias partes dissiluit. Illa omnia, quanquam prolixiora, adducere voluimus, cum mirifice rem nostram illustrent, & ipso vitro magis perspicuam faciant vitri texturam ex armillis rigidiusculis constantem, partiumque ad facilem & circularem præcipue rupturam dispositionem. Quæ diversitas partium vel ex eo apparet, quod fissuræ æris campani rectilineæ, vitreæ vero plerumque curvilineæ, atque ideo de circulari positu earum, forte & de alio motu undulatorio, quam qui in campanâ est, testantur.

Præterea & externus ille aer, vel materia quædam subtilior insinuare se vitro laborans, dum ex summo illo calore in furnum mitius calentem seponitur, plurimùm ad pororum constitutionem adfert. Quod apparet è lagenis illis vitreis, quæ frigidæ, thecâ suâ priore, quâ candentes formabantur, includi recusant: cùm secus in metallis fiat, quæ ignita intumescunt: ut videre est è clave, quæ dum candet, seræ suæ foramen non subit. Quare & ferrum candens non ita sonat ut frigidum, & calidæ aquæ obtusior sonus est, quam frigidæ. Notum est Murani ex alterâ littoris parte, è regione officinarum vitra minus confici posse, quod austrini illic flatus dominentur, in alterâ vero optima conflari; quia borealibus ventis illa loca exposita. Cujus hæc forte ratio, quod, ut quidam Viri eruditi notarunt, sal ex aere, flante borea, copiosior, & qui acidi quid continet, colligitur, qui ad solidationem & ad sonum non parum tribuit. Ajunt enim, hiberno tempore, ob salem in aere copiosiorem, eum ipsum magis sonare, teste Hameho de *corp. anim. lib. 2. c. 4. n. 7.* Innuit & hoc Fiorovantus in libro Italicè scripto, cui titulus *Specchio del. scienc. universf. lib. 1. c. 19.* ubi artem illorum vitriariam totam describit. Sed tamen & aquas salsas, lignorum teneritudinem, & alia laudat, quæ vitro istam præstantiam largiuntur. Nam toto terrarum orbe locum rei vitriariæ commodiorem esse negat. Velschius quoque loco supra laudato Vitri Ægyptii præstantiam ab arenâ Nilotica & aere sereno deducit. Quin & in metallis aeris ambientis ac penetrantis vires animadvertere licet, quorum superficies ac poros variat. Appone enim laminæ cupreæ vel ferreæ ignitæ chartulam mundam, ac videbis particulas non sine aliquo strepitu in eam prosilientes. Facile id etiam in laminis ferreis, quibus fornacis os occludi solet, observabis, quas strepere nonnunquam & stridere ad occursum aeris frigidioris videbis, ac paulatim absumi. Observatum quoque est aere sereno & ventis septentrionalibus expeditiorem esse metalli fusionem & clariorem ejus sonum, ac testatur Dn. Perrault in *Tract. Gallico de duritie corporum:* intenso illo Anni 1670

frigore

frigore Academicos institutis experimentis deprehendisse corpora durissima, ut metalla, vitra, marmora, quasi è congelatione partium interiorum, fragilitatem acquisivisse, quæ, frigore externo cessante, ipsa quoque cessaret. Ita chalybs frequenti in aqua exstinctione vel durior, vel fragilior fit, imò & intumescit, ut ex filo primum candefacto, deinde aquâ macerato apparet, quod per prius foramen duci non potest. Imo solet à fabris pro ratione usus, immersione subita vel tardiore varius duritiei gradus conciliari. De ære, cur intensissimo frigore expeditius fundatur, vide Honoratum Fabr. *Phys. Tract. 7. lib. 2. prop. 57. n. 13.* Qui in Boilii libello de Cosmicis Qualitatibus legit: quomodo bacillo ferreo, ex solo diuturno ad fenestram positu recto, vel ejus candentis directione versus septentrionem vel Austrum, per solam externi aeris in poros insinuationem, dari ac adimi facultas in septentrionem se convertendi possit, facile ejus in variandis poris corporum potentiam agnoscet.

Continetur itaque in vitri poris aer, vel materia aliqua subtilior ætherea, vi quâdam illic velut in carcere quodam detenta, quæ citius ac facilius prorumpendo rumpit vitrum, cum nondum in quendam quietis statum per successivam infrigidationem est redacta. Unde facilè talia vitra, vel per infusam frigidam, aut frigidiorem aerem ambientem rumpuntur. Ac citius, credo, etiam voce, licet debiliore, frangentur, quam quæ per gradus frigefacta. Norunt illi, qui vitra ad tubos opticos expoliunt, quam sponte interdum findantur. Licet vero & in Vitris observare facilem intestinarum particularum motum, quod ex sola illa, quam vocant, Electricitate apparet, quæ vitro cum succino est communis: ne quid nunc dicam de salinarum particularum efflorescentiis, sæpè in vitri superficie linguæ tactu observatis, ac aliis de vitro fracto experimentis, quæ recenset Illustris Boilius in elegantissimâ *de absolutâ Quiete in Corporibus* dissertatione. Quæ qui legerit, amplus non dubitabit de intestinis particularum in vitro motibus: præsertim cum in corporibus longe compactioribus, gemmis scilicet, ac ipso adamante motus aliquos deprehendere Philosophus sagacissimus sibi visus fit. Idem Gemmarii testantur, quibus sæpe accidit, nebulis quibusdam obfuscari gemmarum splendorem: ac omnium optimè norunt, qui in gemmis factitiis laborant: nam è filicibus & plumbo vitra pro adulterinis gemmis conficiunt, non è cineribus & sale, quia illæ facile pelliculam contrahunt, quæ elui non potest, & è salis acrimonia proficiscitur. Quæ genuinis adhæret pinguedo, ut adventitia, nec ex ipsa substantia orta, facile abstergitur. Major quoque minimorum in vitris, quam in gemmis motus deprehenditur per linguæ tactum. Vitra enim gemmis tepidiora sunt. Confer cum his, quæ Boilius de maculis

culis in Turcoide gemmâ variantibus refert *libro de coloribus pag. 428*. Nolo enim illa transſcribere, cum libri in omnium manibus verſentur. Jungi etiam poſſunt, quæ narrat Bulengerus *lib. 1. de nat. divinat. c. 5.* de Leonis X. lapillo, cujus color pro phaſibus lunæ varius fuit: deque alio Clementis X. in quo macula Sole oriente oriens, occidente occidens, ad ejus motum circumacta fuit. Quæ omnia motum particularum minimarum, etiam ſpontaneum vel in ſoliddiſſimis corporibus, (quidni ergò & in vitro?) demonſtrant.

Cap. IV.

TRanſitus ad ſoni rationes inveſtigandas. Sonori corporis motus quales. Minima corpuſcula, etiam non ſonora, ab impulſu aëreo mota. Chordarum æque tenſarum altera tacta non tactam ad ſonum laceſſit. Cauſa ſuperſtitioſa apud Gellium. Sympathia an hic pro cauſa verâ haberi poſſit. Spinoſa inter cauſas etiam nonnunquam admiſit. An Magnetiſmus? Magneticorum motuum & chordarum tenſarum affinitas. Scyphi vitrei penduli per ſonum oris eundem attractio. Spiritum Mundi hujus effectus cauſam ſtatuit Helmontius; Marcus Marci ideas. Alii potentiam numerorum Harmonicorum. Vera ejus cauſa quærenda eſt in naturâ tenſionis & motus ſonori. Quæ & quotuplex ſit tenſio. Tenſio ponderi æquiparatur. Motus tenſi è motu penduli æſtimari debet. Quæ tenſi & penduli differentia. Corporis æqualis in quieſcens æquale impulſus. Applicatur ad chordas æquè tenſas. Vibrationum in chordis cum pendulorum oſcillationibus æqualitas, quomodo deprehendatur? Illorum motuum è pendulo demonſtratio. Ictu & impulſu uno, non repetitis, movetur chorda ſimilis. Ideoque chordæ ruptæ ſonus etiam conſonam movet. Firmatur noſtra ſententia è Fracaſtorio. Pendulorum inæqualium oſcillationes inordinatæ & impeditæ. Similis ratio chordarum inæqualiter tenſarum. Merſenni experimentum de arbitrariis octo conſonarum vibrationibus rejicitur. Tremor ligni in inſtrumentis non eſt proxima cauſa chordæ conſonantis. Vibratorii motus accurata dimenſio haberi non poteſt. Surdus an è viſu vibrationum chordas inſtrumenti temperare poſſit? Scyphorum conſonorum mutuæ vibrationes. Conſonantia Vaſorum in theatris. Kircheri Muſica Sympathica. Ejuſdem ſtatua ad certum organi & campanæ ſonum componenda.

SOllicite hactenus in poris Vitro vindicandis fuimus; nam illi quaſi in anteceſſum aperiendi, ne porta ſono illis ſe ingerenti præſtrueretur. Conceſſis itaque vitri poris ac minimarum particularum, vel aëris, vel materiæ ſubtilioris intra plexus particularum vitri, conſtipatarum

tarum motu, ſequitur hinc, ab aëre vel æthere externo vitri poros vel tranſeunte, vel iis ſe implicante, poſſe moveri particulas aereas vel æthereas vitro contentas. Illud verò præcipuè mirabile eſt, cur aëris motus certo aliquo oris ſono definitus, aptus ſit movere vitri particulas, & ita quidem valide, ut vitrum rumpat. Cujus ut aliquem demus rationem, natura ſoni prænoſcenda eſt.

Ejus vero omnis ratio in motu aeris, tam intra corpus ſonorum contenti, quam externi impreſſi, conſiſtit, qui vibratorius eſt, vel undulatorius. Nam duos illos diſtinguo, vibratorium vocans, qui circa ipſum corpus ſonorum, reciprocis minimarum particularum agitationibus hinc illinc tenditur, undulatorium vero, qui longè lateque ad aures noſtras perducitur: quemadmodum in corpore lucido viciniores partes intenſius fulgere, remotiorem aerem tenuioribus radiis percelli videmus. Eſt enim ſenſuum quædam cognatio, & in naturis ſenſibilium indagandis ab uno ad alterum ſenſum optime procedit argumentatio. Nolo hic diſquirere, an undulatorius motus, qualis in aqua injecto lapillo obſervatur, aëri per ſonum moto comparari poſſit. Sunt enim qui magno apparatu hoc impugnant, quanquam me judice commode ſuſtineri illa veterum Philoſophorum determinatio poteſt, modo analogos ſuperficiariis in aquâ motibus, globoſos illos in aëre, ſecundum ejus naturam, concipiamus.

Sed hæc quidem ſatis explorata ac integris libris à Viris eruditiſſimis docentur. Motum minimarum partium ipſo oculorum ſenſu deprehendere poſſumus. Videmus in conclavi anguſtiori tremulos flammarum in lucernis motus, imò ipſum earum fumum ad fidium numeros ſe componentem. Nam quod Hamelius de *corpore animat. lib.2. c.4.* obſervat, in campanili accenſæ lampadis flammam vix à tanto ſono agitari, inde contingit, quod ſonus vaſtus obtuſior ac diffuſior flammam per anguſtum ferire non poſſit. Obſervamus ad eoſdem chordarum ſonos ſaltantes quaſi atomos in radio ſolis intra obſcurum conclave per foramen transmiſſo. Notamus ſuperficiem aquæ criſpari, cum non procul barbitos pulſatur. Obſervavit & Daniel Bartoli guttulas argenti vivi per ſpeculum ad planum horizontis poſitum diſperſas, ad ſonitum chordæ vel vocis ſaltitantes. Cum enim valdè mobiles ſint hæ particulæ, facile vel leviſſimo aëris impulſu movebuntur. Ideoque non omnino verò conſentaneum puto, quod Berigardus ait: circulos ſonoros chordas æquè tenſas & auris movere tympanum poſſe, minimè verò vel plumas, vel aranearum telas leviſſimas: nam ſanè oculis illi motus non adeò deprehendi poſſunt, neque adeo accurate ad illa attendimus, cum tenſa corpora motus ſuos ſtatim ipſo ſono prodant. Quæ omnia de motu minimarum particularum in ſono teſtantur.

Sepo-

Seponamus vero ista omnia & ad experimentum nostro huic affine propius contemplandum nos accingamus, quo quasi viam illi sternere possumus. Res est notissima, chordas æquè crassas & tensas, simul subsultare & sonare, cum una earum percutitur: ut mirer, Viro alicui docto nuper rem hanc incertam esse visam, nec satis exploratam, quæ vel pueris constat. Etiam olim pene in superstitionem illa res tracta, dum quod causæ propiori & palpabili adscribendum erat, à solis positu nonnulli arcessebant. Nam ut est apud Gellium *lib. 9. c. 7.* ad nescio quem brumalis diei influxum mirandam hanc operationem retulerunt. *De fidibus rarius dictu*, inquit Gellius, *& mirabilius est, quam rem alii docti viri & Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicræ historiæ primo, satis compertam esse, satisque super ea re constare affirmat, nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare.* Sed ineptissimam hanc esse vulgi opinionem, satis nunc patet, neque enim sole, velut θεῷ ἀπὸ μηχανῆς, ad nodos hos solvendos indigemus, & omni tempore hic effectus causam suam consequitur.

Alii causam hujus effectus in sympathiam quandam occultam rejiciunt, nudum sc. & inane nomen, quo nihil planè in rerum naturâ demonstratur: utut negari non possit, esse nonnunquam aliqua naturæ phænomena, è cooperatione & reactione mutua resultantia, quorum causas cum percipere vel sensu vel intelligentiâ nequeamus, fortassis non adeò imperitè facturi simus, si generali illo sympathias vel antipathias conceptu causam illam ὡς ἐν πλάτει determinaverimus. Spinosa certe, qui ad mathematicas rationes omnia revocare laboravit, causam in Ethicis suis daturus, quare sine causâ hunc amemus, alterum odio persequamur, nihil præter sympathiam & antipathiam invenire potuit, quas in his & similibus operationibus pro veris ille causis agnoscit. Nihil novi etiam illi dicunt, qui magnetismum pro causâ allegant; nam & eâ ipsâ voce nihil definimus, licet magnetici motus & hujus magna sit affinitas. Leibnizius, Vir igeniosissimus, in *Theoriâ Motus concreti p. 38.* Magneticos motus analogismo hujus experimenti illustrat, *Cum tam regularis*, inquit, *tamque fortis sit in magnete motus, non est mirum, aërem, qui ei gravitate suâ impingitur, ab eo rejici, eoque mediante motum ferro communicari, quod similiter dispositum impressionem facile recipit. Idque non chordæ tantum tensæ, alteri similiter tensæ sonum per aërem communicantis, sed & eo experimento constat, quod vitrum, cujus sonus pulsu exploratus est, si similis ab adstante sonus edatur etiam non tactum resonat. Quælibet ergo actio magnetis etiam in distans ferrum quadam insensibilis affrictio est.* Illa omnia ulterius attractione electrica, & igne per fumos in candelam propagato, appositè sanè illustrat. Ut planius hoc faciamus: Quemadmodum succinum ex affrictu è poris emittit halitus unctuosos festucis

& aliis minutiis impingendos, quæ illis illitæ cum ipsis reductis ad poros corporis affricti recedunt, ut chorda ab arcu protensa in priorem locum se recipit, unà cum minutiis occurentibus: ita chorda tensa à pulsus centro emittit particulas aëreas velut sagittulas ad chordam vicinam, quæ illam tangunt & vellicant. Talis emanatio particularum in magnete est perpetua, imò ex omnibus corporibus sonoris, si illa validius pulsentur, emoventur tales particulæ, aërem vicinum vellicantes. Manifestum quoque in hoc experimento nostro magnetismum ostenderet, quod Daniel Bartoli in laudato sæpius libro *tract. 3. c. 8.* se magnâ cum curâ vel decies observasse ait. Suspendit ille filo scyphum vitreum, qui pede ligatus se in obliquum protendebat. Cujus latus cum voce ὁμοτόνῳ pulsaretur, ille latus hoc clamantis ori obverti observavit, & recursibus quibusdam iterum impingere. Quod cum ipse tentarem primo, à simplici motu penduli ad levissimum impulsum mobilis evenire existimabam, sensum fallente obliquitate scyphi. Sed ita aptavi filum, ut ad perpendiculum demitteret se scyphus, ac reverâ tum deprehendi ad sonum ejusdem vocis, latus scyphi se ultrò ad os applicare, ibique sponte suâ hærere immobile, quamdiu spiritus unisonus ex ore exiret, quasi scilicet ipsi illi vibratorii circuli cum istis, qui ore exibant, misceri gestirent: nam trepidationem vitri ipsis labris meis, quæ illâ quasi titillabantur, sentiebam. Contra verò ubi dissono tono inclamarem, vix movebatur vitrum, neque ullâ ratione ad labia accedebat. Quam ob caussam non usque adeò placet ratio Bartoli, qui accessum vitri, ab aëris interni per calidum externum rarefactione, contigisse autumat. Quæ causa in dissonis quoque tonis obtineret. Verum de illo amplius inquirendum existimo: nam certè non obscurus magneticorum motuum analogismus se hic ostendit.

Qui in naturâ sensibili de causarum investigatione desperant, ad intelligibilem confugere solent. Quemadmodum in vitro suo fracto ad naturam corporeâ majorem, sed præter necessitatem, ut arbitror, confugiebat Valerianus Magnus, eandem, ut puto, causam in vitro per sonum fracto quæsiturus: ita in hoc chordarum æquè tensarum simili motu, relicta viâ planiore, ad mysteria confugiunt. Et Helmontius quidem in Disputatione de Magica vulnerum curatione, è Spiritus mundani sensu illa phænomena deducit, ut qui omnibus etiam inanimatis phantasiam suam tribuit, quoniam Deus, qui totus vita est, res omnes creaverit, è cujus manu nihil, quod mortuum sit, prodeat. Quod si verum est, non jam truncos stipitesque amplius sine phantasiâ habebimus. Ab Helmontii sententiâ non multum abit Marcus Marci, qui ideis suis, velut Delphico gladio ad nodos omnes

omnes fovendos utitur: Nam cum in *Philosophiâ suâ veteri restitutâ part. 4. subsect. 4. p. 450.* in causam inquirit, quâ sonus tarantulam moveat, mutum animal & surdum; ideas soni, ideis seminalibus tarantulæ annexas, in theatrum adducit, quibus certè nihilo plus, quam dudum sapimus. Nam satis quidem illa sonora sunt & arguta, quæ Vir doctissimus super hoc argumento disserit: sed exigua illis demonstrandi vis inest. Pene eodem loco habendi, qui ad potentiam numerorum harmonicorum recurrunt, & Pythagorico philosophandi modo hic uti malunt, quorsum etiam inclinare videtur Daniel Bartoli *Tratt. 3. c. 2.* Quæ quanquam verissima sunt, & mysteria abstrusiora involvere videntur, ut inde ad orbis universi fabricam Pythagoræi transferre voluerint: quemadmodum operosissimè Franciscus Georgius in suo de Harmoniâ mundi libro hoc argumentum tractavit: tamen proximis illi causis præteritis, veris & realibus, ad generales illas & notionales confugere malunt.

Sed mittamus illa aliorum commenta: res usque adeo difficilis non est, ejus rationem explicare, si naturam tensionis & motus reciproci accuratius consideraverimus. Tenditur vero corpus vel secundum lineam, ut chorda, vel secundum superficiem ut tympanum, vel secundum soliditatem ipsam, ut metalla, vitra, aliaque ejus generis. De chorda primum videamus. Ejus tensæ motus examinabimus. Habet vero corpus tensum partes è quiete & motu, ut ita dicam, mistas, nam in extremis quiescit, reliquis partibus in reciprocum motum agitari aptis. Fit autem tensio per dilatationem partium majorem vel minorem, prout tensio ipsa major vel minor est. Hinc in forti tensione frequentior reciprocatio & celerior, quæ in debiliori tardior. Unde patet meatuum etiam rationem in corpore tenso esse habendam, ac plus minusve aëris illud pro ratione tensionis admittere. Hinc consequitur porro, tensionem fortiorem ponderi majori æquiparari, minorem minori, ut arguunt pondera chordis super geminis bacillis ferreis appensa. Prout enim pondera magis magisque gravant, ita chordæ inter duos bacillos ferreos vel graviorem vel acutiorem sonum habent, qui formatur vibrationibus, pendulorum ponderum oscillationibus proportione quâdam respondentibus. Corporis enim tensi vibrationes penduli motibus quodammodo sunt æquales. Ut hoc levi aëris impulsu movetur, ita & chorda tensa. Hæc cum secus, quam in pendulo, duobus extremis firmetur, tot vibrationes celeriores & breviores efficit, quot pendulum majores & tardiores. Inter pendula vero & tensa hæc est differentia, quod illa uno centro liberè moveantur, horum motus duobus è punctis quasi quibusdam polis determinantur, & intra nisum illorum pun-

punctorum ad quietem feruntur. Quantum itaque pellitur chorda aliquâ sui parte, tantum reluctantibus extremis repellitur.

Præsuppositâ jam chordæ tensione, corporibus certâ ratione gravibus æquiponderanti, deinde ejus facili ad instar penduli mobilitate, canon ille pro fundamento substernendus est: Corpus motum occurrens corpori æquali, sed quiescenti, partem sui motus communicabit cum altero, & cum residuo reflectetur. Jam vero chordæ unisonæ duo sunt æqualia corpora; nam æquali pondere tenduntur. Itaque chordæ unius pulsus aëreus incidens in chordam, corpori, unde spargitur, æque tensam, motum illi impinget dimidiâ parte minorem. Nam motus rectilineus hîc æquatur reciproco. Ut tempora vibrationum chordam unam impellunt, ita necessario alteram impellent, ex lege æqualitatis in motu. Neque opus est corporali contactu, qui in rectilineo motu est, aut cum unum pendulum impellit alterum. Nam chorda tensa, cujus celeriores reciprocationes sunt, fortius impellit aëreas particulas, velut sagittas ad metam, quam pendulum corporali contactu, quod sola circulari gravitate ferit, perpendiculari vero deorsum semper tendit. Ideoquo aër tam fortiter percussus aptus est, chordam alteram vicinam in proportionales commovere vibrationes, & quidem rectâ percussione. Nam si accuratè advertas, invenies illâ parte, quâ alteram vel in arcum adductam tetigeris, eâdem alteram in latus ab impellente aversum recessuram. Si vero alteram chordam non ad latus, sed sursum emovendo vellicaveris, manifestò minores in alterâ impetus deprehendes. Imò palpabiles quodammodo hos impulsus efficies, si chordæ longissimæ modice tensæ ungues, in quibus acutissimus tactus est, ita admoveris, ut non tangas. Et quidni aëris impulsus tantum efficiat, cum ejus tantam vim esse videamus, ut interdum Echo talem impulsum fortius reflectat. Impelluntur autem omnes chordæ cujuscunque soni, ut videre licet, ex uncinulis chartaceis singulis chordis impositis. Unisona chorda statim fortiter excutit illos, hinc Diapason, deinde reliquæ consonantiæ movent & debiliter excutiunt; dissonæ autem chordæ movent tantum, nec dejiciunt. Unde patet omnium in omnes chordas esse ictus, nullas vero vibrari nisi æqualiter aut proportionaliter tensas. Atque ita se rem omninò habere è pendulis duobus æqualibus planum faciemus.

Sint

Sint duo pendula A B, C D, elevetur pondus B in E, & lapſu ſuo impinget in D. Cum D propellitur in F, perpendiculum alterum è D relabitur in B. Cum è B iterum aſſurget in G, alterum è D aſcendet in K. Recidente G ad B, K ad D revertitur. B ad H tranſeunte, D ad I procedet. Atque ſic peridromi deinceps proportione mediâ huc illuc ſine ulteriori contactu ferentur. Eodem modo in duabus chordis æquè tenſis res ſe habet. Chorda una vibrata nihil præter motum & impetum diffundit. Itaque ſemel mota, eâ parte, quâ movetur, impellit vicinam æqualiter tenſam: nec niſi ſemel, ſecus quam aliis viſum fuit. Sunt enim qui repetitis pulſibus ſollicitari exiſtimant. Quod ſi fieret, non poſſet ſe liberè movere per ſpacia ſua, ſed ſtatim ſiſteretur circulis aëris ſe implicantibus. Igitur unus ille ictus ſufficienter movet chordam digito non tactam, cujus vibrationes alteram illam ſuâ proportione non impeditæ conſequentur, quod & reliquis conſonantiis accidit.

Sint chordæ A B, & E F æque tenſæ, A B per pulſationem attollatur in C, aereæ particulæ propulſæ chordam E F attollent in H, ſpatio proportionato.

tionato. Relabente itaque chorda A B ad punctum D, chorda E F ad punctum G se remittet, atque ita imminutis æquali decremento spaciis, se non amplius contingentibus, utraque demum quiescet. Procedere vero ab ictu uno vibrationes vicinæ vel ex eo patet, quod si chordarum super uno instrumento æqualiter tensarum altera pulsetur, statimque digito compescatur, altera tamen vibrare non desinat, quod secus esse nonnulli existimarunt. Imo & chordam dissonam vicinam, pulsatâ primum chordâ suppressâ, exiguum edere sonum deprehendi, certissimo indicio, etiam à dissonæ chordæ vibrationibus eam leviter fuisse tactam, sed impeditis vibrationibus sonum non continuari. Unde patet, facile solvi posse dubium, quod adfert Daniel Bartoli *Tract.3. c.5.* de chordis æquè tensis, quarum altera rupta integram unisonam sonare fecerit. Quomodo enim ait vibrationes percellere potuerunt chordam alteram, cum chorda, quæ rumpitur, vibrari non possit. Nam sanè ad sonum incutiendum chordæ vel unus impulsus suffecerit, qualis à ruptâ chorda in vicinam facile tranferri potuit. Nemo melius causam hujus rei, & ad nostram sententiam accommodatius descripsit, quam Fracastorius in libro *de Sympathia & Antipathia. Unisonum*, dicit ille, *aliud unisonum commotat, quoniam quæ similiter tensæ sunt chordæ, consimiles aëris undationes & facere & recipere natæ sunt: quæ vero dissimiliter sunt tensæ, non iisdem circulationibus natæ sunt moveri; sed una circulatio aliam impedit. Ictus enim chordæ est motus compositus ex duobus motibus, uno quidem, quo chorda pellitur ante, hoc est, versus aëris circulationes: alia vero, qui retro fit, chorda reducente sese ad situm proprium. Si igitur motâ unâ chordâ debet & alia moveri, oportet ut in secunda talis proportio sit, ut undationes & circulationes aëris, quæ impellunt & faciunt motum ante, non impediant motum, qui retro fit à chorda. Quam proportionem solum eæ chordæ habent, quæ etiam consimilem tensionem habent: quæ verò dissimilem sortitæ sunt tensionem, non sese commotant, quoniam dum secundus fit motus, id est reditus chordæ retro, circulatio secunda illi obviat, & sese impediunt: unde nec motus fit ullus, præter primam impulsationem, quæ insensibilis est.* Hæc Fracastorius, qui rem ipsam attente satis contemplatus est, ad quam amplius illustrandam, quod ipse observavi, non parum conferet. Nam ut in pendulis æqualibus idem deprehendi, quod in chordis Fracastorius; ita & in inæqualibus has implicationes peridromorum sensi, quas ille in chordarum vibrationibus esse conjectat. Pondus VIII. librarum impactum V. librarum ponderi, incussit illi motum aliquem, sed in recursu semper denuò impellebatur à majori, unde minoris ponderis motus jam increscebat, jam retardabatur: secus autem in chordâ tensâ fit: nam repetiti circulorum aereorum impulsus se sistunt mutuò, debilioris enim tensi vibrationes tardiores velocioribus fortius

tius tensi statim in principio sistuntur. Circuli enim aerei semel impediti, quiescunt renitente corpore inæqualiter tenso, quod ad quietem ab extremis sollicitatur: cum in pendulis ad aliquod tempus geminatorum impulsuum motus horsum, vorsum, sed inæqualiter tamen, continuatur. Quod si pondus V. librarum in pondus VIII librarum incurrat, motum illi exiguum incutiet. Quare & vibrationes aereæ chordæ debilius tensæ, imperceptibiliter movebunt fortius tensam, & quia majore semper spacio recurrent, impingendo in illos circulos aereos, sistent.

Ex iis, quæ hactenus adduximus, abunde constare puto, necessarias omnino esse chordarumq; consonarum vibrationes, ex lege motus & percussionis. Dato enim corpore moto, necessum est, ut corpus impulsui proportionatum ab impellente moveatur. Nam ut impulsus, qui non habet proportionem ad mobile, est absque motu, ita & vice versa mobile ad impulsum se habet. Hanc impulsus aerei vim in funiculis æquali pondere tensis deprehendi. Cum enim adducerem unum funiculum, è motu stupæ funiculo alteri adhærenti impulsum animadvertere potui. Ideoque non satis accuratum observatorem egisse Mersennum existimo, cum ait: se in octo chordis unisonis, super unam regulam tensis, non omnium vibrationes deprehendisse, sed jam has, jam illas, quasi ex arbitrio suo subsultasse. Nam sane data causa, effectus ut consequeretur, necesse fuit, ita tamen, ut in propius objectum fortior esset impressio. Ego certe falsum deprehendi in chordis quatuor, sed diversæ crassitiei super sambuca ad eundem sonum attemperatis. Quæ omnes una tacta movebantur, sed vibrationibus disparibus pro ratione vicinitatis & crassitiei.

Quæ omnia cum sint certissima, miror, tamen dubium hic hærere Danielem Bartoli, an causam hujus vibrationis in chordis tremori instrumenti, an chordis ipsis adscribere debeat. Ait enim, observasse se, omnem chordæ consonæ sonum suppressum, si corpus instrumenti Musici lanæ aut culcitræ impositum. Videri enim chordam quasi partem instrumenti, quæ obtuso instrumento obmutescat, & ad aliarum chordarum pulsum quasi surda fiat. Verum ut ego existimo, prima fit in chordas impressio, quam sequitur altera soni inter cavitatem instrumenti reflexio, quæ tamen & augere sonum; & chordarum vibrationibus quasi vicariam præstare operam potest. Illo instrumenti tremore impedito, sonus quidem chordarum obtunditur, neque ad aures propagatur, sed tamen vibrationes illarum non cessant. Tremori autem instrumenti non adscribendam esse causam, vel ex eo patet: quoniam inter chordas plures super uno instrumento tensas, æque tensæ tantum sonant, reliquæ tacent: quod non facerent, si tremor instrumenti per totum corpus diffunderetur. Nisi fortassis

ſis certæ partes in illo inſtrumento ſint certis chordis proportionales. Sed tum novo Oedipo & demonſtratore opus eſſet, qui partes illas indaget. Alioquin nodus nodo ſolveretur. Facile quidem concedo, ratione ſoni multum differre, an viridi, exſiccato, ſolido, cavo ligno ſuperducantur chordæ. Sed puto infidum eſſe hîc aurium judicium, quæ repercuſſione ſoni implentur, non primis illis vibrationibus, quarum menſura oculis diſcerni nequit. Itaque ut chorda ſonat, ſi impura, ſi inæqualis; ſic reſpondet cavitas ligni, in quam chordæ ſonus mediante ponticulo traducitur.

Nemo, ut puto, ambiget jam amplius, phænomeni rationes ex æqualitate tenſionis & proportione impulſus ad mobile deduci debere exemplo pendulorum; atque ex illorum oſcillationibus, τῶν χραδασμῶν ſive vibrationum in chordis menſuram ineundam. Quæ ſi ſenſu ullo percipi poſſent, proportionem illam deprehenderemus. Pulicum ſaltus metiri olim nonnulli potuerunt. Sed illa earum celeritas eſt, ut nec Lyncei oculi aſſequantur. Evidentius aliquantum in chordis ex ære benè tenſis & lævigatis, ſi ad ſolis radium pulſentur, illæque radium reflectant, è reflexi luminis motu chordarum vibrationes in oculos incurrent. Sed vix ego fieri poſſe puto, quod putabat Daniel Bartoli *Tratt.3. c.3.* ſurdum è chordis unius inſtrumenti juſta ratione conſonantibus, alterius inſtrumenti chordas diſſonantes, ad vibrationes illarum, quas accurato viſu obſervat, temperaturum.

Similia chordis æquè tenſis experimenta in reliquis ſonoris corporibus deprehendas. Si enim è ſcyphis ventricoſis vitreis octo ſibi contiguos poſueris, ita ut infusâ ſingulis aquâ, toni usque ad diapaſon ſibi ſuccedant; videbis, ſi digito madefacto ſupremam ſcyphi unius oram ſtrinxeris, in vitris harmonicis aquam magis vel minus, pro ratione viciniatis corrugari, in diſſonis verò quieſcere. Si è duobus ſcyphis per aquam ad conſonantiam redactis, alterius margini aciculam inflexam aptaveris, videbis illam cum ſtrepitu quodam ſubſultantem, ubi alterius marginem digito, ut ante, preſſeris. Ita Monochordum contingens tabulam ejusdem ſoni, ſonum duplo majorem efficere teſtatur Berigardus. Obſervavi ipſe in tubâ Stentorophonicâ ſonum longè craſſiorem, & ferme ululatui ſimilem, ubi incidebam in tonos laminæ, unde confecta erat, conſonos. Hanc arcanam ſonorum conſpirationem etiam antiquis non incognitam, è Vitruvio *lib.5. c.5.* diſcas licet, ubi de Theatris vaſis prolixè agit, quomodo ſecundum tonorum proportionem locanda ſint, ut major ſit ſonorum repercuſſio. Revoco etiam mihi in memoriam, quid, Coll. hon., tibi fiſtulam certo quodam tono inflanti acciderit, cum in ellychnio penſili lami-

laminam ex orichalco ejusdem toni consonantem observaveras. Nolo ea, quæ Kircherus in Musurgia, ac alii passim exempla afferunt, hîc congerere sunt enim notissima, neque omnium satis explorata fides est. De unico hîc monenda quædam duxi. Putat is, Musicam exhiberi sympathicam posse, si instrumenti cujusdam chordæ ad organi pneumatici fistulas attemperentur: movebuntur enim, ait ille, ex certâ distantiâ, quam inventu difficilem esse putat. Ac fieri sanè vix poterit, ut locorum ratio adeo ad numeros disponi possit. Refert & statuam fuisse in quâpiam Ecclesia, quæ ad campanæ vicinæ & certæ in organo fistulæ sonum moveretur. Illam ita conficere jubet. Statuam è poroso & benè siccato ligno factam, & sonoro corpori proportionatam supra trabem organo vel campanæ contiguam, ponere vult, unde effectum illum sperat. Sed ægrè consilio & arte talia fieri possunt, quæ casu interdum contingere videmus.

CAP. V.

Tensio Corporis secundum superficiem in tympano. Duobus tympanis æque tensis, pulsato uno, tremor fortior sentietur, quam si non sint æque tensa. Aliqua ejus rei experimenta proponuntur. Tympanum puerile, quod frictu pulsatur, vulgò Rommelpot. *Tympanum cum appensis intus tintinnabulis. Tympanum auris nostræ vulgari respondet. Ejus tensio impulsibus proportionata. Cur surdastri inter intensos strepitus sonos exiles percipiant? Pectus & diaphragma à tympani sono percussum. Inæqualis tympani tensio varios in illo sonos efficit. Tensio corporum ratione solidi. Tensio in omnibus, quæ crescunt & nascuntur, sed non æque sonora. Fluida soni non sunt capacia, nisi affrictu ad solidum. Organa hydraulica Musica. Glacies sonat, quia tensa. Contiguitas durarum particularum in sonis necessaria. Durities aliquâ viscositate temperari debet. Lapides quare non sonent. Lapis surdus Scoticus. Tensio in metallis, plumbo, auro, argento, ferro. Mistio metallorum sonum puriorem efficit. Aër vel æther in interstitiis metallorum detentus sonum format. Tensio particularum in lignis. Quæ ligna ad instrumenta Musica apta. Bacilli lignei musici per omnes tonos,* le claquebois. *Tensio particularum in Vitro describitur.*

DE Corporibus secundum lineam rectam tensis vidimus, nunc ad illa veniamus, quæ secundum superficiem & soliditatem tenduntur. Ut chorda per lineam, ita pellis & membrana per superficiem tenditur, in tympano, funiculis ad omnia latera additis, quibus magis minusve vel adducatur vel remittatur, & ad certos sonos attemperetur.

Quando itaque duo ejusdem toni tympana (tonos enim in illis bene distinguere possumus) multis à se passibus distant, altero eorum percusso, alterum validè percutitur, tremit & sonat, consonante etiam vase æreo; intra cujus cavitatem sonus, cum aliquo quasi mugitu, reciprocatur. Ut subsultationis hujus modum aliquem inirem, globulos, quibus pueri ludere solent, tres tympano imposui, unum centro, alterum margini extremo, tertium loco inter marginem & centrum medio, & æqualibus tympanorum sonis omnes excutiebantur, pulsato altero tympano: inæqualibus, centro impositus globulus præ aliis subsultabat, reliquis minus agitatis. Accidere id quoq; sentiebam altero tympano in conclavi vicino, clausis foribus, pulsato: sed tum consistebant omnes super tympano, & leviter tantum movebantur. Pisorum impositorum saltus evidentiores fuere. Animadvertebam itaque membranam tensam omni sono impelli, in aliquos tremores; maximè vero sonis æqualibus. Ad motus hos in tympano, cum validior impulsus requiratur, quilibet videt, non omnibus instrumentis ad sonos provocari æquales tympani sonos posse. Vox humana & tuba aliquâ ex parte id efficient. Nisi enim corporis sonori quantitas, & impulsus aëris respondent tensioni corporis, nihil efficietur. Aër quoque in cavitate conclusus sub membranâ tensa multum ad sonum confert, si & ipsum corpus, quod aërem hunc continet, sonorum est. Alioquin tonos vix distingues, ut in vulgari illo militari tympano, aut illo, quo pueri ludere solent, quod vocant *Rommelpot*. Vesicam illi bubulam super ollam tendunt, centro hujus membranæ arundinem illigantes. Quam cum illi manu madefactâ fricant, è frictu illo, & membranæ continuâ adductione & remissione, aëre quoque intra cavitatem moto, sonus aliquis quasi grunniens editur, qui ex forti frictione intenditur, debiliore remittitur, gravior quoque, pro capacitate ollæ, & latitudine membranæ esse solet. Describit Suidas tympanum aliquod, cui introrsum multa appensa tintinnabula, quod dum pulsabatur, mirum ederet sonum, tympani mugitu acuto tintinnabulorum tinnitui permisto. Cujus cum meminit Magius *de Tintinnab. cap. 12.* addit: accepisse se à Josepho Zarlio Clodiano, musico celebri, quod Venetiis non absimile tympanum ratione musicâ fabrefactum aliquando conspexerit.

Non parum illa receptio motuum variat, prout tympano obducta pellis tenuior vel crassior est. Hinc Natura auri nostræ membranulam tympani instar subduxit, addito malleolo, qui sono exterius adveniente, forti, debili, gravi, acuto, mille rationibus & modis figurato, ad certa pulsuum genera determinetur, ac membranulam suppositam impellat, ut nos omnium differentiam accuratissimè dijudicare possimus. Hinc patet, quam subtilis sit illa pulsuum aereorum proportio, cui indagando nullum sufficit ingeni-

genium. Rude ejus exemplum hoc esto: Si chartam duabus manibus expansam tenueris, senties pulsus tympani vicini jam fortiores jam remissiores, prout chartam tetenderis. Nam in tensione debitâ multum situm est. Hinc observatum est, eos, quibus membranula auris non satis tensa, surdastros esse, quæ officium non præstat, nisi voce & sono intensiore tendatur. Sunt qui submissos & exiles sonos non exaudiunt, nisi inter tympanorum pulsus & strepitus maximos; cum alii, quibus membrana debitè tensa est, hos non audiant. Cum enim laxitas membranæ per sonos validos distendatur, soni etiam exiles reliquis admisti impellere illam possunt, ut percipiantur. In iis vero, quorum membranæ impulsibus aëris justa proportione respondent, major sonus adeò validè impellit membranam, ut minor motus sentiri non possit. Cæterum & in auditus organo rectè constituto, providus ille opifex musculos membranæ addidit, quibus illa pro ratione soni vel adduci vel remitti possit, ut funiculis suis tympanum. Singulis itaque impulsibus membrana hæc musculis tenditur. Quo exemplo patet, omnes tensiones quorumcunque corporum, si motus utrinque conspirare debeat, debere esse proportionatas. Illud quoque consideratu dignum est, quod Dn. de Perrault in *libro de Sono Gallicè scripto part. 1. cap. 4.* observat; sonos tympani, tubæ, aut chordarum Panduræ majoris, ipsum nonnunquam pectus percutere. Quod, ut ille judicat, fieri non potest, quam conspiratione aëris intra pectus conclusi cum aëre exteriori. Neque id fit omnibus tonis, sed iis tantum, qui respondent tensioni diaphragmatis. Namque in illam peculiariter operatur certus instrumenti talis sonus.

Satis ex iis, quæ diximus, patet, supficiem etiam tensam ab impulsu proportionato affici & in æquales tremores agitari posse; modò secundum omnes partes æqualiter illa tensa sit. Nam nisi tensio æqualis sit, æquales vibrationes non erunt, nec sonus purus. Quod in tympano, non æqualiter adducto, facile quis deprehendet: Nam in latere illo, ubi partes tympani adductæ, acutior sonus erit, quam in remissioribus. Idem in corporibus aliis sonoris evenire posse, hoc exemplo constat, ut aliæ partes aliis magis minusvè tensæ sint, eamque ob causam sono varient. Hinc sæpissime in vitro non unius soni, unum lacessere simili sono vocis possumus, altero non consonante, quod partes illæ vitri tantum aptæ sint, ut hoc aëris impulsu percellantur.

Tensio corporis, ratione solidi homogenei, per totum corpus ejusque particulas diffusa est. Nisi enim ita esset, nullus audiri sonus posset. Est vero tensio corporum non omnis sonora. Nam omnia, quæ miscentur, certâ ratione tenduntur. Vegetatio, nutritio nunquam fit sine tensione aliquâ, per quam quasi stamina ducuntur corporis fabricandi. Ita in

 gene-

generatione animalium fieri videmus: nam materia in certa quasi lineamenta extenditur, quæ perpetuis incrementis ad majorem quantitatem, additis particulis succrescit. Ita in nobis ipsis tenduntur nervi, musculi, quorum pene ipsa harmonica ratio est. Nam si corpus animalis ita exsiccari possit, ut humidis partibus absumtis, nervosa remaneret, eventurum videremus, ut nervi ipsi certâ ratione sonarent. Quod Mercurio lyræ inventori accidisse, fabulis traditur. Cum enim forte fortuna testudinem inveniret, carne & humidis partibus cæteris consumptis, nervis illis nativis optimè sonantem, artificio similis instrumenti, quod testudinis nomen inde accepit, naturam imitatus est.

Sed tensio corporum in isto statu positorum sonora non est, ob humorem & pinguedinem hinc illinc diffusam, quæ uniformem aëris interni motum esse non sinunt. Debet itaque hæc tensio corporum esse durorum; durities enim particularum, earumque certa contiguitas ad sonum requiritur. Fluida nullius soni sunt capacia, nisi qui attritu illorum ad solida excitatur. Ita aër flagellatus, quasi gemitu aliquo allisionem partium solidarum testatur. Idem in aquâ fieri constat. At verò si aër & aqua cum impetu & proportione certâ allidantur corporibus, suavissimus sonus oritur; parum tremulus, ut in chordis & corporibus solidis, nisi forte tuba sit; sed magis undulatorius, cujus non tanta vis est in corporibus ad consonantias sympathicas disponendis. Ita beneficio aquarum instituta olim fuere organa hydraulica, quorum typum è Vitruvio ob oculos posuit Isaac. Vossius in libro *de Poëmat. cantu p. 100.* qualia pneumaticis illis, quibus hodie utimur, nimio ut puto antiquitatis studio, præferre non veretur. Accidit & iis quædam tensio, sed exterior, & impetu constante directa. Quod si aqua, quæ particulis non consistentibus constat, in glaciem vertatur, corpus, quod anteà per se tensum non erat, mistione salis nitrosi tenditur, ita ut partes indurentur, & sibi contiguæ fiant, cum interstitiis, partim aquâ, partim aëre plenis. Nam quanquam minima ejus in minora spacia coarctentur, totum tamen aquæ congelatæ corpus majore mole extenditur, ob nova, quæ illi accedunt, interstitia. Et sanè multas tales vesiculas aëre plenas observavit in glacie Valerianus Magnus, *libro de Incorruptibilitate aquæ*, de quibus more suo subtilissimam disquisitionem instituit Robertus Boilius in *Tractatu Anglico de Frigore tit. 9.* Ut vel inde appareat, meatus aëre repletos ad corpora sonora esse necessarios. Aer enim sonum efficit, tum interius cum particulis collidendo, tum exterius allidendo. Sonum itaque debilem sortitur, sed clarum tamen, & cum aliquo tinnitu, aqua congelata, quæ anteà effusa tantum strepitum quendam successivum edebat, qui tamen ostenderet, soni esse capacem, si in aliam massam converteretur.

Præ-

Præterea & contiguitatem durarum particularum requirit ſonus, ſed proportione juſta ſibi reſpondentium, ut in ſpaciolis illis comprimi & dilatari aër poſſit. Ejus rationem in ſacco piſis pleno quodammodo obſerves. Congeruntur in illo corpuſcula globoſa, modicè dura & lævia, quæ inter ſe è percuſſione colliſa, ſtrepitum clarè edunt, ſucceſſione quâdam & fluxu propagatum. Verum quoniam aer non captivus illic detinetur, ſed cum libertate quâdam intercurrit, ſonus inde verus formari non poteſt. Pro gravitate tamen impulſus, jam clariorem, jam obtuſiorem ſtrepitum deprehendes.

Sed nec omnis durities ſono apta eſt, debent ita particulæ eſſe duræ, ut non ſimul ſint rigidæ, ſed quadam viſcoſitate, at modicâ & quæ indurari poteſt, compactæ & lævigatæ, quæ æquales particulis figuras tribuit & meatus, ut aër vel æther, non velut uncinulis quibusdam retineatur & implectatur, ſed comprimendo & dilatando latera particularum æqualiter pulſet. Quare nec ſaxa tam ſunt ad ſonum apta: viſcoſitate enim debitâ deſtituuntur, nec æquales meatus habent. Non eſt omnino incredibile, dari in Scotiâ lapidem, quem ſurdum vocant, qui vehementiſſimos etiam ſclopetorum ſonos arceat, ut audiri non poſſint, ſi quis aurem illis apponat. Quoniam enim lapidis textura talis eſt, ut aeriæ particulæ in illius ſpaciolis non poſſint moveri, ſonus hinc excluditur.

Maxima proinde tenſio eſt: quâ corpus è naturali illo ſtatu in violentum, ſed æqualem compingitur, qualis in quibusdam metallis habetur, quorum particulæ, cum per ignem vehementiorem è lapidibus in maſſam aliquam colliquantur, jam quidem inter ſe illæ tenſæ ſunt, & ſonum habent: ſed non ita ordinata eſt particularum congeries, nec figura externa ſonum juvat. Inter metalla plumbum & aurum, per fuſionem quidem tenditur, ſed obſcurè ſonat, ob nimiam ſoliditatem & compactionem particularum. In plumbo admiſcetur impura materia terrea, in auro viſcoſum metallicum nimis abundat. Sed tamen plumbum diu aeri expoſitum, ſonum aliquem ſortitur: quod argumento eſt, digeſtione quâdam externi aeris, ſubtiliari hoc metallum, ut proinde non inter aniles fabulas reponendum ſit ab Honorato Fabro, poſſe è plumbo veteri ſeparari argenti particulas. Hæc enim quibusdam inter arcana fuiſſe ſcio, & cum lucro tractata. Aurum graviorem ſonum habet, ut ſolent ingraveſcere corporum ſoni, qui duris quidem partibus conſtant, ſed humore multo intermiſtis. Argenti ſonus argutus eſt, unde ſequitur, frequentes in illius corpore eſſe particularum vibrationes, easque fortiter tenſas. In ferro majorem vel minorem tenſionem facit temperatura externa, cum in diverſis liquoribus exſtinguitur; Quod optimè norunt artifices, qui varii generis inſtrumenta è

ferro

ferro conficiunt. Succo fabarum & malvarum ferrum extinctum mollius, succo raphani acerrimum fit. Chalybs quomodo arte istâ tractetur, supra dictum est. Hinc tantam nonnunquam istarum particularum in gladiis tensionem videmus, ut arcus instar lunati, in rectitudinem se reducant. Patet ex hoc argumento, meatuum diversitatem ad tensionis gradus requiri, & particulas heterogeneas intercedere igni tendenti, ac meatus illos pro indole suâ refingere. Quare & duci ferrum in fila exigua sonantissima potest, & felicius in hunc usum, quam cætera metalla tractatur. Sed ad corpora è metallis sonantiora conficienda, multa sunt miscenda metalla, atque ita temperanda, ut duriora mollioribus debita proportione aptentur. Ita ut acutior æris campani sonus temperetur, stannum admisceri solet; ut lætius sonet, antimonium: complanat enim asperitatem partium æris, & superficieculas læviores reddit, humorem nimium quasi exsiccans, unde tensio materiæ sono magis adæquata sequitur. Arcaniora ipsi artifices norunt, qui quotidiana in his fusionibus observata instituunt.

Hæc metalla per ignem simul colliquata ac sibi incorporata, in particulas oblongas complanantur, ut omnia fluida, atque ita instar chordæ cujusdam tenduntur; quæ ordine & situ in orbem confluunt, cum funditur campana, ut sit quasi massa quædam è chordis circulariter tensis & conglutinatis composita. Illis per quædam quasi strata sibi appositis, aër vel æther, qui in fusione particulis comprehenditur, aut extrinsecus accedit, cum ipsis arctè & æqualiter mistus, in illis spaciolis captivus detinetur. Hinc particulæ horum corporum non ita rigidæ, ut in vitro, sed flexiliores, ut se elasticè dilatent, ut aer ipsis motu elastico respondeat. Inde procedit vibratio & tremor internus, qui, licet cerebrum ruperis, aliâ explicari ratione nequit. Et patet quoque, quam ob causam laminæ metallicæ, malleo contusæ, non ita sonent, ut metalla fusa: Meatuum enim figuræ eorumque æqualitas his contusionibus turbatur.

Habemus & ligna, quæ quidem, cum crescunt, tenduntur, sed ob humores interfusos non sonant; nisi cum exsiccata. Durities quoque lignorum diversa est; Nam quò illa duriora, eò minus ad sonum vel formandum, vel propagandum apta. Molliora verò ligna, ut abies, pinus, carpinus cum tempore sonare subobscurè incipiunt. Hinc fissa illa in tenues asserculos ad instrumenta musica adhiberi solent, sed excoctis prius partibus resinosis, & per multos annos exsiccata. Nam ut Boilius ex inquisitione artificum testatur, ad præstantissima instrumenta musica ligna octoginta annorum spatio demum apta redduntur. Ac solent artifices diligentissimè asserculos illos complanare, superficies pro varietate chordarum, quibus subjacent, vel tenuiores vel crassiores dedolationibus suis efficere,

cere. Solent & bacilli lignei, secundum omnes tonos non sine aliquo ingenio adaptari, quale rusticis instrumentum notissimum est. Dicitur Gallicâ linguâ *le claquebois*, Germanicè, *Strohfidel*. Quo longiores hi bacilli sunt, eò gravior sonus est. Unde patet, suas etiam lignis esse vibrationes. Particulæ verò illæ in lignis tum incipiunt ad sonum tendi, cum vel aqua bulliens, vel aër externus partes resinosas & humidas absumserit; nam fibræ illæ ligneæ, quasi chordæ coagmentatæ, ac inter se parallelæ, interstitia æqualia aere plena habent, quibus aerem sibi coextensum comprimere possunt. Rudem quoque sonorum in lignis diversitatem in schidiis temere projectis deprehendere possumus.

Clariorem in ligno sonum vix efficiemus, nisi, cum in cineres redactum, è sale ejus per ignem tenso, novus & clarior quasi per παλιγγενεσίαν artificialem in illo excitatur sonus. Salem ad sonum facere nonnulli judicant, ut in prioribus diximus, neque sine ratione: nam superficies salium planæ sunt & lævigatæ. Ut enim aer externus, si corpori allidatur, magis undulare sonum facit: ita aer internus, qui lævium particularum superficieculis impingitur, ordinatioribus tremoribus concutitur. E lignorum itaque vel filicum salibus, sale communi, arenâ, vel silicibus, imò & aliis materiis, conchis, argillâ, vitro, justâ inter se proportione mistis, vitrum conficitur. Particulæ enim per ignem colliquatæ in statum quendam rectum tenduntur, non vero ita, ut metalla, ut apparet è filamentis, & è vitreo scypho in helices per funiculum ardentem rupto: sed si supra modum tendas, frangitur. Quæ igitur integro Vitro competit tensio, & fragilitas, illa & particulis competit. Nam ut in scypho integro helices ad aliquod spacium tendi possunt, sed nimium tensæ franguntur, ita particulæ quoque franguntur, si nimium per vibrationes sonoras, quæ tensionem sequuntur, comprimantur. Sunt vero in vitro primum particulæ absolutè primæ, quæ admodum sunt exiguæ, & fortassis sphæricæ, sed particulæ majores filaminum & armillarum instar ab igne fusorio formantur. Viscositas quædam, sed exigua, arenæ & salium fusorum, per ignem inter hæc corpuscula æqualiter distributa, illa concrescere facit, spaciis subtilioribus, quam in metallis, quorum latuscula summè lævia, relictis. Hinc fragilitas & sonus. Hinc in vitro fracturæ læves, cum metallicæ, ob copiosiorem viscositatem, serratæ.

CAP. VI.

Motus sonorus è mistione plurium motuum constat. Motus externus & internus. Uterque varius. Motus impressionis. Motus internus consistit in

compressione & emotione particularum. Motus ille in tenso corpore quomodo concipiendus è sententiâ Leibnizii. Emboli & tubuli in corporibus. Borelli sententia de armillis rigidis corporum compressionis capacibus. Motus trepidationis Verulamii. Singulare experimentum de lineis in laminâ areâ parallelis, è motu circulorum aëreorum, ductis. Motus ille vibratorius particularum in reliquis sensibus invenitur. Motus undulatorius aëris. An aër crassior soni vehiculum? Motus ille undulatorius in aquâ, quâ Scyphus impletur. Non simplex, sed varius. Idem motus aquæ in catino est, qui in scypho vitreo. Prout aqua movetur, ita fluctuat sonus. Circuli in aqua ad sonitum chordarum. Motus undulatorii magna, ratione medii, diversitas. E sono vasorum præstantia vini dignoscitur. Sonus infusâ aquâ in scypho ingravescit. Error Hamelii, Verulamii, Kircheri. Toni in scypho vitreo spurii. Soni corporum comparati.

CUm natura soni in tensione & motu consistat, de tensione autem jam pluribus actum sit, porro in motum ipsum inquirendum, qui non unus, sed varius in sono est, ut in omnibus corporum phænomenis ille mistus est. Quam mixtionem motuum in corporibus qui rectè intelligit, ut Vir illustris, Stephanus Gradius, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus *differt. 2. de causâ motus accelerati* optime judicat, rarissimas naturæ operationes expeditas dabit. Varietatem in corpore sonoro motuum hâc ratione, ut puto, concipere possumus. Motus omnis in corpore sonoro est vel externus, vel internus. Externus duplex est, ratione principii & finis: nam vel est ab illo, quod pulsat extrinsecus corpus, vel qui consequitur motum internum in aëre externo. Motus internus particularum corpus constituentium considerari vel absolutè potest, vel relatè. Relatè iterum multipliciter, vel quatenus comparatur cum medio, per quod propagatur, aëre, aquâ; vel cum aliorum corporum motu sonoro interno, sive illa corpora sint diversæ texturæ & ponderis, ut vitra & metalla, sive diversæ quantitatis, ut corporis sonus comparatus ad sonum chordæ, vel tympani, vel vocis. Est & alia ratio soni, cum editur tibiâ vel tubâ, aut alio quodam instrumento pneumatico; alia, cum ab asperâ arteriâ hominum vel animalium formatur. Quales omnes motus figuris suis multum differre oportet. Sed de iis in præsentiâ nihil nos movebimus, extra circulos nostros non divagaturi. Neque enim de sono in universum agimus. In eo verò convenire omnis soni ratio videtur, quod se habet vel ad modum diametri vel peripheriæ, quanquam pro corporis sonori figurâ, aërisque vibrati in isto corpore reflexionibus, diversæ sint ac varient moti aëris figuræ. In chordarum sonis manifestiora sunt omnia, ac satis explorata. Nam & Galilæus & Mersennus, ac alii pendulorum motus, ad chordæ motus demon-

monſtrandos applicuerunt, & nos *cap. 4.* prolixâ demonſtratione hoc oſtendimus. Nunc itaque ad motus reliquos corporis ſonori pergimus.

Motus ergo hic primò externus conſiderari debet, qui à causâ impellente oritur, quem Impreſſionis vocat Verulamius in tractatu Anglico de variis motionum generibus, qui inter opera ejus poſtuma reperitur: ubi eleganter hunc motum appellat *Generationem Saturninam*, quoniam effectus devoratur à ſuâ causâ, ut in excitatione luminis, & ſoni, ubi ſublatâ primâ causâ ſimul effectus tollitur: ſecus ut in motu aſſimilationis, quem idem vocat *Generationem Jovialem*, quod primâ causâ ſublatâ, maneat tamen effectus. Externus ille motus parum ad ſonum, niſi quod extrinſecus movet, confert. Debet tamen inter corpus ſonorum & gravitatem impulſus quædam eſſe proportio. Quæ ſi defecerit vel exceſſerit, debito motu interno non movebitur corpus. Si clave campanam majorem percuſſeris, non illum percipies ſonum, qui dabitur percuſſu mallei vel piſtilli proportionati. Imo ſi gravius, quam debet, ſit percutiens hoc inſtrumentum, vel confringere poterit corpus, particulis ultra reſiliendi potentiam motis.

Motum externum conſequitur internus in ipſo corpore, quo particulæ aeriæ vel ætheræ elaſticè moventur, & aliquas extra corpus è meatibus protrudunt. Cum enim affrictu hoc fieri videamus, in attractione electricâ, quidni & impulſu magis fiat, alio prætereà motu minimorum cooperante. Jam vero inquirendum eſſet, quâ ratione minima corporum moveantur in corpore ſonorè tenſo. Cum itaque deficiant hìc ſenſus, ingenium vocari in ſubſidium debet. Minimis corpuſculis componi vitrum, (nam de illo potiſſimum agimus) certum eſt, cum corporis hujus fabri ipſi ſimus. Minima illa exigua eſſe, & anguſtisſima habere interſtitia, vel ex eo apparet, quod nulla corpora adeò poliendo lævigari ut vitra poſſint. Interſtitia tamen aliqua concedenda eſſe, nemo negabit, qui ſuperius à nobis tradita attento animo legerit. Particulas deinde majores per ignem formatas in vitro agnoſcimus, quæ comprimi & reſilire poſſint, prout aer incluſus movetur. Aer enim in duris comprimitur, in mollioribus elabitur.

Ingenioſisſimus Leibnizius hanc motus rationem in tenſo corpore multa cum cura verſavit. Quam ut in Theoriâ motus concreti explicatam daret *p. 64.* fingit duplicaturas tubulorum, quibus componuntur corpora. Illos autem tubulos eo latere, quo alium accipiunt, facit occluſos, in altero, quo alteri inſeruntur, apertos, ut vicem præſtent embolorum ad ſenſum infinitorum. Quæ igitur difficultas ſentitur in embolo extrahendo, dum aerem vaſis pneumatici exhaurimus, & quæ facilitas reductionis eſt, cum embolum dimittimus, ac aer reſorbetur, eandem ille in tubulis his & embolis exiguis concipit. Satis quidem acutè, ſi demonſtrari ad ſenſus illa

possint. Aliquid tamen huic motui analogum supponere nos ratio jubet. Nam ut rectè Berigardus Circulo Pisano *part. 4. circ. 5. p. 398. Sonare non potest scyphus vitreus, aut æreum tintinnabulum, cujus tremunt singula partes, nisi in quibusdam raritas, in quibusdam densitas producatur.* Debent itaque figuratæ eum in modum esse partes, & interstitia, ut ea densitas & raritas, quæ in compressione & dilatatione consistit, dari possit.

Aliam hujus motus interni rationem instituit Joh. Alphonsus Borellus *libro de Vi percussionis*, qui *cap. 26. & cap. 31.* docet: quod omnia concreta corpora, etiam dura & rigida constentur è particulis flexilibus, quarum aliquæ vectis officium expleant; aliæ cunei; aliæ ad modum laminæ extensæ sint, aliæ velut armillæ circumflectantur: inter quas innumera sunt spaciola, in quibus flecti possint, ac admodum machinæ resilire, unde compresfio illa & dilatatio oritur, quæ iteratur ad modum funependuli, unde tremor ille in corporibus. Demonstrat & ulterius *propos. 97.* Jam qui in spaciolis istis aer vel subtilis materia habitat, æquè componiturè spiris seu machinulis resilientibus, qua resiliendi vi rumpi corpora solidissima videmus, ac pondera magnâ vi propelli, ut in catapultis pneumaticis. Nimirum quæ est in universo aeris systemate resiliendi potentia, ea minutissimis etiam particulis, præcipuè si inclusæ sint, competit. In eo scilicet rerum quendam inanimatarum sensum aliquis consistere dixerit, quem integro libro, quanquam aliâ ratione, assertum ivit Thomas Campanella. Vitrum verò innumeris talibus constare armillis, sed minus flexilibus, vero est simile: quod & deprehendere ex experimento illo Hookii de Vitro stillatitio licet, cujus supra meminimus. Verulamius in laudato superius tractatu, hunc motum trepidationis vocat, alio tamen sensu, quam Astrologi, corporum scilicet in perpetuâ quasi captivitate constrictorum. Quæ continuò tremunt & inquieta sunt, quia ab illo positu & situ liberare se volunt. Hujus ille motus exemplum quamquam in corde & pulsibus animalium proponit, reverâ tamen & in corporibus sonoris concedi debet. Licet enim illic particulæ non semper actu ipso & per se moveantur, quod fieri tamen interdum superius diximus, tamen in perpetuo mobilitatis statu sunt. Quæ si admittimus principia, (nam admittere nos ipsa rei evidentia jubet) facile hinc patet, quæ sit in corporibus sonoris tensio particularum. Comprimuntur enim machinæ flexiles corporis sonori, quibus præcipuè metalla constant: ut deprehendere licet; cum in mineris suis, quasi striis quibusdam dispersa, latitant, quas arctius posteà conjungit ignis fusorius. Unà cum iis coarctatur etiam aër interclusus & extra poros pulsus externum aerem movet in infinitos circellos: sed qui intra majorem gyrum, quem corporis sonori capacitas circularis definit, movetur. Qui gyrus, si à cor-

à corpore sphærico vel conicô pulsato procedat, in figuram ellipticam comprimitur, ac in circulum iterum retrahitur, ut ipsum corpus, unde emanat sonus, ovalem quandam figuram nancisci videatur.

Hujus motus interni vis demonstrari etiam hoc experimento posset, si verum est, quod è Galilæo, quamvis non nominet, Berigardus *part. 6. circ. 15. p. 685.* proponit. *Portento*, ait, *simile videtur, quod si quis laminam æneam lævigatam cultro radat stridoremque efficiat, varia lineæ in eâ exarentur, non ubi culter laminam tangit, sed in alia parte: si autem radendo sonus æris diapente vel diapason efficiat, tunc lineæ parallelæ conspicientur, eâ proportione, quam exigit numerus harmoniæ, illæ verò exarari non possunt aliâ vi, quam circulorum, qui fiunt in aëre, & æs pariter ac membranam auris afficiunt, eam gratâ proportione percutiendo, quâ deficiente stridor apparet ex percussu inæquali & injucundo.* Idem quoque experimentum tentavit Daniel Bartoli, ac ulterius illustravit, libro toties laudato *Tratt. 3. c. 4. p. 145.* Mihi, quid eâ de re judicem, non liquet, cum ipse periculum non fecerim, Virorum interim doctissimorum fidem & autoritatem minimè vilipendens.

Cæterum non moventur tantum intus hæ particulæ, sed & expelluntur, & aliquam distantiam â corpore, ita tamen, ut se reducant, quemadmodum pendula reciprocè mota, & tandem quiescant; idque in campanis majoribus etiam visu observari potest, dum circularis ejus figura velut in ovalem commutari videtur. Primum quidem uno in loco à malleo moventur particulæ, hæ vicinas in orbem movent, & continuâ coarctatione elidunt. Imò verosimile est illud quasi systema particularum motarum, aliis motibus elasticis in ipsis minimis agitari. Sine hâc trepidatione & emotione particularum nullus fit sonus. Atque ita non solum in auditu, sed & in omni sensu vibratio particularum accidit, nec sine illâ sensatio procedit, maximo argumento, efficacissimas esse à motu minimorum operationes. Neque enim è crassiori & evidenti illo motu metiri sensus debemus, sed occultiore illo minimorum. Applicatio enim rei odoriferæ ad nares, rei sapidæ ad linguam, sensationem non facit, sed singularis quædam minimorum motus vibratorius. Id in contactu corporum videmus: ut enim minima se movent, ita sunt operationes. Aqua simplex linteo affusa pertransit, fortis eam corrodit, alius enim in hâc minimorum motus, quam in illâ. Equidem persuasus sum, multa in his latitare arcana, quæ nos, causam ignorantes, ad fascinationes, magnetismos, sympathias similiaque commenta referimus. Vibrationes & tremores radiorum lucidorum in visu quis non observat? & ipsi illi radii, quatenus emanationibus subjectorum permiscentur, suas quasdam vires nanciscuntur. Pitissando, aut guttulas aliquas linguæ applicando, plus gustamus: nam minimorum vibra-

tiones magis se per papillas nerveas diffundunt. Tactu subtilium corporum vibratio illa in titillatione sentitur, quæ magis interdum spiritus movet, quam tactus aliquis validior, quo minimorum motorum vis obtunditur. In Odoratu vibrantur à corporibus effluvia minima, sive illa frictu provocentur, sive aere externo calido. Illorum etiam acutior sensus est, si non confertim nares impleverint, sed quasi punctulis vellicando. Tunc enim minimorum motus magis percipitur. Hunc motum internum partium consequitur aeris externi corpus sonorum in cavitate ambientis motus, nam ad cavitatem emoventur particulæ, circulari illâ figurâ omni à latere ad centrum premente; Atque ille intra campanam perpetuâ decussatione fluit particularum internarum moventium impulsum secutus, diciturque undulatorius, qui eâdem motus proportione per totum aëris, ut ita dicam, Oceanum se diffundit. Sed dubitari tamen potest, an ab illo undulatorio motu sonus, qui illô celerior, eumque longè antecedere videtur. Nam in campanæ pulsu primus statim ictus auditur, ac ipsa aëris undulantis fluctuatio dehinc auribus percipi potest. Quo apparet, subtilius aliquod sono vehiculum præter aërem substerni, qui licet sine crassiore aëre formari non possit; ab illo enim tinnitus ille undulatorius est: tamen illa aere subtilior materia harum aerearum undularum pulsus secundarios etiam deferre videtur. Quod aliquâ ex parte è sono campanæ in vitro evacuato probari potest. Observarunt enim sagacissimi inquisitores, tenuem campanæ pulsatæ sonum audiri, aëre crassiore excluso: ejus exigua tantum parte per siphonem admissâ, clariorem illum percipi: unde patet vehiculum ætheris, pulsus illos & primos, & deinceps, deferre: tinnitu autem, qui procedit ex aëris externi ad corpus sonorum ejusque particulas affrictu, deficiente, ob crassioris aeris absentiam, præter pulsum unum vel paucos, deportari ad aures non posse. Non itaque radiorum tantùm, quod aliqui volunt, sed & soni, vehiculum materia illa subtilis est, licet hujus motus tardior sit. Quanquam enim in exploso sclopeto è longinquo ignem prius videmus, quam sonum audimus: tamen si quis accuratè attenderit, unà cum igne viso subobscuram aeris percussionem percipiet; sed sonus è fluctuum aereorum successiva collisione tardius propagatur.

Motus hujus undulatorii vestigia deprehendere possumus in scypho vitreo, si aqua ipsi infundatur: Nam si illum percusseris, aut digito madido oram ejus supremam leviter strinxeris, rugas in aqua videbis magno numero, quasi sulcos aeris in figuras ellipticas abeuntis, redeuntisque in circulum. Nam figuræ rugarum in aquâ, penè rectilineæ apparent, sed cum aliqua crispaturâ. Iconismus figurarum in aquâ ille est, quem Daniel

Barto-



Bartoli quoque exhibet. Ex earum figurâ patet, aerem è poris vitri emotum has ſtrias ducere, ſimiles illis, quas ventus transverſo motu ſuper aquæ ſuperficiem latus excitare ſolet. Imò deprehendi ego in bulla quâdam majori ad latus ſcyphi exorta, cum digitus illam partem premeret, quaſi ſibilum tenuis ventuli intra bullam agitati. Vidi quoque ſubtiliſſimas bullulas e vitri ſuperficie, qua illam tangit aqua, exortas, & ipſi aquæ ſupernatantes, manifeſto indicio: quod emotæ ſubtiliores aeris vel ætheris particulæ has turbas excitent. In aquâ calidâ vehementiores etiam motus obſervavi, quam in frigidâ: nam particulæ jam tum motæ facilius moventur, quam quieſcentes, & niſi me omnia fallunt, planè alius ille motus videbatur. Habet & aqua alium quendam motum, à criſpatorio illo diverſum, undulatorio ſimilem, cum latus ſcyphi percutitur. In digiti preſſione, etiam ſuperficies aquæ in orbem moveri videtur. Eundem ego in campana & catino aquà impleto motum criſpatorium obſervavi, quâ in re diſcrepat à nobis Daniel Bartoli, qui *Tratt. 1. c. 5.* non niſi orbiculares motus tum in aqua, tum in argento vivo, quo impletum erat vas, ſe obſervaſſe ait. Et eſt ſane talis orbicularis motus in aquâ, qui à percusſione procedit, quem in ſcypho vitreo, ſi accuratè attendimus, etiam notare poſſumus. Sed criſpatorius ille, qui à tremore vaſis provenit, in denſiore illo argento vivo forte deprehendi non potuit. Aqua illum mihi oſtendit. Imò attentius rem conſideranti, quemadmodum in catino percuſſo uterque motus apparuit: ita & in vitro celeriore agitatione digiti, mihi viſus fuit, hoc modo, ut iconiſmus exhibet. Unde quaſi tempeſtas, & neſcio qui in ſimpulô fluctus excitari videbantur. Eadem ab horizontali illo in

vitro



vitro ſtatu inclinata, easdem ſtrias, ſed deorſum tendentes, in latere tantum percusſionis monſtrabat, incerto & fluctuante ſcyphi ſono. Prout enim aqua ad oram ſcyphi ſe porrigit, ita tonus ingraveſcit, pro ratione ſpacii aërei, quod toti illi globo decedit. Nam ſi toto ſcypho aqua repletô, tonus penè ad diapaſon ingraveſcit; aqua ad medietatem infuſa, quâ in ovalibus illis ſcyphis circa partem protuberantem ingraveſcere incipit ſonus, ſi inclinatur ad oram extremam, uno vel duobus tonis decreſcit primus ille vitri tonus. Similiter fit in omnibus aquæ copioſioris infuſionibus & inclinationibus, ut inclinata aqua uno aut ſummum duobus tonis ſuperet planam. Quod ex tremore inæquali provenit, qui in uno latere aëre repleto celerior, in altero aqua perfuſo, tardior. Pro ratione ſegmenti vel amplioris vel ſtrictioris variat ſonus, quemadmodum chorda, ſi ſemel percuſſa, verticillo adducitur, aut ſi plectro aliquo ſecundum longitudinem perſtringitur, ſonum perpetuo quaſi fluxu, ob vibrationis ſuccesſivæ vel imminutionem vel augmentum quaſi cum gemitu quodam protendit. Vidit etiam Daniel Bartoli circellos in aqua ſcyphi vitrei, ad ſonitum chordæ in teſtudine pro gravitatis proportione majores vel minores: ſed obtuſiores & rariores, cum pulſaret chordas ſoni acutioris, de quo ipſe videatur *Tratt. 3. c. 4.*

Ex illis, quæ hactenus adduximus, conjicere poſſumus, quàm longè plures, ſubtiliores ac concitatiores in medio longè ſubtiliori ac puriori, aëre ſc., formentur tales undulæ. Patet & ex hoc experimentô, quanta ſit ſonori corporis diverſitas, cum per medium crasſius propagatur ſonus. Qui etiam pro majore vel minore medii denſitate variat. Sic longè eſt concitatior motus in ſpiritu vini infuſo, ut guttulæ penè ad ulnæ diſtantiam

tiam è vitro disperganrur, ac bullulæ quædam in medio liquoris vorticis instar glomerentur. Quod in aquâ non ita fieri observabis. In cerevisia, oleis, aliisque liquoribus spissioribus ne minima quidem notatur corrugatio, ac obtusius sonat vitrum. Hanc ob causam solent nonnulli Oenopolæ vini præstantiam è sono vasorum judicare. Quo enim clarius vasa sonant, eo præstantius vinum est, quò obtusius & densius, eò magis feculentum & impurum. Quod cum non intelligunt homines simplices, mirantur sæpe, emptores quasi hariolatione quâdam illa sibi vasa seligere, quæ ipsi sibi servare mallent, ac quorum præstantiam ipsi dissimulant. Sonus in media aquâ conceptus exilis est, & è longinquo quasi auditur, ut experimento hominis in puteo sub situla clamantis probat Verulam. *Sylv. Sylv. Cent. 2. n. 155.* Scyphus vitreus leviter sonat eo tono, quem aqua infusa dedit, si voce vel unisona vel diapason provoces: cum ad tubæ sonum longè fortius ille cansonat, & majori impetu aqua moveatur. Ejus accuratam mensuram facillimè isthoc pacto inieris, si scyphorum capacitates & liquorum pondera inter se contuleris. Ego in modicæ quantitatis scypho vitreo conico, aquâ ad summum impleto, sonum ad diapason ingravescere animadverti: plus minus verò in aliis, pro eorum figurâ & capacitate. Tradit quoque Verulamius, observatum esse nonnullis, vas vacuum digito percussum diapason edere, respectu soni ex vase repleto. Hinc aquâ pene ad medietatem scyphi conici infusâ uno tono gravior sonus est; qui semper, pro aquæ augmento, per minora intervalla magis ingravescit. Cujus hæc ratio: quod, cum minor sit vibratio vitri (inprimis conici; nam in cylindricis aliter res se habet) circa pedem, major circa medietatem: maxima circa oram extremam; iis quoque gradibus sonus gravior fiat. Id fieri similiter in poculis metallicis videmus. Quò magis miror elegantissimum Philosophum du Hamel *de affectationibus corporum lib. 1. c. 10. extremo* contrarium scribere: Quod quò plus aquæ scypho vitreo insit, dum in orbem acto digito aqua crispatur, sonus acutior efficiatur, quia tum celerior sit aquæ vibratio, & quò minus sit aquæ, hoc sonus sit gravior. Planè enim repugnat experientia. Longè autem alia ratio est vibrationis in fistulâ, cujus illic exemplum idem affert Autor. Inciderat jam ante in eundem errorem Baco Verulamius. Is in Sylvâ Sylvarum seu Historia Naturali *Cent. 2. Observ. 183.* ita habet: *Vitreum poculum, præsertim infra arctius & supra laxius aquâ reple, marginique ejus talitrum impinge, aqua deinde intervallis repetitis magis magisque effusa, tonum semper talitro explora, senties decrescere sonum & graviorem fieri, quò poculum inanius.* Quæ falsissima sunt. Video & Kircherum *in Musurgia lib. 5.* idem dicere. Auditur interdum & falsus tonus oram vitri fricanti, sed invariabilis, qui à pede scyphi provenit: Is enim, si

latus & cavus, ſonum habet ab ipſo ſcypho diſtinctum; ſemperque præ primario ejus ſono auditur, niſi ſub ipſo ſcypho columnam digitis teneas; quo vibrationis ad pedem tranſitus prohibetur.

Quæ hactenus diximus, ad motum internum corporis, quatenus medio diverſo comparatur, pertinet. Sunt & aliæ ſonorum viciſſitudines & effectus ratione corporum inter ſe comparatorum, ut chordarum & tympanorum varii generis, & ratione aliorum corporum, figurâ, mole, parium vel imparium, quæ omnia excutere hoc in argumento operoſum nimis videri poſſit. De iis in ſequentibus nonnulla, ubi occaſio dabitur, attingemus.

Cap. VII.

Vitra pro varietate figuræ ſono variant. Scyphorum vitreorum per vocem fractorum qualis figura? Aër in ſcypho ſuperius coarctato validius movetur. Partes in cavo vitri plus moventur illis, quæ ſunt in convexo. Suſpicio de externo aëre partes cavitatis in vitro perrumpente. Diverſitas ſoni, quo vitri ſonus provocatur. Vox ad ululatum accedens fortius ferit vitrum. Ejus cauſa. Cavitas reflectit variè ſonum. Sonus ſpeculo Parabolico collectus. Auris ſtructura. Tuba Stentorophonica. Buccina Alexandri Magni. Iconiſmus ejus à Kirchero productus. Alius ab illo diverſus. Quid de illâ ſentiendum. Ejus experimentum cepit Dn. de Alance. Sonus ex harpagio intenſiſſimus. Speluncæ ſubterraneæ. Immanes boatus & tempeſtates ex illis per ſonum excitatæ. Tuſſis in vallibus montium nives deturbat. Dolia ſubterranea adium ſonitum augent. Terribilis per canalem fremitus excitatus. Fons ad tibiæ ſonitum ſe effundens. Fons in Helvetia nomine ſuo ter vocatus funditus exæſtuare dicitur. An vitrum per ſonum ex repercuſſione denſatum citius, quam per clarum rumpatur. Tabula vitrea è longinquo etiam ſono pulſatur.

Accidit etiam in ſcyphis vitreis, ut pro diverſitate figuræ diverſi ſint ſoni: quemadmodum in campanis, quæ vulgari modo formantur, fieri videmus. Omnes enim plures habent tonos aliterque ſonant, cum in margine extremo; aliter cum in medio, aliter cum in apice pulſantur: nam ſimplici figurâ non continentur, ſed ſpirali lineâ curvantur: validiſſima verò tenſio ac particularum vibratio in extremo margine eſt, ubi maxima eſt craſſities & capacitas. Scyphi vitrei, qui voce franguntur, cujuſcunque figuræ eſſe poſſunt, modo alterius generis vitro non variegati, aut bullis, nodis ſimilibusque ornamentis incruſtati, lineis vel

vel ſtriis excavati, quibus ſoni fluxus impeditur & adverſus vim vocis firmari poteſt. Neque nimis ſint exigui, quales tonum acutiorem habent, quam ut vox ipſis reſpondeat. Quos Daniel Bartoli voce fractos vidit, ii ſex, ſeptem digitos, dempto pede, alti; orificium eorum tres, quatuor digitos latum fuit. Si ſcyphi noſtri vitrei, qui voce ruptus eſt, figuram conſideremus, ea ad ellipticam, ac quodammodo circularem vel ovalem inclinat, cujus ſegmentum exhibet. Eum enim in modum formantur ſcyphi illi, quos Germanicâ linguâ *Römer* vocamus. Figura verò eorum cum ſimplicior ſit, quam campanæ, non adeò variat ſonus, niſi inæqualis craſſities vel temperatura ſit. Tum enim impurus ſonus eorum eſt, ut eſt chordarum illarum, quæ inæqualis ſunt craſſitiei, & falſæ à Muſicis vocari ſolent. Vitri vero ipſius particulæ eò magis tenduntur, quò magis aër intra cavitatem ſcyphi concluſus eſt, quam in campanâ, ac pulſu agitatus in ſe reflectitur. Quod circa vitri medium accidit, cui eam ob cauſam os clamantis potiſſimum obverti debet. Nam ſanè ſonus in ſcypho talis figuræ aërem externum ad latera validius impingit, nec tam expedite foras propellit. Ut videre licet in ſcypho rotundo, anguſtioris orificii, ad duos circiter digitos, cujus ſonus omnis ceſſat, quod aër exterior non effluere liberè poſſit. Simulac autem orificium amplius redditur, pro ratione amplitudinis, ſonus incrementum capit. Obſerves & hoc, longè eſſe vehementiorem motum aquæ intra cavitatem vitri, ſi pulſes, vel digito marginem perſtringas, quam exterioris aquæ, ſi ſcyphum cum aquâ infusâ, aquæ imponas. Exterior enim aqua convexam ſcyphi partem alluens, modice quidem criſpatur, ſed non cum vehementi iſta agitatione, quæ intus deprehenditur. Quæ me cauſa dubium aliquando habuit, an non potius ab externo aëre, vitri partes concavæs interius repercutiente, fractura vitri deduci debeat. Convexa enim citius à cavâ ſuperficie, quam à convexâ rumpuntur. Ut ſæpe in ſphærulis vitreis obſervatur, quibus aër cum violentia ſe intrudens, fundum facillime excutit. Sed nulla hic talis externi aëris coarctatio eſt, ut ab hâc cauſa procedere poſſit.


Debet & ejus capacitatis eſſe ſcyphus vitreus, qui non exceſſu ſuo ſuperet conatum clamantis. Nunquam enimi in majore ſcypho vitreo idem Oenopola iſte tentaverat. Quanquam & hìc rem ſucceſſuram non dubitem, inprimis ſi fortior vox ſit. Illud etiam accuratè obſervavi: multum referre, quo ſono, claro, an obſcuro vitri ſonum provoces. Si enim vox vocalium A, E, I ſonum exprimit, nunquam ita validè ſonabit vitrum, quam ſi ululanti ſimilis U Italicum exprimat. Tum enim vehementius tremit & ſonat, ad majorem etiam diſtantiam: quod in tabulâ quadratâ vitreâ obſervavi. Ejus tonum cum exploraſſem, dabam alicui ad 50 pedum

 diſtan-

diſtantiam ex adverſo tenendam, anguloaliquo extremo: ita tamen, ut rectâ lineâ vocis meæ ſonus incidere in centrum tabulæ poſſet. Quem cum diapaſon à tabulæ ſono diſcrepantem, ut in ſcyphi vitrei rupturâ, ederem ululatui quodammodo ſimilem, ſatis clarè, ut ipſe exaudire poſſem, conſonabat tabula. Quod vix ad 20. pedes fiebat, cum clariorem ſonum ad vocalem A, E, vel I accedentem ederem. Cujus rei ratio in eo conſiſtit, quod talis ſonus, ob rotundationem oris, & ſpiritus è cavitate quâdam, intra quam reflectitur, egreſſum, quaſi inſpiſſetur, & cum flatu quodam emittatur; quod non fit in clarioribus, qui è gutture aperto dimittuntur. Sic cornua ob ſonum in cavitate toties reflexum denſius ſonant, ac longius audiuntur, quam tubæ, quæ rectiores ſunt, & circa extremum cavitatem per gradus dilatatam habent, ac ad vocalis A ſonum accedunt. Quid quod ipſa literæ A figura, ſoni ſui formationem & tubæ extremæ formam repræſentet; ut U vel *u* cavitatem cornu, ac ſoni ſui ex ore rotundato prodeuntis ſpeciem exhibet. Linea vero transverſa in A prohibere quaſi videtur, ne lineæ arctius coeant, ac vim illam, qua lineæ ſpiritus ſonori diſtenduntur, quodammodo innuit. Ob eandem rationem Buteonis vox longius exauditur, quam eorum animalium, quæ vocem emittunt clariorem. Norunt etiam Germani veteres, quod in militari clamore, (teſte Tacito libro de Moribus Germanorum,) *objectis ad os ſcutis plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat.* Non aliâ de causâ in ſpeculo Parabolico ſoni in unum punctum colligi poſſunt, ac ejusdem ſpeculi opera fieri poteſt, ut qui intra lineas fertur ſonus è longinquo etiam audiri, & alio ſimili ſpeculo procul in uno centro colligi ac multis modis reflecti poſſit. Quæ mira videbuntur illi, qui hujus rei rationes ignorat. Soni enim eodem modo ut radii lucidi, imò plus quam illi reflecti & augeri poſſunt: ut à præſtantisſimis Mathematicis demonſtratum eſt. Proinde non eſt adeò improbabile, quod Verulamius *in Sylvâ Sylvarum cent. 2. n. 121.* exagitat: potuiſſe à quopiam ope ſpeculi urentis è domus tecto detegi conſpirationem adverſus Reginam Mariam; Exiſtimat enim: percuſſionem aëris ſolam ex ejusmodi ſpeculis nullum edere ſonitum. Hinc videmus animalia auditus ſenſu præ cæteris prædita aures habere in ſegmenta elliptica vel parabolica formatas: & ejusdem figuræ inſtrumento, quod ſarbadan Hiſpani vocant, auditus juvatur. Tuba quoque Stentorophonica, præprimis illa, quæ in conum aſſurgit, frequenti repercusſione ſonum multiplicat, ut ad aliquot milliaria audiatur, & dudum ante hanc tubam inventam Marius Bettinus *in Apiar. Mathem. Progymn. 2. prop. 7.* tubum ellipticum fabricare docuerat, quo ſonus etiam ſubmiſſus ad ingens ſpatium propagatur.

gatur.

gatur. Nam tuba nimis dispergit sonos. Qualia artificia antiquis etiam fuisse cognita, è buccinâ illâ, quæ Alexandro tribuitur, quâ exercitum alloqui & convocare solitus fuit, apparet. Illam Kircherus primum in *Arte Lucis & Umbræ*, hinc in *Phonurgiâ suâ*, in lucem produxit. De quâ, occasione ita ferente, quædam afferam, quæ à Kircheri designatione discrepant. Nam in eundem librum, cui titulus: *Aristotelis secretum secretorum ad Alexandrum*, ex Arabico in latinum conversum, quod Alexder Achillinus, una cum aliis dubiæ fidei opusculis, *Bonon. 1516.* edidit, incidi. In cujus frontispicio figura istius buccinæ aliter depicta visebatur, quam ea, quam in ejusdem libri antiquissimo Codice Vaticano se reperisse ait Kircherus: Nam apud Kircherum duæ figuræ habentur: A. B. Primæ totus



circulus exhibetur, in cujus tenuiore parte orificium, crassiore exitus tubiformis apparet, altera figura B canalis elliptici, ea est, cujus ex Mario Bettino supra mentionem fecimus. Sed ille ob arctiorem exitum vocem exilem tam latè spargere nequit. Convenientior multò ad hos usus illa figura est, quam Cl. Dn. Collega noster Reiherus è tubâ Stentorophonicâ reformavit, ut in iconismo D repræsentatur. Tertia figura C, iconismus est ejus buccinæ, quâ Alexander usus dicitur, in isto, quem legi libro, quæ quam differat à superioribus, hîc apparet. Utra propius ad istum effectum præ-

præſtandum accedat, ego non dixerim. Fortaſſis res tota fabuloſa eſt. Nam apud Hiſtoricos ejus rei nec vola eſt, nec veſtigium. Illa, quam ego produxi, figura ad ſoni diffuſionem non tam apta videtur, quam figura A: cum figura C circulari illa convolutione, & exitus coarctatione, ſonum in ventre hujus machinæ auctum, in exitu ſuffocare videatur: niſi forte, qui duo pedes hujus machinæ videntur, tubi ſint, per quos ſonus collectus ſpargitur. Sed cui tum uſui duplex orificium & duplex exitus? An quod à duobus inflari debet? At altera illa figura A per ſemicirculos æqualiter creſcentes, in craſſiſſima parte orifico obverſâ, ſonum per gradus auctum expellet. De Alexandri buccinâ, an primæ, an teriæ figuræ, mihi non conſtat. Hamelius de corpore animato *libr. 2. c. 4.* teſtatur: *Inter complura, quæ in hanc rem Vir Cl. Dn. d' Alance facienda curavit, omitti non debet illa, quæ Alexandro buccina tribuitur, quâ exercitum ſuum alloqui ſolebat. Cujus figura cum jam in veteri codice Bibliothecæ Vaticanæ eſſet exarata, atque à Bitino deſcripta, an eventu rem ipſam comprobaret, Vir ſtudioſiſſimus voluit experiri, & res ipſa bene proceſſit. Nam id genus tubæ cætera in hanc rem fabricata inſtrumenta, ſi minus ſuperare, æquare certè videtur.* Quis ille Bitinus, vel quæ hîc figura intelligatur ab Hamelio, non dixerim. Ipſa quoque deſcriptio buccinæ C, quæ in memorato libro additur, multum à Kircherianâ diſcrepat. Hæc enim figuræ huic addita verba leguntur: *Hoc æneo cornu mirabili artificio fabricato Alexander Rex Magnificus ex LX milliaribus exercitum ſuum convocavit. Quod ob illius inæſtimabile artificium & excedentem magnitudinem LX viris regebatur. Verum multa reſonantium metallorum genera in ejus compoſitionem concurrebant.* Nihil horum apud Kircherum legitur. Quanquam omnia conficta credam, ut ipſos illos libros, quibus præfigitur, notare tamen diverſitatem illarum relationum volui. Quantum ex experimento Dn. d' Alance ſuperius allato colligitur, ultra tubam Stentorophonicam ſonum non extendit buccina ad ejus exemplnm confecta. Sed Alexandrina illa fortè multo major fuit, ut eſſe ſanè debuit, quæ ad C ſtadiorum & LX mill. immanem diſtantiam ſonum diſpergeret. Quomodo in tubâ Stentorophonicâ ſonus augeatur, prolixe integris libris demonſtratum eſt, quæ omnia breviter proponit Dionyſius paſſim in Memoriis ſuis Gallicè ſcriptis, de Anno 1672. Procedere talia ſoni augmenta etiam in aliis tubarum figuris, nuper caſu aliquo didici, cum inciderem in harpagium, inſtrumentum, quo hortulani in rigandis herbis uti ſolent. Tubo enim E protenſo varios immittens ſonos ruptos, quales labrorum motu in tubis formari ſolent, mirificè illos in faſe illo cylindrico augeri deprehendi: cum vero inciderem in illum, qui cum vaſe conſpirabat, tam validum ſonum obſervavi, qui ad latera laminæ F quaſi biſectus, rupto illo & aſpero tubæ clangore

gore insonaret, ut fauces, pectus, os, aures tremore illo non sine dolore aliquo concuterentur: cum reliqui soni omnes obscuriores, & in eo ipso sono, laminæ superioris margine panno obducto, abrupta illa asperitas cessaret. Ex illa multiplici soni repercussione provenit, quod in locis cavis & conclusis levis sonus pro magnitudine loci in immensum protendi possit, quod experiuntur illi, qui in fodinis laborant. Ideoque non est omnino hoc a vero alienum, esse lacus aut speluncas, quæ lapidis exigui jactu horribiles boatus effundant, aut vapores emittant, tempestates cientes. Potest enim talis cavitas repleri variis vaporibus, ad fermentandum aërem aptis, qui levi motu ebulliunt, & spiracula sua aëri immittunt. Faciunt huc, quæ ad speluncæ illius, quæ vocatur auris Dionysii, & ad cavitatis in monte Vesuvio descriptionem prolixe adducit Daniel Bartoli *Tratt. 4. c. 7.* Eandem ob causam periculosa tussis est in valle, quam undique montes prærupti nivibus tecti cingunt. Nam ut Claubergius in Physicis suis *th. 687.* observat, sonus ille repercussione ad montis latera nivium globos movet, ut casu suo ambulantem obruant. Ita vasa vel dolia sub ædibus in terram defossa, ipsas ædes faciunt sonoras, de quo in Aristotelis problematibus. Spectat huc quod Verulamius *Sylv. Sylvar. cent. 2. n. 140.* proponit: *Est in campis S. Jacobi*, inquit, *canalis lateritius, cui lacunar quoddam humile contiguum, & ad cujus extremum rotunda domus ex lapide. Canalis ille fenestram habet, domus fissuram, aut modicæ latitudinis rimam. In hanc immissa vox terribilem circa fenestram excitat fremitum.* Forte & occultiori alicui cavitati subterraneæ, intra quam sonus reciprocatur, adscribendæ, si veræ sunt, istæ operationes, quas de fonte in Halesinâ regione commemorat Solinus *c. 11.* qui aliàs quietus, cum insonuerunt tibiæ, exultat & tollitur ad cantum, & quasi vocis miretur svavitudinem, ultra marginem intumescit. Cui simile est, quod de fonte lacus IV Civitatum Sylvestrium, narrat Wagnerus in *Histor. Naturali. Helvet. sect. 3. artic. 21.* eum, si ter voce clarâ nominetur, mox tanta vi moveri, ut subito inde homines secedere cogantur: illum autem, qui ita vocavit, eo anno non supervicturum. Verum si hæc causa subesset, non ad tibiæ tantum, aut nominis sui sonum, sed ad quemcunque moverentur. Vereor itaque, ne hæc fabulosa sint. Posteriorem certe Historiam ipse Wagnerus inter illa, quæ dubiæ fidei sunt, reponit: neque ejus rei veritatem cum vitæ suæ discrimine facile quis periclitabitur. Ne longius abeamus, ipsa auris nostræ structura testatur, ad soni augmentum requiri cavitatem aliquam, quæ hanc cum locis, unde Echo prodit, similitudinem habet. Singularem modum, quo chordarum sonus per repercussiones frequentes augeri possit, proposuit Perrault. *de sono. part. 2. c. 12. p. 156.* & Baco Verulamius *in Sylv. Sylvar.*

var. Cent. 3. n. 232. qui ea de re leguntur: nam nos in hunc excursum delapsi sumus occasione soni per oris cavitatem aucti, quem fortius ferire tabulam vitream & scyphum diximus, quam sonum clariorem, per Vocales A, E, vel I formatum. Neque tamen id temere dixerim, pinguiori illo sono citius rumpi scyphum, quam per clariorem. Quanquam enim illo validius sonat, clarior tamen, quia acutius ferit & stringit vitrum, forte majori in certos vitri tractus impulsu fertur, ut facilius frangatur. Quæ omnia ulteriori disquisitioni relinquo.

Interim videre è nostro de tabulâ vitreâ experimento superius adducto licet, quanta sit sonorum similium ad tantam quidem distantiam, fortè & majorem, conspiratio: cum discrepans vocis sonus, quanquam longè fortior, ne tantillum quidem soni tabulæ incutiat. Cum scypho vitreo, ut existimo, res istâ distantiâ non succedet: planities enim tabulæ magis aëris pulsum recipit, quam convexitas scyphi. Nec dubito, quin eodem modo rumpi tabula possit, quô scyphus: æquè enim fortiter, ac scyphus sonat, præcipuè si os centro tabulæ admoveas. In cæteris enim partibus tenuior sonus est. Id quoque observavi, consonare tonos subordinatos in tabula, si eosdem voce edas, consonante etiam tantillum sono primario. Flatus enim quicunque levem sonum tabulæ incutit, sed quem vix observes. Ille verò exterius tantum pulsat, interiora autem vitri non vellicat.

Cap. VIII.

Fracturæ Vitri ex quâ causâ proveniat. Cur vitrum non in multas partes minutas dissiliat. Vis percussionis continuatione ingravescit. Exemplo mallei clavem figentis, & trabis murum percutientis illustratur. Scyphus vitreus frangitur per sonum frictu digiti excitatum. Campanæ etiam frangi possunt contrariis percussionibus, & filo campanæ circumposito. Hobbesii sententia de motu minimorum in duris corporibus. Idem sphalmata in visione efficere creditur. In quo consistat ratio fragilitatis. Τὰ θραυστὰ, κατακτὰ, πιεστὰ, πληκτὰ, ἀπληκτα. *Quò vitrum sit referendum. Kircherus notatus. Fractura in vitro per vocem percusso pene regularis. Illustratur exemplo vitri per ferrum ignitum & aquam adspersam fracti. Eodem modo saxa frangi possunt. Rupes ab Hannibale fracta. Asseritur adversus Polybium & Naudæum.*

Satis, opinior, ex iis, quæ prolixè disseruimus, patet, quæ causa vitrum rumpat: datâ enim primùm tali conditione materiæ ex armillis parum flexilibus constantis, dato etiam eo, quod moveri ac com-

ac comprimi illæ ab externo impellente & undulis illis aëreis possint, fieri poterit, ut ultra resiliendi potentiam compressæ particulæ dissiliant, ipseque aër vi quâdam erumpens ipsum vitrum rumpat, eâ regione, quæ quam maximè ab aëre impellente stringitur. Neque necessum est, ut vitrum in plurimas minutas partes dissiliat, quemadmodum fit in stillaticio illo: cum armillis contiguis per unam lineam fractis, spatium concedatur reliquis, ut se reducant: ac cessat interruptâ continuitate motus. Quod verò hoc simplici talitri alicujus pulsu non contingat, causa est, quod motus particularum longè sit debilior, quam à pulsu aëris intima vitri tensione continuâ nec interruptâ premente. Accedit, quod ipsa energia & vis percussionis se ipsâ per continuationem istam major fiat. Eadem enim est ratio armillarum concreti corporis semel motarum, quæ funependuli: Nam si superveniat secundus ictus in termino resilitionis, vis illa impulsiva duplicatur; tertio, quarto, quinto pluribusque impetus semper accrescit, ut demum ruptura sequatur. Sed forte continuitas impulsus resilire particulas emotas vix patitur, ut nullus sit vibrationum occursus, cui rupturam vitri adscribit Dn. de Perrault. Illius pulsus vehementia, vel ex mallei percussione demonstrari potest, qui cum clavum ligno infigit, singulis percussionibus vires suas duplicat, & ut Borellus *de vi Percussionis cap. 27.* prolixè ostendit, ad centum librarum gravitatem semper augetur: ut si primæ percussionis ἐνέργεια 100 libris, altera 200, tertia 300, atque ita deinceps respondeat. Quam vim imaginari nobis similiter in vitro per vocem percusso possumus, cujus major est, quam bacilli alicujus percutientis gravitas, ut quæ non uno in loco tantum ferit, sed totam particularum seriem simul impellit. Quemadmodum enim trabs aliqua muro secundum longitudinem impacta, omni ariete fortius pulsat; cum quot in trabe puncta sunt, totidem sint mallei; ita punctula illa aëris singula, ut malleoli pulsant, & ut cuneoli distendunt, quæ præter pulsum simultaneum, continuâ pressione semel motis particulis incubant. Quæ pressio etiam ex stridore illo, qui in vitro per vocem moto auditur, patet: nam stridulus ille sonus è compressione inæquali & multiplici particularum oritur, ut cum ferrum limatur, unde illud innumeris vibrationibus subsultat. Observavit quoque Dn. de Perrault, scyphum vitreum fractum fuisse à continuo oræ extremæ per digitum frictu: nam & soni continuitas eadem hic est, & perpetua particularum emotio, quanquam non adeo valida, ut in vocis impulsu. Quare validiora vitra hunc in modum non frangi posse, sed tenuiora tantum existimo.

Sunt & ipsæ campanæ â rupturâ non immunes, si cum in uno marginis extremi puncto pulsatur, eodem tempore quis punctum oppositum

percutiat. Nam uno eodemque tempore contrahuntur & explicantur circuli, unde ex conflictu motus æquè validi ruptura eveniet. Imò Joach. Fortius Ringelbergius in Experimentis Encyclopædiæ ſuæ adjectis, hæc notat: campanam maximam, ſi pulſatur, vel tenuiſſimo filo circumdatam, findi. Quod ſi verum eſt, inprimis particularum emotionem demonſtrat, quæ etiam levi impedimento à ſuo curſu deturbata, ad rupturam corpus, ſuffocata quaſi repercuſſione, impellat.

Sunt & in parte convexâ ſcyphi talis vitrei pori patentiores, quam in parte concavâ; quod non ſolum de laminis vitreis inflexis verum eſt, ut demonſtrat Borellus *propoſitione 104.* ſed & de vitris per inſufflationem excavatis; ut itaque aëreæ iſtæ particulæ velut cuneoli quidam poros amplius ad rupturam usque diſtendere poſſint. Præterea omnia iſta corpora, quæ per ignem fuſorium compacta, rectioribus præditi poris videntur, cum adeò facilè divellantur. Ipſa etiam metalla fuſa citius rumpuntur, quam malleo diducta, quod rectitudo pororum ob vehementem contuſionem conturbata.

Hobbeſius in *Problematibus phyſicis cap. 5.* rationem duritiei in corporibus explicaturus, duriſſima corpora illa eſſe ait, in quibus partium motus & velociſſimus eſt, & intra ſpacia breviſſima: quæ duritiei ratio licet non omnibus duris competat, his tamen, quæ ſonora ſunt, præ cæteris apta eſt. Itaque ſi ignis, in quo motus partium valde velox eſt, ſed in ſpaciis majoribus, ſatis vehemens ſit ad ſuperandam duri reſiſtentiam, faciet, ut partes duri motum ſuum exerceant in ſpaciis majoribus. Hinc eſt ille partium in vitro conatus ad motum perpetuus, unde cauſam deducit, quare lacryma vitrea, velut arcus tenſus, è pedunculo, velut centro reductus, in minutisſimas partes frangatur. Ex eodem conatu partium internarum in vitro, quam vitrum ait acquiſiviſſe è fuſione & refrigeratione, putat idem provenire, quod in ſpeculo corpora non eo ordine in uno poſitu videantur, quo videntur in altero: cui rei aliam tamen ego ſubeſſe cauſam exiſtimaverim.

Hunc conatum partium internarum, accedente earum colliſione, in corpore non usque adeo tenaciter miſto, neceſſario denique ſequitur fractura. Si corpus percuſſum in ſe ipſum ſidit, & ſecundum aliquam ſui partem locum mutat, ut cera, plumbum, nulla fit repercusſio. At cum ſolidum corpus, quale vitrum, etiam voce percutitur, totam illam percusſionem ſimul admittit, omnesque partes moventur, & ſecundum miſtionis ſuæ naturam franguntur. Eſt verò vitrum inter τὰ θραυστά, quæ in in multa fragmenta diſſiliunt. Θραυστὸς eſt, cum in partes plures, quam duas corpus abit, ut teſta, vitrum. Cujus rationem dat Ariſtoteles, πολλὰς

ἔχειν

ἔχειν παραλλάττοντας πόρους, cum illa, quæ continuas habent particulas & καταπηκτὰ vocantur, plerumque in duas partes dissiliant, ut lignum & os: κάμψεως enim designationem minus fallit, & partem illam, quæ inter plagam media est, pro vecte habet, hypomochilium sunt extrema. Inter corpora porro alia dicuntur πιεστὰ, in quibus est particularum μεταστάσεις & quæ compressionem admittunt: illa si permanet, ut in plumbo & auro, πλαστὰ vocantur: si vero contra pressionem nitantur, ἀπίλητα. Vitrum vero, ut inter τὰ θραυστὰ est, quæ in multas partes dissiliunt, certâ ratione, ob partes in illo renitentes, inter ἀπίλητα referri debet. Atque id de omni vitro verum est, ut inutilis planè sit opinio Kircheri in Phonurgia *libro 2. sect. 1. p. 193.* cum putat, vitrum facilius rumpi per vocem posse, si è tali materia præparatur, è qua lacrymæ vitri parantur. *Prodiit*, inquit, *preterlapsis annis inventum, vitrum certa aqua ita præparandi, ut unum ejus frustulum in extremitate ruptum, totam massam in insensibilem pulverem redigat. Si itaque ex hac materia vitrea ampulla conflетur, non dubium, quin voce graviori insonata ampulla è vestigio dissolvatur.* Miror hæc excidisse tanto rerum naturalium promicondo: cum sanè omnibus constet, non præparari certam materiam ad talia vitra, sed rationem fractionis in vitri externa figurâ, & certâ compositione consistere, qualis dari in poculo vitreo nequit, quod orificio aperto ad soni formationem indiget. Quando itaque motus minimorum in vitro producitur, partes, quæ percutiuntur, quasi præcurrunt cæteras, quas cum aliæ consequi non possunt, distractione mutuâ à se discedunt, cum major ad movendum vis est, quam retentio unitiva. Esse autem motum in vitro regularem quodammodo, & in orbem successivum, ex eo patet, quod non in plures partes scyphus abeat, ut in percussione, eâ parte, qua impetus maximè urget, sed in duas, secundum scyphi peripheriam: planè ut circulari ferro candenti vitri particulæ certâ serie moventur, quæ affusâ gelidâ se statim reducentes, ordinatim franguntur. Eo enim exemplo non sanè incongruo usus est Hamelius, in rationem vitri per vocem fracti inquirens. Minimorum enim ultra resiliendi potentiam motus rupturam efficit.

Huic simile in vastissimis rupibus deprehendas, quarum partibus per ignem vehementissimum ad motum incitatis, subita frigidæ affusione se reducentibus, totæ saxorum moles finduntur. Quod in Svecia sæpissime fieri cognovimus. Ut ita dubium mihi non sit, eâdem arte Annibalem olim Alpes rupisse, licet fabulosum hoc habeat doctissimus Naudæus de studio militari. *lib. 1. p. 243. & seqq.* operose adversus Livium, Plutarchum, Appianum, Eutropium, Æmilium Probum, Ammianum Marcellinum, Paulum Orosium, Silium Italicum disputans, & Polybium unum, qui hæc

refutat, tot aliis opponens. Non est hic locus omnia quæ è Polybio adversus Livium & alios afferuntur argumenta, vel ipse Naudæus excogitavit, discutere: ego putem non contemnenda tot hominum testimonia, antiquâ præterea famâ confirmata, dum & Herculem ante Annibalem eâdem arte transgressum Alpes crediderunt. De eo enim ita Silius.

Primus inexpertas adiit Tyrinthius arces.
Scindentem nubes, frangentemque ardua montis
Spectarunt superi, longisque ab origine seclis
Intemerata gradu magnâ vi saxa domantem.

In eo errasse autem omnes puto, quod aceto usum esse existimant Annibalem, qui aquâ utebatur. Cum enim inaudita fuerint ipsis hujus rei experimenta, falli facile potuerunt, ut per putrefactionem cum aceto emollitas fuisse rupes crediderint. Certè adeò graphicè Livius hæc describit *lib. 21.* ut vix fraudi locus esse posse, nisi hoc uno, videatur. *Inde ad rupem minuendam, per quam via una esse poterat, milites ducti: cum cadendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis, detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt; ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solùm, sed & elephanti educi possent.* Hæc Livius: Cui Plinius *lib. 33. c. 4.* fert suppetias. Metalli fossores (ait ille) silices igne & aceto rumpunt. Quod Africanis, ut bonis metallurgis, non adeò ignotum fuisse verosimile est. Sed de his alio loco pluribus agemus.

CAP. IX.

Quæ causa, quod per diapason vitrum rumpatur. Diapason proportionem duplam habet. Undulæ in scypho aquâ impleto dividuntur à sono octavæ. Diapason perfectissima consonantia. Facilis in omnibus instrumentis, tibiis, tubis, voce, ad octavam prolapsus. Dubia contra hanc sententiam mota. Vitrum reverâ per diapason fractum fuit, & per unisonum quoque. In vitri tono explorando decipi possumus, ob misturam aliarum consonantiarum & ipsius octavæ. Illa, ut superior sonus eligi tum debet. Sonus gravis movetur & augetur à sono octavæ. Soni raritas in vitro auribus sæpe imponit. Testes allegantur Vitri per Octavam rupti. Hamelius. Kircherus ex dissertatione eâ de re scripta. Experimentum Florentinum de scypho vitreo unisonâ chordâ Violini majoris per subitam in diapason acutiorem commutationem fracta. Alia de Oenopolâ Amstelodamensi relatio, de fracto vitro per subjectionem Octavæ unisono factam. Rejicitur.

tur. Rationes super hoc argumento à Daniele Bartoli adductæ. Nostra sententia proponitur.

UT vitri fracti rationes demonstraremus, etiam montes & saxa sollicitavimus. Ab illis ad vitrum nostrum redimus. Quare nihil, ut vidimus, residet difficultatis in eo, quod ita dispositum particulis vitrum sit, ut subeunte aëre movente, ille à se divelli, ac vitrum rumpi possit. Id nunc dispiciamus, quam ob causam ad rupturam usque moveantur vitri minima, à voce, quæ octavâ superat tonum vitri. Moventur verò & ὁμοτόνῳ voce, & si diapason insones, quo vitrum mihi fractum: Reliquis tonis ne auditur quidem sonus, nisi levior aliquis, quem flatus exterior movet. Diapason enim cum sit harmonia omnium perfectissima, ac absolutissima, & omnium consonantiarum complementum, hanc prærogativam habere videtur. Habet namque Diapason rationem duplam, ac numeris exprimitur inter se eam proportionem habentibus, quæ integris non fractis numeris competit ut $\frac{124}{248}$. Quibus significatur, minorem numerum ita esse in majori, ut nihil sit residuum: quemadmodum 1 bis est in 2, & 2 in 4. Hinc Galilæus Galilæi observavit undulas in scypho vitreo aquâ impleto, sono octavæ in duas partes dividi. Testatur & Berigardus, *Circ. 15. part. 6. Videre*, inquit ille, *in scyphis aquâ impletis licet circulos aqueos priores intersecari ab aliis tenuioribus exortis, statim atque sonus intenditur ad Diapason. Idque in aëre similiter fieri, interpretandum est.* Hinc fit, quod ob celeriores & frequentiores vibrationes, dissonantia in acutis sonis non ita observatur, quam in gravioribus. Longè alia proportio est in cæteris consonantiis. Rationem harum proportionum eleganter tradidit, inter veteres autores Græcos, Aristides Quintilianus de Musica *lib. 3.* quem unà cum cæteris edidit, ac doctissimis notis illustravit Marcus Meibomius, è ponderibus, quæ chordis appenduntur: nam duo pondera appensa diapason faciunt. Quid quod Galilæus, Mersennus, Honoratus Faber, unicâ pulsatione chordæ etiam consonantias sonare demonstrant, inter quas præcipua est diapason: quod in cæteris corporibus sonoris, campanis ac vitris, non semel observavi, ut & in tubis & fistulis, in quibus facillimus ac primò obvius est soni ad diapason transitus. Hinc fit, ut, cum diaposon rationem duplam, reliquæ verò consonantiæ proportionem quodammodo irrationalem habeant, ac inter se sint incommensurabiles, ita ut semper supersit aliquid; sola diapason moveat sonum sibi commensurabilem in corpore, quod jam tum consonantiam diapason continet, & fortius quidem, ob

vim motus duplo vehementiorem. Vide de laudibus diapason Pappum libro de *Consonantiis cap. 6.* Si quid ad rem pertineret, multa hîc de consonantiis & numeris πυθαγορίζειν possem: sed illa tinniunt tantùm, nec quicquam demonstrant. Qui ea re delectatur, adeat Aristidis Quintiliani librum, quem modo laudavimus. In chordis eandem consonantiæ diapason vim observat Baco Verulamius *Sylv. Sylvarum. n. 297.* Disdiapason verò debilius sonum vitri lacessit, quia egredi videtur sphæram consoni corporis, ob angustiores vibrationum periodos. Earum consonantiarum rationes in omnibus corporibus sonoris prolixe demonstravit Dn. de Perrault, libro de Sono *part. 2. c. 11.* Mersennus in tractatu de Tubâ, de re eâdem plenius agit. In arborum sibilis, in caminis, cum aërem virgâ, scuticâ, stringimus, idem observamus. Nam unâ illâ parte adstricta, alterâ libera, secus quam utrinque adstricta corpora, omnes recipere tonos possunt. Imo chordæ, quamvis tensæ, à vago ventorum impulsu, pro uno sono varios edunt. Pertinet huc, quod Isaacus Vossius libro *de Poëmatum cantu p. 109.* observavit: paucitatem foraminum in veterum tibiâ, non obfuisse varietati soni: cum uno foramine pro inspirationis mensurâ, tres reddi potuerint. Quod voci humanæ, præsertim infantibus & iratis, etiam cotingit, ut quando spiritus velocius currit, illicò vox nullis factis gradibus ad diapason, &, si celerrimè fluat, ad disdiapason ascendat. Fallor an hinc octonarius numerus in proverbium perfectionem significans apud Græcos abierit! Πάντα ὀκτώ.

Hæc ante decennium scripseram, cum primum ejus rei experimentum fieri apud Petterum viderem, neque aliter observare tum potui, quam vitrum per diapason fuisse ruptum. Ac mihi certè ipsi in vitro tenuiore res successit. Postea in interpretem Epistolæ meæ Belgicum incidens, deprehendi, dubium apud illum de hoc sono moveri, illumque asserere, non nisi unisono tono rumpi vitrum posse. Ac fateor, mihi ipsi unisono tono ruptum non ita pridem fuisse vitrum. Dispiciendum itaque nunc amplius est, & in rei veritatem inquirendum.

Ac primò quidem noto, non parum difficultatis esse sæpe in vitri tono accuratè definiendo. Solet enim cum primo tono etiam octava sonare, interdum etiam alii toni in vitris impurioris soni. Quibus casibus ὑαλοκλάστης noster tonum eligere superiorem jubebat, & ipse eligebat, vitrum, in quo soni varii erant, fracturus: cujus ego multa specimina vidi. Unde patet, quemadmodum acutior sonus tali casu prævalet in frangendo vitro, etiam octavæ sonum unisono præferendum, ut qui duplo celerioribus & fortioribus vibrationibus movetur. Ut præferendus omnino est, quando sonus cum octavâ miscetur, quod regulariter fieri solet,

ſolet, ut è digiti frictu patet, per quem ſonus facile ad octavam extendi poteſt. Imo vix differre diapaſon ab uniſono videtur, cum ad ſoni augmentum chordis gravibus acutas jungere ſoleamus, unde unus ex utroque compoſitus ad aures perducitur. Et vero falſum eſt, quod aliqui è Mathematicis exiſtimant, ſonum gravem quidem octavam acutam movere, non verò vice versâ acutum octavam gravem. Nam Daniel Bartoli *Tratt. 3. c. 3.* planè contrarium deprehendit, cui acutâ octava pulſata, ſonus chordæ gravis feſtucam validiſſimè dejecit. Sed ipſe tamen potius in illam inclinat ſententiam: quod vitrum potius per uniſonum frangatur, quam per octavam.

Alia quoque difficultas auribus etiam accuratiſſimis in explorando vitri tono imponit. Quia enim ſonus vitri non adeò denſus eſt, ut in campanâ & aliis corporibus, ſed rarior, ob tenuiorem ſubſtantiam. Ideoque ſæpe accidit, ut tonus gravis habeatur, qui reverâ acutus eſt. Qua de re dubitaſſe ſæpe exercitatiſſimos Muſicos obſervavi. An ergo mihi etiam hoc auditus ſphalma, an aliis etiam viris doctis interdum impoſuerit, non temerè dixerim.

Sunt ſane Philoſophi doctiſſimi, inquiſitores rerum naturalium ſagaciſſimi, qui eâ in re priori meæ ſententiæ adſtipulantur. Hamelius *de corpore animato lib. 2. cap. 4.* cum mentionem facit hujus experimenti apud Clarisſimum & maximi nominis virum, Juſtellum identidem inſtituti, rem omnem his verbis proponit: *Primum ad quem velut tonum partes vitri ſint compoſita, ex levi talitro aut digiti percuſſione exploratur: tum vox ipſa huic tono accommodatur, & paulatim augetur, dum ultra diapaſon vel octavam pervenerit: partes vitri inſenſibiles itemtis ictibus percuſſa, tremulo motu agitantur, quin creſcit, cum opportunis plagis feriuntur; adeò, ut impetu aucto tandem diſſiliant.* Obſerves hic, etiam ultra diapaſon extendi ſonum debere, quâ in re ipſum falli certum eſt. Quando & Kircherus de hoc ipſo experimento in Phonurgiâ ſua agit, laudat diſſertationem de hoc experimento mihi nunquam viſam, quæ eandem, de vitro per octavam rupto, ſententiam tuetur. *Prodiit*, inquit, *non ita pridem in Bataviâ opuſculum, cui titulus: de ventricoſa ampulla vitrea rupturâ, ſono vocis cauſatâ, inventore quodam Haſlurgo Opifice vitriario. Et hoc pacto experimentum monſtrat: Explorato prius vitrei vaſis ſ. ampulla ſono per praviam pulſationem, deinde per orificium vitri, vocem ita accommodatam inſonat, ut ad ſonum vitri ſupra διαπασῶν fere exaltet vocem i. e. quaſi paululum ſupra octavam ſeu diapaſon, conſonantiam harmonicam Muſicis notam, in dupla proportione conſiſtentem, ex quo mox conſequitur vitrei vaſis ruptura.* Videmus eadem hic dici, quæ apud Hamelium habentur: ſed ſono ultra diapaſon nihil effici certisſimum eſt. Adduci etiam hanc in-

rem

rem debet experimentum Florentiæ institutum, cujus meminit Daniel Bartoli, *Tract. 3. cap. 8.* quod ipsis ejus verbis hic inseremus: *Prendasi il vero tuon del bicchiero, e su vna gran viola la corda che gli risponde all unisono. Con essa accostatosi, quanto il piu si puo da presso al bicchiero, si suoni coll'archetto ben calcato quella tal corda, ma tenendo senza allentare per quattro, cinque, piu ò meno battute la medesima intensione del medesimo tuono, fino a vedere, e sentire il bicchier fortemente agitato dal tremore che ne haurà conceputo. Allora saltisi subitamente coll'archetto su la corda che rende l'ottava acuta, e suonisi con velocità è buon polso, e incontanente il bicchiero darà lo scoppio, che il mette in pezzi.* id est: *Explora tonum scyphi verum, & stringe chordam violini majoris, quæ ipsi tono respondet. Admove chordam scypho, quoad fieri potest, & per quatuor, quinque plus minus, plausus Musicos, stringe arcu fortiter chordam, usque dum valide consonet vitrum: tum è vestigio arcu stringe chordam, octavâ acutâ sonantem, & velocissimè sonabit vitrum, usque dum rumpatur.* Non vidit ipse Daniel Bartoli hujus experimenti successum, quod sanè & mihi mirum videtur. Minoris enim violini chordis vitrum ad sonum commotum nunquam observare potui. Sed multæ sunt experimentorum minutæ περιστάσεις, quæ non rectè observatæ dubiam reddunt experientiam. Ideoque suo loco rem illam relinquo. Existimat idem Daniel Bartoli, multum hic in voce situm esse, ut robustioribus faucibus etiam octavâ & quintâ rumpatur vitrum, cum ordinariè unisono frangatur. Affert & idem relationem de Caupone illo Amstelodamensi, quam Florentiâ acceperat; quæ ita se habet: *Tempembat Caupo vocem ad scyphum in unisono, quem manu fortiter tenebat: Hanc vocem, cum per aliquod temporis spatium continuasset, uno tractu vel in superiorem vel inferiorem sonum commutabat, & in hac mutatione frangebatur vitrum. Non succedebat autem illa semper mutatione vocis acutæ in gravem, sed gravis in acutam conversione, ac præcipuè, quando uno tractu saltum faciebat ad octavam.* Hæc respondent aliquâ ex parte superioribus: quæ tamen ego falsa esse αὐτόπτης testis profiteri possum. Cæterum prolixe ille & ingeniosissime in rationes verosimiles inquirit: quare è subjunctione octavæ post unisonum rumpi vitrum possit, quarum summa hæc est: vitrum ab unisono simplicibus vibrationibus primùm motum, insequente octava pene eodem tempore ad motum alium impelli, & quoniam duobus obsequi motibus non possit, rumpi. Si res ita se haberet, dicerem potius, ideo frangi vitrum, quod per unisonum emotæ semel particulæ, acuto sono, duplo intensiori, acutioreque compressione, ad fracturam usque moveantur. Verum Daniel Bartoli potius ad illam sententiam de vitro per unisonum rupto inclinat: in octavâ autem ex accidenti tantum fracturam contingere existimat. Nos in hoc divortio experimentorum & sententiarum constituti

stituti ad unisonum potius, quam ad octavam nunc propendemus, postquam δευτέραι φροντίδες prioribus accesserunt: ita tamen, ut per octavam eundem etiam effectum δευτέρως obtineri posse existimemus.

CAP. X.

Quâ ratione vitri partes à sono homogeneo moveantur. Res omnis ab impulsu & motu procedit. Tracheæ vis in voce emittenda. Omnium instrumentorum sonos æmulatur. Ejus memorabile exemplum. Mirabilis est & ingenio humano inexplicabilis vocis humanæ & animalium varietas. Pulchritudo corporis è voce à Cæco dijudicata. Fistularum varietas mira apud antiquos. A laxitate tracheæ gravitas soni. Trachea leonis & vituli. Annulorum tracheæ adductio. Tubi cochleati sonum vehementer augent. Qualis vocis humanæ impulsus. In illo solo non consistit causa vitrum frangens. Vitra non consonant omnibus tonis. Pororum vitri cum motu aerearum particularum configuratio accedere ad impetum debet. Ejus in omni sono necessitas. Probatur suffragio R. Boilii, exemplo fulgurationis. Motus configurativus, pertransitivus, politicus, Verulamii. Necessariò in rerum naturâ admittendi. Vox nihil aliud, quam aër certo modo figuratus, è sententia Epicuri & Aristotelis. Illustratur exemplo turbinis. Democriti quænam sententia? In vitro moventur per frictum particulæ crassiores, ut odorem gravem spargant. Subtiliores per aëris affrictum proportionatum moveri possunt. Particulæ quædam moventur in corpore, quiescentibus reliquis vel reluctantibus. Illustratur exemplo Cylindri Orbicularis. Applicatur ad motum partium in vitro. Quia ab externo aëre non procedit sonus, necessario provenit ab interno. Internus excitari non potest, nisi per configurationem meatuum & particularum. Particulæ aereæ vel ætbereæ primò moventur: hinc reliquæ. Proportiones sonorum in naturâ radicatæ. Experimentum singulare. Eædem proportiones in vitro sunt. Configuratio partium è proportione corporum sonororum amplius ostenditur. Variis experimentis doctrina hæc illustratur. Vis soni singularis & mirifica in humore Tarantulæ movendo.

ACcedimus jam propius ad illum operandi modum, quo vitrum voce movetur. Quâ ratione vero nodum hunc expeditum dabimus? Obscura enim ista sunt, & ut sensum, ita intellectum fugiunt. Id tamen apparet, corpuscula undularum aërearum voce propulsatarum hoc præcipuè in sono poris vitri esse configurata, ut eos subeant; in reliquis tonis non ita. Ab impulsu enim & motu rem omnem procedere satis quidem patet: eum verò in singulis sonis definire, vix humanæ est industriæ opus.

Qui cum ab asperâ arteriâ formentur, ejus quoque compositio consideranda est. Illa omnium ferè instrumentorum soni vicem gerit: nam vibratur & tenditur instar chordæ, ut tremulum illum motum & visu & tactu deprehendere possimus, ac fistulam quoque imitatur. Quare mirum non est, fuisse, qui beneficio hujus tracheæ omnium instrumentorum sonos exprimere potuerunt, ut ejus exemplum notavit de la Cerda. *comm. in Eclog. 1. Virgilii*, quod hic adducere non gravabor. *Novi juvenem Hispanum in regia Philippi Regis magni, prodigio similem, qui cum nullas sciret literas, neque prima ipsa Musices elementa, tamen suavissime modulabatur, & ore ipso exprimebat voces omnes omnium instrumentorum, avena, tibia buccina, classici, cornuum, organorum: adhac sclopetorum sibila, æris tinnitus, bombos omnes. Dicebat verò, in vita pastorali usum se tantum magisterio rupium, & arborum, cum in eas ventus ingruit, atque edit varia murmura, strepitus, sonores, raucedinem, mugitum. Tum etiam attendisse ruentium fluminum catarrectis, & fragoribus, & inde excepisse quicquid sciret, non aliunde. Si quis audiret duntaxat, neque videret, putaret se mera instrumenta, non humanam vocem audire.* Refert & Pontan. *Att. Bell. p. 653.* novisse se idiotam quendam, qui organi cantus vario flexu vocis & linguæ referret: & Dn. de Perrault exemplum affert alicujus, qui solo ore tubæ sonitum imitari potuerit.

Constat vero trachea innumeris annulis cartilagineis, quibus aër per spiras evolvitur, majores, cum gravior sonus est; breviores, cum acutus est: tum enim trachea tenditur, & ob minorem tubi cavitatem minoribus spiris aërem emittit. Hinc crebriores & fortiores sunt vibrationes, quam ubi in trachea remissa spiris majoribus decurrit aer. Spirales enim aëris in fistulis & tubis motus esse è tubis vitreis, si paululum aquæ immiseris, deprehendas. Eosdem enim motus in aquâ observabis. Non potest vero humano ingenio satis exprimi mirabilis illa vocis formatio, cujus pene infinitæ sunt in variis tum hominum, tum cæterorum animalium tracheis modificationes, quarum rationes qui demonstraturus sit, (mathematicis autem legibus illæ constant) næ is homine mihi major habebitur. Exercuerunt hic, præter Anatomicos, ingenium suum Kircherus in Musurgia, *lib. 1.* Dn. de Perrault. *lib. de sono part. 2. cap. 12.* ac plures alii. Sed parum illa ad hujus rei indagationem occultiorem faciunt. Quis unius hominis explicet vocem, cujus alia est in singulis modificatio. Ut enim vultuum, ita vocis est diversitas. Ipsa denique, quomodo per loquelam, affectus varios, in singulis minutiis varietur, quis unquam explicabit? Imo quod mirum, adeo conformationem omnium partium consequitur vocis ratio: ut fuerint cæci, qui cum hominem non viderent, è vocis tamen sono, prout ille vel ferocior, vel modestior, vel asperior, vel svavior, de pulchritudine & formâ ejus accuratum formarint judicium. Vocis

cis sono percellimus, solamur, blandimur, persuademus, & mille aliis modis eum ad varios usus determinamus. Hinc factum credo, ut naturam æmulantes antiqui, instrumenta pneumatica, proximè ad tracheæ formationem accedentia, præ cæteris excolerent. Ac mirum sanè est, tot fistularum fuisse antiquis formas, nostris hodie Musicis ignoratas, quibus illi ad varios modos & affectus feliciter usi fuerunt. Minimè enim promiscuus eorum fuit usus, ut *nunc* est, cum *nullum instrumentorum delectum instituimus, sed ad omnes modos omnia indistinctè adhibemus.* Diligentissimus in tibiarum recensione & eplicatione fuit Casparus Bartholinus, Patris Celeberrimi Filius Clarissimus, in erudita de Tibiis commentatione: ubi triginta pene earum species, distinctosque usus proponi videas.

A tracheæ hujus laxitate & longitudine gravitas soni est: quam singularem notarunt, qui Parisiis cadaver leonis secuerunt. Nam in ejus trachea annuli omnes fuerunt integri, præter unum aut alterum laryngis annulum, cui 2 linearum latitudo ad 4 digitorum circuitum integrum vix defuit. Ex laryngis rimula gravitas & acumen vocis quoque dependere creditur: unde sunt, qui vituli graviorem, quam bovis boatum, ex hâc causâ deducunt, quod illa vitulis, quam bovibus laxior. Ipsa quoque oris & palati conformatio multum ad gravem vocem confert. Verosimile quoque est, illos tracheæ annulos à nervis recurrentibus adduci, aut diduci, ut spiritus erumpens sono certo tendatur: cum iis rescissis animalia sonum amplius non edant. Sunt quoque qui annulos illos existimant esse velut totidem follium plicas, quæ diduci debent illâ inspiratione. Hæc adductio annulorum ad augmentum soni maximè facit. Unde & tubi illi, qui ad formam illam quadamtenus accedunt, præ cæteris sunt sonori. Quorum circuli si ad modum tracheæ adduci & remitti possent, etiam variatio sonorum pro libitu dari posset. Talium tuborum cochleatorum varias formas Kircherus in Phonurgiâ suâ exhibuit.

Quando itaque vox protruditur, necessario trachea per annulos suo modo tenditur, & ipse spiritus inde expulsus, non modo certo impetu fertur, sed & minima ejus, pro tracheæ vibrationibus, quas manu pectori impositâ sentimus, & annulorum dilatatione, motibus à primo illo diversis, agitantur. Totus ergo cylindrus ille aëreus ex ore procedens & vitro impactus, quasi sagitta à nervo percussa fertur, moturus aliud quoddam corpus similiter tensum, vel plenâ inter impellens & corpus tensum proportione, vel pro partibus commensurabilibus divisâ. An ergo impetus iste aëris tensioni particularum in vitro respondet, easque movere aptus est? Daniel Bartoli causam adæquatam in solo impetu & vigore soni reponit. Sed cur idem in cæteris tonis etiam acutioribus non evenit, in quibus impetus fortior

tior eſt? Quod fieri omnino deberet, ſi in ſolo impetu res conſiſteret. Teſtatur quidem Dan. Bartoli *Tract. 3. c. 4.* ad quemcunque ſonum ſibi reſpondiſſe vitrum. Putat itaque non è tremore harmonico, ſed ſolâ percuſſione moveri vitrum. At ego teſtari poſſum mihi ad diſſonos tonos etiam fortiſſimos nunquam ſonuiſſe vitrum, niſi cum uno circiter tono à vitri tonô abeſſem, aut in conſonantias inciderem; tum enim obſcurum aliquem ſonum deprehendere mihi viſus ſum, & nonnunquam in vitris miſti toni, ille conſonare audiebatur, in quem forte fortuna vox incidebat.

Aliam itaque cauſam præter impetum ſubeſſe, vel illi jungi oportet. Debet figura pororum in vitro ratione ſoni eſſe diverſa, quam forte ab inſufflatione artificis, aut aliunde acquirit. A majore enim vel minore compactione ſonus variat. Debent porro & ipſæ particulæ per vocem extruſæ ita eſſe comparatæ, ut pro ratione tonorum variè figurentur, quæque hoc tono ſubeunt poros vitri moventque ejus particulas; aliis tonis nec ſubeant nec moveant. Cumque duplex ſit in aëre illo externo motus, vibratorius à tremore tracheæ procedens, & ſpiralis ab annulis iſtis cartilagineis, ab illo ingreſſus in poros, ab hoc impetus derivari forte poterit. Nam ſanè quicquid alii etiam dixerint, veriſſimum eſt, è celeritate, modificatione, & configuratione minimorum rem omnem illam pendere. Pulcherrima eſt Viri illuſtris Boilii ſuper hoc argumento diſſertatio in libello *de inſigni efficacia effluviorum, c. 4.* Unde aliqua excerpam, cum mirifice rem noſtram illuſtrent: *Quemadmodum,* inquit ille, *motus celeritas vim conciliare poteſt corporum emanationibus; ita aliæ eſſe poſſunt modificationes motus, quæ non parum conferre eodem poſſunt, nec prorſus hoc loco ſunt negligendæ. Ut enim majora corpora ſecundum has illaſve modificationes operari videmus, multumque intereſt inter effectum ejusdem teli vel jaculi, ita conjecti, ut ejus mucro ſemper antrorſum vergat, ac rurſus ita vibrati, ut durante motu ejus progreſſivo, extremitates circum gravitatis centrum internaſve quaſdam partes volvantur, ut tùm fit, cum pueri bacillos jaciunt, ad fructus ex arboribus decutiendos; ſic minimè dubitandum eſt, in ipſis corpuſculis perinde non eſſe quoad ipſorum effectus, utrum cum rotatione, an citra eam moveantur, ac utrum tali vel tali linea, an cum vel ſine undulatione, tremore, talive conſecutione; &, ut verbo dicam, utrum motus talem vel talem habeat modificationem particularem; quæ quantum variare effectus motorum corporum queat, ex motibus illis apparet, qui in aëreis particulis ab inſtrumentis Muſicis efficiuntur.* Hæc Inquiſitor ille naturæ maximus, cujus ſi tractatum, quem illic allegat, de Harmonicorum ſonorum viribus, haberemus, multa doceri forte poteramus, quæ ad noſtrum hoc argumentum ſpectant. Quod ſi & alterum ejus tractatum, quem de Poris corporum & figuris corpuſculorum, ab ipſo c. 5. ejusdem libri citatum videre licuiſſet, multa & inde ad

illuſtra-

illuſtrationem hujus rei depromi poterant. In illo enim de relatione inter corpuſculorum figuras & craſſiorum corporum poros ex profeſſo agit: cum illo *cap. 5.* paucula tantum ejus argumenti attingit, nimirum effectus fulgurationum, quæ partim ad celeritatem & modum appulſus, partim verò ad diſtinctas figuras, & magnitudines corpuſculorum deſtructivam materiam componentium, nec non ad peculiares relationes inter illius naturæ particulas, ac eorum, quæ invadunt corporum ſtructuram referri poſſe videntur. Qualem configurationem etiam in ſonis eorumque effectibus, ac longè ſubtiliorem eſſe, res ipſa clamat. Duobus itaque motibus illis, quos Verulamius in Anglico illo tractatu poſtumo de variis motionum generibus, configurativum & pertranſitivum vocat, quosque in naturâ inquiſitu difficillimos eſſe ait, effectus ille determinatur. Quibus accedit tertius ille motus, quem Politicum & prædominantem vocat: quo alii motus ſubordinati diriguntur, ut ſæpe fit in vitris, cum ſuperior tonus inferiores etiam ad motum per contiguitatem impellit, ſi æque validus ſit, vel altero validior: nam ſi debilior ſit, exiguo quodam tractu contentus, ſeorſim ſonat tono ſimili provocatus: quod ego ſæpiſſime in vitris obſervavi: Verulamius eleganter ait: videri effectum talem *ἀναίτιον*, qui reverâ non ſit: & extaſi quâdam animum corripi, ubi in rerum illarum inquiſitionem deſcendit; quæ videntur potius ſecundum experientiam, quam ſecundum cauſas examinanda. Sunt quidem, inquit ille, multa in rerum naturâ ultimatò *ἀναίτια*: inter illa tamen referri talia non poſſunt. Exiſtimamus enim certum eſſe conſenſum & harmoniam partium in univerſo, cujus obſervatio nulla inſtituta eſt. Et huic ille cauſæ ex parte motus magneticos adſcribit, juncto tamen altero motu pertranſitivo, quo corporis minima apta ſunt alterius corporis poros pervadere. Videmus à ſolertiſſimo viro eadem animi cogitata præcepta, quæ poſtea Boilius clariore luce illuſtravit. Sunt vero in hoc negotio illa pro ſolo quodam & fundo huic diſquiſitioni ſubſternenda, nec inter Chimærica ingeniorum phantaſmata referenda.

Ut ad rem noſtram illa, quæ diximus, accommodemus, certiſſimum eſt, vocem emiſſam certo modo figurari, & ab illo motu & modificatione indolem nanciſci à reliquo aëris corpore diverſam, quod vel è repercuſſione patet. Id antiquiſſimi Philoſophi jam dudum notarunt, nam & Pythagoras primus ille Harmonicorum ſonorum & acerrimus indagator: vocem eſſe ait aërem certo modo figuratum. Τὸ χῆμα, *Figura*, (è Pythagoræ ſetentiâ refert Plutarch. 4. de Placit.) *quæ in aëre ejusque ſuperficie fit certo ex ictu* (κτ̃ ποιὰν, πλῆξιν) *evadit vox*, a quâ doctrina nec Ariſtoteles diſcedit. Epicurus profundius rem hanc rimatur, cum ait. τῦτο ῥεῦμα ἐις ὁμοιοσχήμονα θρύπτεσθαι θραύσματα. *Hunc fluxum aëris in fruſtula ſimilis figuræ*

comminui. Quod ad sensum è forticibus & turbinibus illis, qui æstatis tempore nonnunquam oriri solent, demonstratur, certum enim aëris tractum in vertiginem commovent, omnibus aëris particulis, à primo impulsus principio usque ad terram, & pulvere aliisque corpusculis facile mobilibus per eosdem gyros contortis. Differt verò Epicuri sententia hâc in re à Democrito. Epicurus existimat, voce ab ore emissâ, primitivam illam vocis effluentis texturam confringi in complures minores texturas, illas iterum in alias sed ad huc minores, Prototypo illi formâ per gradus imminuta, sed æquali tamen respondentes. Democritus vero putat, sonum extendi perpropagationem: sono enim in myriades minutorum fragmentorum confracto, quodlibet fragmentum contiguum sibi aërem in texturas, Prototypo respondentes; & illas eo modo formare deinceps contiguas ait. Quæ nos suo loco relinquimus. Nemo enim si vel tam acutùm viderit, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, horum motuum figuras determinabit. Ex effectu tamen ipso sentimus, necessario dari debere certas aëris moti figuras, quæ impulsu certo in objectum ferantur.

Porro & Vitro suos esse meatus, inque illis particulas facile mobiles, prolixè à nobis supra demonstratum est. Scilicet, ut Verulamus in modo laudato tractatu ait; *in corporibus naturalibus nulla est vera & absoluta quies, vel totius, vel partium ratione, nisi apparenter*, id Boilius singulari de absoluta corporum quiete libro, ac in alio de atmosphæris corporum, ulterius explicuit. Illic enim *pag. 22.* de vitro agens, ostendit è frictu vitri mutuo, se non modo odorem sensibilem, sed adeò quandoque gravem, ut offenderet, deprehendisse. Patet & hoc ex eo, si ceræ sigillatoriæ incensæ guttulæ super vitrum stillent; illas pene arctius illi, quam ipsi ligno inhærere. Particulæ enim viscidæ hujus ceræ valide per ignem motæ viscidas illas vitri partes, quæ aliàs emoveri possunt, hoc in loco evocant, atque iis arctius se uniunt, quam in metallis similibusque corporibus, licet minus politis. Atque hinc ex illo affrictu electricitas vitro quoque conferri potest. Quando itaque vitri partes viscidiores per frictum moveri & expelli ex ipso vitro possunt, ut secum rapiant corpuscula exilia. Quidni subtiliores particulæ per affrictum vel pulsum aëris in sono è vitro excitari possint?

Posse verò corpuscula certa moveri in aliquo corpore, vel quiescentibus reliquis, vel contranitentibus, negari non debet: nam cum in corpore composito coagmententur variæ figuræ corpuscula, prout illa locantur & texuntur inter se diversis modis, capacitas ad certas motiones & commotiones illis simul intexitur. Non itaque semper æqualiter recipiuntur pulsus, sive ab aëre illi, sive ab alio corpore infligantur: particulis enim inæqualiter positis, illi quasi discerpuntur, neque tam latè se extendunt, quem-

quemadmodum fit in corporibus, quæ *πεπὰ* vocantur, minusque ſonant. At in iis, quæ ſonora ſunt, ut vitrum, reſiſtentia eſt partium, ſed ceſſioni quaſi miſta. Gaudent enim elatere ſuo particulæ, ſive illæ aeriæ vel æthereæ ſint, ſive ipſius corporis integri. Quæ nulla ſui parte cedere poſſunt & æqualiter reſiſtunt, minus ſonora ſunt, neque rumpi tam facile poſſunt. Quare Marcus Marci alicubi obſervat; ſaxa illa, quæ ſurda vocantur, ac minus ſonant, ad ſuſtinendum tormentorum impetum in muris eſſe aptiora. Videmus in Cylindro, è laterculis, quibus ludi ſolet, coagmentato, quem volumus orbiculum poſſe è medio illorum exturbari, reliquis iterum coeuntibus, ſi globulo aliquo è tubo pneumatico expulſo, rectâ & celerrima percusſione feriatur. Sed cum obliqui ictus aut lentiores ſunt, plaga non tota infligitur, ſed latere uno tantum ſtringetur. Ideoque aliâ ratione movebuntur laterculi. Orbiculi quoque metallici pro ratione impulſus vario modo ab aliis orbiculis moventur. In quibus gravitas etiam motum determinat. Gravitas enim orbiculorum major, quam in ligneis, gravitatem aliam externam & velocitatem deſiderat, ut quo velimus modo, moveatur. Nam rudi hoc exemplo, quod profundisſimas in Matheſi ſpeculationes admittit, (ut eas maximo ingenio Marcus Marci in libro de *proportione motus* propoſuit, eo ſcil. capite, quo de proportione motus orbiculorum tam ad ſe, quam ad motum orbiculi contigui, à quo impelluntur, agit) etiam minimorum motus, ob oculos poni poſſunt. Ut enim Cylindrus ex orbiculis componitur, ita è variis particulis corpus. Ut gravitas orbiculorum mutua motus determinat, ſi impellens vel æquale, vel levius, vel gravius eſt: ita & in particulis corpus quoddam conſtituentibus gravitas quædam mobilis eſt, è tenſione procedens, à particulis aëris pro ratione incidentiæ & pulſus, vel leviter, vel fortiter mota.

Tales motus per ſonum homogeneum in vitro fieri dubium nullum eſt. Moto enim aëre per vocem, ubi ſonus diſſonat à vitri tono, nihil movetur vitrum, vel parum admodum, nunquam tamen ita, ut rumpi eo ſono posſit vitrum. Nam debilis vox conſona ſonare vitrum facit; disſona, etiam fortisſima, non movet vitrum. Ideoque cum tonus ab externo non incutiatur, (ſimiliter enim tum omnibus tonis fieret) ſed intrinſecus vellicentur particulæ, ille motus per meatus vitri, circulis aëreis configuratos, transfundi debet. In diſſonis vero tonis aëriæ particulæ forte obliquioribus ictibus motæ, per ſuperficiem devolvuntur: ut alias fieri ſolet in ſuperficie convexâ. Nam quemadmodum ſonus in cavis circularibus majorem vim acquirit; ita in convexis eandem perdit, reflexis lineis, & in alias partes disſipatis: niſi via quædam aëriis particulis configurata, impres-

ſionem

sionem motuum admittat, quod fit in tono consono. Aër autem ubi fortiter comprimitur, ut fit in sono, teste Verulamio, æquat durum corpus.

An vero vitri partes primariò, an aëriæ vel æthereæ moveanturt, dubitari possit. Ac verosimile est, primo partes aëreas, vel potius æthereas, consequenter verò cæteras moveri, ut & supra diximus. Nervi enim moti aut vocis emissæ sonus non est continuum quiddam, sed è motibus discretis conflatus: ita aër non externus tantum, sed & internus unicuique rei præsens ad soni rationem movetur: ita, ut si soni fuerint in proportione dupla, aëri eandem proportionem imprimant, & sic deinceps. Atque illa proportio quasi æternis legibus in natura fundata est, adeò ut Kircherus observarit, foraminibus circularibus, proportione harmonica ampliatis, in pariete chartaceo, ita tamen, ut chartæ circulares non plane exsecentur, sed aliqua parte cohæreant, immissum ventum ipso stridore suo consonantiarum tonos exprimere. In tubâ id quoque videmus, in quâ toni non nisi harmonicè crescunt. Spiritus enim intensio & proportio ordinem naturæ in numeris & sonis sequitur, ipsaque illa aëris concitatio tensorum corporum proportiones in consonantiis sequitur; quod in ventorum pulsibus ipsis observare possumus, cujus impetus intra diapason crescere videtur, quod vel ex eo apparet, cum in chordas tensas, rudentes navium, arborum ramos incidit. Quare & vitris, pro ratione vel capacitatis vel compactionis, ex tensione illa proportio quasi ingenita est, ut hodie campanæ secundum omnes tonos certâ mensura per artifices formari possunt. Hinc ad vocem, quæ est quasi cylindrus aëreus, instar chordæ tensus, vibrans, & cum impulsu motus, si æqualiter premat, aëreæ particulæ, quas Verulamius spiritus corporum sonoros vocat, ad eosdem modulos subsultant, emoventur, & vicinas sibi partes corporis movent, comprimunt & dilatant. Consonat huic nostræ sententiæ Verulamius *Sylv. Sylv. Cent. 2. num. 149.* cum ait: *Soni per corporis lævis superficiem non solum devolvuntur, sed communicantur quoque spiritibus poros corporis insidentibus.*

Rem non aliter se habere vulgaribus etiam experimentis discimus. An non videmus trabem, sedilia, asseres certo sono moveri, reliquis quiescere? Quid causæ? nulla alia, nisi ex aditu particulis moventibus dato. Ita Galilæus in tabulato testudinis, setulas non omnibus, sed certis quibusdam tonis saltantes vidit, quod lignum aliquibus partibus moveretur, quibusdam quiesceret. Ipsa denique corporum sonororum proportio mutua id testatur. Chordæ ex intestinis ovium confectæ, licet unisonæ, debiliter admodum movent chordas metallicas. Chordæ metallicæ, pro variis suis speciebus, etiam dispares motus habent, quos ad certum canonem reducere aliqui laborant. Nam argenti & æris præ auro major est pro sono reci-

piendo

piendo capacitas: quamquam Verulamius. *Sylv. Sylv. Cent. 3. n. 222.* asserat: expertum se esse egregium aurei tintinnabuli sonum, vel argenteo, & æreo præferendum. Quod nulla alia ratione fit, quam quod his laxiores, aliis strictiores sint meatus, nec aërei pulsus se insinuare æqualiter possint. Ita quoque corpora secundum lineam tensa, sui generis sonora fortius movent, quam illa, quæ secundum superficiem & soliditatem tensa sunt. Corpora autem sonora, secundum soliditatem tensa, cætera efficacius movent, habitâ tamen ratione magnitudinis, densitatis & figuræ. Qualis proportionis experimenta ut diligentissimè instituantur, suadet Verulamius loco laudato *num. 280.* Ejusdem rei luculentissimum specimen apud Danielem Bartoli *Tratt. 3. cap. 4. pag. 137.* reperitur, qui ad varietatem sonorum, varias in scyphis aquâ impletis undulationes, è tremore vitri provenientes, observavit: ut vel inde pateat, aliter particulas aliterque pro tonis configurari, seque insinuare corporibus. Memorabile & hoc exemplum est, meatuum certos positus vel adjumento, vel impedimento esse motibus sonoris tremulis, quod idem Daniel Bartoli *Tratt. 4. cap. 6. pag. 275.* producit, de Testudine, quæ integra stupidum plane & obtusum sonum ederet, per indignationem autem confracta, & per partes conglutinata, incomparabilem sonum nacta fuerit. Sunt & qui è sono metalli accuratissimè de ejus misturâ judicant. Motu particularum jam tum in corpore existente, citius illa per sonum moveri possunt. Ita verosimile putat Kircherus, vitrum calefactum citius sono rumpi posse, quam frigidum: & ego longè celeriorem motum aquæ calidæ in vitro sonante deprehendi, quam frigidæ. Summum denique & admirabile naturæ arcanum in tarantulis, & iis, qui ab iis punguntur, est. Nam non tarantulæ tantum, sed & ipsi, in quos eorum humor transfusus est, à certo sono moventur, argumento evidentissimo, configurationem miram esse partium in aëre moto cum humoribus hujus insecti. Nullum sane subjectum in tota rerum natura est, in quo magis illa lucis & soni subtilissima modificatio, & configuratio innotescat, multò accuratiore, quam hactenus factum est, inquisitione dignum. Ut lucis simius est sonus, & utriusque radii pene similes motus admittunt: ita in hoc insecto utriusque modificationes conjunctas cernimus.

CAP. XI.

Superioris argumenti ulterior contemplatio. Roberti Hoockii singularis circa convenientiam pororum industria. Omnia corpora componuntur è fluidis vel solidis. Utraq; non unius generis. Solidorum & fluidorum varia configuratio, secundum condi-

conditionem corporum è tubulis vitreis demonstrata. Quomodo solida in fluidi naturam converti videantur, arenæ exemplo probatur. Fusio procedit ab æquali motu partium ignis & ipsius corporis fusibilis. Motus naturales corporum appositè cum chordarum unisonarum simili motu comporari possunt. Ut chordæ unisonæ triplici ratione tales: ita corporum particulæ triplici ratione conveniunt, certo respectu discrepant. P. Cherubini liber de vi contiguitatis laudatur. In vitro per tonum consonum moto eadem convenientia pororum & motus concedenda. Quæ in corporibus eorumque minimis partibus attendenda. Motus subtilissima contemplatio. Rich. Suisseti Calculatoris in hoc argumento quondam singularis industria. Ludovici Vivis & Joh. Pici de eo judicium.

VIdimus superiore capite, quæ sit vis configurationis in partibus corporum, in cujus stupendis effectibus inquirendis operosiores fuimus: neque argumentum hoc etiamnum dimittere possumus. Non omittemus ergo hic, quæ ingeniosissimus Hoockius & verè Lynceus minimorum venator, de eo commentatus est: quo nemo plenius & ad sensus accommodatius hanc doctrinam proposuit. Quid non ille Observatione Micrographiæ suæ sexta tentavit, ut admirabilem hujus convenientiæ & contiguitatis vim in corporibus ostenderet? Nam à majoribus ad minima, & ab his ad illa procedens, exemplorum analogismo, varia naturæ phænomena illustrat. Scilicet omnia corpora vel fluida sunt inter se, vel homogenea, vel heterogenea: vel solida fluidis, vel uni, vel pluribus mista. Eorum partes inter se cohærent, quatenus vel solidi fluidum includentis, vel fluidi solidum includentis superficies inter se respondent, seque in figuras vel exactè rotundas, vel ellipticas, ac oblongas, pro ratione gravitatis, ac pressionis similis vel dissimilis, coarctant. Illud in tubulis vitreis pene capillaris subtilitatis, & aliis semper sibi quantitate succedentibus accuratissime observavit, varios illis liquores & argentum etiam vivum infundendo. Quorum superficies & adscensus varii fuerunt, idque ratione convenientiæ, quam cum vitro habuerunt. Sic notavit ille majorem aquæ, quam aëris cum vitri superficie convenientiam, & hujus majorem, quam argenti vivi. Superficies enim aquæ in vitro superior cava, argenti vivi eam ob causam convexa. Aquæ autem cum vitro convenientia major inde patet, quod radii per vitrum in aërem immissi magis refringantur, quam qui è vitro in aquam incidunt. Ex quâ causâ, ut supra diximus, liquor transire interdum vitrum potest, cum aër non possit. Ita videmus in tubo vitreo aquam, aërem, & Mercurium inter se diversæ figuræ superficiebus discontinuatos, ac Mercurium reciproco inter aquam & aërem motu agitari. Quod itaque in his tubis fieri videmus, id in corporibus, quæ è solido & fluido com-

componuntur, fieri verosimile est. Imo & ipsa solida quodammodo fluidi naturam exhibent, ut in arenâ subtilissima videmus, cujus cumulus eas particularum inclinationes habet, ut una parte mota alia moveatur, gravia in illis subsidant, levia etiam depressa emergant, illæque viâ factâ, ut in clepsammidio, liquoris instar effluant: cum seorsim positæ majores partes quiescant, nec moveantur. Hunc quasi fluorem præterea ostendunt tempestates illæ arenariæ, quæ in Arabiâ desertâ viatores sæpe suffocant. Videmus itaque rudem illam & crassam corporum arenaceorum convenientiam aliam huic particularum systemati indolem tribuere. Quare longe subtilior in corporibus subtilioribus illa concipienda est: ut in fusione corporum per ignem: Motus enim particularum ignearum agit ob convenientiam & æqualitatem in corpuscula sibi æqualia, & suâ vibratione ad similem vibrationem, & motum subsultorium disponit, expulsis heterogeneis particulis vel celerius motis per fumum, vel refrectariis in scoriis separando. Hæc cum attentissima contemplatione consideraret Hoockius (nam ex ejus mente, nostris tamen quibusdam intermista illa proponimus) non potuit convenientiore analogismo, quam motu chordarum æquisonarum mutuo, rem omnem illustrare. Particulæ similares, ait ille, comparantur totidem chordis æqualiter tensis, quæ Harmoniæ unisonæ inter se vibrationibus colliduntur. Dissimilares verò particulæ, quamvis cæterarum motus inter se proportionalis etiam alias dissimiliter vibratas moveat, expelluntur tandem continuâ obluctatione, cum cæteræ similares æqualibus vibrationibus inter se arctius coeunt. Quemadmodum verò unisonæ chordæ dari, ac inter se moveri possunt, (1) si duæ chordæ æquè crassæ & longæ æqualiter tendantur, (2) si sint æqualiter crassæ, sed inæquali longitudine & tensione, (3) si crassitudine & longitudine conveniant, differant tensione, vel longitudine sola æquentur, crassitie & tensione discordent: ita quædam est miscibilium heterogeneorum proportio, aliqua saltem parte conveniens, cum cæteris discrepet, secundum materiam, figuram, & molem: quarum variatione infinitæ in corporibus oriri dispositiones possunt, quæ uno tamen vibratorio motu comprehenduntur. Ex hâc convenientia particularum in motu vibratorio omnem explicat electricitatis & magnetismi rationem. Dato enim motu duorum corporum vibratorio, æquali & conveniente, discussis statim particulis fluidis intermediis, liberiore motu & arctiore se implicant, usque dum vibrationibus è propinquo fortius semper agentibus accessio, & quasi conglutinatio corporum fiat. Hæc sententia etiam experimento illo Danielis Bartoli de scypho pendulo per sonum unisonum ad labra attractô, cujus supra meminimus, illustrari posset. Cæterum doctrina illa de vi contiguitatis & effectus ex unione, & cohærentiâ partium resultan-

sultantibus, prolixius singulari libro Gallico à P. Cherubino d' Orleans scripto, cui titulus: *Effets de la force, de la contiguité des corps*, deducitur; Cujus tamen sententia in eo displicet, quod omnem aëris gravationem evertere laboret, quæ rejicienda non videtur.

Hæc prolixius eam ob causam adducere volui, ut ostenderem, non ingenii chimærica hæc commenta esse, ut quibusdam videtur, sed in corporibus funditus radicari. Fateor, quæ Hoockius de analogismo chordarum per sonum motarum, cum particulis mistorum motis, disserit, jamdudum mihi incidisse: & nunc sanè jucundum hoc mihi est, cum eadem illa cogitata acutissimis hujus Viri meditationibus confirmari videam. Nemo itaque opinor negabit, eandem posse esse convenientiam pulsus & motus in aëris, vel ætheris particulis; eam denique figuram & formam, ut vitri interiora tono consono perrumpant, imprimis si aëre, ut verosimile est, discusso, solæ æthereæ particulæ agant: particulæ enim crassiores, quasi tincturæ salium terrestrium, in hoc fluido terræ circumposito, quasi solutorum, quæ systema hoc aëreum constituunt, ut heterogenea, quasi per præcipitationis quandam speciem, excuti videntur, in illis corporum motibus internis & tremulis, ut sunt sonori, ut de libertate ætheris per vitri poros transeuntis dubitari minime possit, quos vel ab aquâ calidâ, ut supra demonstravimus, distendi videmus, ut alabastri moles per coctionem cum aquâ, distentis poris, augetur. Nam si simul considerantur, quæ in corporibus etiam minutis considerari debent, (eadem enim majorum & minimorum ratio est,) ut *Figura*, tum ratione superficiei, totius & partium, sphærica, plana, elliptica, cylindrica, pyramidalis, vel planè irregularis & mista: *Situs* partium, erectus, inclinatus, horizontalis, &c. *Ordo*, quo certis tractibus, vel partibus locantur corpuscula: *Modificatio*, quâ inter se vel sociantur, vel distant: *Pori*, quibus interstitia inter particulas certis modis determinantur: *Emanatio*, quâ excluduntur & expelluntur quædam corpuscula mobilia: *Mixtio*, quâ corpuscula primò concrescunt: *Forma*, quâ quantitas modo quasi artificiali diversificatur, ut particulæ quædam trochlearum, vectis, cuneorum, terebrarum instar habeant: denique *Motus*, qui mille modis variari potest: nam vel majori, vel minori celeritate, diversitate graduum, vel uniformiter, vel difformiter, vel rectâ lineâ, vel circulariter, vel elliptice, &c. vel ratione situs & naturæ corporum collidentium, vel motu undulatorio, sive ille solitarius sit, sive alteri progressivo, aut per centra sua rotato junctus; vel ratione pororum, aut juncturæ partium, pro earum angustia, capacitate, parallelismo, ambagibus definitur. Hæc inquam omnia, si simul considerantur: nam sanè levia sunt interdum, quæ totam corporis conditionem immutare pos-

possunt, ut cum charta antea opaca, solo oleo illito redditur perspicua, & similia infinita, nostro instituto applicentur; nemo, ut puto inficias ire poterit, è convenientia aërearum particularum, earumque cum particulis vitri configuratione, tum & ipso motu proportionato hunc effectum provenire. De motu ipso jam supra multa diximus: sed ea est hujus argumenti infinitas, ut exhauriri nullâ ratione possit. Summum illud in natura, cujus attentissima contemplatio in mirificorum & insolitorum effectuum causas nos deducet. Vidit hujus doctrinæ utilitatem jam tum, quod mirere, inter Scholasticos Philosophos, *Richardus Suisset*, cognomento Calculator, quem in cœlum extollit J. C. Scaliger: dicit enim Exerc. 324. *illum excesisse modum humani ingenii*, & in Exercit. 340. *tam acute scripsisse ait, ut à paucis plenè & pro meritis intelligatur, dignum, quem neque senium senem faceret, neque naturæ lex privaret vita.* Fatetur porrò: *huic viro maximo multa se debere, plura debiturum, si per ingenii sui imbecillitatem licuisset.* Quæ invidenda profectò à tanto Viro elogia sunt, ut mirer Johannis Pici, & Ludovici Vivis planè contraria judicia, quorum hic *libr. 5. de caus. corrupt. art.* eum ut summum nugatorem elevat: Ille subtilitates ejus vocat quisquilias Svisseticas, quas de motu uniformi, difformi, uniformiter difformi, difformiter difformi, de infinitè raris aut densis in libro de Reactione proponit: Hæc ut otiosorum hominum inventa, ad exercendum in scholis guttur, ne tacendo obduceretur, ridet Picus: Sed meo judicio, parum cautè, cum illum cæteris Scholasticis longè oculatiorem fuisse pateat: qui has motus differentias mechanico planè & mathematico ingenio, tam subtiliter inquisivit, quorum maximus in singularibus naturæ & artis usus est, quem animi sui sagacitate prævidebat Scaliger, cæteri, qui non adeo ad animum admittebant, aut aliis studiis, quam his occupabantur, strenuè contemnebant. Mirum tamen est, adeo ignotum hujus jam viri nomen esse, ut in nullâ Bibliotheca compareat, de quo Naudæus in dissertatione Gallicâ de instruendâ bibliothecâ *pag. 86.* queritur.

CAP. XII.

ALia in sonis Sympathiæ exempla diligenter inquirenda. Sonus in lignis diversis ejusdem longitudinis & crassitiei diversus. Illa conglutinata unum sonum formant. Experimentum de sono Vasis ligni è variis schidiis compacti. Tonus in illo primarius, & varii particulares. Ad vocis & fistulæ sonos unisonos consonabant. Tremor in ligneis instrumentorum tabulatis secundum certas partes pro ratione tonorum varius. Sympathia sonorum Xylorgani. Scamnorum & mensarum

partes ad certos vocis tonos tremunt. Textura ligni è fibris & poris. Pororum in illo tria genera. Carbones cur magis sonori, quam lignum. Vitri longè alia pororum textura. Illa laxior arctiorque in ipsa formatione certis præparationibus reddi potest. Locus Macrobii explicatus. Pavimentum à frequentibus sonis eversum. Fornicibus periculum est à sonis organorum. Etiam illi concuti & tremere possunt. Lapis ingens, pavimentum vehementer à sono certa fistula in organo concussum. Statua cerea ad sonitum campanæ tremens. Vitri sonus trachea anserina simili sono commotus. Vitra à certo tympanorum pulsu trementia. Vibratio & impetus debent conjungi. Chorda æquisona an vitrum moveat? A vitro illa movetur.

QUod Verulamius loco capite 10. laudato svadet, ut experimenta de sympathia sonorum, in aliis quoque corporibus sonoris instituantur, id ad experimenti nostri illustrationem, non parum etiam faceret. Utinam verò ab illustri hoc naturæ mystâ in lucem editus fuisset ejus de communicatione sonorum tractatus, quem passim promittit, & planiora nobis illa forent. Svadet verò ille, ut non solum in simplicibus sonis corporum, ut tintinnabulis, fistulis, vel ejusdem, vel alterius generis, sed & in sonis sociatis, per varia instrumenta sympathia illa exploretur, cujus hactenus non satis accurata observatio instituta. Aliud enim alio gratius est instrumentorum consortium. Sed illa potius ad Musicæ accuratiorem emendationem pertinent, & vim insignem in hominum animis movendis haberent. Verosimile sane est, ut simplices soni chordarum & corporum in se agunt mutuo; ita sonos instrumentorum quandam inter se vel sympathiam habere, vel antipathiam, quorum accuratior apud antiquos fuit, quam apud nos est notitia. Nos ad illustrationem experimenti nostri, de sonorum simili sympathiâ, alia quædam exempla afferemus.

Inter corpora sonora nihil obtusius sonat ligno: sed tamen certi, pro lignorum speciebus, sonorum gradus sunt. Quod pulcherrimo documento ostendit Daniel Bartoli *Tratt. 4. cap. 6.* Ille frusta lignea, ejusdem crassitiei & longitudinis, ex abiete, quercû, fago, & plurimis aliis, parari fecit, & singulis diversos inesse tonos deprehendit, quæ tamen arctè juncta unum sonum ediderunt, cum interim frusta illa suos quosdam tremores à toto illo systemate distinctos haberent. Idem quoque è testudine patet, cujus partes fractæ iterum conglutinatæ clariorem, quàm antea sonum nactæ fuerunt, de quo superius diximus. Idem vulgari quoque experimento mihi probatum est. Vas enim è schidiis faginis bene exsiccatis, quæ suum singula tonum habent, cum per vietorem circulis ligneis compingitur, sonum

num aliquem acquirit quasi communem, & à reliquis distinctum, ut è pulsu digiti patet. Huic si eundem vocis vel fistulæ tonum immiseris, respondebit tonus totius vasis. Ad cæteros tonos audientur hinc particulares toni schidiorum, jam clari, jam obscuri, ita tamen, ut leviter consonet primarius. Cachinnus per omnes tonos volutus ordine æquales sibi tonos lacesset. Neque hoc, quod primò putabam, è sola reflexione aut bombo provenit; illum enim benè ab ipso sono distingvere poteram. Imò & distincti partium in ligno continuo tremores demonstrari è Galilæi supra memorato experimento possunt, de setulis ad certos tonos in testudinis, aut clavicymbali tabulato saltitantibus, quod quanquam in setulis observare non potuerim, observavi tamen in particulis tracheæ anserinæ arefactæ circularibus, quæ in convexâ parte super instrumenti tabulato, jam in orbem agebantur, jam rectâ lineâ procedebant. Quoniam enim in punctis consistebant, setulis illis totâ superficie jacentibus, mobiliores erant. Varia quoque ipse experimenta institui in Xylorgano Germ. *Strobfidel* dicto. Nam vel chordis in vicinia pulsis, vel campanis, vel voce semper aliquem in ligno ὁμοτόνω deprehendere tremorem mihi visus sum. Observavi sæpè in sedili ligneo, in quo mihi adsidebat alius, in mensâ etiam ipsa, cui innitebatur, tremorem, cum loqueretur aliquo tono: quod cum alius eodem in sedili sedens diverso tono loqueretur, non fiebat. Quod profecto nullam aliam ob causam, quam æqualitatem vocis cum sono ligni evenire potuit. Sensi non semel in conclavi aliquo tremorem sub pedibus, cum stringerentur certæ quædam chordæ violini majoris, quem non sentiebam, cum aliæ stringerentur.

Si causam hujus sympathiæ & incussi tremoris quærimus, nulla alia est, quam configuratio partium mutua. Ea in ligno manifestior est, quam in aliis corporibus. Constat illud fibris & poris suis, quorum textura & situs commodè microscopiis observari potest. Nam diligentissime Nehemias Grew in *Anatome suâ vegetab. cap. 3.* illas inquirens, invenit duplicis generis poros, majores & minores, qui materia spongiosa & medullari repleti videntur. Quibus tertium genus pororum minutissimum addit R. Hoockius Micrographus solertissimus, per longitudinem trunci deductos. Porus vero fibræ concavum existit, ita, ut unaquæque fibrarum 30. 50 100. poris perforetur. Nihil denique aliud ipsi lignum est, quam racemus innumerabilium & tenuissimorum vasorum, aut fibrarum concavarum. Illæ ubi humore suffusæ, non sonat lignum: simul ac vero exsiccatur, poris patentioribus, in quibus aër moveri potest, sonat. Quod evidentissimum in carbonibus est, in quibus, humidis particulis per ignem expulsis, pori pene ad oculum patent, ut argentum vivum iis insinuari pos-

possit, & sonus clarior audiatur. At in vitro longè alia pororum textura, quæ licet oculis deprehendi non possit, tamen è variis effectis, & ex ipsâ fragilitate cognoscitur; cui vel ignibus certis, vel alterius materiæ admistione alia sæpè temperies induci potest. Ita Plinius *lib. 36. cap. 26.* incoctione sulphuris ferruminari in lapidem posse tradit, & Macrobius *lib. 7. Saturnal.* notat vitro solvendo firmandoque ignem ex myricâ arbore commendari, nisi ex emendatione Joh. Isaaci Pontani legendum *formando:* nam è Plutarchi *Sympos. lib. 3. quæst. 10.* ubi habetur: πρὸς δὲ τὴν τῆς ὑάλου μάλαξιν καὶ τύπωσιν: ita emendat: ut enim μάλαξις est emollitio, ita τύπωσις formatio. Patet tamen hinc, in ipsâ hujus massæ formatione arctiores vel laxiores vitro poros conferri posse, & vel solo igne, qui & ipsas marmorum juncturas solvere potest, notante in eodem loco Macrobio, si de oleæ lignis paretur.

Pertinet huc quoque, quod à Viro Clarissimo Willisio mihi olim relatum est: Memini enim, cum ipsi de experimento vitri per vocem fracti narrarem, ex eo audivisse, quod in ædibus Musicis sibi vicinis aliquoties collapsum pavimentum fuerit: quod ipse sonis continuis adscribere non dubitavit. Scio alicubi in æde sacrâ fornicem angustiorem, cui substructa erant organa Musica, unà cum iis collapsum, quod factum forte ob multiplicem soni percussionem est, præsertim, cum & ipsi fornices sonare soleant. Eam ob causam in organis istis artifices majores tubos pnevmaticos ita per totam structuram disponunt, ne nimium concutiatur. Non rarò tympanorum pulsu & tubarum sonitu templorum fornices concuti animadvertimus, ac verosimile est, majorem etiam vim incuti posse ædificiis, si sonus, quam fieri maximè potest, multiplicetur & intendatur. Quare miror, perstringere Honoratum Fabr. *Phys. tract. 3. l. 2. prop. 215.* aliquem è recentioribus, quod decumanis etiam fornicibus vibrationes tremulas è gravium sonorum repercussione ortas tribuat: quod ille non ridiculum modò, sed horribile dictu vocat: cum sæpissimè hoc fieri deprehendamus. Quid enim vetat, aërem, ut in minoribus corporibus, ita & in majoribus moveri posse, & cum illo partes ejus corporis: cum sonus etiam levior per trabes longissimas, in aëre præcipuè suspensas, propagari possit. Modo enim sonus proportionatus sit, tum impetu, tum motu, eâdem causâ positâ eundem consequi effectum necesse est. Varenius sanè in *Geogr. Gen. libr. 1. cap. 19. pag. 386.* refert, inter montium anfractus sclopeto exploso, tam horribilem fragorem fuisse exauditum, qui per semiquadrantem horæ duraverit; ut vereretur, ne totus mons concussus corrueret. Refert Kircherus *Musurg. lib. 3. cap. 7.* ingentis molis lapidem semper tremuisse ad sonitum certæ fistulæ organi, hoc vero silente, & reliquis sonantibus, nihil motus fuisse

fuiſſe perceptum: Item è Merſenno apud Patres Franciſcanos Pariſienſes, dum organa pulſantur, pavimentum circa diametri finem, quæ ex quadrato naſcitur, cujus organa latus ſint, ita concuti, ut ferme verearis, ne terra dehiſcat, quod tamen minimè ſentias, ſi vel propius ad organa accedas, vel ab iis longius recedas. Idem quoque polychordum ſibi eſſe in Muſeo ait, cujus una chorda præ cæteris omnibus ad vicinum campanæ ſonitum in ſonos animetur. Memorabile & hoc eſt, quod Fracaſtorius in libro *de Sympath. & Antipath. cap. 11.* recenſet. *Vidi*, inquit, *ipſe in eccleſiâ quâdam, ubi multa ſtatuæ cereæ loco alto diſpoſitæ ſtabant, pulſante tintinnabulo quodam, unam illarum tremere, reliquis immotis permanentibus.* Ubi mirum ſanè videtur, ceræ partes viſcidiores motu illo tremulo ſonoro affici potuiſſe. Ex iis exemplis videmus, ſi lignorum, lapidum, ſtatuarum meatus pervadat certus tonus, etiam vitri minima certam aëris tenſionem perrumpere poſſe.

Non præteriri hic quoque illud debet, quod notavit Jacobus Rohault in Phyſicis ſuis *Part. 1. cap. 26.* vidiſſe ſe vitra domus, certo quodam tympano pulſo, ſenſibili tremore percuſſa, ad aliorum vero tympanorum longe intenſiores ſtrepitus ſine motu ullo perſtitiſſe. Igitur hic unà cum impetu vibratorius quidam motus conjunctus fuit, qui validus ſatis in tympano eſt. Vehemens enim eſt tympani ſonus, præſertim ſi ſuper tubum conicum pellis expandatur, quale tympanorum genus Kircherus in Phonurgiâ deſcripſit. Ubi verò vibratio non eſt cum notabili aliquo impetu conjuncta, debilior eſt. Ita chordarum vibrationes vitrum æqualis ſoni non facile ad ſonum commovent: abeſt enim æqualis impetus, nec vibrationes illud rectâ feriunt. Kircherus tamen ex adverſo chordas intactas incitare ſono vitri docuit: Si quis enim ſcyphi vitrei oram digito madefacto ſtrinxerit, & ſupra ſcyphum chordam extenderit, ad eum ſonum æquiſonam chordam ſono reſponſuram ait. Non video verò, qua ratione aptari vitro chorda poſſit, ut illæsâ chordâ vitrum ſtringi poſſit. Accidit & mihi tracheam anſerinam valide inflanti, ut vitrum acutiſſime conſonaret particulari alicui tono, qui primarium tertiâ ſuperabat, illo interim vel leviter moto, vel planè ceſſante.

Cap. XIII.

Impetus in ſono vehemente magna efficacia. Cui accedere tamen alius vibratorius motus poteſt non obſervatu facilis. Alius videtur eſſe motus partium aëris craſſiorum, alius ſubtiliorum. Ea fortè cauſa facilis ſoni ad diapaſon tranſitus. Soni

è tonitru & tormentis majoribus magna vis, in frangendis corporibus, fenestris, ovis. Sonus tormenti majoris est efficacia, quam ipsum tonitru. Ova avicularum asininâ voce rumpi creduntur, cantu foveri. Exemplum è Digbao de scyphis vitreis in nave ad sonum tormentorum longinquum trementibus. Tormenti sonus longius propagatur, quam tonitruum: Explosio in tonitru unica. Cartesii sententia de sono in tonitru è nubium lapsu rejicitur. Sclopetum intra montes explosum tonitru aquat. An tonitru vinum & cerevisiam corrumpat solo sono, vel fumulis sulphureis. Posterius quibusdam verosimile videtur. Modus præservandi cerevisiam à corruptione tonitruum. Prior tamen sententia etiam admittenda videtur. Soni vehementis horribilia effecta in corpore humano. Sono campanæ argentum vivum motum ad 100 passuum distantiam. Tempestates sono tormentorum & campanarum dissolvuntur. Rationes Pomponatii super re illa adducta & notata. Tubera an post tonitru è terra prorumpant. Sonus in lacu Eupilo fertilitatis index. Ejus ratio à Cardano. Nostra de illo sententia. Quare lacus quidam & montium cavitates tam horrendum sonum & tempestates edant. Exigua corpora sæpe magnos sonitus & tumultus efficiunt. A tonitru laxata alvus. Cervæ abortiunt. Pisces exanimantur, aut abiguntur: uti & tormentorum explosione. Clamoris militaris quanta vis.

AD sonum & sympathiam in corporibus sonoris, non impetus solum, ut vidimus, sed & vibratio requiritur. Nam si vel hæc, vel ille absit, non illa efficacitas erit: solus impetus interiora corporum non pervadit, sed extrinsecus tantum impellit. Vibratio impetu destituta forte movebit corpus æquisonum, sed debilitas illa tensionis, alterius corporis moli non respondens, facit, ut deprehendi sensibus non possit. Fit tamen nonnunquam, ut solius impetus in sono magnus sit effectus, si nimirum vel corpus, vel motus, magnitudine suâ omnia alia corpora eorumque motus excedat. Hæc effecta concomitantia sonum, non à sono producta, soli locali in aëre motui adscribit Verulamius *Sylv. Sylvar. Cent. 2. n. 126.* Quod verum quidem est, interim tamen fieri potest, ut in ipso illo, quem vocat locali motu, majorum scilicet massarum aërearum, insit alius vibratorius particularum minorum, qui mira sæpe effecta magis è longinquo, quam è propinquo producere potest, nobis non adeò sensibilis, quia objecta excedunt potentiam & capacitatem organi sensorii. Cum enim aëris partes aliæ crassiores sint, aliæ subtiliores, verosimile est, diversos eorum esse motus. Quam causam Dn. de Poisson elucidationibus in Cartesii Musicam assignat; quare in motibus aëris sonoris facile ad diapason transitus fiat. Ait enim, subtilioris aëris celeriores esse motus, quam crassioris, unde acutior ille sonus oriatur. Cui sententiæ illustrandæ etiam hoc servi-

ſervire poſſit, quod ut aqua ſcypho vitreo infuſa tanquam craſſius aëre medium, octavâ graviore ſuperat vitri tonum aëre repletum, ita aër ſubtilior craſſiorem octavâ acutiore excedat.

Ad ſolum impetum referri ſolet, quando in violentâ aëris exploſione & incondito ſono ipſis vaſtiſſimis ædificiis ac terræ tremor incutitur. Quod fieri videmus, cum tonitru auditur, aut tormenta exploduntur, à quo ſono & ædificia contremiſcunt, & feneſtræ franguntur. Qualia & obſervata fuerunt in ſono Lampadis illius volantis, quam Petrus M. Cavina deſcribit, quæque inter Ephemerides Germanicas Anni octavi reperitur *pag. 212.* Nihil ſanè tonitruum ſono eſt vaſtius, quo tamen Rud. Camerarius *Cent. 3. obſerv. 40.* tormentorum fragores & vehementiores, certo reſpectu & pernicioſiores exiſtimat. Nam ſi materia à naturâ cogi poſſit in ſpacium aliquod ſolidum ac tam vaſtum, ut nubes eſt, montes protruderet integros, nec manes terrore, ut ait, vacarent: cum nunc exigua tantum nubis pars, in ſpongioſo vaporis corpore bombos aliquos edat. Solent & ova, quibus gallinæ incubant, corumpi, vel ſaltem ita perturbari, ne pulli excludi poſſint, ac ipſi pulli perimuntur. Notârunt & aliqui, ruditu aſinorum ſimile fatum avicularum nonnullarum ova experiri: Imò ſunt, qui ſuperſtitiosè cavent, ne fores ſtabuli, in quo ovis incubant Gallinæ, cum magno ſtrepitu poſtibus allidantur. Ex adverſo, cantu foveri ova, & meliores partus fieri, ut incondito perduntur, autor eſt Pomponatius libro *de Incantationibus cap. 6. pag. 91.* Memorabilia ſunt, quæ refert Digbæus *de Naturâ Corporum, cap. 28. num. 3.* de ſcyphis vitreis, dum in navali prælio exploderentur tormenta, toto illo tempore trementibus, de papyraceis feneſtris fiſſis, ac ovis, quibus columbæ incubabant, confractis. Obſervavit ille feneſtrarum in ſuâ navi tremorem, cum exploderetur tormentum in alterâ, tanto intervallo diſtanti, ut viſu vix detegi, ac ſonus audiri potuerit. Refert ſimili occaſione curſum navis ſuæ ſe mutaſſe, ut aliis pugnantibus ſuccurreret, eumque direxiſſe ſono, vel potius motu, ſeu tremore ex ſono impreſſo, obſervato ſcilicet, quo in puncto pyxidulæ nauticæ tremor iſte appareret, cum nihil quicqam audiret: quanquam multò poſt magnâ adhibitâ attentione & ſilentio obtuſum quendam langvidumque ſonum diſcernere potuerit, ad quem feneſtræ in puppi è ſubtili vitro Muſcovitico tremuerunt. Quæ omnia veroſimilem oſtendunt ſententiam Bernardini Teleſii *de Rer. Nat. lib. 7. cap. 34.* longius propagari ſonum, quanquam non adeò magnum, qui è tormenti exploſione editur, quàm qui à fulgure oritur, & tonitru vocatur. Qui ipſe quidem in inſtanti generatus, & unicus: qualis in locis planis, quibus ferè verticalis exploſio eſt, obſervari poteſt, & quem ipſe non ſemel obſervavi; latè inde diffuſus

 perpe-

perpetuo ad montes, sylvas, nubes densiores appulsu multiplicatur. Nec enim cum Cartesio nescio quem nubium nivosarum & glacialium lapsum, unde is sonus oriatur, præter sensum ac rationem fingere necesse est. Licet enim non negem glaciales, aut nivibus prægnantes nubes esse, ac moveri loco posse; inde tamen tam vehementem sonum excitari posse pernego. Nihil ad rem facit ille sonus, qui è nivium Alpinarum devolutione oritur, & cum tonitru comparari non potest. Major enim istius nivis firmitas, & è glomeratione continuâ pondus, unde accedente in vallibus repercussione sonus ille oritur, quàm in nubibus in aëre suspensis, cujus partes minus continuæ sunt, & particulis nivalibus non stipatæ, sed interspersæ, ac ventis præterea intercurrentibus agitatæ. Neque sanè nubes facile in solidam glaciem converti potest, & si verteretur, non posset tamen nubes superior in inferiorem decidens tam vehementer cum illâ, ut molliore, collidi, atque inde tantus sonus procreari. Imò ob gravitatem tota decideret. Sonum illum unicum tantum esse, & è repercussione continuâ propagatum, patet eo exemplo, quod producit Bernhardus Varenius *in Geographia Generali lib. 1. pag. 385.* de sclopeto in summitate montis, & deinde in convallibus exploso, quæ posterior explosio multo gravior fuit, & repercussione continuâ tonitru duratione ad horæ semiquadrantem æquavit, cum prior illa levem tantum ad instar bacilli fracti strepitum excitârit. Unde solet tonitru in superiore aëris regione, ubi incipit, minus sonare, quàm in regione inferiore, ubi graviores longè bombi audiuntur.

Solet & ipse sonus adeò movere minimas liquorum vini & cerevisiæ particulas, ut fermentantes vitium inde trahant, vel aliâ fermentatione corrumpantur. Sed adhuc sub judice lis est, utrum illa liquorum corruptio sono, an vaporibus sulphureis adscribenda. Ut ejus rei veritatem exploraret, Boilius in lagenis vitreis cerevisiam tum lupulatam, tum sine lupulo præparatam, hermeticè obsigillavit, cumque in cadis omnibus cerevisia acorem è tonitru contraxerat, sola illa in lagenis incorrupta perstitit, unde penè colligi potest, non à sono, sed à fumulis sulphureis liquores corrumpi, qui vitri poros pertransire non potuerint. Eundem successum vidit in cerevisia per sex hebdomadas in Vacuo suo conservata, quæ per tonitru nihil boni saporis perdiderat. Videatur ipse in *Experimentis circa conservationem Corporum, experim. 13. pag. 10. & 13.* Cui sententiæ amplius illustrandæ inservit Matronæ cujusdam nobilis experimentum, quod Boilius *libr. de Insigni efficac. effluviorum, cap. 5. pag. 142.* memorat, quæ tonitru imminente, ad convenientem distantiam, sub doliis foculos cum prunis ardentibus disposita habuit, atque ea ratione cerevisiam suam illibatam

ser-

ſervavit, cum aliis illa aceſceret. Quò ferme apparet, ſulphureos illos fumos à prunis ardentibus occupari, ne illi ſe cadis inſinuare posſint, pene eô modô, ut culinari experimento pruna lacti aduſto immitti ſolet, quo effluviis illis partium aduſtarum, prunæ dum extingvitur aſſociatis, pravus ſapor corrigatur. Eadem forte ratio dari poterat, cum ferrum vel chalybem cadis tonitru imminente imponunt: nam & illud metallum quaſi fomes & magnes fumulorum ſulphureorum videri poteſt.

Sed tamen non adeo res illa certa eſt, an ſoni nullæ in alterandis liquoribus partes ſint, qui non adeo totam aëris maſſam movet, quam materiam ſubtiliorem. Quare cum motus omnes naturales, qualis fermentatio, è pulſu materiæ ſubtilis oriri videantur, ut Mayow in eleganti *de Salnitro* libro *pag. 175.* contendit, non eſt adeo improbabile, quod & vehementi ſono conturbari particulæ liquorum compoſitorum posſint, ut alio ſe ſitu componant. Id ab inſolitis, & vehementibus ſonis etiam ſpiritibus animalium evenire videmus, ut variè agitentur & percellantur. Sunt qui in epilepſiam, apoplexiam ex horribili ſono incidunt. Nam violenter quatiuntur & translocantur humores, ſpiritus in turbinem circumaguntur, unde illorum disſipatio, paralyſis, tremores, cujus exempla videantur apud *Fabriç. lib. 3. obſerv. 6. & 7. Merc. l. 1. Med. Pract. cap. 40. Libav. lib. 1. ſing. pag. 319. Luſitan. Cent. 3. curat. 22.* Teſtatur quoque *Rud. Camerar. Cent. 13. obſerv. 43.* Cujus hæc verba: *Multos vidi, qui nullo modo icti, ac ne attacti quidem, prætervolantis tantum vertici vel auribus bombardici ictus fragore & impetu, ſic attoniti procubuere, ut liventibus membris gangranâ mox invadente interierint.* Idem eodem in loco teſtatur, pulveris non adeò magnâ copiâ forte in armamentario incenſa, ſolâ aëris agitatione prodigioſos effectus ſecutos. Obſervavit ſanè Daniel Bartoli *tract. 3. cap. 6.* ſono campanæ majoris per rectam lineam centum pasſibus geometricis remotæ, motam fuiſſe in altero ſcypho vitreo aquam, in altero argentum vivum. Ac pervulgatum eſt, campanarum majorum ſonis & tormentorum exploſionibus diſcuti tempeſtatem poſſe. Forte & eam ob cauſam apud Chinenſes omnes turres appenſis exterius campanis perſtrepunt. Ita & æris tinnitu aërem ſcindente ſubſidere apes credunt, ut volatu ſuſtineri nequeant. Solent aliqui ideò, teſte Magio *libr. de Tintinnabulis cap. 14.* hunc effectum campanis tribuere, quod credant tempeſtates à Dæmonibus immitti, & campanas fugare Dæmones. Pomponatius in libro *de Incantationibus cap. 12.* eundem campanis effectum tribuit, ſed à propioribus & palpabilibus cauſis diſcedens, cælitus è certa conſtellatione, & virtute ſiderum in campanas evocata, hanc vim arcesſit, qualem certæ quoque herbæ & lapides, imò homines quoque nonnulli, certis ſideribus nati, habeant, ut

imperent mari, ventis & tempeſtatibus. Quorſum profanæ hujus, ſed ineptæ ſuperſtitionis myſterium tendat, facile illi, cui naris non eſt obeſa, ſubolet. Nam paſſim in hoc impio libro atheismi ſemina ſpargit, unde ad elevandam doctrinæ ſacræ autoritatem, tela ſua depromunt homines male ſeduli. Sed tamen oculatius ſeculum noſtrum eſt, quam ut ineptis his influxuum commentis fucum ſibi fieri patiatur. Ita verò hujus virtutis menſuram determinat Pomponatius: *Si qualitatem inductam à campana contingat eſſe validiorem tempeſtate, fugabitur tempeſtas: ſi verò qualitas ſit imbecillior, ſuperabit tempeſtas, & ſuccumbit qualitas.* Quaſi non à motu imbecilliori, vel fortiori id potius proveniat, quam à ficto illo aſtrali influxu, aut aliâ quadam re, quam nominare tamen non poteſt, quæ compoſitionem campanæ ingreditur. Ita, ut ſpirituum operationes elidat Pomponatius, in rationibus eorum effectuum tradendis ſemper μετέωρος eſt, ut cum nihil dixerit, aliquid tamen myſterii nos docuiſſe videatur, quò miracula, quæ idoneis argumentis impugnare non poteſt, apud imperitos & ſemidoctos ſuſpicionibus ſuis incerta reddat. Quoniam itaque campanæ & tormentorum exploſiones naturali operatione tempeſtates diſcutere poſſunt: mirum non eſt, ſi tam horrendus fragor à tonitru profectus interiora rerum commoveat, ut liquores conturbet, quo etiam cancri commoti foras prorumpunt.

Quæ cum accuratius reputo, non omninò de nihilo rationem Scaligeri *Exerc. 130.* eſſe exiſtimo, qui tonitribus terram quati, ac rariorem fieri exiſtimat, ut tubera ex imbribus naſci poſſint: quam rejicit Voſſius *de Idol. lib. 3. cap. 7.* quod terra ſæpiùs horrendis quatiatur ventorum tempeſtatibus, nec tamen ad tubera edenda ſe laxet: nam certe major eſt vis penetrans in tonitru, quam in ventis etiam validiſſimis. Idem Athenæus *lib. 2. cap. 22.* teſtatur. Φασὶ γὰρ, ὅταν ὕδατα μετοπωρινὰ, καὶ βρονταὶ γίνονται σκληραὶ, τότε γίνεσθαι, καὶ μᾶλλον ὅταν αἱ βρονταὶ, ὡς ταύτης αἰτιωτέρας οὔσης. *Dicunt enim, cum aquæ autumnales, & magna tonitrua fiunt, quod magna naſcuntur, atque cum maximè maxima, illa ſi quidem præcipua generationis eſſe cauſa videntur.* Idem Juvenalis verſibus traditur.

——— poſt tunc tradentur tubera, ſi ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Majores.

Sed aliam tamen rationem etiam affert Athenæus, quam apud Plinium legas. Ait enim naſci exundatione fluminum invecto ſemine à collibus. Nam σπερματικὴ ἀρχὴ certis quibusdam terris indita creditur, de quâ amplius videas Caſaubonum *Animadverſ. in Athenæum lib. 2. cap. 21.* Non enim de his diſſerendi locus hic eſt.

Huic

Huic quodammodo simile est, quod narrat Cardanus de *Rer. Variet. lib. 15. cap. 85.* de sono fertilitatis vel causâ, vel indicio. *Referebat*, inquit ille, *M. Antonius Majoragius, Aprili mense audiri in Eupilo lacu sonum, seu vocem ejusmodi* ôh ôh ôh ôh ôh, *sed longiusculam, ita ut extrema vox concisa esset, & his annis, neque enim singulis annis auditur, proventum uberiorem omnium sequi, vini, tritici, ac caterorum.* Ejus rei rationem hanc affert Cardanus: *Haud dubium esse debet, percussa vel sub aqua, vel in imó ac fundo sonare, sed obtuso sono, quod experti sumus: adeò, ut concusso sub aqua corpore, aër, qui ibi est, sonet, transeatq; sonus in aquam, ac rursus in aërem. Itaq; concalefacto, accedente vere, limo & in aërem converso, fit sonus: nec necesse est, semper aquam fervere ob id, nam frigore aqua dissipatur aut extingvitur vapor. Quod si dissipatur: motum in aqua concitat, sed non uno loco, verùm per magnum spatium, ut deprehendi nequeat: calor verò ille fertilitatis plerumque signum, quod omne solum aquis abundans, ubi incaluerit, fertile fit.* Sed ejus rei fides & ratio penes Cardanum esto. Si vera sunt, quæ ille narrat, forte sonus est à partibus nitrosulphureis per fermentationem validam in explosionem aliquam agitatis, ut spiritus interdum aliquos videmus mutuo affrictu in calorem & sonum levi aliquo motu incitatos. Quemadmodum ajunt, si particulam casei dolio musto pleno injeceris, tantum excitari fervorem, ut dolio à fractione sit periculum. Eam causam du Hamel de *Fossilibus l. 2. cap. 3.* statuit, cur injectis lapillis lacus quidam tumultuentur. Nam in Comitatu Fuxensi inter Pyrenæa juga lacus est in montis cacumine, cui nomen Fanum Sancti Bartholomæi, qui lapide injecto nitrosos ac sulphureos exhalat vapores, qui in mediâ aëris regione densati in imbres & tonitrua se diffundunt. Exigua sunt sæpe, quæ corpora naturalia certo in statu potenter irritant, quemadmodum aquæ aliquot guttulæ æs dum funditur, ita commovent, ut motu violentissimo prorumpat, prosternatque & verberet, quicquid attingit. Sunt quoque fortassis in locis subterraneis, in quibus nonnunquam cavitates, aëre variis particulis imprægnato repletæ, non insolitæ tales ex attritu earum explosiones, quæ si majores ac vehementiores sunt, terræ motum producere possunt, cujus quasi rudimenta & præludia, ob materiæ tumultuantis non adeo magnam copiam, lacus ille dedit, fertilitatis tamen illa dant indicium, & fundum vaporibus nitrosis vel sulphureis turgidum ostendunt.

Porrò huc referendum, quod in Actis Philosophicis Collegii Regii Anglici, *pag. 550.* refert Nobilissimus Dn. Oldenburgius de quâdam feminâ, cui cum tonitru audiretur, semper laxata alvus, crebræque fuerint vomitiones, quales nec à fortissimis effici medicamentis possint. Nisi fortè id ob consternationem animi accidit, ut illi apud Juvenal. *Sat. 14.*

— tre-

—— trepido solvunt qui cornua ventrem,
Cum lituis audita.

Quam ob causam abortire etiam cervas nonnulli credunt, cum tonitru audiunt, adducti loco è *Psam. 28.* & *Hiob. 39, 9.* ubi tamen variant interpretum sententiæ; quod & de conchis asserit Plinius *lib. 9. cap. 38.* Etiam Pisces tonitru exanimari, & explosione tormentorum in præliis maritimis abigi creduntur: non enim verum est, illos auditu carere, ut quidam volunt; cum nos aquâ demersi nihil audiamus: nam alia est in iis organorum ratio, quæ appulsu circulorum aëreorum afficiuntur. Inter inconditos illos ac confusos sonos militaris itidem clamor est, cujus magnæ etiam vires sunt, adeò ut ex aëre aves in terram nonnunquam ceciderint, ejusque tremor observatus fuerit, de quo legantur Alexader ab Alexandro *Genial. Dier. l. 4. cap. 7.* Elias Reusnerus in Strategematogr. Gabriel Naudæus de studio militari, *lib. 2. pag. 494.* Is si consonâ voce ederetur, nec impar vel varius esset, benè de exitu prælii ominabantur: Id enim indicem voluntatis ac animi habebant. Quin & intentior tum erat sonus.

CAP. XIV.

D*Isquisitio de Murorum Hierichuntinorum lapsu. An illi per sonum conciderint. Rabbinorum ea de re sententia. Masii & Serrarii ratiocinia parum solida. Soni major, quam venti efficacia. Soni è longinquo vis exemplo è Digbaeo ostenditur, & alio, ex Borello. Loci conditio circa muros etiam consideranda. Rabbinorum mira de urbe Jericho fabulæ. Muri etiam sonum aliquem habent, qui forte sono proportionato lacessi potest. Mersennus huic sententiæ adstipulatur. Putat muros solo sono subversos. Argumenta ejus recensentur. Respondet nonnullis objectionibus. Locus* Ezech. cap. 26. *à Mersenno productus parum ad rem facit. Influxus siderum & intelligentiarum frustra à Rabbinis hic arcessuntur. Mersenni sententia amplius illustratur ex historiâ ipsâ* Jos. 6. v. 6. *descriptâ. Exercitus totus buccinas inflasse creditur. Buccinæ quantus sonus. De Buccinâ Alexandri Magni nova conjectura. Cornu Rolandinum. Tuba Stentorophonica etiam Persis in usu. Si exercitus totus buccinas inflavit, horribilis ille sonus fuit. Sonorum, ut lucis radios aëri calorem inducere quidam statuunt. Quomodo sonorum multiplicatio per proportiones duplicatas crescat. Ostensum in tormentis bellicis simul explosis. Eadem odorum multiplicatio. Exemplum adducitur. Dubia circa speculationes illas mota. Alia circa buccinam Alexandri Magni conjectura. Quousque pertingat 10000. tubarum Stentorophonicarum sonus. Quanta sit vis aëris per sonum vastum intra exiguum circulare spatium compacti. Mugientis soni magna dilatatio. Vacca mugiens*

ad

ad 30. stadia auditur. Situs & locus ad augendum sonum faciunt. Terra tremor incutitur à campana ingentis sono, & ab aliis levioribus: ergò & muris. Deciditur tandem, miraculo divino collapsos muros. Simile in historiâ recentiore exemplum quibusdam adducitur. Vocis divinæ sonus montes concutit & terram evertit. Terræ motus ad insolita vocis intensionem Poëtis fingitur. Χαλκόφωνοι. *Stentor, Achilles. Roberti Normanni vox horribilis. Cicadæ rumpere arbusta dicuntur.*

CUm mentionem hîc clamoris militaris fecerimus, & memorabile exemplum in sacris occurrat de muris Hierichuntinis per tubarum clangorem & clamorem militarem subversis: non abs re facere videbimur, si paulò accuratius hic excutiamus: utrum vi naturali soni proportionati muri illi conciderint, an per miraculum divinum eversi? Nam inter Rabbinos Levi Ben Gerson expressè statuit, naturali ratione hoc fieri potuisse, addita illâ causâ: *quia magna vox magno impetu aërem impellit.* Quod quanquam ridiculum videtur Masio hic in commentario, non tamen omninò rejiciendum est. Est enim profectò horribilis sonus, qui à tot hominum millibus, quanta fieri potest, contentione oritur, & gravior, quia ululatui similis, unde & λυκηθμὸς, id est, lupinus sonus à Svida vocatur, qualem ferire sidera divinus Poëta dixit. Falsum enim est, quod Serrarius *in Cap. 6. Josuæ quæst. 22.* commentatur: non esse vehementiorem fortioremque aëris motum, etiamsi sint quamplurimi quamplurimorum sonores: quod sana nos ratio docere potest. Est & inepta hæc ejus argumentatio: *Si è sono motus ad rerum strages adjuvaret tantopere; multò magis, si magni & integri exercitus circum circa impetu & celeritate currerent maximâ, brachia jactarent, aliove quovis vehementiore modo aërem agitarent.* Nam profectò parum is soni naturam intellexit, qui motu longè concitatiore aërem vellicat & trudit, quam brachiorum jactatio, aut alia longè vehementior agitatio. Multò sanius philosophatur Cardanus *in Probl. Mathemat. sect. 5. probl. 12. Cur sonus magnus* (quærit ille) *adeò concutit, ut frangat, cum sit res incorporea, neque enim ob motum aëris, cum ventus longè concitatior id non possit, & acutus minus id agat, quam gravis, qui tardior est?* Respondet: *An quod sonus qualitas sit corporea, non tamen corpus, ut candor, ideò penetrat ut incorporeus & secum deducit, ut sit quoddam vehiculum ad celeritatem: aër autem velocius motus dividit corpora præsertim dura & sicca? An quod ob sonum sæpius repetitum motus ille, unde quatit: quassata autem non semel facile confringuntur? An quod in sono maximè gravi aër condensatur, & tunc attenuatur & penetrat?* Hæc quanquam dubiè ac pro Philosophiæ suæ ratione dicat Cardanus, rectius tamen intellexit, quid sonus in aëre movendo efficere possit præ ventis etiam concitatioribus, qui præter aërem materiem

Ggg longè

longè subtiliorem, quæque arctius corpora connectit, movere potest & convellere, undè & tanta ejus in corpora efficacitas est. Verissimum enim est, quod observat Gassendus in Physiolog. Epicuri *pag. 287.* non totam aëris massam commoveri, sed quod in eâ solum tenuissimum, figurationisque præsertim capax est, ut jam supra ostendimus.

Hoc in loco oportunè mihi incidit, quæ de muris fani ingentis magnâ pulveris pyrii explosione facta, ad MM. passuum distantiam dissilientibus commemorat, loco quem supra laudavimus, Digbæus. Sed præstat ipsius verbis rem intelligere: *Audivi*, inquit, *à quodam, qui Hispali degens tunc temporis, cum officina sulphureo pulveri excipiendo & custodiendo destinata concepto igne everteretur (distabat illa duobus circiter millibus passuum à loco, in quo ipse degebat) affirmabat, ligneas fenestrarum valvas contra domus suæ parietes vi magnâ impactas fuisse, dissiluisse quoque muros ingentis fani, quod cum officinæ isti, licet ad distantiam satis magnam, proximum tamen foret, nullo ædificiorum objectu à subito ac violento aëris commoti impetu protegebatur.* Age jam comparet mihi aliquis unicam istam explosionem pulveris pyrii, violentiorem quidem, sed tamen remotiorem, cum horribili ululatu tot hominum per moram aliquam continuato, clangore tubarum, strepitu armorum, in istâ viciniâ, dicatque, annon vero sit simile, vehementer terram potuisse concuti ipsosque muros. Everti potuisse non dicam.

Mirifice hanc rem illustrat, quod observavit Borellus *prop. 101.* quomodo à tremore languidissimo aëris per longam successionem concuti moles etiam vastissimæ possint; ut vel ipsius terræ motus si non princeps, saltem adjuvans causa sit, adducto experimento, quod ipse mirabile vocat. Recitabo autem ipsius Autoris verba: *Ademm*, inquit, *Tauromenii Siciliæ, quando Ætna mons eruptionem quandam effecerat prope Ennam urbem fere 30. milliaria à Tauromenio distantem, tunc vicibus interpolatis eruptiones ingentes ignis vorago efficiebat grandi sono & strepitu, & tunc omnia Tauromeni ædificia tremore concutiebantur, in quò circumstantiam notatu dignissimam observavi: scilicet, quod domus & ædificia, quæ directè exposita erant prospectui ejusdem voraginis, vehementissimè concutiebantur, reliquæ verò domus, quæ conspectu voraginis privabantur, satis lentè & leniter tremorem efficiebant. Profectò, si hujusmodi tremor factus fuisset à concussione & resilitione soli Tauromenitani, omnes domus æquè concussæ fuissent, & æquali tremore agitatæ, ita ut non possit conspectus voraginis tam insignem & evidentem inæqualitatem tremoris procreare; igitur necessariò à tremore ejusdem aëris incusso, in parietibus domorum libere percussiones excipientium, agitatio illa efficiebatur.* Videas hinc, quanta soni ad 30. milliarium distantiam efficacia sit. Quæ ergò non sit in viciniâ ejus operatio?

Deni-

Denique ipſe loci etiam ſitus conſiderandus eſſet, an montibus concluſus fuerit, unde validius vox potuerit refringi in muros & multiplicari: ipſa quoque militum ſtatio, omnes muri partes cingentium. Quæ omnia non leviter ad intenſionem ſoni ejusque majorem efficaciam faciunt. Nec murorum ſtructura hîc omitti deberet, cujus quidem nunc ratio nobis non conſtat, nec ſoli, cui inædificati, conditio. Terræ enim abſorptos vult Paraphraſis Chaldaica textus ſacri. Multa quoque de hâc urbe Rabbini fabulantur: non pauca ſcilicet ibi audiri potuiſſe, quæ facta in templo Hieroſolymitano, quanquam decem milliaribus ab urbe Jeruſalem diſtabat. Ita enim Tamid. *cap. 3. §. 8.* è verſione Guſtavi Peringeri ad ductum Obadiæ Bartenoræ. *In Jericho exaudiri poterat ſonus portæ magnæ cum aperiretur. In Jericho exaudiri poterat ſonus Organi Pnevmatici δεκαπόρȣ. In Jericho exaudiebatur ſonus ligni ex machina aquatili, quam fieri fecerat Katinides, ut per eam educeretur aqua ex mari templi in labrum. In Jericho exaudiebatur ſonus Sacerdotis excitantis collegas ad divinum cultum peragendum (ante adventum Præfecti.) In Jericho exaudiebatur ſonus Tibiæ, cum inflaretur. In Jericho exaudiebatur ſonus Cymbali, cum ſonaretur. In Jericho exaudiebatur vox (Levitarum) canentium. In Jericho exaudiebatur ſonus tubarum (quas Levitæ inflabant.) Addunt quidam; exauditum ibi quoque fuiſſe vocem ſummi Pontificis, cum ille Divinum nomen enunciaret in die expiationis. In Jericho percipiebant naribus odores ſuffitus aromatarii (qui fiebat in Templo) R. Eleaſar F. Diglai dicere ſolebat: Domus Paterna mea alebat capras in monte Michvor, atque eæ pingveſiebant ex odore ſuffitus aromatarii.* Deſcribit & Kircherus Inſtrumentum aliquod pulſatile Judæorum *lib. 2. Muſurgiæ cap. 4. §. 2. ex Hannaſe*, quo ait in Jerichuntinâ civitate audiri potuiſſe: ajunt autem, hoc inſtrumentum fuiſſe poſitum in fundo Ieroſolymitani templi, locumque ita fuiſſe arcuatum, ut vox hujus inſtrumenti in arcuata tholi ſuperficie variè reflexa multiplicataque eum ſonum, quem vel in Jericho percipere poſſent, excitarit. Sed hæc omnia Rabbinorum nugis & mendaciis accenſenda eſſe, res ipſa loquitur.

Denique & iſtæ alicui cogitationes ſuboriri poſſent: annon muri & fornices, qui ſono etiam ſuo gaudent, ac è materia formati, cujus minima non adeò arctè cohærent, ut in metallis ac vitro, quemadmodum vitrum ſono ſibi proportionato rumpi poteſt, ita & illi ſuo ſibi proportionato ſono, præſertim docente DEO, concuti ac frangi poſſint. Quod ut fieri poſſet, ſonus forte dandus eſſet multis modis gravior, intenſior & ex multâ repercusſione denſior, cum poros habeant laxiores, quos acutiores ſoni facilè pervadant. Certè campanæ ac vaſa fictilia etiam vulgaria, quorum pori vitri poris longè ſunt patentiores, etiam cum infusâ illis aquâ tonus ingraveſcit, conſonâ voce ad ſonum commoveri poſſunt, ac aqua tantil-

lum in iis crispari: falsus enim est Honoratus Fabr. qui *tractat. 3. Phys. lib. prop. 238.* campanam sonum edere negat, si humore impleatur.

Scripseram illa in primâ hujus dissertationis editione, cum postea, vidi è Mersenno, *Commentario in Genes. cap. 4. versic. 21. pag. 1710.* non pauca, eorum, quæ pro naturali soni efficacia in muris prosternendis mihi tum inciderunt, jam tum fuisse tacta, ut iisdem acti meditationibus uterque videamur. Qui si experimentum vitri per sonum fracti scivisset, majori fiduciâ hanc suam sententiam propugnâsset. Satis enim habuit, ex notissimis illis de chordarum æquè tensarum simili vibratione, de lapidis & pavimenti ad certæ fistulæ in organo pnevmatico sonum motu, aliquod argumentis suis robur adsciscere. Sed ratio illa, quam adducit, ut nostræ respondet, ita eo modo formata est, ac si vitri rupti experimentum ipsi notum fuisset. Ait enim, *sonos nihil aliud in se præter certam proportionem habere debuisse, quæ murorum Jerichuntinorum tensioni correspondcret, quicquid enim, ad perpendiculum vel alio modo erigitur, certam tensionem habere, quam si viceris vel æquaveris, concutias. Quis igitur novit*, inquit porrò, *num omnes clangores atque voces aliquod tertium efficerent, quod cum muris illis unisonantiam vel octavam observaret? cogita, muros esse velut in nervum tensum, cui sit προσλαμβανόμενος, si omnes soni Israëlitarum similem tensionem habuerint, vel saltem in mese fuerint, illos concutere, & sæpius repetiti diruere potuerunt.* Subjungit hinc: *An verò muri Jerichuntini cum clangoribus unisonarent, vel diapasonicam, seu duplam hemioliam, epitritam, vel aliam obtinuerint? quis præter DEUM & Angelos, singulas rerum corporearum proportiones clarè perspicientes, aut eos, quibus revelaret DEUS, nosse potest? Contemplare quot unisonantiæ, quot octavæ, quot dis, & trisdiapason, à tanta vocum & tubarum multitudine fierent, adde, etiam congruam à muris distantiam, quæ omnia DEUS ita docere & præscribere poterat, ut ingens ille & admirabilis concentus muros Jericho concuteret.* Præsupponit autem, muros non fuisse terrâ absorptos, quod Rabbini nonnulli existimant, ex Hebraici textus interpretatione. Id enim per sonum fieri potuisse negat. Respondet & ad nugatoriam illam objectionem: quod si sonus adeò efficax fuisset, arma & tentoria Israëlitarum prius frangi debuissent: Illa enim tensione non respondebant sono. Id vero parum ad rem facit, quod ex *Ezechielis cap. 26.* in sententiæ suæ confirmationem adducit, sonitu equorum & rotarum muros Tyri commovendos: nam id per figuram Oratoriam dicitur: ut apud *Florum, lib. 2. cap. 6. §. 14.*) pugnam cum Annibale apud Trasimenum lacum] describentem: *Commissam aciem secutus ingens terræ tremor, nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus fecerunt, & mota vehementius arma.* Quod non immeritò ut frigidum & ineptum, inter cætera ejus, Vir omnium elegantiorum literarum, Amicus noster,

ma-

magnus, Grævius, dissertatione præliminari super commentarium suum in Florum, exagitat. Nimis verò extra circulos suos vagatur: cum ad Matheseos & Staticæ leges ea examinat Mersennus. Non enim ineptum putat, aut absurdum, Equos ita premere posse terram, ut ab æquilibrio, juxta quod suspenditur, dirigens, in unam partem declinet, & à centro tantisper dimoveatur. Quod & sonis, equorum ponderi respondentibus, effici queat. *Viderint*, inquit, *egregii Mathematici, qui Mechanicam Harmoniæ jungere voluerint, num quemadmodum Mechanici Archimedici, dato pondere vim moventem, aut è contrariò proponunt: perspectivi datum cujuscunque figuræ objectum sub ea figura & quantitate, quam postulaveris, repræsentant: ita datum objectum, vi, arte, vel naturâ tensum, aliquo concentu unisono, vel alia ratione consono moveri possit, adeò ut ipsa terra sonis quibusdam concutiatur.* Sed illa cum Mathematicis transigat Mersennus; omnia in sententiæ suæ favorem componens. Multò minus audiendi sunt Rabbini, qui Caballistarum somnia secuti, existimant, influxu siderum animatas tubas Israëliticas, intelligentiarum, Sephiroth, & quorumcunque Caballisticorum graduum auxilium atque benevolentiam conciliâsse, ut muros evertere potuerint.

Hæc Mersennus prolixè pro sententia stabilienda adduxit, quem Kircherus operosa refutatione Musurgiæ *lib. 9. cap. 2.* non adeò stringit: nam nec ipse Mersennus huic opinioni suæ adeò affixus est, ut ab illâ dimoveri nolit. Sub finem enim istius disquisitionis, probabilius esse ait, muros virtute divinâ corruisse. Antequam tamen illam dimittamus, nonnulla producemus, quæ priorem opinionem aliquâ ex parte illustrent. Ex historiâ ipsâ *Jos. 6. v. 6.* patet, muros tum corruisse, *cum insonaret vox tubæ longior atque concisior*, quæ cum effectu ipso velut causa copulata videntur. Productior sonus his verbis innuitur, quia halitus hominis, cum tubam longius inflat, infringitur per brevia intervalla, ut spiritus restauretur: quasi scilicet ad murorum eversionem necessaria fuerit illa soni productio. Porrò non Sacerdotes tantum, sed & universus populus buccinis insonabat, ut colligitur è verbis, *vers. 9. buccinis omnia concrepabant*, & clarius elucet ex *vers. 13. vulgus autem reliquum sequebatur arcam, & buccinis personabant.* Negat id quidem Masius, sed tamen è versione LXX. idem confirmari potest. Immanis itaque sonus tot hominum buccinis sonantium fuit, cujus aliquam vim in concutiendis muris fuisse nemo negaverit, cui additus vel intermistus fuit clamor militaris.

Ac primum quidem Buccinæ sonus pro variâ ejus figura vehementer intenditur, ut supra *cap. 7.* vidimus, ubi inter alia Alexandri Magni buccinam, cujus sonus ad LX. milliaria extendebatur, produximus. Quæ licet fabulosa videatur, cum figuris, ut vidimus, variet; aliqua tamen veri

ſpecies ſubeſſe videtur, cum in eo libro Secreti Secretorum, qui Ariſtoteli tribuitur, hæc legantur: *Oportet etiam tecum habere iſtud inſtrumentum, quod fecit Themiſtius, ad opus exercitus & ad nocendum: & eſt inſtrumentum terribile, quod dividitur multis modis, quia forte te oportebit viſitare totam provinciam, & regnum tuum & congregare ſubditos, proceres tuos & bellatores in eadem die vel citius, vel alio modo, prout indiget exercitus magnus & numerus, hujus inſtrumenti ſonus auditur per milliaria ſexaginta.* Quoniam hîc Themiſtius hujus tubæ inventor nominatur, ideoque aliquam ejus famam fuiſſe apparet. Sed varietas illa figuræ, *cap. 7. pag. 381.* adducta hanc mihi ſuſpicionem injecit, Buccinam à Kirchero productam, partem eſſe Buccinæ genuinæ Alexandrinæ, adeoque Figuram C illic integrum exhibere corpus; Tubas verò minores Figura A repræſentatas, quoniam tuborum geminorum, qui ex inferiori parte Figuræ C protenduntur, imaginem quandam exhibet, corpori illi vaſto inſeri, numero forte LX, quia à LX viris dirigebatur inſtrumentum, & forte inflatæ ſimul fuerunt: cum in Figurâ C, ob ejus exiguitatem, duæ tantum delineatæ fuerint. Quod ſi ita factum fuit, procul dubio horribilis ex hoc inſtrumento ſonus auditus fuit. Sed mittamus has de re incerta incertas conjecturas. De Cornu Rolandino fabulis quibusdam traditur, eo inflato hoſtibus tantum terrorem incuſſum, ut in fugam verterentur. Nihil de eo apud hiſtoricum fide dignum occurrit, niſi quod, ut Burggravius in Achille Panoplo redivivo teſtatur *pag. 74.* peregrinantibus in fano S. Dionyſii cornu venaticum Rolandi oſtendatur. Quantum ſit hodie in Tubâ Stentorophonicâ ſoni augmentum, omnibus notiſſimum eſt, qualem, antequam Europæo orbi innoteſceret, etiam Perſis in uſu fuiſſe teſtis eſt Anderſen in Itinerario Orientis *lib. 3. cap. 13.* ubi & figuram delineavit. Buccinæ arietinæ Hebræorum, quin ſonum vehementer intenderint, nullum eſt dubium, (validius enim illæ ſonabant, quam tubæ eorum in longum directæ, quas deſcribit *Joſephus lib. 3. Antiq. cap. 11.*) Inprimis cum à ſingulis militibus ſingulæ inflarentur. Qualis an ullo ævo ab aliis populis ſonus tentatus ſit, vehementer ambigo. Ipſa ſanè ratio dictitat, nihil poſſe illo ſono fingi & credi magis vaſtum & inconditum. Rectè verò de talibus ſonis ait Verulamius: *Soni conglomerati multiplicatique ſummam generant aëris rarefactionem, actionem materiatam ſonorumq; productioni diſſimilem.* Imò Charleton. in *Phyſiologiâ ſuâ, lib 3. cap. 6. ſect. 1. art. 8.* aſſerit, radios ſonorum multiplicatos, æquè ut lucis, aëri calorem inducere. Nam in præliis aërem è clamoribus & ſonis tormentorum magis, quam è ſulphureis halitibus incaleſcere ait. Quæ omnia ſi luculentius aliquanto ob oculos poſuerimus, nihil ab argumento noſtro alienum acturi ſumus.

Quous-

Quousque ſonus & quâ proportione propagetur, à multis disquiſitum eſt, & inquiri hic præcipuè debet, ut ex eo colligatur, quanta ſit vis moti aëris, ſi ad obſtacula illiſus, à longo illo curſu retrahatur. Prætereo quæ Merſennus aliique de unius corporis ſono, ejusque protenſione obſervarunt. De ſonis è corporum multiplicatione multiplicatis, non memini quempiam adeò præter Williamum Pettum Anglum ſollicitum fuiſſe. Is in ſingulari diſſertatione, *de Uſu duplicatæ proportionis*, obſervat, diſtantias, intra quas ſoni audiuntur, eſſe radices numerorum in talibus ſonis. Quatuor ſclopeta majora ſimul exploſa bis ſuperant ſonum unius, eorumque ſonus per duplo longius ſpatium protenditur; quam ſonus unius: novem ſclopetorum ſonus per ſpatium triplo longius diffunditur: quadruplo majus ſpatium pro ſedecim ſclopetorum ſonis datur, atque ita deinceps. Obſervavit idem Autor, dimidiam Colubrinam, (tormentum bellicum) per 5 milliaria ſonum diffundere. Si itaque hâc proportione obſervata, 1024 tales colubrinæ, ſimul explodantur, ad 160. milliaria procurret ſonus. Radix enim quadrata eſt 32, quæ per 5 multiplicata parit numerum 160. Ita 4000 colubrinæ ſonum ad 300 milliaria circiter extendent. Nec ſane incredibile eſt, tam longè audiri tormentorum ſimul exploſorum ſonos, cum notaverit Lemnius *lib. 3. de occult. nat. mirac. cap. 2.* auditum eſſe in ſummis montibus Tirolenſibus Anagrinis tormentorum fragorem, velut in aëre tonitrua, cum Chriſtiana & Turcica claſſis ad Naupactum acerrimè confligeret, quæ magna ſanè locorum, longè ultra CC milliaria eſt diſtantia: nam ad editiorem aërem montanum rectior ſoni via eſt, quam ubi terræ tumor intercedit. Hæc Autor quidem ille tanquam certa præſupponit, qui & in odoribus, & radiis lucidis ſimiles augmenti rationes indagat: nam ſi pes quadratus agri rore marino conſiti, ad unam perticam odorem ſpargit 8000. agri, quorum longitudo ad 4 milliaria, latitudo ad 3 extenditur, ad 64 milliaria ſpargent, è quo ſpatio nautæ in Americam navigantes ſæpè terræ ſentiunt odores aromaticos. Quo fundamento innixus, ille menſuram influxuum è ſideribus in terram inſtitui poſſe judicat. Sed miſſis illis extra ſcopum noſtrum conſtitutis, ad ſonorum menſuram redimus, in qua aliqua deſideranda eſſe exiſtimamus. Nam raro ſonus omnium corporum tam accuratè æqualis; nec omnia loca tam plana, & ad transmittendos liberè ſonos apta, cum & ipſe terræ gibbus ſono obicem ponat: ſed nihil vetat illa quam accuratisſima ſupponere. Deinde in protenſione ſoni radices cubicas potius, quam quadratas attendendas exiſtimarem, cum ipſe ſonus non ſub ſuperficiei, ſed corporis ratione dilatetur. Quando itaque unum ſclopetum forte per unum ſtadium auditur, 8 audientur per duo, 27 per tria, 64 per quatuor, & ſic deinceps. Eandem ob cauſam

exiſti-

existimarim, Buccinam illam magnam Alexandri Magni, cujus supra mentionem fecimus, si LX tubæ minores, quæ seorsim forte ad unum milliare sonabant, à LX viris simul inflatæ, ad LX milliaria sonum protendere potuisse, præsertim cum sonus in vastiore illa cavitate magis multiplicaretur. Quod si jam tubam unam Stentorophonicam ponamus ad milliare unum audiri, secundum hypothesin Petri 4 ad 2 milliaria, 9 ad 3, 16 ad 4, 25 ad 5, 100 ad 10, 1000 ad 100 milliaria audientur. Quando itaque homines cum 10000 tubis ita ponuntur, ut muros urbis è propinquo circumstent, vortices aërei, qui ad 100 milliaria aliàs propellerentur, muros ex omni latere pulsant, mirâ circulorum confusione, & radiorum resultatione perpetuâ, novâ sonorum successione semper auctâ. Quâ ratione impulsus à termino 100 milliarium ad perticas aliquas constipati non exiguum pondus esse verosimile est: ne quid dicam de aëre infinitis modis à se per minima divulso & rarefacto. Quod cornua illa arietina, quæ inflarunt Israëlitæ, attinet, nec eorum exiguus sonus fuit. Magna enim soni è concavo mugientis vis est. Imò ipsum illum mugitum, quem tauri edunt, si Æliano *lib. 10. de Anim. cap. 7.* credimus, à triginta stadiis percipiunt vaccæ. Ἀπὸ τριάκοντα σαδίων ἀκούειν ταύρου βοῦν ἐρωτικὸν σύνθημα καὶ ἀφροδίσιον μυκωμένου φασί. *Vaccam à 30 stadiis audire ajunt tauri mugientis signum, ac velut tesseram Veneream.* Fortasse & locus ipse, ut jam supra innuimus, multum ad augmentum soni conferre potest. Certum enim est, quibusdam in locis longè intensiorem formari sonum, qui non formatur in aliis: Cujus elegans exemplum Kircherus in Phonurgiâ *lib. 1. sect. 6. cap. 1.* affert, ubi de experimentis tubæ Stentorophonicæ in monte Eustachiano factis agit. Repercussiones enim crebræ vehementer augent sonum, quod & experimento è Varenio supra allato patet, ubi minore sclopeto intra montium anfractus exploso, tantus sonus excitatus, ut ille, qui explodebat, metueret, ne totus secum mons corrueret. Imò non desunt, qui certas cavernas certis sonis, ut chordas non omnibus, sed æquisonis respondere existimant.

Denique & hoc à quoquam adduci possit: cum terræ tam spissum & firmum corpus per sonum non adeò magnum ita concuti possit, ut tremat, annon & idem muris contingere possit. Straussius in Itinerario Moscovitico-Græco, Germanicè scripto *cap. 4. lin. 3.* campanæ maximæ 3940000 librarum meminit, cum pistillo 1100 librarum, cujus sonus adeò horribilis, ut ipsam terram concuteret, quod & nonnulli de campanâ Erfurdensi asserunt, cujus sonus teste Kichero ad *6* milliaria Germanica auditur. Meminit & Mersennus fistulæ in organo pnevmatico, cujus sonus tam validus fuit, ut penè terram dehiscere metueres. Ita Daniel Bartoli observavit argenti vivi in vase motum, cum curruum per plateas agitatione move-

moveretur terra, non usque adeò vicina. Notum eſt, aure terræ admota, è longo ſpatio audiri poſſe rotarum & equorum ſtrepitus. Sed tamen magna differentia eſt pro qualitate terræ: nam cavernoſa vel continua, quæ multum aëris continet, longius ſonum protendit, quam uliginoſa, paluſtris & ſabuloſa.

Illa, quæ hactenus vel è Merſenno produximus, vel in Merſennianæ ſententiæ gratiam ipſi adjecimus, ſatis ſpecioſa videri poterant, neque quicquam tam ſtupendi effectus gloriæ detraherent, ſi cogitemus, plus eſſe in naturâ miraculorum, quam opinentur aliqui, quæ ſuis cauſis, ſed nobis ignoratis, conſtant, ab opifice autem hujus univerſi certo quodam conſilio ſibi ſoli reſervantur & nonnunquam in ſui nominis gloriam manifeſtantur. Sed malumus nos, ne quam profanis hominibus ſecus ſentiendi occaſionem ſubminiſtremus, vel DEI ipſius vel angelorum immediatam operationem, præ naturali cauſa agnoſcere: præſertim cum & Apoſtolus *Hebr. 11. v. 30.* unicè fidei hanc murorum ruinam adſcribat. Accedit præterea ille circuitus ſepties repetitus, ſilentium imperatum & cæteri apparatus omnes è præcepto DEI præſcripti, qui divini aliquid ipsâ illâ ſpecie oſtendunt. Ne quid dicam de eo, quod aliqui in dubium vocent, à populo univerſo tubas fuiſſe inflatas, inter quos eſt Bonfrerius operosè adverſus ſecus ſentientes diſputans. Quo caſu non tanta ſoli clamori ſoliſque tubis ſacerdotalibus vis adſcribi poſſe videtur. Recentius exemplum ſimilis miraculi affertur à Lipſio *lib. 1. cap. 2. monit. 4.* de Avallonis urbis à Roberto Galliæ Rege ſanctisſimo obſeſſæ muris ſponte corruentibus, ipſo interea laudes hymnosque cum ſacerdotibus in tabernaculo concinente. Cui non disſimile eſt, quod Hedion *Hiſtor. Eccleſ. Part. 3. lib. 2. cap. 7.* habet de Saxonibus & Pictavis à Britannis per vocem Halleluja, Epiſcopo præcinente, ipſis concinentibus, in fugam converſis. Præterea hanc hiſtoriam ut typum mundi, per novisſimæ tubæ clangorem ac vocem divinam evertendi, intueri debemus: ut enim verbo DOMINI creatæ ſunt terræ, ita & voce tubæ novisſimæ disſipari poſſe ac debere novimus. Quanquam & hic ſunt, qui tubæ Angelicæ ſonum naturali ratione terram convulſurum exiſtimant, ut alii eum conflagraturum ſpeculi alicujus cauſtici ab Angelis ex aëre fabricandi ope, autumant, de quibus videatur Pandulphus *libro de fine mundi, in diſputatione Pythagorica* pasſim. Emphatica iſta ſunt, quibus vocis divinæ vis deſcribitur, ut *Pſalm. 29.* quod *confringat cedros, ſubſilire faciat eas ſicut vitulum Libani, & montes ſicut filium unicornuum, concutiat deſerta.* Quanquam & iſta de tonitru accipiantur. Ita *Pſalm. 45. Dedit DOMINUS vocem ſuam, & mota eſt terra.* Apud *Eſaiam 6. v. 4. Voce Cherubinorum τρισάγιον* ſuum inſonantium *commota ſunt ſuperliminaria cardinum.* Quibus lo-

cis voci etiam divinæ & Angelicæ illam corpora movendi potestatem tribui videmus. Poëtæ quoque nostri, (ne & hos omittamus,) quam decorè & ad rei veritatem clamorem magnum describunt! De Cyclope Virgilius:

Clamorem immensum tollit, quo pontus & omnes
Intremuere undæ.

Et de alio; quod cornu recurvo

Tartaream intendat vocem, quâ protinus omne
Contremuit nemus & sylvæ intonuere profundæ:

ubi significanter Tartareum sonum vocat, qui cornu editur: eleganter etiam alibi misceri æquor clamoribus dicit. Quarum descriptionum majestatem & πάθον nullus cæterorum Poëtarum est assecutus. In iis enim admirabile elucet Poëtæ nostri judicium: cum Homerus aliique Poëtæ multis modis ineptiant. Cæterum quæ Virgilius Poëtarum more de Cyclope, & Homerus de Achille & Stentore, aliqui de nonnullis historicâ fide tradunt. Anna Comnena *Alexiados lib. 1. pag. 24. edit. Paris. Regia*, de Roberto Normanno, qui postea Dux Lombardiæ, hæc testatur: *Vocis sonum quod attinet, Homerus quidem de Achille memorat, eo loquente videri solitum adstantibus, sese vocem audire tumultuantis multitudinis.* Τούτου δὲ τοῦ ἀνδρὸς, ὥς φασι, τὸ ἐμβόημα πολλὰς ἐτρέπετο μυριάδας. *Hujus autem, ut ajunt, clamor myriadas ipsas integras percelleret inque fugam verteret.* Χαλκόφωνοι illi Græcis dicebantur. Quales si hodie multi superessent, ipsis fortassis muris & fornicibus metuendum esset. Virgilius quoque noster descripturus cicadarum molestum & continuum cantum, quam scitè ait:

Cum cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ:

quasi scivisset, aut conjectasset Poëta, unisono & continuo cantu rumpi aliquid posse, ut eo velut extremo sonum talem describeret.

Cap. XV.

Excursus de voce humanâ. Ejus varia & penè infinita modificatio. Ars, quæ à nativitate surdum, itaque mutum, per visum informat, ut loqui ipse discat, & per visum alios loquentes percipiat. Wallisii super illâ re tentata. De naturâ & formatione literarum qui scripserint. Petri Montani liber de Pronunciatione. Williami Holderi, Helmontii, de hoc argumento meditationes. Bonneti Hispani de hoc argumento liber. Ante illum Poncius hanc artem professus. Franciscus Lana & Schottus notantur. Exempla alia allata. Ars illa longe antiquior. Rudolphi Agricola & Vivis testimonium. Surdus ac mutus Musicas docere consonantias potest.

Verum

VErum nos, dum de sono explosivo disserimus, extra scopum impetu ejus projecti, redimus tandem in viam. Iste quia penè infinitè superat proportionem motus, qui inter sonora corpora intercedit, dum universum aërem movet, simul interna compactorum corporum pervadit, ac interdum rumpit. Alia verò ratio est vocis humanæ, certo tono vitri intima subeuntis ac rumpentis, quam supra dedimus. Hîc enim unà cum impetu, sed mediocri, jungitur particularum minimarum in aëre protruso talis compositio ac figura, quæ poris vitri æqualis penetrare illos possit. Illum enim requiri argumento est: quod non nisi vocis vel tubæ, aut alterius cujusdam idonei instrumenti pnevmatici sono, qui in utroque non absque impetu est, sonus in vitro provocari possit. Hanc ipsa rei ac effectus evidentia quasi ob oculos ponere videtur. Nec mira assertio nostra illi videbitur, qui perpenderit secum, quam varii formentur, gutturis, lingvæ, oris, dentium, labiorum vario positu soni, elati, molles, asperi, clari, obscuri: quam infinito inter se numero tot literarum soni componantur; quam præterea affectibus temperentur. Singulorum enim peculiaris ratio est, & accurata determinatio. Quid quod adeò eorum sibi constet distinctio, ut ad regulas alligata artem pepererit, quâ aliquis à nativitate surdus, atque ideò mutus, informari possit, ut & oculis motus illos percipiat, distinguat, ac imitari ore discens tandem ipse loqui incipiat aliis intellectus, aliosque loquentes visu percipiat, probeque sonos eorum intelligat ac exprimere norit, etiam cum barbara verba & lingvâ sibi per informationem ἀποδεικτικῶν non cognita loqvuntur.

Sollicitos, ut video, habuit res ista Viros in Angliâ celeberrimos. Inter eos Wallisius est, cujus exstat prolixa ea de re epistola ad Dn. Boilium scripta in Actis Philosophicis Anglicis Num. 61, quâ excogitatam hanc ab se artem pluribus exponit, cui specimina quædam istius Autoris Actorum editor subjungit. Fundamenta ejus artis in libro de loquelâ Grammaticæ Anglicæ præfixo tradit, in quo omnium literarum sonos explicat eorumque formationem demonstrare laborat. Quo etiam in argumento Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, libro de Locutione ac ejus instrumentis, Erasmus de Pronunciatione, Scaliger in libro de Caussis Latinæ Lingvæ, Bernardus à Malinkrot tractatu de Literis, Cordemoy Dissertatione elegantissimâ de Verbo Gallicè scripta; præ cæteris verò singulari ἀκριβείᾳ versatur Petrus Montanus, Sacerdos Batavus, libro de Arte Pronunciandi patriâ linguâ edito. Est & alius William Holder, qui Anglicâ lingvâ ante aliquot annos etiam de surdi & muti informatione librum edidit, qui additur tractatui ejus de elementis loquelæ. Admiscetur & ab Helmontio, Filio, in Alphabeto suo vero Naturali (ut vocat) Hebraico

ſimilis quædam de ſurdo ac muto in lingvis informando diſſertatio. Sed nemo unus, quantum ſcio, mentionem fecit hominis Hiſpani, de quo extat apud Digbæum *Tract. de Nat. Corp. cap. 28. num. 8.* narratio, qui integrum eo de argumento librum jam ante quinquaginta annos patriâ lingvâ conſcripſit. Nec fugere tamen ejus notitia illos è Digbæi libro poterat, qui diligentisſimè hiſtoriam rei recenſet, adducto exemplo Principis, cui homo iſte Hiſpanus præcepta illa præſcripſerat, quibus id effecit, ut ſummo omnium ſtupore intelligere alios loquentes ac loqui ipſe expeditè potuerit. Diu fruſtra quæſivi librum, donec tandem illum nactus fui. Titulus verò ita habet: *Reduction de las lettras y arte para enſeñar a ablar los mudos;* id eſt: *Reductio literarum & ars informandi mutos, ut loquantur.* Autor eſt *Juan Pablo Bonet, Barletſerbant de ſu Magd. entretenido cerca la perſona del Capitan Gen de la artilleria de Eſpaña, y Secretario del Condeſtable de Caſtilla.* Ea enim ipſe munera ſua nominat. Quem tamen Sacerdotem Digbæus vocat. Liber editus eſt Madriti, in quarto, apud Franciſcum Abarco de Angulo Anno 1620. ac Regi ipſi inſcriptus. Eo in libro prolixè omnium literarum ſonos eorumque formationes tradit, artem quoque ad numerorum doctrinam & Græcam lingvam extendit, modumque monſtrat, quo methodus illa cæteris in lingvis inſtitui posſit. Sed aliis tamen indiciis, non primum ipſum fuiſſe hujus artis inventorem, conſtat: nam apud Valeſium Poncii cujusdam mentio fit, qui hujus artis aliqua documenta dedit. Id verò mirum mihi viſum eſt: Franciſcum Lanam in Prodromo Artis Magiſtræ, libro Italicè ſcripto *cap. 4.* negare, de iſtius artis præceptis quicquam libris traditum, cum tamen Digbæus, cujus illic locum citat, ſcripti ejus mentionem injiciat. Errat & inſigniter Schottus, qui in *Technicâ curioſâ lib. 7. cap. 1.* mutum illum, à Bonneto edoctum literas, & cujus meminit Digbæus, autorem exiſtimat eſſe libri de unitate ſermonis ſcripti. De aliis quibusdam refert idem Schottus *Phyſ. curioſ. lib. 3. cap. 33.* naturâ docente è motu labiorum obſervatione asſiduâ ſermonem eos intellexiſſe. *Novi*, inquit, *in Sicilia virum doctisſimum è Societate noſtra, qui ſurdus erat penitus, & tamen promptisſimè de quavis re, tam cum noſtris, quàm cum externis agebat, tametſi nullum perciperet verbum, dummodò labiorum motum loquentium videret. Hujus rei experimentum manifeſtum tunc vidi, cum virum alium, ejus rei experimentum capere volentem perſpexi diu cum illo colloqui, nullo prolato verbo, ſed ſermone tantùm lingva ac labiorum motu efformato. Idem notatum fuit in P. Paulo Layman, viro æquè pio ac docto; qui cum fiſtula ænea incautâ exploſione propè aures illius factâ in ſolemni quadam procesſione, vim audiendi propè omnem amiſiſſet; asſiduâ poſtea oris loquentium obſervatione didicit viſu percipere, quod non poterat auditu.* Similem in quodam Sabaudiæ Principe ope-

operam impendit ingeniosissimus Comes, Emanuel Tesaurus, cujus exempli testis αὐτόπτης fuit, qui mihi hæc narravit, Vir amicissimus, ut juris scientiâ, ita elegantium literarum culturâ laudatissimus Dominus Axenius.

Hanc vero artem, si non totam, certè magnâ sui parte longè esse antiquiorem quis conjecerit, si, quæ Rudolphus Agricola, qui ante CC. annos vixit, *lib. 3. Invent. cap. ultimo* scripsit, perpenderit: *Vidi*, inquit ille, *surdum à primis vitæ annis, & quod consequens est, mutum, didicisse tamen, ut quæcunque scriberet aliquis intelligeret, & ipse quoque, tanquam loqui sciret, omnia mentis suæ cogitata perscribere posset.* Cui ægrè fidem habet Johannes Ludovicus Vives, qui in *lib. 2. de animâ cap. de discendi ratione* hæc habet: *Quò magis miror fuisse mutum & surdum natum, qui literas didicerit: fides sit penes Rudolphum Agricolam, qui id memoriæ prodidit, & se illum vidisse affirmat.* Huic Vivis loco, qui libri, quo utebar, possessor fuerat, simile exemplum de Sutore quodam in margine adscripserat. Non potuerunt autem ista absque præceptis peragi: Unde enim literarum potestatem sciret surdus ac mutus, nisi à vivo præceptore fuisset demonstrata? Quomodo surdus ac mutus musicas docere consonantias possit, ac organa musica concinnare, vide Bettin. *in Apiar. Mathemat. X. Progymn. 1.*

CAP. XVI.

Excursus de mirabili efficacia sonorum corporibus proportionatorum. Multi in orbe soni. Harmonia orbium cœlestium Pythagorica. Kircheri & Campanellæ votum. Rabbini è cælestibus influxibus vim illam soni arcessunt. Orphei lyra ad cœlestis harmoniæ influxus temperata creditur. Enthusiastarum somnia. Sensus sonis & phantasia corporibus à quibusdam adscribitur. Figlina opera carmine rupta. Orpheus an vere saxa fidium cantu attraxerit. Feræ per musicam domari possunt. Testimonia & exempla adducta. Serpentes an certis vocibus rumpantur. Quædam literæ & soni animalibus vel grati, vel ingrati. Literarum cum sonis corporum symbolismus. Exempla nonnulla. Aves imitatrices sonorum. Tarantulæ certis sonis & cantibus moventur. Eadem mortuæ & discissæ sonis quasi resuscitari videntur. Moribundos concentus & instrumenta magnopere afficiunt. Torpedo vivens mortuos pisces ad motum irritat. Causa, quare Tarantulæ sono moveantur diligentius inquirenda. Insecta exquisito tactus sensu prædita. Socordia in vi Musices accuratius indaganda notatur. Disciplina odorabilium à quodam inventa. Causa quare in Musices efficaciâ indagandâ tam parum proficiamus. Instrumentorum varietas diligenter examinanda. Tibiarum plurima antiquis genera singulis singula usibus desina-

ſtinata. Indoles ſoni accuratè inveſtiganda. Rhythmorum tempora affectibus applicanda. Exemplum in tympano & tubâ ad pugnas ſollicitante. Merſennus prima lineamenta duxit Muſicæ antiquæ reſtaurandæ. Poſt illum Iſaacus Voſſius.

PRolixiores, quam decebat, fuimus in hiſtoriâ de Muti & Surdi informatione, invitavit enim rei novitas & occaſio varietatis in ſonis, qui ore proferuntur. Longè mirabilior eſt ſonorum harmonicorum efficacia, quorum ope multa in natura miranda produci poſſent, ſi eorum naturam plenius perſpectam haberemus. Rectisſimè Kircherus in *Muſurg. lib. 9. cap. 7. Eſt abdita quorundam ſonorum vis ad certa quædam corpora ita proportionata, ut illa tantum, non alia moveat, in unis vim ſuam, non in aliis imprimat, ſicuti magnes non in lignum, plumbum ſimiliaq; vim ſuam exercet, ſed in conſimili corpore; ita certi ſunt ſoni, qui certis quibusdam corporibus excitandis apta ſunt & proportionata. Quam proportionem ſi quis ſciret, haud dubie maxima naturæ miracula ejus ope patrare poſſet.* Veritas ejus aſſerti vel hoc vitri per vocem fracti experimento demonſtrari poteſt; quod ægrè quis crederet, ni αὐτοψία & tot teſtibus res illa pateret. Conjicere itaque vel ex uno hoc licet, plura talia in natura latitare arcana nobis hactenus ignorata, plura priſcis fuiſſe ſeculis cognita, quæ jam ſunt obliterata. Pythagorei harum ſpeculationum ſublimitate eò abrepti, ut orbium cœleſtium motus ſvavisſima & ineffabili harmonia inter ſe conſonare crederent; Cui ſententiæ quodammodo adſtipulatur Kircherus *Muſurg. lib. 6. cap. 1. theor. 9.* nihil ſtatuens in hoc eſſe univerſo adeò immobile, quod non aliquem ſonum, etſi nobis inſenſibilem producat: adeò ut ſi DEUS potentiam auditivam hominis confortaret, pro infinita corporum motu aëris percuſſorum varietate, variaque conditione & qualitate innumerabilem quoque harmoniæ varietatem eſſet perceptura. Campanella ſanè exiſtimabat, fore, ut aliquando inveniantur aurium ſubſidia, ut oculorum, teleſcopia, quibus illa orbium muſica audiri poſſet. Non deſunt etiam inter Rabbinos & hodiernos Enthuſiaſtas, qui ſvavibus illis ſomniis animos ſibi paſcunt. Et illi quidem de Davidis cithara mirifica jactant: ajunt enim, illam fuiſſe decachordam ad exemplar arboris Sephirothicæ conſtructam, ac decem divinarum virtutum effluxibus velut fructibus quibusdam fœcundam: ajunt & Davidem ſidus illud cognoviſſe, cui concentus conjungendus eſſet, ut phreneſis retunderetur. Quâ arte & Orpheum uſum fuiſſe crediderunt, cum ſaxa & ſylvas traheret citharæ ſono ad motus orbium cœleſtium compoſito. Enthuſiaſtæ nonnulli mira hic quoque ſomniant de divinâ ſonorum arte, quomodo ſcilicet ad immanem diſtantiam C & plurium milliarium illi propagari posſint, quomodo vocis etiam noſtræ ſonus ad amicum

qua-

quacunque distantiâ positum possit pertingere. Quos suis deliciis ebrios sibi sapere permittimus. Illud sanè dissimulare non possumus, affines his videri, qui sonos corporum sensu aliquo præditos se mutuo cognoscere autumant, merito ab Honorato Fabri explosi. Helmontius sanè Phantasiam, ut omnibus corporibus, etiam inanimatis, ita & sonoris adscribere non veretur, ut jam supra notavimus. Quod si verum est, frustra in capite statuæ ligneæ cerebrum desideravit Vulpes Æsopica, nam jam dudum illa, si Helmontio credimus, phantasiam habuit. Sed negandum non est, motus excitari posse per sonos in corporibus subtilissimos, nullo ingenio deprehendendos, ut imperitus quis magicas subesse operationes credat. Multa ex illis, quæ Campanella *lib. 4. de Sensu Rerum, cap. 17.* ad vim sonorum magicorum demonstandam adducit, simplici motus ratione explicari possunt. Quibus tamen multa misceri fabulosa certum est, quæ à nonnullis magno studio congesta videas. Quibus accenseri pleraque debent, quæ Plinius *lib. 28. cap. 3.* sollicitè recenset, ubi inter alia de figlinis operibus certo carmine ruptis notat, alia certa ratione, quam vitrum, cantu rumpitur: quod magicis operationibus, qui causæ ignarus esset, facile adscriberet. De Orpheo notissima est fabula, illum saxa cantu fidium ad numeros & saltus commovisse. De Carmente sive Canente Pici Regis uxore idem asserit Ovid. *lib. 14. Metamorphoseon.* Sed illa allegoricè vel per poëticam hyperbolen dicta creduntur. Licet non desint, qui arte magicâ id effectum fuisse, ab Orpheo contendant, ut Delrio *lib. 1. cap. 4. quæst. 3. Disq. Magic.* de Fabio Paulino narrat, qui veram sylvarum & saxorum abstractionem fuisse ex Platonicorum mente disputat, & per septem modos probat; quæ refutat loco citato Delrio. Ipse quoque Campanella largus aloquin in sensibus rerum inanimatarum defendendis *lib. 4. de Sensu Rerum, cap. 18.* stolidos hos esse pronunciat, qui arbitrantur, vi sonorum ex cœlo potuisse Orpheum saxa & plantas allicere & movere. Non enim, ut ait, vis modica soni potest in maxima pondera lapidum & plantarum. Neque tantus in his sensus, qui motum arripere possit tantum. Quod soli Dæmones & Angeli factitare tantum possunt. De feris beneficio musices perdomitis non est res omnino à vero aliena. Notatur inter acta Societatis Regiæ Anglicæ, quæ Dn. Henricus Oldenburgius publicavit *num. 114.*, in enarratione libri, Anglicâ lingvâ scripti: *Epitome Artis totius Oeconomicæ cum experimentis I. B.* posse animalia fera beneficio certorum instrumentorum & rythmorum musicorum cicurari, ad servitia humana subjugari, cujus varia exempla in libro, qui illic laudatur, de *Humana industria & ingenio*, adducuntur, & eâ arte vetus illud plenumque dominium super animalia posse reduci. Ejus artis quædam vestigia etiam apud Varronem

sunt,

ſunt, cujus de re ruſticâ *lib. 3. cap. 13.* locus exhibetur. *Quintus Orphea vocari juſſit, qui cum eo veniſſet cum ſtolâ & citharâ & cantare eſſet juſſus, buccinam inflavit, ubi tanta nos circumfluxit cervorum, aprorum & cæterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formoſum mihi ſit ſpectaculum, quam in circo maximo ædilium, non ſine Africanis beſtiis, cum fiunt venationes.* Idem *lib. 3. cap. 17.* de piſcibus ad tibiæ ſonum congregatis refert. Muſicâ ſtreperâ & uniſonâ præcipuè percelli animalia poſſe ipſe teſtari poſſum. Vidi cum in Belgio naviculâ veherer, eſſetque inter vectores, qui lyram percuteret, Boves, qui in ripâ paſcebantur, ad dimidium ferè milliare, ſonum lyræ cum tripudiis ſecutos. De ſerpentibus nota res eſt, illos certis carminibus rumpi poſſe. Alcamus Arabs, quem citat Bochartus *Hierozoic. ſacr. Part. 2. lib. 3. cap. 6.* ait: *OS vel OSOH eſſe vocem, quæ cum ſerpenti dicitur, eum ſe dimittere. Forte,* ut addit Bochartus, *quia ſerpentis ſibilum imitatur.* Idem Lotichius in Petronium, *lib. 2. cap. 12. pag. 260.* teſtatur, ſerpentes conjurari his verbis *Oſii*, *Oſiia*, *Oſii* poſſe, ut loco cedere nequeant. In libro Mirabilium Saga Theſſala etiam dicitur *μιμεῖσθαι τὴν φωνὴν τοῦ θηρίου.* De Scorpionibus ſimile quid narrat Plinius *lib. 28. cap. 3.* Et ſanè non eſt de nihilo, vocum quoſdam ſonos certis animalibus eſſe vel ſvaves, vel graves, ut hominibus contingere videmus. Ita Literâ R, quæ canum quaſi propria eſt, eos offendi videmus, qui campanarum & tubarum ſono nonnunquam etiam ad ululatum cieri ſolent. Verulamius quoque obſervavit in *Sylv. Sylv. Cent. 2. num. 200.* cognationem inter ſonos ab inanimatis corporibus aut animatis, quæ articulatam vocem non edunt. Sic trepidatio aquæ ſimilitudinem cum literâ L habet: metallorum exſtinctio cum literâ Z, ſonitus ſtrigis cum S. H, ſonus felium cum diphthongo E U, vox cuculi cum diphthongo V, ſonus fidium cum N. G. Putat itaque Verulamius, ſi quis in hanc curioſitatem incumbat, ut effictæ à ſe pupulæ pronunciandum indere cupiat verbum, conſiderare primum debere motus inſtrumentorum vocis, exinde ſimiles inanimatis efformare corporibus, & attendere ad conformitatem, ſimilitudinis iſtius cauſam. Poſſunt ergo & animalibus certi quidem ſoni & literæ ita eſſe naturales, ut ad illa auſcultent. De Xiphiâ piſce certo quodam carmine à Piſcatoribus capto operosè cauſam inquirit Kircherus *Muſ. lib. 9. cap. 7.* quæ nos ſuo loco relinquimus. Aſinos ad vocem Martini ſemper reſpondere, ſunt qui obſervant. In quibus niſi conſvetudini, quâ ſe ab initio vocata meminerunt animalia, aliquid tribuendum, occultior quædam ratio ſymbolismi inter hos & animalium ſonos admittenda eſt, ad quam tamen temere procedendum non eſt. Incredibile enim eſt, quanta adſvefactionis hic vis ſit. Cujus plurima de piſcibus inprimis exempla cumulavit diligentisſimus Frommannus de Faſcinatione

tione, *lib. 1. Part. 1. sect. 2. cap. 3.* & *Part. 2. sect. 2. cap. 14.* Ita apud Chinenses anates tympanis, cum in pastum abierunt, revocantur. Nec alia illi caussa subest, quod velut prodigium notavit Meursius in Athenis Batavis, *lib. 1. cap. 22.* ubi de obsidione Leidensi agit: *Bubulum pecus*, inquit, *in pascua, tempore obsidionis dimissum, unde identidem imminentibus obsessoribus, quod mirandum, sonitu aliquo, quem dignosceret, revocatur.* In avibus manifesto deprehendere possumus, quanta fistularum & cantus vis sit in spiritibus illarum demulcendis, adeò ut ipsæ imitentur ore suo similes sonos. In cæteris animalibus, quamquam imitatio sonorum nulla sit, ob organorum defectum, apprehensio tamen eorum concedenda est. Observat Verulamius *Sylv. Sylv. Cent. 3. num. 238.* vidisse se molossum, qui ululatum auribus immissum per aliquod temporis spatium redderet. De equis certa lege ad fidium aliorumque instrumentorum sonos choreas edoctis nostri temporis experimenta confirmant. De tibiarum vi in commovendis brutis, multa Cl. Bartholinus *de Tibiis lib. 2. cap. 7.* congessit. Unum est de Tarantulis per certos sonorum rythmos motis, quod fidem penè omnem superat. Adeò enim mirabilia sunt, quæ de ipsis notarunt autores fide digni, ut suspensum hominis Philosophi animum teneant. Quæ cum fieri videamus, & tam prodigiosos in hoc insecto, omnibusque, in quos humor istius insecti transfusus est, effectus deprehendamus; vix aliis, quæ passim circumferuntur, mirabilium effectorum historiis fidem & assensum negare possumus: certè non temerè pro figmentis & fabulis habenda videntur. Sunt qui ajunt, tarantulam mortuam, imò in duas partes scissam, ad datum cytharæ cantum reviviscere. Quod si verum est, Honoratus Fabri *Phys. tract. 3. lib. 2. prop. 273.* inde provenire existimat, quod insectum illud, instar muscæ & aliorum animalculorum, nondum vitam omnem posuerit. Magnam alioquin vim etiam in spiritus fugientes, apud homines, soni harmonici habent: ut existimem tubæ alicujus sono animam agentis spiritus ad tempus exiguum revocari posse, ut fuere qui clamoribus in vitam revocati aliquo tempore, quamvis cum omnium sensuum stupore, supervixerint. Moribundis sanè nihil gratius est svavi musicâ, eorumque sensus jam penè sopitos demulcet & moratur. Neque omnino est incredibile, mortuis etiam tarantulis talem per cytharæ sonum imprimi motum posse, qui veneno ab illis excreto & in hominem transfuso imprimi potest, ut apparenter vivere videantur. Quemadmodum in torpedine vivente notat Marcus Marci, in fine Philosophiæ suæ veteris restitutæ, si inter mortuos pisces reponatur eosque tetigerit, illos se ipsos movere, ut interno quodam arcano motu cieri ac vivere videantur; qui viventes tamen per illam omni motu privantur. Certè in pedibus araneæ avulsis motum per benè

longum tempus superesse videmus. In causas hujus insoliti effectus à nonnullis inquisitum est, quibus adducendis frustra hic laboramus. Quid Kircherus, & post illum Sengwerdius tentarint, notum est: Arguta satis disquisitio Honorati Fabri est, loco superius citato, qui tamen non tantum mysterii in rythmo & diversitate cantus quærendum esse autumat. Putat enim, non tam à cantu, quàm à sono & à vibrationibus nervorum cytharæ, fibrarum vibrationibus conformibus hunc motum procedere. Sed satis vel in hoc mysterii est: ut sanè quorsum etiam nos vertamus, nostra nos destituat solertia. Accuratior, quam hactenus factum est, cura circa inquisitionem instituenda est, ut fabulosorum à veris separatione facta, certior causarum sit investigatio. Certè & Marcus Marci oscitantiam aliquam in illis accusat, qui observationes circa tarantulas instituerunt. Crediderim equidem, modo experimenta ejus rei capiantur, alia insecta, quæ præ cæteris subtiliore tactu pollent, imprimis araneas, forte & cicadas, quas natura jam ad saltus & cantum continuum disposuit, sonis quoque harmonicis convelli posse. Vel lumbricorum tam est tener tactus, ut ad exiguos pedum strepitus se proripiant: Aëris enim modificatio, qualis præcipuè in sono est, corpusculis illis, quæ meri quasi nervi sunt, facilius se imprimit.

Illa cum ante oculos nobis posita videamus, miror temporum nostrorum socordiam, quæ in sonorum accuratiore indagatione non plus operæ ponant, quam fieri nunc videmus, cum possit longè accuratior eorum notitia haberi, & olim à priscis philosophis major illorum notitia fuerit. Dici non potest, quo humanum pertingere possit ingenium, si unam aliquam rem magna animi contentione agat. Memorabile sanè est, quod Marcus Marci in *suâ Philosophiâ Veteri restitutâ, Part. 4. sect. 3. subsect. 4. lit. t.* annotavit, de quodam Religioso Pragensi, qui homines solo olfactu, impudicas mulieres, quæ plurium consortio erant usæ, ab honestis perfectè dignoscebat, ac novam scientiam odorabilium, opticæ atque acusticæ æmulam moliri cœperat; innumeras qualitates odorabiles, vulgò ignotas, quibus ipse nomina imposuit, ad certas classes revocando. Quos conatus intempestiviva mors abrupit. Quæ si circa odoratus sensum institui accuratius ab illo potuerunt; quid vetat illa quoque in reliquis sensibus, auditus præcipuè tentari, quatenus nimirum variam soni in corporibus efficaciam habent. Qua parte hactenus nobis inculta jacet divinissima disciplina. Quis enim hodiè in sonorum natura indaganda sollicitus est, quatenus illi vel morbos curant, vel affectus cient, qua in re veteres scientissimos fuisse argumento sunt tot historiæ ab autoribus fide dignis notatæ. Nos illa spernimus à simplicitate naturæ abhorrentes, dum illud quod in sonis

ἑλκυ-

ἑλκυστικὸν est, mille coloribus, figuris, & similibus nugamentis frangimus. In sensibilium accuratâ indagatione magna latet magia. Si religiosus ille odorum disciplinam eò usque perfecerat, quid non in sonis poteramus? profundissimis certe speculationibus mira confici possent. Felices essemus, si illud, quod homines per artis κακοζηλίαν de rebus naturalibus perdidimus, separare ab illo, quod purè nativum est, etiam in his possemus: quemadmodum in medicinarum præparatione illud unicè, nec sine ratione, à multis quæritur. Ita haberemus naturam in omnibus defæcatissimam, nec ingenii nostri additamentis incrustatam.

Quod si accuratiorem omnium inire rationem velimus, ad hæc præcipuè attendendum esset. Instrumentorum accurata primùm examinatio instituenda, unde de modificatione soni vel crassi, vel tenuis, vel asperi, vel acuti judicium formari possit: Hinc illorum vel in levibus, vel in vehementibus affectibus vis exploranda, ut, quod hodiè promiscuè fit, non nisi apta suis affectibus adhibeantur. Mira certe res est unâ tibiâ variè instructa, (nam penè triginta earum species fuere) tot affectus ciere potuisse antiquos. Ita Tibia Phrygia longa & pertenuis rarum & lugubrem edens sonum, ad tristiores affectus movendos: tibia Doria gravem emittens sonum, sed densum & plenum ad hymnos in Deorum sacris adhibebatur: amatoriis effectibus inserviebant Ionicæ tibiæ, acutæ & raræ vocis: ad bellicos & iracundos motus inducendos tibiæ adhibebantur, quæ acutum quidem, sed densum & plenum sonum formabant. Et sanè si quis perspicacitate mentis suæ illa rimatus fuerit, tot sonorum figuras in uno instrumento, vel ratione formæ, vel materiæ, vel crassitiei, vel tenuitatis deprehendet, ut mirari satis non possit. Singulis verò sua est indoles, sua peculiaris aëris modificatio, & diversus illius ratione effectus: quæ ad regulas certas attentâ contemplatione revocari poterant. Deinde ipsa sonorum compositio cognoscenda esset, & eorum rhythmus secundum pedes certos. Ut enim ipsa soni simplicis ratio in vibratione vel chordæ, vel alterius instrumenti consistit; ita cantus ratio sua habet pulsuum rhythmicorum tempora, illis prioribus quasi subordinata; suisque vicibus distincta. Miram in animos vim habet rhythmorum æqualitas, quod vel è rhythmis militaribus in tympano, tubâ, fistula deprehendas. Si tympano pulso adsocietur fistula vel lituus, eisdem cum tympani pulsu rhythmis decurrens, mirifice hoc animos movet. Tuba cum ad bella & arma incitat, meris pyrrichiis, intermistis subinde jambis utitur, hoc enim schemate υυυυυυυυυυ υ-υ-υ-υ υυυυυυυυυ rhythmus perpetuus decurrit, quibus minutis & fractis sonis, sed continuis & indesinentibus pulsibus, per brevissima intervalla sibi succedentibus, accedente soni asperitate, cum motu aëris

quasi rupto & serrato, mirificè in furias agitantur & quasi à se divelluntur spiritus, aliqua ipsis quasi tempestate inductâ. Hanc ob causam in Corybantum & Cybeles sacris ad furorem inducendum, tympanis, cornibus & similibus instrumentis uti solebant, quibus & Bacchæ utebantur. Quarum apparatum describit Æschylus in Edonis.

Ὁ μὲν ἐν χερσὶ βόμβηκας ἔχων τόρνου κάματον δακτυλόδεικτον.
Βίμπλησι μέλος, μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν.
Hic manibus tenebat bombos, manibus elaboratos,
Implebantq; melos, quod furorem alliceret.

Et eodem loco.

Ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει.
Ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί ποθεν
Ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μίμοι τυμπάνων δ' ἠχὼ
Ὡσθ' ὑπογείου βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.
Psalmus autem resonat.
Boumq; mugitus æmula voces reboant abunde
Ex operto terribiliter: tympaniq; echo
Tanquam subterranei tonitrus fertur turbulenta.

Planè & ad hunc modum Lucretius *lib. 2.* de Gallis.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoq; minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat cantu cava tibia mentes.

Præ cæteris, quantum constat, ad veterem hanc Musicam resuscitandam consilia dedit solertissimus Mersennus, tum in elegantissimis suis Harmonicorum libris, tum commentario in Genesin, *quæstione 57.* ubi longâ dissertione modos proponit, quibus reduci illa veterum Musica possit. Hic præcipuè urget, quod cantum attinet, pronunciationem eorum, quæ canuntur, debere esse distinctam, literas & verba seligenda, singula auditori benè intelligenda, verborum quantitates & pedes observari debere; gestus & motus corporis ad musicam necessarios; cantum debere moribus, temperamento, patriæ illius accommodari, quem excitare volumus: modum esse immutandum, quando res ita postulaverit; suos singulis passionibus animi sedandis & commovendis necessarios rhythmos *art. 7. 8.* & *16.* proponit, & multa alia, de quibus parum vel nihil solliciti sunt hodierni Musici. Idem argumentum ante aliquot annos Clarissimus Isaacus Vossius explicatius proposuit, in libro de *Poëmatum cantu & viribus rhythmi*, ubi ostendit, hodiernam Musicam adspirare non posse ad gloriam antiquæ illius, & viam monstrat, qua ad perfectiorem Musices scientiam pervenire possimus. Mersennus ad rem tantæ utilitatis omnes philosophos, medicos

atque

atque musicos provocat. Ejus Musices apud antiquos tantam efficaciam fuisse ajunt, ut totæ illâ Respublicæ quasi temperarentur; ac Plato mores & statum Reipubl. huic connexos esse judicarit. Legendus est Aristoteles Politicor. *lib. 8. cap. 5. & 6.*

CAP. XVII.

Musica vis in affectibus movendis. Utrum Phantasia, an spiritus & humores moveantur. Ipsi nervi moventur. Exemplum Equitis Vasconis, cujus vesica phormingis sono ad urinam reddendam incitabatur. Quæ causa? Chinenses Medici statuunt vesicæ viam & spiritus ad aures pertingere. De Chinensium doctrinâ medica quid sentiendum. Gingiva per stridulum cultri sonum cruentata. Dentes illo hebetati. Ratio Fracastorii. Epilepsia à sonitu cornu inflati. Omnis sensatio est quasi motus harmonicus. Ipsa vita in pulsuum rhythmis & proportione membrorum harmonica consistit. Sangvis an per verba sistatur. Historia de agyrta quodam. Morbi an per musicam curentur. De Tarantulis rationes aliquæ adducuntur. Chorea S. Viti. Convulsiones saltuares à variis causis internis & externis. Motuum illorum sympathia. Ex epileptica adspectu epilepsia. Pestis per Musicam curata. An morbi per fistulas è certis lignis vel plantis paratas curari possint. Negat adversus Portam Kircherus. Ejus rationes non satis validæ omnes. Mures & serpentes per tibiolas ex ossiculis eorum congregati. Ligna arboris per ventum dejecta semper crepant in partibus suis. Ut & carbones arboris fulmine percussæ. An sonorum in spiritus efficacia sit. Magici sonorum effectus. Jamblichi hâc de re philosophia proponitur. Magorum Lapponum tympana. Campanæ Dæmonum evocatrices. Vasorum è cupro apud Chinenses sonus imperio ominosus. Soni prodigiosi.

Mirabiles ab antiquis Musices recensentur effectus in furore, amore, sedando, inducendo, quorum exempla, ut notissima, cumulare hic nolumus. Eorum causa si indaganda est, videndum, an spiritus primò, an verò phantasiam soni moveant. Sunt, qui prius illud negatum eunt, ideò quod dormientes non afficiantur. Sed alius tùm status est spirituum in corpore. Imò nec ipsos tenerrimos spiritus tantùm, sed & humores corporis cæteros movere potest sonus, quod graphicè adeò ob oculos posuit Honoratus Faber *Phys. tract. 3. lib. 2. prop. 270.* ut addi nihil possit. Nec humores tantum, sed & ipsam nervosam partem & membranas vellicat. Exemplum est in Equite illo Vascone, cui phormingis sono audito vesica statim ad urinam reddendam vellicabatur. Cui simile extat *Anno 1. Ephem. Nat. Curios. observ. 134.* Rationem hujus reddit Marcus Marci

in Phil. V. Rest. Part. 4. pag. 452. quod idea soni connexa erat illi ideæ, quæ præest musculo vesicæ. Quæ an rem omnem conficiat, alii viderint. Si Chinenses audimus, quorum medicinam & anatomen nuper orbi Europæo exhibuit Andreas Cleyer: Is in tractatu de Pulsibus, *cap. 29.* ita: *Vesica via & spiritus pertingunt ad aures, & per illas quinque voces seu sonos percipiunt:* in promptu jam causa esset & in connexione illa quærenda. Sed mirabilis illa Chinensium circa pulsus doctrina, quam præ Europæâ in cœlos extulit laudibus Vir quidam Clarissimus, parum hebet solidi. Omnia sunt incerta & nugacissima. Quid huic opinioni tribuendum sit, viderint Medici. Omnis alioquin in illis libris anatome commentitia est, & ex ingenio conficta. Cujus commatis etiam illa sunt, quod ex auditu quinque sonorum ægri morbus indagari possit: hepar habere vocem gementis, cor ridentis, stomachum cantantis, pulmonem flentis, vesicam singultientis, si ergò ad fletum æger inclinat, laborare pulmonibus, si cantare gaudet, stomacho. Qualia profecto

Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

Priori illi simile est, quod apud Bartholin. *Cent. IV. ep. 152.* habetur, de Boylii servo, cui quoties cote cultros acuebat, ingratus iste stridor gingivas cruentabat, ut sangvis inde profunderetur. Solet idem sonus aliis hebetare dentes, cujus causam hanc suppeditat Fracastorius *de Sympath. cap. 14.* quod applicatione in angusto facta, membrana auditus quasi ista offendatur, unde & contrahatur repente, ac cum ea simul & nervuli quidam usque ad radices dentium, in quem locum subito recidens novus aër horrorem quendam circa dentes faciat. Notavit & Forsterus in observationibus singulare exemplum feminæ cujusdam, quæ sonitu cornu inflati in Epilepsiam inciderit. Uti enim densatio & multiplicatio soni in hoc instrumento est, ita spiritus quasi in orbem rotantur, ut ille, qui aliquo tempore cornu inflat, cerebrum & caput concuti sibi sentiat. Quare teneriores spiritus facile ad convulsivos motus tam incondito sono disponi possunt.

Quos in partibus quibusdam nervosis motus per sonum excitatos observamus, eos toti nervorum systemati imprimi posse dubium nullum est. Omnis sensatio nostra quasi in motu harmonico consistit, cum ad æquales specierum sensibilium vibrationes nervi æqualiter commoveantur, ad instar chordæ unisonæ, in æqualibus illi refugiant, & doleant. Imò ipsum illud corpus humanum quasi cythara quædam est, nervis suis, ut fidibus constans, ut pulchrè & appositè imaginem ejus delineat Berigardus *Circulo Pisano Part. 6. circ. 12.* Ipsa illa vita nostra, ille aër, quem haurimus, harmonicâ suâ dimensione constat. Pulsus arteriæ suis quibusdam rhythmis constant, quos ad musica tempora quorundam reduxit solertia. Quid-

ni ergò & nervi vibrationum capaces sint, quas in totâ sangvinis massâ totoque corpore deprehendimus. Ne quid dicam de membrorum proportione, quæ & ipsa harmonici quid habet, ut videmus naturam in plantis, e. gr. in equiseto talem intendere, ad cujus internodiorum mensuram Kircherus omnes tonos fabricare eleganti experimento docuit. Notum etiam est, veteribus creditum fuisse, sangvinem carminibus certis & verbis sisti posse, quæ Homerica vocabatur curatio; quam Galenus ipse non contemnit. Illam verò superstitionem diligenter discussit Naudæus *de stud. militar. lib. 1. mem. 33.* Per se enim verba nihil efficiunt, nisi verbis phantasia simul moveatur, ut factum est à quodam agyrta, qui, cum omnes medici frustra laborassent in sistendo ægroti sangvine, & penè extrema illi instarent, inopinato sermone allocutus est circumstantes: *Quid miserum illum vexatis remediis vestris, illi jam moriendum est:* quâ voce ex terrore ægro incusso statim sangvinis fluxus cohibitus, & adhibitis medicamentis ille pristino vigori restitutus. De Salutatoribus, qui verbis, precibus, curationes morborum instituunt, alibi agendi locus erit.

Quid mirum itaque, si tantum sonis in spiritus, nervos, humores licet, idem illis licere in morbos, qui eorum pravâ dispositione oriuntur. Nam si in ordinem illi redigi possunt, sanitas corpori inducetur. De Davide è sacris notum est, illum à Saule spiritum malignum abegisse. De Rege Erico in furorem per musicam artem conjecto Saxo Grammaticus, Olaus Magnus, & alii tradunt, quod fabulosum habet Isaacus Vossius. De illis, qui à Tarantula veneno infecti sunt, res notissima est: illos per certos sonos harmonicos ad choreas impelli, quibus veneni vis, per sudorem discutiatur. Quâ in re mirandum est, homines omnis artis saltatoriæ rudes decorè tamen, & ad artis leges motibus suis cantus exprimere mensuram. Cui similis illa furoris species, qua aliqui in choreas sponte impelluntur, quæ à S. Vito nomen habent, Corybantibus illis veterum non absimiles. Ac refert Platerus *Obs. lib 1. pag. 92.* istis convulsionibus quassatum virum gravem, cum sibi à saltatione temperare vellet, in risum immodicum & totius corporis agitationem morbum hunc erupisse. Scilicet ut titillationibus sub plantis pedum & axillis fibræ motrices subsultant, cum quâdam delectatione dolori mistâ: ita & in his affectibus fit, quibus humor aliquis titillans variis salinis spiculis nervos indesinenter vellicat, sed blando & æquali motu, unde illa tripudiatoria spirituum dispositio, quam etiam notarunt in nonnullis lacte caprino nutritis viri fide digni, & quotidie in ebriis videmus, quibus subtiles illæ vini particulæ volatiles, in motus saltuares spiritus impellunt. Quibus si accedent æquales fidium numeri, in saltus agitabitur, qui ita dispositum corpus habet. Nam & ab illis vix

sibi

ſibi temperant, qui ſatis alioquin ſani, mobiliores & agiliores ſpiritus habent, cumque in ſaltus ſe, verecundia retenti, non diffundunt, pedum plauſibus, & tacito membrorum motu cantilenæ rhythmos imitantur. Solent, & qui concentibus muſicis interfuerunt, diu circumferre modulos illos cantuum: qui niſi rationis arbitrio ſe permitterent, ſponte in numeros & tripudia raperentur. Ariſtoteles id teſtatur *Polit. lib. 8. cap. 5.* *Ἀκρoώμενοι τῶν μιμήσεων, γίγνονται πάντες συμπαθεῖς καὶ χωρὶς τῶν ῥυθμῶν καὶ τῶν μελῶν αὐτῶν. Qui audiunt imitationes, convenientes eis efficiuntur, etiam ſine rhythmis & cantibus ipſis.* Imò tanta eſt nervorum conſpiratio, ut ex adſpectu motuum epilepticorum puella eâdem correpta fuerit, uti ad oſcitationem unius oſcitat alter, teſtibus Ephemeridibus Germanicis *in Ann. 4. Obſervat. 43.* De Peſte quoque per Muſicam curata antiquis autoribus traditur: à qua ſaltem præſervari potuiſſe credibile eſt: cum per muſicam excitati ſpiritus vividi ſemper & efficaces, facile diſpulerint maligni aëris nebulas, quæ ſpiritibus per metum & quietem quaſi fixis facilius ſe inſinuant, atque humores & ſangvinem ad fermentationem diſponunt.

Sed certis inſtrumentis atque cantibus morbis medicinam fieri poſſe, ajunt quidam. Inter veteres Theophraſtus, Hiſmenias Thebanus; inter recentiores Johannes Baptiſta Porta ſingularem ſolis tibiis è ligno, plantâ, aut materiâ morbum ſympathia quâdam reſpiciente, confectis, ſi illæ inflantur, morbis medicinam fieri poſſe putarunt: ita ſi ex helleboro fiſtula conficiatur, ſonitu ejus lymphaticos curari poſſe exiſtimat Porta, fiſtulâ ex populo arbore iſchiadicos dolores, è cinnamomi cortice animi deliquium. Operoſe illum refutat Kircherus *Muſurg. lib. 9. cap. 8.* ineptam enim hanc muſicæ ſociationem putat & ſuperfluam, ſi res illæ virtutem ſanandi per ſe habent, & per applicationem ſuam. Fruſtra itaque per plura fieri, quod poſſit per pauciora & propiora. Sonum tanquam ſpeciem intentionalem nihil addere novarum virium. Ego quidem plus in his rebus perſvaſioni dari crediderim, & vanè multa excogitari, ſed tamen rationes Kircheri non omnes probo, ut mirer hic ſe adeò difficilem præbere, qui tamen *cap. 7.* ejusdem libri dixerat: *Si quis proportionem ſoni, quam quisque ad 4. humani corporis humores posſidet, cognoſceret, nullum tam obſtinatum malum, infirmitatemq́; ita radicatam fore, quam non ſola hujus ſoni vis depelleret:* & *cap. 5.* ejusdem libri eleganti experimento ſcyphorum vitreorum diverſis liquoribus impletorum oſtenderat, quam diverſimodè humores in nobis, pro eorum indole, per muſicam moveantur. Et ſanè ſi fiſtulæ imprimis, ut è medicis veteribus conſtat, ad morbos nonnullos feliciter adhibitæ fuerunt, quorum exempla diligentisſimè colligit Caſpar Bartholinus libro de *Tibiis 2. cap. 2.* non adeò ineptum, ſi materia non quævis ad fiſtulas, ſed

mor-

morbo certo apta sumatur. Sonum enim aliquid è materia trahere, negari non potest. Varie enim ille modificatur pro ejus indole, ut in variarum tibiarum lignearum, metallicarum, ossearum genere videmus. Deinde & falsum hoc est: sonum ut speciem intentionalem nihil addere virium. Cum enim sonus per se, ut notum est, vires incredibiles habeat, quare negemus illi vires, si idoneæ materiæ jungatur? Certè in affectuum commotione delectus tibiarum, ratione materiæ & formæ, magnâ cum curâ fuit institutus, & sanè horum sonorum diversitatem sentire quilibet potest. Si aqua in vase ex antimonio confecta vim emeticam statim nanciscitur, quidni in fistulâ è simili metallo confecta aër aliquid subtilioris effluvii in spiritus ægrotantis transfundat? Mirabilis certè effluviorum & modificationis harmonicæ vis est. Sed de his omnibus nihil temerè pronuncio, verum ulteriori disquisitioni excutiendum relinquo. Antiquorum ego observata & tradita non usque adeò spernenda esse existimo. Tibiolâ ex ossiculis regis soricum confectâ, & pelviculâ ejus pelle intensâ mures; tibiolâ ex ossiculis regis serpentum confectâ serpentes congregari quidam existimant. Videantur memorabiles historiæ apud Burggravium in Achille Panoplo, *pag. 76. & 77.* Nec desunt aliæ, de tympano è Zisca Hussitarum Ducis pelle in terrorem hostium confecto, item de muribus & pueris Hamelensibus per certas fistulas evocatis. Quæ pro fabulosis credo multi habebunt, neque ego vera dixerim, nullo edoctus experimento: Quâ enim ratione mortui muris os, per sonum in alios mures agat, nulla vi mentis indagare possumus. Sed illi tamen, qui præfractè negant, respondeant mihi, quam ob causam ea, quæ è lignis vento dejectis fabricantur, semper ingruente vento crepent, quasi scilicet sonus iste primus à vento arboris minima valide perflante productus, fibris singulis ita sit impressus, ut recurrente vento in partibus audiatur, tranquillo aëre sopitus. An fortè cùm per rupturam illam valide tenduntur, & quodammodo translocantur fibræ totius arboris, aër ille flatulentus se insinuat minimis, & aëre ad similem dispositionem reducto interior ille rursus provocatur, ut cum impetu prorumpat? Idem de carbonibus ajunt ex arbore fulmine percussa factis, eos semper crepare & sonitus explosivos edere. Quis crediderit, solo magnetis affrictu ferrum ita animari posse, ut aliud ferrum trahat & se in septentrionem convertat? Et talium operationum in naturâ plures esse possunt nondum nobis observatæ. Certè si affrictus hoc corporis in aliud efficit, quid ni & sono vehementi, qualis à vento aut fulmine procedit, in tale corpus liceat? Nos in talibus potiùs judicio omni abstinemus, quam ut temerè damnemus nondum satis explorata. Qui enthusiasmo indulgent, curationibus per musicam multum tribuunt. Nam &

Fratres Roseæ crucis miracula se in morbis per musicam domandis præstare posse gloriantur.

Non subsistere intra naturæ tantum fines creditur sonorum operatio, sed ipsos quoque genios lacessere, imò ipsum nobis DEUM jungere: cum enim nihil sit in corporeis, quod magis interiora rerum pervadat, quam radii & soni, hinc Magorum curiositas his potissimum occupatur: nam radiorum collectione longinqua videri posse, irradiationibus gemmarum, tanquam primorum corporum, in quibus lux variè modificatur, materiæ subtilibus effluviis permista, in spiritus subtilissimas operationes propagari tradunt. Ita & sonis se immiscent sæpè vel boni, vel mali Dæmones, dum vel ipsi illos formant, vel certis quibusdam modulis evocari se patiuntur, vel iis fortassis delectantur. Nihil propius illos tangere videtur, quam sonus & radius: hi enim quasi sensuum & sensibilium limites sunt, & ad incorporearum rerum naturam & familiaritatem quasi quidam proxenetæ. Quæ mole suâ urgent & urgentur corpora, nihil naturæ subtilioris habent. Ideoque cum hoc minimorum motu, quæ quasi in confinio posita sunt, spirituales operationes jungi verosimilius est. Magorum certe Schola aperte profitetur, in Musica & in sonis ut aliquid naturale, ita aliquid divinum esse. Ita enim respondet Jamblichius in *libro de Mysteriis Ægyptiorum cap. 9.* (quem nobis Græcè cum doctissimis notis nuper dedit Cl. Galeus) ad interrogatum Porphyrii, qui de futura prævidentibus & extaticis dixerat, quosdam ex iis, qui extasin patiuntur, ita affici, quoties audiant vel cymbala, vel tympana, vel certum quoddam melos, quales sint Corybantes, & Sabazii & Matris Cybeles mystæ. Naturale quid & humanum habet, cum Musica animis nostris perturbationes infert & aufert, temperiem corporis permutat, ad furorem impellit, illumque sedat, cum diversitas modorum diversitati affectionum consonat, (quod de Olympi carminibus compertum est.) Præter illa affinitatem miram esse ait in carminibus, quæ respondent propriis singulorum Deorum ordinibus & potentiis, etiam universi conversionibus & harmonicis concentibus, qui ab istis conversionibus profluunt. Propter hanc affinitatem, quæ carminibus cum Diis intercedit, ait, ipsos statim ita præsentes se sistere, ut de iis participent, qui mediocrem habent ad res similitudinem, imò perfectam statim evadere obsessionem & melioris naturæ potestatisque plenioris haustum. Nunquam, dicit, Deorum afflationem destituere harmoniam divinam, cui cum ab origine familiaris sit & cognita, rectè censeatur ab ea hauriri mensuris convenientibus. Ipsam quoque animam, ait, priusquam corpori se insinuasset, divinam audivisse harmoniam, postquam in corpus devenerit, & ea audiverit carmina, quæ divinæ harmoniæ stricturas quam proximè

mè repræsentant, ea amplecti, & per ea divinam harmoniam recuperare, ad quam rapiatur & unicè se applicet hauriatque de eâ, quantum capere potest. Docent & sacræ literæ sanctique Patres hymnis ita conciliari nobis DEUM, & angelos, ut illi præsentes nobis se sistant, ac observatum in moribundis, illos jamjam animam posituros divinæ cujusdam melodiæ quasi sentire præludia.

Solent & Dæmonum malignorum sacris intervenire soni, sed quales in furorem & extasin agere possint. Lappones Magi tympani continuo pulsu, (quod è pinus vel abietis trunco factum, qui se vertit ad cursum solis, id est, quando truncus ita flexas habet ligni fibras, ut flexuræ illæ ab imô percurrentes ad summum à dextra se vertant in sinistram,) tum & cantibus diu se fatigant, usque dum in terram quasi exanimati procidant, & in illâ spiritus evagatione longe remota contemplantur. Cujus magiæ ritus, apparatum omnem, tympana, eorumque structuram prolixe in Lapponiâ suâ Schefferus *cap. 11.* describit, additis memorabilibus, quæ rem illam confirmant, historiis. Paracelsus in Hispaniâ visum sibi fuisse memorat, qui tintinnabulum ex electro conflatum habuerit, cujus pulsu & sono varia evocarit spectra. Notas enim quasdam & characteres intus in tintinnabulo exaravit, sonituque edito apparuerunt Phantasmata, cum vulgò credatur campanas fugare Dæmones. Memorabilis apud Chinenses ille vasorum sonus, quo audito, maxima imperio mutatio impendeat. Ac refert Martin. Martin. *lib. 5. Hist. Sin.* sub auspicia Imperatoris Gveiliei novem illa vasa ab Yvo Imperatore fusa è cupro, arcana quadam vi contremuisse, quod imperii collabascentis omen habitum fuit. Multa passim apud Autores consignata sunt sonorum prodigiosorum à spiritibus excitatorum exempla, de qubus Cornelius Gemma in Cosmocriticis suis, & Loyerus in tractatu de Spectris locupletissimo *lib. 4. cap. 16.* plenius agunt. Sed illa hujus loci non sunt.

CAP. XIIX.

AD vitrum redit dissertatio. Testes experimenti producuntur. Hamelius, Martinus Fogelius. Vitrum æquisonum per alterius è digiti frictu sonum rumpi dicitur. Vires hujus soni debiliores videntur, quam ut vicinum vitrum rumpant. Ipse Scyphus, qui sonat, è digiti affrictu nonnunquam rumpitur. Experimentorum amplior indagatio suadetur. Conclusio Dissertationis & Excusatio Autoris.

Multa hactenus occasione hujus experimenti, de iis, quæ ad soni naturam spectant, sollicitius inquisivimus, sed manus aliquando de tabulâ tollenda est. Finem itaque huic dissertationi nostræ imponemus, ubi primum testes hujus experimenti produxerimus. Primus prodeat du Hamel, Philosophus Gallus, qui de affectionibus corporum *lib. 1. cap. 7. pag. 173.* hæc de eodem Cive Amstelodamensi narrata, non tamen αὐτόπτης, confirmat: *Cum anno superiore*, inquit, *Amstelodami transirem, id præter cætera me admonuit Vir Clarissimus omni doctrinæ genere præstans & ob egregia opera, quæ emisit in publicum, notissimus; quendam esse in eâ urbe mediæ sortis hominem, qui scyphos vitreos, quibus vinum Rhenanum infundi solet, solâ voce, eâque non admodum intentâ, sed certâ quadam ratione temperatâ constringeret, idq; se vidisse sæpius & expertum testatus est. Atq; ut audio, res est in ea urbe satis cognita.* Hæc ille, qui rationem soni nescivit, ut ex additâ generali ratione apparet: *quod scil. aëri verberato tantum liceat in partes vitri solidas, ut earum contextum perturbet, & suis locis dimoveat:* non enim id de omni aëre commoto verum est, sed eo tantum, qui certo tono vitrum ferit. Alter etiam auritus testis Vir Clarissimus & communis noster, dum viveret, amicus, Martinus Fogelius est, qui in literis Hamburgo missis, de Viro Illustri simile adducit exemplum, quod hîc adponere non gravabor. *Ita habe*, (scribit ille,) *me certissimo pridem comperisse teste, Illustrem Virum, Albertum Balthasarem Bernhardiden, Dominum Arcis Vandesbakiæ, dimidia circiter leuca hinc distantis (quam Tycho Brahe Vandesburgam appellat) eandem, quam mihi narrasti, artem, poculum scilicet vitreum, nescio vero an quolibet promiscue, an certa figuræ vocis certo sono frangendi optime calluisse. Cujus specimen etiam amico non multo ante mortem suam exhibuisset, nisi viribus se huic operi imparem sensisset. Alios tamen facti experimenti plures hic procul dubio testes* αὐτόπτας *habes.*

Dum hæc scribo, offertur mihi Epistola Amici, qui è viri fide dignissimi relatione, qui id quam sæpissime in peregrinationibus suis viderat, accepisse se asseverabat: rumpi etiam scyphum vitreum posse, si alius juxta positus scyphus æquisonus digito in gyrum ducto, ad sonum commoveatur: requiri autem soni æqualitatem accuratissimam in scyphis, qualis ægrè in magno scyphorum numero inveniri possit. Tentavi ego in scyphis, qui non nisi dimidio commate dissonabant, & ad unius sonum leviter tantum sonare alterum deprehendi, ut vix persvadere mihi effectum possem, nisi explorata narrantis fides esset. In iis, qui per diapason accuratissimè conveniebant, ne minimam quidem inveni consonantiam. Res certè insolita non immerito etiam Danieli Bartoli *tratt. 3. cap. 8.* hæc à nobis adducta relatio visa est. Ac sanè si chorda cum arcu stringitur, notante Mersenno & Dan. Bartoli *tratt. 4. cap. 6.* vibrationes dimidia parte minores habet,

bet, ut non tam fortiter percutiat vicinam unisonam, quam si digito percutiatur; vix fieri posse videtur, ut vitrum, cum digito, qui arcus vice est, stringitur, & vibrationes ob perpetuam digiti pressionem quasi retractas habet, vitri alterius æquisoni vibrationes ad rupturam usque commoveat. Ipsum vero Scyphum, cujus ora digito fricatur, facile rumpi posse credo: non enim leviter à sono minima ejus commoventur. Ac observavi in scypho, cui fissura inerat, ad quamlibet digiti circumgyrationem longiorem fuisse factam fissuram. Notavit sanè Perrault. *lib. de sono, Part. 2. cap. 6.* scyphum vitreum etiam aquâ infusa plenum solo hoc frictu rumpi posse.

Cæterum in his experimentis exercere se amplius possunt, qui otio talia inquirendi non destituuntur. Tentari res cum aliis etiam corporibus sonoris possit: quid e. gr. æri campano vel vasis fictilibus accidat, si sex septem tubis vel unisonis, vel per omnia consonantiarum genera consonis ac tonis sibi succedentibus impetantur. Namque ut chordis, ita & corporibus sonoris præcipuè, majoribus, omnes non solum consonantias, sed & discrepantes tonos inesse quis crediderit. Ego certè in tabulâ vitreâ majori, quæ quadrantis exhibebat figuram, omnes inveni sonos graves, acutos, hemitonia etiam consonantia, cum tuba vel clamore provocarentur. Unus autem præcipuus penè circa extremum Quadrantis regnare videbatur, ac diutius motus undulatorios continuabat. Acutiores toni centro propiores erant. Tentari etiam res aliis instrumentis pnevmaticis, cornibus, lituis, similibusque possit.

Verum nobis tandem dissertatio illa de vitro rupto abrumpenda est, ne in molem nimiam excrescat; aut, quemadmodum Hercules in vasculo Oceanum, ego in scypho hoc vitreo orbem rerum naturalium circumnavigasse videar. Accipe itaque has qualescunque ratiunculas meas, de sono fortassis sine mente sonos; de vitro fracto, vitrea fracta. Quæ si tuam aliorumque doctissimorum bonam opinionem forte frustrentur, ut ferè eventurum auguror, id uni tibi imputes velim, qui ad ista scribenda autor svasorque fuisti. Veniam tamen, ut autumo, merebimur, si hominem me noscent, qui à quocunque potius doceri cupit, quam ut alios ipse censere ac docere velit: & qui in istis studiis non habitat, sed ad eorum fines nonnunquam ut transfuga & explorator accedit.



DISSERTATIO
DE
ELOQUENTIA IN TACENDO,

RESPONDENTE
ANTONIO HARDUICI,
Mense Januario, M DC LXXXIV.

THESIS I.

QUemadmedum sermone à brutis, ita & cogitabundo illo *silentio* ab iis distingvimur, cujus magistrum esse DEUM, ut loquendi homines, veteres ajebant. Primā scilicet παιδείας tum scholasticæ, tum civilis ratio, Pythagoræ & Lycurgo in lingvâ cohibendâ consistere credebatur, ut maturè juvenes, ne in scopulos impingerent, ἔπεα illa πτερόεντα à cursu revocare, & velut navem à ventis abreptam anchoris firmare discerent, nec Pisoniano illo vitio, quod loqui nesciant & tacere non possint, laborarent. Ipse Musarum eloquentiæque Parens Apollo ob sermonis parsimoniam λόξιας dictus, & Numa unam è Musarum ordine sub Tacitæ nomine coli voluit. Quo admonemur, Φορτικοὺς illos & loquaculos longius à Musarum sacris abesse, quam prudentes illos Silentiarios. Lepida est illius ex Hellesponto amatoris historia, cujus *Cæl. Rhodig. L. A. lib. 21. cap. 46.* meminit. Quem cum loquaciorem ægrè ferret mulier, hoc cavillo percussit, quod ex Hellesponto veniens primariam tamen ejus urbem, quæ à tacendo nomen habet, Sigæum, ignoraret. Adeò multi etiam inter eruditos sunt, qui cum orbem omnem disciplinarum percurrerunt, unam tamen illam urbem nunquam viderunt. Id verò mirum alicui videri posset, cum ad cæteras disciplinas, quæ meditatione tacitâ & diuturnâ potius, quam verbis constant, silentium commendatur; ipsam etiam eloquentiæ artem, quæ in verbis tota habitat, præcipuum ex illô decus

cus assumere. Quæ enim Peitho & Angerona inter se habent commercia, aliquis dixerit? Sed verissimum tamen esse docebimus, plus oratoriæ artis esse in eô, quod non dicitur, quam illo, quod verbis ac sermone comprehenditur. Ne itaque in inscriptione hujus Dissertationis inaniter παραδοξολογεῖν, aut ὀξύμωρον aliquod de industria quæsivisse videamur, vel ipse loquendi magister Cicero hoc de suo nobis largitus est, qui ad Atticum lib. XIII. Ep. 3. scribens, ita ait: *Hoc loco sumpsi aliquid de tuâ eloquentiâ, nam tacui.* Cui geminum est, quod adfert Plinius lib. 7. Ep. 6. *Non minus interdum oratorium est tacere, quam dicere.*

II. Ut verò statim in initio omnem dubitandi occasionem præscindamus, sciendum est, nos per illam in tacendo eloquentiam, non illam intelligere, quæ *muta* aliàs vocari solet, quæque gestibus & actione ita exprimit animi cogitata, ut sine ullius verbi prolatione, sive argumenta illa sint, sive figuræ, intelligi possint. Nam veteribus eam artem ad stuporem fuisse excultam, ignorare nos non sinit historia; quam propemodum in cœlum effert laudibus Isaacus Vossius lib. de viribus rhythmi pag. 66. ubi *pulsa tot lingvarum peste & confusione, unam hanc artem præ cæteris excolendam existimat, feliciora hominibus animalia, quæ vulgò*, ut ait, *bruta creduntur, judicans, quod promtius & felicius sensus suos & cogitationes exprimant, quàm ulli queant mortales.* Quâ assertione infra brutorum sortem detrudimur, quæ fortasse, si ipsius philosophiam audimus, ad spirituum naturam eò accedunt propius, quo brevius & expeditius, si qua habent, sensa exponunt. Quemadmodum enim homines per verborum ambages, ita bruta per signa quædam naturalia affectus suos exponunt, ut Spiritus cogitationes suas sine ullis signis organicis ac per seipsos patefaciunt, quarum apud nos non conceptus, sed expeditio, per externa illa signa corporea laboriosa est. Unde vel apud Barbaros fuerunt, qui varia sermonis compendia tam in sermone, quàm in scripturâ commenti sunt, ut apud Canadenses, qui unâ voce integras ac prolixiores sententias efferre potuerunt, quam lingvam illi *Ixarète*, id est, lingvam mutam appellarunt, teste *Patre le Jeune in Historia novæ Franciæ*: & apud Ægyptios, Chinenses & Peruvianos, qui hieroglyphicis literis plus significabant, quam loqui poterant. Ne quid dicam de Arte illâ, qua per digitorum varios flexus formato alphabeto, aliqui loqvuntur, cujus amorum magister Ovidius meminit, vel qua per pulsus parietum rhythmicos, se non videntes intra carceris tenebras sibi animi sensa significant, de qua extat epigramma Hispanicum Thomæ de Pinedo comm. in Steph. de urbibus, ad vocem Ἀσπανός, pag. 128. Cæterum illa gestuum ars, quam Græci ὑποκριτικὴν, Latini histrionicam vocabant, adeò exculta antiquis fuit, ut cum Cicerone Roscius histrio decertaverit, uter pluribus modis

modis eandem ſententiam variaret, prior verbis? alter figuratis geſtibus? Illa verò præcipuè in manibus oculisque conſiſtebat. De manu, quam alteram lingvam nonnulli dixêre & Ægyptii ſub lingvâ, ad abſolutæ perſvaſionis imaginem offormandam, depingebant, Quintil. lib. 11. cap. 3. *Manus ipſam penè verborum copiam perſequuntur.* Apud Caſſiodorum variar. lib. 2. Ep. 40. hanc Muſicam mutam vocavit Theodoricus Italiæ Rex: *Quæ ore clauſo manibus loquitur, & quadam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingvâ aut ſcriptioni texturâ poſſit agnoſcis.* De Apollonio Philoſtratus *lib. 1. de vitâ Apollonii cap. 9.* refert, quod Pamphiliam atque Ciliciam, ſeditione laborantes, ſolâ manus tacitâ oratione compoſuerit. Etſi Artus Thomas *comment. Gallico* in hunc locum, non tam manuum motu, quam novitate rei & adſpectu hujus hominis, quem pro DEO habebant, ad ſilentium fuiſſe compulſas exiſtimat. Chiromantiam hanc oratoriam vocat Auguſtinus Maſcardus in *Diſſertationibus Romanis Diſſert. 7.* ubi plura ſuper illo argumento. Chironomos appellat Quintilianus & Juvenalis, qui hâc arte uterentur: quique in universâ illa excellebant, Pantomimi vocabantur, qualem pro maximo munere à Nerone obtinuit Tiridates Ponti Rex, referente Luciano in ſcripto de Saltatione. De oculorum in eloquentiâ animandâ & in animi affectibus exprimendis efficaciâ legas licet L. Craſſum apud Cic. *lib. 3. de Oratore.* De utrisque elegantisſima ſunt, quæ Creſollius *vacat. autumnal. lib. 2. cap. 4.* & *9.* congesſit. Qui Vir doctisſimus in præclaro hoc opere accuratiora Phyſiognomiæ, ex ipsô illô τύπῳ πραγματικῷ, qui ex hiſtoricis, Oratoribus, Poëtis elucet, lineamenta duxit, quam omnibus canonibus ſuis Phyſiognomi. Verum ſepulta nunc cum veterum eloquentia ipſa quoque hæc ars hiſtrionica eſt, niſi quod apud Anglos quidam *Johannes Bulwer* figurationem manuum ſingulari libro, & Itali quidam illam Signorum doctrinam proponere voluerunt. Verum ad ἀκρίβειαν & perfectionem illam veterum ille labor non aſſurgit.

III. Miſsâ itaque illa eloquentia mutâ ad noſtram illam in *tacendo Eloquentiam* nos convertimus, quâ nihil aliud ſignificamus, quàm *Prudentiam illam Oratoris, qua id ſolum, quod in oratione ἐνεργητικὸν eſt, exprimit, ea verò, qua vel circa inventionem, vel circa elocutionem πάρεργα ſunt, aut ſuperflua; ab argumento, perſonis, loco, tempore, re aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta eſſe cupit.* Unde patet, tam latè hanc patere Diſſertationem, quàm ipſa patet eloquentiæ ars. Si enim Rhetorica ars eſt, quæ contemplatur illa, quæ ad perſvadendum apta ſunt, omnia, quæ inepta ſunt, in omni dicendi genere excludit: ſi omnis Eloquentiæ vis in delectu argumentorum & verborum conſiſtit; ſatis patet, illa, quæ abundant, aut temerè proferuntur, eſſe in vitio. *In omnibus* (ait Cicero lib. de claris Oratori-

toribus) *videndum quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum;* Nam ut παρέκβασις illa inter signa immoderati animi & impudentis est; ita defectus moderationis quidam temperantiæque character est; qui propius à vitio abest, quam ille excessus, imò virtuti propior est. Quare cum teste Quintiliano lib. 2. cap. 13. *multô labore, assiduô studiô, variâ exercitatione, pluribus experimentis, altissimâ prudentiâ, præsentissimo consilio vis dicendi constet;* in id sollicite inquirendum est, quid in oratione dissimulandum sit, quid prudenter tacendum, ne, quemadmodum

—— percussa malignè
Respondet viridi non cocta fidelia limo,

illa suo se indicio prodat, & ineptum omni ex parte oratorem ostendat.

IV. Non officit huic Eloquentiæ nostræ copia, & sermonis amplificatio, quæ in oratione necessaria est. Etsi enim teste Cicerone, eloquentia est copiosè loquens sapientia, amplificatio rem auget & majorem argumentis & verbis, efficere studet; tamen nihil hic nimium est, cui suus quidem modus ex ipsâ arte est præscriptus. Neque enim hæc copia est, quæ infinitè vagatur, sed quæ orationi quandam plenitudinem, & soliditatem inducit, sine qua maciem illam, etsi in Dialecticorum Scholis laudatam, populo tamen & auditoribus invisam contraheret. Corpus edim orationis, non σκέλετος formandum est. Quare nec amplificatio hos à prudentiâ præscriptos limites excedit, eâ enim ita utendum est oratori, ut rem, quæ in se magna est, argumentis talem esse, vel non advertenti, vel non opinanti auditori ostendat. Debet enim amplitudo sententiarum & verborum sustentari amplitudine rerum. Quod nisi fit; inepta fit oratio, vel frigida evadit, qualis est, cum magnificis & sententiis & verbis res exiles ornantur: aut puerilis, cum ex adverso res magnas minutis sententiis & verbis effert. Quæ duo vitia Longinus interdum confundit. Multò minus huic in dicendô frugalitati sublimitas adversatur, quam Longinus aureo libello descripsit, neque ab illa vel latum ungvem discedit.

V. Primum, quod in oratione celari ac dissimulari debet, ipsa eloquentiæ ars ac Rhetorices artificium est. Ut enim nihil magis gratum est, quam quod sua sponte natum videtur, ac naturæ sequitur vestigia; ita tædiosum ac suspectum est, cujus singularis quædam industria pellucet. Dupliciter hîc peccatur. 1. scrupulosâ diligentiâ. 2. affectatione. Primò cum ars in specialiora se diffundat, artifex ex illo cumulo ea seligere debet, quæ personis, rei, loco, tempori apta sunt. Quod si verò quævis ille arripit, omniaque, quæ dici possunt, cumulat, totum illud promptuarium suum exhausturus, malè sedulus ille erit, neque illam, quæ in tacendo

consistit, eloquentiam satis assequetur: cum præstans orator ita se præceptis alliget, ut occasione ferente se illis superiorem ostendat, ad usum potius rerum respiciens, quam in minutis illis rebus hærens, ac sapienti potius negligentiâ, quam obscurâ diligentiâ laudandus. Nihil ineptius in Oratore, quàm περὶ τὰ μικρὰ σπουδάζειν. Ut enim, qui in Grammatices præceptis semper hærent, nunquam Latinè loqvuntur, (aliud enim Grammaticè, aliud Latinè loqui esse, ajebat Quintilianus) ita & anxiâ, & morosâ Rhetorices observatione nullus perfectus Orator evadet. Sic in arte oratoria se exerceat Orator, ut artificis prudentiam supra artem ipsam positam habeat, quæ nonnunquam celata & neglecta plus artis habet, & plus in persvadendo efficit, quàm omni suo apparatu Rhetorica. Diserte Cic. in Oratore *quandam negligentiam esse diligentem*, pronunciat. Magnis scilicet animis, qui interiora rerum complectuntur, familiaris est quædam negligentiæ species, qui omissis minutioribus, illa quæ magis rem attingunt, spectant. Exile verò ingenium, quod totum rei ambitum uno obtutu non complectitur, ob judicii imbecillitatem, in particulis quibusdam ineptâ diligentiâ se fatigabit, & ut ille apud Venusinum Vatem,

Æmilium circa ludum faber imus, & ungves
Exprimet & molles imitabitur are capillos,
Infelix operis summâ, quia ponere totum
Nesciet;

cum tamen ex Quintiliani sententiâ, *majori animo aggredienda sit eloquentia, quæ si toto corpore valet, ungves polire & capillum reponere, ad suam curam pertinere non existimabit.* Obsignabimus hoc præclarâ Longini sententiâ: *Tunc perfecta ars, cum naturam ita exprimit, ut natura ipsa esse videatur; rursum natura est successu felix, cum latentem in se continet & regit artem.* Sequitur affectatio, quæ in omni orationis parte, argumentis, phrasi, periodo, sententiis, figuris se exserit, ac nimio se ornatu ostentat, atque ita vim orationis enervat. Quò præcipuè respexit Aristoteles, cum Rhetor. lib. 3. cap. 2. vers. 10. præcipit, ut artificium celemus, *ne videamur fictè dicere, sed ut ipsa dictat natura. Sic enim*, inquit, *probabilis erit oratio, illô verò modo contrarium eveniet. Nam Oratorem tanquam insidiatorem suspectum habent, non aliter ac permixta vina.* Nihil magis artem, quam ipsa artis affectatio vitiat. Hinc Demetrius Phalereus *primus Athenis eloquentiam inclinasse dicitur*, teste Fabio, lib. 10. cap. 1. *quod plus artis affectaret, quam cui exprimenda par erat.* Unde Cicero in Bruto, *non tam armis, quàm palæstrâ institutum* vocat. Quô vitio plerique veterum Sophistarum, apud Græcos, & dehinc Declamatores apud Romanos se obstrinxêre, qui foro & usui publico natam eloquentiam inter pulveres scholasticos penè suffocarunt, & pravis præterea moribus corru-

corruperunt. Nam ad fraudes & versutias compositi verborum specie & pompa auditorum animos circumvenientes, efficiebant, ut causa inferior & injusta fieri posset dicendo superior, quod Græci dicunt: τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. Quam ob causam in invidiam apud omnes adducti, è regnis, urbibus & foro ipso ejecti. Accedebat quotidiana in his studiis ad inanem tumidamque loquacitatem in ludis exercitatio. Instituebantur extemporales ἀποδείξεις & declamationes quasi theatricæ, laudationes rerum ludicrarum & infamium, in quibus magis ad ostentationem, quam in cæteris comparata omnia (nam ornatum potius, quàm τὸ ἐνθυμηματικὸν & παθητικὸν sectantur,) consultationes, controversiæ fictæ: quibus innutriti discipuli cum in forum transferre vellent eloquentiam, velut alterum in orbem delatos se sentiebant. Unde mirum non est, illos ut præstigiatores, veteratores, deceptores omnibus bonis & cordatis fuisse invisos. Apud Romanos similes eloquentiæ scholas, ad fortuitam illam & temerariam loquacitatem instituerunt Græci, quos Censores, teste Cicer. 3. de Oratore, *claudere jusserunt ludum impudentiæ.* Ab illis, & præcipuè quidem à Gorgia παραδοξολογία in orationem invecta: nam in eô laborarunt vehementissimè, ut καινὰ, πέρατα, θαύματα adferrent. Verba seligebant mollia, meretricia, florida, sonora, quæ exquisitissimô periodorum artificio, velut circino quodam definiebantur. In illis & κρότος, & ἦχος magna cura requirebatur. Nec defuerunt, qui vel Isocratem, quod in eorum usu intemperantior fuerit, reprehenderent. Quare in foro nihil suâ eloquentiâ profecit, quia ut Cicero de Orat. testatur, *non ad judiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserit.* Non immeritò ergò à Socrate sapientioribusque irrisi sunt Sophistæ, quorum volaticam & inanem eloquentiam plenissimè in *suo theatro Rhetorum* detexit Cresollius. Operæ pretium est legere, quàm graphicè Vir elegantissimus Balzacus *Oeuvres divers. disc. de la grande Eloquence* utriusque, tam Regiæ, quam Sophisticæ eloquentiæ characterem depingat.

VI. Ab arte in universum consideratâ ad partes ejus descendimus. Ut enim in totâ, ita & in partibus hîc peccari necesse est. Princeps inter illas est INVENTIO, quæ investigare argumenta docet, quæ triplicia sunt, λόγοι, ἤθη, πάθη, nam inartificialia nunc seponimus. Quod ad Logica sive docentia argumenta attinet, ea vel è locis Oratori & Dialectico communibus, vel è propriis Rhetorum desumuntur. Communes loci cum à Dialecticis principiis arcessantur, Oratorem Dialectices peritum requirunt. Nisi enim ejus peritiâ munitus Orator sit, totâ oratione ineptum esse necessum est. Sive enim argumentis utatur, sive quid describat vel amplificet, omnes rerum περιστάσεις hôc è fundo depromendæ sunt.

Omnis orationis regula & verborum commune inſtrumentum Logica eſt, quæ ut prima rerum analyſin ob oculos ponit, ita diſtingvere inter illa, quæ rei per ſe inſunt, vel foris accidunt, ſola docet. Absque quâ ſi fuerit, ſine lege vagantur verba, vacillant argumenta, rerum ideæ confunduntur, omnia paralogismis plena, rationes vel longè petitæ, vel malè cum rebus ipſis cohærent, ſenſus inordinati, ſententiæ precariæ & male coagmentatæ. Quô vitio plerumque nunc peccatur. Sed eô tamen in iis judicio utendum eſt, ne omnes promiſcuè locos excutiamus, aut omnes artis Lullianæ rotas & circulos in ſubſidium vocemus, oſtiatim quaſi petentes ſingula, dum quorundam ſequimur veſtigia, qui in Dialecticis *κυμινοπρίσται*, cum pulviſculo omnia converrunt, aut in argutiis quibusdam Chimæricis toti occupantur. Quales à genuinô præſtantisſimæ diſciplinæ uſu quàm longisſimè abeſſe, certisſimum eſt. Unde Quintiliano *lib. 7. cap. 3.* vehementer in oratione cavillatrix illa Dialectica diſplicet, ut quæ in Oratoris officio nullum ſit allatura momentum. Quos defectus cum deprehenderent nonnulli, in eas cogitationes inciderunt, ut locis illis Oratorem carere poſſe crederent, quæ ſententia eſt Hamelii *lib. 3. de mente humanâ cap. 2.* Rectè quidem, ſi jam excocto & firmato in omnibus ſit judicio. Tirones tamen hac via ducendi, cum ipſi ſibi ſemitam non ſapiant, quæ exercitatioribus in arte ſine ullâ difficultate, expeditisſima eſt & in propinquô poſita. Qui verò hîc *ἐπέχειν* non noverit, neglectis probationibus, quæ è rebus ipſis ducuntur, ac potentisſimæ ſunt, levisſimas & longinquas venabitur, quæ judicium omne labefactant. Hinc infelices illi vagique excurſus naſcuntur, ac in locos, imò logos communes tota ſe plerumque reſolvit oratio. Idem vitium & Rhetorum proprios illos locos comitatur, ſi quis in illis delectum inſtituere non novit. Et verò argumenta, quæ maximè perſvadent, primò obvia ſunt, nec magnâ cum curâ quæri debent, teſte Ariſtot. *Topic. 1.* Qui verò ob ætatis imperitiam, vel ob negotiorum multitudinem, illa quæ propiùs cauſas contingunt, à remotioribus non diſtingvunt, illi & hos locos ſæpe in locos communes convertunt, & omnia argumento, non quæ debent, ſed quæ poſſunt, applicant: ſic ſe ex tempore commodiùs dicturos exiſtimantes, cum tamen vera illa, ſi qua parari extemporalis in orando facultas posſit, in eo, Riccobono judice *præfat. in lib. de Uſu art. Rhetor.* conſiſtat, ſi *σῶμα τῆς πίστεως* ſtatim in promtu habere diſcamus, & caput potius rei, quam reduviam curemus. Nam niſi cauſæ, & quidem illi, quam tractamus, ita applicentur hi loci, ut non illata argumenta, ſed ex eâ effluxiſſe videantur, futilis incipit fieri oratio: vicina verò & proxima, cum primum incurrant in oculos, ut promtiore ingenio arripiantur, laborandum eſt.

Quod

Quod indocti nonnunquam felicius, quàm docti, turba rerum oppressi, si judicio non pollent, asseqvuntur: in turbâ autem vis & evidentia fortiorum enthymematum suffocatur, ut dici de illis possit: Ἀπώλεσας τὸν οἶνον, ἐπιχέας ὕδωρ. Habebant etiam olim locos communes in promptu Oratores causas acturi, ut, quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarentur, meritò exagitati à Quintiliano lib. 2. cap. 4. *Necessum est his*, inquit ille, *cum eadem judiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant, velut frigidi & repositi cibi: aut pudorem, deprehensâ toties audientium memoria infelix supellex: quæ sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus & diversis officiis conteritur: cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cum causâ, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus, appareatq; eum non tam insertum, quam applicitum, vel quod dissimilis est cæteris, vel quod plerumq; assumi etiam parum aptè solet, non quia desideratur, sed quia paratus est: ut quidam sententiarum gratiâ verbosissimos locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt autem speciosa hæc & utilia, si oriuntur ex causâ.* Sedulò itaque hìc laborandum est, ne nervis ipsis non rectè ductis tota fatiscat oratio. Adeò, quod in scribendo præcipit Horatius, etiam *dicendi rectè sapere est & principium & fons.*

VII. Argumenta, quæ rem ipsam seqvuntur, excipiunt illa, quæ à personâ dicentis promanant, vocanturque ἤθη Græcis, conciliantia Latinis. His sibi amorem Auditorum conciliat, seque moratum & erga auditores benè affectum ostendit Orator. Hìc quoque illud μηδὲν ἄγαν sibi dictum putet, ne nimiâ se commendatione suspectum reddat, quasi insidias auditoribus struere videatur. Plus hic sæpe in personâ dicentis, quam in omni aliô apparatu situm est. Si autoritas ipsi insignis vel à potentiæ, vel sapientiæ & virtutis opinione sit, unô sæpe verbo plus persvaserit, quàm sexcentis alii. Atque illud ipsum dicentis εἶδος ita in dictionem ipsam transfunditur, ut perpetua quasi animi lineamenta ipsi impressa sentias. Sanè Messala *stylo nitidus & candidus præ se tulisse etiam in dicendo nobilitatem visus est*, teste Quintiliano lib. 10. cap. 1. Hinc virum bonum Oratorem esse necesse est, quod tacitum quasi per ipsam orationem & vultum Oratoris diffusum argumentum animos occulto quodam spiritu rapit: cujus quanta non naturalis tantum, sed & physica necessitas sit, pulchrè Cordemoæus in *libro suo de loquela, pag. 95. & seqq.* demonstrat. Hoc cum à sophistico charactere absit longius, nulla tam fucata & omnibus ingenii luminibus picta excogitabitur à Sophistis oratio, quæ cautis & sagacibus auditoribus os oblinat, vel eorum animis irrepat. Atque hi Oratores & Poëtæ intelligendi sunt, cum Virum bonum, nec Oratorem, nec Poëtam esse voluit Epicurus.

VIII. Quæ à personâ audientis ducuntur argumenta, πάθη vocantur, ad movendos cum vehementiâ animos instituta. Hâc quoque in parte operam dabit Orator, ut motus argumenti dignitati respondeant, extra quos limites si ferantur, in præceps ruet inutile non terræ, sed auræ pondus oratio. Nihil itaque frigidius, nihil ineptius, si in nugis tragœdias agat, in simpulo fluctus moveat, inanibus exclamationibus guttur exerceat, fulmina spargat, procellas misceat, cum res ipsa humi repat. Vitium hoc à Theodoro, teste Longino περὶ ὕψους vocabatur παρένθυρσος, cujus appellationis hæc ratio est: quod non sit cujusvis thyrsum sumere, sed ejus tantum, qui Bacchi numine instinctus rapitur, ut explicat in notis Tanaquil Faber, vel ut rectius Buchnerus de *C. D. R. cap. 23. §. 4.* quod illâ voce notentur intempestivæ & inquietæ vociferationes, quales furentium esse solent, & qui thyrso Bacchico percussi sunt. Cæterum graphicè eô in locô *sect. 2.* Longinus hoc vitium descripsit, quem vide. Prudens verò Orator Timanthem pictorem imitatur, qui plus intelligi volebat, quàm ille penicillo exprimebat. Est interdum, ubi Oratoris vultus plus ipsis argumentis & figuris loquitur, ut, quod *lib. de pall. cap. ult.* ait Tertullianus: *Auditur Philosophus, dum videtur*, de Oratore dicere liceat. Quàm callidè & prudenter Cl. Cossus apud Tac. Hist. 1. cap. 69. *notæ facundiæ, sed dicendi artem, aptâ trepidationa occultans, effusis lacrymis & meliora constantius postulando impunitatem salutemq; civitati Aventico, mitigatis militum animis impetravit!* Quid prudens & ad affectus composita vox, cum orationem comitatur, efficiat, vel ex illustri illo exemplo de Lælio & Galba apud Ciceronem, libro de *Claris Oratoribus* patet, quorum ille eleganter & accuratè dixit, sed judices permovere non potuit, usque dum Galba vehemens affectuosâ oratione causam pervinceret. Eandem Virgilio vocis vim fuisse, notatum est. Scilicet ipse ille Oratoris gestus, φησὶ σιωπῶν & in auditorum animis perorat. Eloquentia illa muta, quam eloquentiam corporis Cicero vocat, loquenti juncta, vim orationis ita auget, ut quasi anima & spiritu illam vestire videatur. Isti enim oculorum, manuum motus animi præeuntis vestigia sunt. Imò compertum est, magno cum applausu legati pronunciantis orationem exceptam fuisse, quæ scripta tota displicuit, cujus exemplum apud Marselar *de Legato lib. 2. dissert. 36.* memorabile occurrit. Omnino hîc monitum Zenonis Oratori inculcandum, qui referente Stobæo *serm. 36.* adolescenti protervius garrienti hæc ingessit: *Nisi linguâ in mente intinctâ disserueris, multò adhuc amplius loquendo delinques.*

IX. Inventionem excipit DISPOSITIO. Ut enim nullum pulchrum corpus est, nisi sua quovis loco membra aptè sedeant: ut nulla domus benè exstructa, nisi partes ex architecturæ lege habeat ordinatas: ita nec oratio

tio facta elaborataque est, si nec totius corporis neque partium sua sit οἰκονομία & συμμετρία; si membra membris non cohæreant; si partes argumentandi confusè & permixtè dispersæ, totusque ille sermonis textus ἀσύγκλωςος. Etenim ut in verborum consecutione periodica singularis cura est, nec nisi longo usu & observatione, ac multâ sub sagaci magistro exercitatione, disci potest: ita rerum & argumentorum ordo mutuaque aptitudo multò majoris diligentiæ res est, quam ipsa inventio, quæ in mediocria etiam ingenia cadit, nec nisi frequenti usu, & autorum antiquorum commercio diuturno, & judicii sagacitate comparari potest. Sed accidit nonnunquam, ut inutiles illæ ambages videantur; si quis in illis partibus inveniendis & aptandis operosè laboret, ubi res & materia diligentiam illam non admittit. Neque enim rus illud Martialis,

In quo ruta facit nemus Dianæ,
In quo nec cucumis jacere rectus,
Aut serpens habitare tota possit,

eandem subire mensuram poterit, quam campus aliquis, quem non miluus oberret. Ut reprehendendi omninò sint, qui in qualibet epistola, in quolibet carmine, omnes justæ orationis partes, aut in argumento omni, omnes thematis simplicis & compositi modos, quos nimis operosa quorundam diligentia excogitavit, anxiè & laboriosè ad ipsas usque minutias persequuntur. Quotidiana hâc in re, in cathedris, in scholis errata eorum sunt, qui nullum orationi modum ponere noverunt, nunquam, quod periti facere artifices debent, totum operis systema animo complexi, sed in unâ alteraque parte πρόεργοι & strumosi, reliquo verò corpore trunci & mutili. Quas in partibus orationis παρεκβάσεις cum damno; non probo tamen Laconicam illam & abruptam brevitatem, quæ unâ alterâve periodô, imò verbo, orationes & epistolas absolvit, propiusque ab ipso silentio abest, quas quorundam virorum doctorum industria uno volumine collegit.

X. In ELOCUTIONE, quæ tertiam Rhetorices partem constituit, infinita sunt errata ἐχεμυθία plusquam Pythagoricâ coërcenda. Illâ enim parte, quæ in verbis & sententiis consistit, maximè in aures influit oratio, ut & indoctis, qui ingenium in oculis & auribus circumferunt, observari illa vitia possint, cum cætera nonnisi sapientioribus advertantur. Etsi nonnunquam inveniuntur, qui ipsis his vitiis delectantur. Potest verò, ut ad pauca redigam hujus argumenti vastitatem, κατὰ τὸ ποσὸν, ratione copiæ, vel κατὰ τὸ ποιὸν, ratione ornatus considerari elocutio. Si priùs; hîc peccatur, cum immani verborum & circumstantiarum diluvio argumentum penè suffocatur, & in ventosam ac Asiaticam loquacitatem abit oratio, expo-

expolitionibus, pleonasmis, plagiasmis, periodicis circumductionibus omnia implentur, ut toties reciprocato spiritu vix transmittere illa posSit Orator: auditor vel lector in istâ sylvâ peregrinari sibi videatur. Quorum exemplum è recentioribus *Johannis Baptistæ Evangelistæ Piceni* orationes exhibent, quæ per integras paginas periodos producunt, tot synonymorum, epithetorum, περισσῶν cumulatione, *loquacem ut delassare queant Fabium*, in immensum porrectæ. In ornatu variè impingi solet, cum verba adhibentur, figuræ, sententiæ, non domi natæ, aut ex re ipsâ ortæ, sed foris arcessitæ, metaphoris, allegoriis, longinquis frigidisque sensibus vestitæ, quæ cum parsimoniam orationis præ se ferunt, longè illam laxiorem, turpiterque discinctam efficiunt, & quæ omni Asiatismo sit loquacior. De quâ meritò illud Senecæ usurpes, quod ille in Mæcenatem dixerat, esse *eloquentiam ebrii hominis, involutam & errantem & lascivia plenam.* Sophistarum illi colores olim erant, quos sanior eloquentia, ut meretricios, ad deformandam vivam illam vegetamque faciem inventos semper respuit, quos subinde tamen fastidiosa secula, ut à moribus ita & ab oratione seriâ, & masculâ in luxum, & intemperiem degenerantia, per vices quasi resumpserunt: ut & nostro tempore, primum à παλιγγενεσίᾳ literarum superioris seculi in eloquentiâ nitorem, nonnulli in Italiâ novâ hâc peste afflaverint. Nam relictâ regiâ illâ & λεωφόρῳ viâ, ad præruptam, *nescio*, quàm & confragosam dicendi rationem, se contulerunt: cum omnia precariis, frigidisque argutiis, erutis ex abdito sententiis, quæ non, ut Philosophus vult, velut ex syllogismo & enthymemare oriebantur, sed puerilibus & præter necessitatem frequentatis, quibus prætereà sonoræ figuræ, velut cymbala quædam & crepitacula appenderentur, omnem orationis habitum convestire cœperunt. Quo penè factum, ut altera illa genuina eloquentia, tota conticuerit, Tulliusque cum omni aureæ ætatis familiâ in exilium ire jussus fuerit. Qui morbus ne nunc quidem per sapientiores magistros evelli quorundam animis potest. Actionem adversus hos corruptores (ut Quintilianum prætercam, qui suo jam tempore illis dicam scripsit) & eruditam & veteri eloquentiâ dignam Albertus ab Albertis instituit: & doctissimus Vavassor laudari hîc meretur, qui tum singulari oratione, tum toto de *ludricâ dictione* libro populares suos delirantes in ordinem redigere voluit. Quô postremo illos præcipuè exagitat, qui dictione allegoricâ sordida *Burlesq;* dictâ, velut novâ quâdam è sterquilinio natâ Venere orbem beare voluerunt. Verùm tantùm abest, ut indulgere bullatas has nugas sobrio Oratori velim, ut in concessis etiam deliciis frugalem & modestum requiram, qui ex Horatii monitô, *ambitiosa recidat ornamenta*, & intra antiquæ castitatis, & accuratæ, sed sine molestiâ diligentis,

elegantiæ limites subsistat. Vel ipsæ Præteritionis & Reticentiæ figuræ, quæ mirificè rem amplificant, & suspicionem rei magnæ in animis eruditorum relinqunt, ostendunt, plus cogitandum nobis, & cogitationi auditorum relinquendum, quàm verbis effertur.

XI. Porrò cum infinita sint, ad quæ Orator respicere debet, ut personis, rei, loco, tempori apta sint omnia, adeò circumspectum hîc esse convenit, ut nil admittat aut dicat, quo in prudentiæ leges impingat. Nam ubi ars illum destituit, prudentia in subsidium vocanda est, quasi Helice quædam & cynosura rerum, quæ ipsum per omnia inoffenso pede circumducit, cum ad singularia ars ipsa se non extendat. Vel in solâ eloquentiâ forensi quanta rerum & circumstantiarum varietas! Nam Quintilianus ita de illâ lib. 10. cap. 7. *Ut gubernaturis ad incursum tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda.* Ridebitur itaque, quisquis hîc accommodare verba rebus, & prudenti illo silentio temperare eloquentiam nescit, Oratoris inepti elogium reportaturus.

Quis nisi mentis inops teneræ declamet amicæ?

Poëta ajebat, aliâ enim eloquentiâ illic opus est. Similiter in ipsis rerum civilium momentis, cum milites in pugnam armandi, cum in Rep. de rebus gravissimis consultatur, quis ferat ineptam aliquam Critici aut Sophistæ Oratiunculam? qualem pro ingenii sui festivitate excogitavit Octavius Ferrarius in Prolusione suâ III. cui titulus: Suppetiæ Criticis latæ. Nam si fortè urbs aliqua obsidione cingeretur, & de salute supremâ in medium consulerent Patres, ille sententiam dicere jussus, ita fortè sermonem institueret: *O cives, cives, periimus. Hostis habet muros. Veteribus non hostes, sed perduelles dicebantur, ipsumque bellum duellum. Porrò muros, & mœros mœnia dixêre à muniendo & pomœrium, quod post sive pone mœros esset, quod omni cultu vacuum purumque fuit. Quid autem vobis in re tam crepera agendum sit quæritis? Si bellum inferetis, ipsi censerem prius Fœciales de more cum patre patrato mittendos, ut res repeterent, hastamque jacerent. Sed quia illatum propulsatis, tum auctor vobis sum, ut caduceatorem cum infulis mittatis, hunc autem à caduceo dictum scitis, quæ virga Mercurii Deorum internuncii fuit. Si in pertinaciâ nihil profutura persistitis, peribitis cuncti. Hostes enim vel urbem corona cingent, vel pluteos ac vineas admovebunt, catapultis, ballistis, ac scorpionibus res agetur. Urbs diripietur, & ea sequentur, quæ mens referre horrescit, eorum imaginem apud Virgilium, Liviumque & cæteros videre erit, in queis ego ætatem contrivi.* Quis non bellum illum Oratorem cum intempestivis his nugis exploderet? Quis non exsibilaret Oratorem Hispanicum Mendozam in Regis Galliarum consilio Orationem quam habebat, veluti lectionem aliquam Academicam habiturus esset, in septem tractatus & unicum corollarium distinguentem?

Mmm quem

quem teste Thuano *lib.* 106. risu exceperunt prudentiores. Quam inepta est illa Jacobi Spinolæ argutatio etymologica è nomine Pontificis deprompta, cum Genuensium nomine Alex. VI. gratularetur, quæ gratulatio in gratulatoriarum orationum Syntagmate p. 50. habetur. *Si igitur ad tanta dignitatis magnitudinem primo loco exornandam, ipsius vim nominis considerare liceat, Pontifex alio nomine* Papa *nuncupatus utriusque vocabuli exitu rei vehementiam ac potestatem indicat : tum quod* Papa *interjectionem* Papæ *admirabilem sonet, tum quod Pontifex maximus, Scævola autore,* à posse & facere. *Isidoro verò,* quod ad cœlum pontem faciat, *interpretetur.* Quæ sequuntur de Imperatoribus Regibus, Ducibus, ejusdem farinæ sunt, & omnes stultè hîc adduci vident. Notum etiam nonnullis est, quid superiori ætate, viro alioquin doctissimo & in literis celebratissimo acciderit, qui à Batavis quondam ad Angliæ Regem missus Orator, hoc argumento ad fœdus cum Batavis ineundum inducere voluit, quod terræ ipsorum aliquando continentes fuerint, per vim autem tempestatis divulsæ. Hunc risu fastidiosa aulicorum indoles excepisse dicitur, utpote quibus scholasticæ illæ argutiæ nimis insipidæ visæ fuerunt. Plura ejus commatis, si instituti ratio pateretur, poterant hîc cumulari: sed illa ad inepti Oratoris delicias referenda, quales lepidum aliquod ingenium non ita pridem in Germanica linguâ congessit.

XII. Quæ in solutâ eloquentiâ leges Oratori positæ, eæ quoque in ligatâ Poëtis præscribuntur. Neque enim ita quidlibet iis fingendi, & audendi potestas est, ut illa sine lege modoque feratur. Sua & ipsis inventio, dispositio, elocutio, de quibus hic agendi locus non est: sed in quibus singulis variâ ratione & multiloquio & stultiloquio peccari potest, & eô magis quidem, quo plus sibi licere multi hic autumant. Epicam & Dramaticam Poësin hîc potissimum considerabimus, ut quæ imitationem illam Poëticam præ cæteris exprimat, & arcem Poëtices teneat. Sua est utrique Poësi Actio, Fabula & Episodium. His enim potissimum constant, quæ corpus poëmatis constituunt: Etsi Epopœia & Tragœdia κτ̀ τὸ ποσὸν differant, majora enim in illâ omnia Actio quasi materia Poëmatis est; Fabula, quæ est imitatio actionis secundum Aristotelem, ψυχὴ ipsi appellata, continet τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων. Illa Herois est, hæc Poëtæ. Episodium est actio adjectitia, ex necessariâ quâdam connexione cum actione primariâ conjuncta, ut doctissimus Mambrunus *de Epico carm. part. 2. quæst.* 6. definit. Qualia multa in Epicum carmen solent compingi, pauciora in Tragœdias. Fabulæ præcipua virtus unitas est, etsi πολυμερὴς esse potest. Cum enim actionis imitatio sit, unius est; cui si peregrina cum actione non connexa immiscentur, quod à multis fit, peccatum hâc in re maximum est. Episodiorum quoque licentia non debet esse nimia, in quibus mul-

multum sibi indulgent, inter veteres Statius, ac inter recentiores Italos nonnulli. Cætera Poematis elocutio & dictio absolvunt. Hic Virgilii divinum ingenium non solum, sed & judicium admirari debemus, qui nullâ parte peccavit: cum infinita sint cæterorum Poëtarum errata. In indivisibili quasi perfectionis punctô poema consistit, ut nulla pars vel transferri vel subtrahi queat, quin totum illud varietur planeque immutetur. Omnia sunt in Virgilio summa: & Actio, & Fabula & Episodia, mirâ arte sibi respondent. Lucani Pharsalia cum ne fabulam quidem habeat, inter poemata locum non invenit, quem non canere, sed latrare dicebat Scaliger. Quam in elocutione, vocibus, sententiis, descriptionibus, omnique ornatu modestus, frugalis & in istâ frugalitate ἐμφατικὸς Virgilius est! ut plura cogitarit ipse, quam scripserit, plura cogitationi Lectoris ipse relinquat. Quam in tempore ille ingenii impetum cohibeat, judicii potius frenum, quàm phantasiæ stimulos secutus, omnia argumenta loquuntur. Imprimis τὸ ἐνθυμηματικὸν, & accurata Dialectices lineamenta in toto opere elucent. Descriptiones ejus, quam moderatæ, quam breves, quam efficaces! quanto verborum, quam inani profluvio cæterorum Poëtarum descriptiones laborant! ut non Scaliger solum, sed & Bussiers in præfatione *Poëmatis de Scanderbego* & Alexander Rossæus in *Virgilio triumphante* ostendit. In Expolitionibus ille parcus. Quam frequens Claudianus (nisi fortè illi ut Panegyristæ plusculum indulgendum) & qui è recentioribus hunc secutus est Barlæus! Apud hunc decem, imò viginti versibus effertur, quod unô vel duobus expressisset Virgilius. Quare à castigatioribus sui temporis Scriptoribus meritò ejus loquacitas damnata est, cujus ingenium fæcundum quidem, sed nullis habenis regebatur. Operæpretium est, quæ Criticus nostri temporis consummatissimus Grevius de eô in præfat. comm. in Florum judicat, hìc adferre. *Sæpe stupiditatem nostri seculi sum admiratus, cum audivi, à plurimis, & qui sibi videbantur valdè sapere, Casparis Barlæi tanti carmina fieri, ut cum optimis veteribus Poëtis compararetur. Ingenio nimium indulsit. Quantus enim in illô tumor, quantus optimè sonantium verborum ubique immanis strepitus. Ausim sacramento contendere, vix esse paginam, in Epicis præsertim, in quâ non aliquot versus reperiantur, sonori quidem & aures implentes, sed non animum, si illum attendas. Nulla enim subest sententia. Qui istis possunt capi, non possunt Virgilio, Catullo, Horatio delectari, aut virtutes illorum præstantiamque intelligere. Si enim nossent, quàm longè tumor abesset à sublimitate, nunquam hanc de Barlæo ferrent sententiam, qui fatetur ipse, se non excellentissimos ad imitandum Poëtas sibi proposuisse, sed Claudianum, sui quidem temporis Poëtarum omnium præstantissimum, sed sui temporis, quod ab aureâ plurimum degeneraverat antiquitate.* Quid de cæteris fiet, si in hoc uno tot vitia deprehensa

hensa sunt? Imò fuerunt, quorum sagacitas in ipso deliciarum omnium magistro Ovidio declamatorias quasdam & superfluas argutias notarunt. Dramaticæ poësi accenseri quodammodo Bucolicum carmen potest, in quô quam Virgilii modestia & ἀφέλεια præ aliorum loquacitate & ineptiis laudari debeat, ostendit summus ipse Poëta & Poëtarum Censor Rapinus in *Dissertatione de Carmine Pastorali p. m. 124.*

XIII. Vidimus de Eloquentiâ tam ligata, quam solutâ, quid in illa inepta loquacitate peccetur, sine respectu ad materiam. Tempus jam est, ut & aliqua de illâ dicamus, quatenus certo argumento inservit, & ex usu publico spectatur. Duplex itaque est CIVILIS & ECCLESIASTICA. De illa primum agemus. Civilis consistit vel in scribendo, vel in orando. Illa Historia est. Hæc pro variis functionibus in Republica varia. Si δικαστικὴν respicit, forensis est, in Advocatis: si βουλευτικὴν, vel Senatoris, vel Legati est. Si statum Reip. bellicum, militaris. Singulæ species suâ quâdam indole constant.

XV. HISTORICAM Eloquentiam ut primo loco expediamus, duo in illa attendenda sunt: Res, de quâ scribitur, & Elocutio, quâ scribitur. Illa veritatem & prudentiam comitem habet. Veritas requirit, ne quid vel dissimulet vel falsi narret, vel gratiæ tribuat. Eorum omnium moderatrix est prudentia, quæ præterea in causas atque eventus rerum intentum esse jubet, & in narrando μικρόλογον esse vetat. Illa si recte observet & modum in iis teneat (etsi sunt, qui planè omni judicio Politico Historicum abstinere debere volunt) partes Historiæ pragmaticæ, qualem Polybius animo conceperat, implet: de quâ & doctè & prudenter Casaubonus in aurea illa super Polybium præfatione. Verùm benè prospiciendum est, ne, ut sententiosi & acuti conjectores videamur, ea fingamus, quæ inter veras causas locum habere non possunt. Quod Tacito accidisse multi observant, & res ipsa loquitur: Quo nomine in acerbiorem Scioppii & aliorum, quàm merebatur, censuram incurrit, qui Livium illi, nec fortassis injuria, in omnibus præferunt. Livium enim elegantissimè doctissimus Rapinus alicubi vasto fluvio comparat, qui æquali cursu & impetu sonoro decurrat: Tacitum rivo abundanti, qui nonnunquam extra ripas feratur. Alterum illud λεπτολογίας vitium sedulo ipsi vitandum est, qualem in Junio Cordo notat & ridet Jul. Capitolinus in initio vitæ Maximini, qui in vitiis Imperatorum memorabat, *quoties processerint, quando cibos variaverint, & quando vestem mutaverint.* Talium minutiarum emblemata in Monachorum Chronicis reperias, ut gallinam peperisse ova duos vitellos habentia, pueros à lupis discerptos & similia, quæ cum sæpè contingunt, frustra in illis se tenet Historicus. Sunt & qui ipsum Livium ob

superstitiosam prodigiorum memorationem hujus vitii incusant, à quorum tamen sententiâ alienus sum. Elocutio, quæ inter abruptam brevitatem & diffusam orationem media esse debet, variis corrumpi vitiis potest. Sunt qui puram & auream illam Cæsaris ἀφέλειαν omni Historiæ ornatæ præferant, qui tamen inter commentarios, (quos Cicero nudos absque omni orationis ornatu esse ait) & historiam non distinguunt. Alii narratores, alii exornatores rerum. Non debet luminibus suis spoliari Historia, quibus illa ad poësin, Quintiliano teste, accedit propius, quicquid contra argutetur Benius Liviomastix. Quare & concionibus & orationibus locus relinqui debet: quâ de re argumenta in utramque partem videantur apud Vossium in arte historica c. 20. Paulum Benium de Historia lib. 2. n. 4. & 17. Aug. Mascard, dell' arte historic. tract. 2. c. 4. & Paulum Piranum da Pesaro in additionibus ad Masc. Art. historic. sect. 2. Sebastianum Maccium de Hist. lib. 2. c. 29. Amplificationes tamen oratoriæ exesse hic debent, figuræ vehementes, compositio periodica, atque universa illa dicendi forma, quæ causæ & actioni inservit. Ita Theopompi Chii dictio olim reprehendebatur, quod Isocraticæ oratoriæ similior, quam Historicæ esset.

XV. FORENSIS Eloquentia Ciceronis tempore alia facie, quam sub Imperatoribus, comparuit. Olim illa diffusior quidem verbis, sed & enthymematibus plenior, & omnibus dicendi figuris ornatior fuit. Tota postea mutata est in declamatorum scholis, & succiplenum ejus corpus, in nescio, quam maciem contractum est, cum abrupta brevitas, cum argutiis subitaneis & de industria quæsitis illi succesfit. Utrobique major, quam opus erat, cura interdum artis & verborum adhibita, quæ fidem causæ sæpè derogavit. Erit, ubi ipsum silentium plus loquitur, quam cultissima oratio. Quemadmodum Pictor Agamemnonis dolorem in immolatione filiæ expressurus, cum penicillo exprimere se posse diffideret, caput ejus obvolutum exhibuit. Ita Oratori in causa gravissima *significatio sæpe major erit, quàm oratio*, ut ait Cicero in Bruto. Luculentum sanè ejus rei exemplum apud Plinium est lib. 7. Ep. 6. Is Vareni causam agens, cui cum Bithyni accusationem ob rationes provinciæ malè administratas intentatam remiserant, Fontejus tamen Magius unus è Bithynis intentare non cessavit, ad Macrinum scribit: *Assistebam Vareno & tacere decreveram. Nihil enim contrarium, quam si advocatus à Senatu datus, defenderem ut reum, cui opus esset, ne reus videatur. Multum me intra silentium tenui. Accepi enim, non minus interdum oratorium esse tacere, quàm dicere: atque adeò repeto, quibusdam me capitis reis vel magis silentio, quàm oratione accuratissimâ profuisse.* Cujus ille exemplum eô in loco subjecit. Sæpe etiam felicior hic extemporalis quædam dicendi

audacia, quam omnibus artis præceptis instructa facundia. *Accidit enim,* quod Quintilianus lib. 10. cap. 3. notat, *ingeniosis frequenter, ut labore consumantur & in silentium usq; descendant, nimiâ benè dicendi cupiditate*, qui illic narrat Julium Florum, Julio Secundo, infinitæ curæ homini, qui per triduum in inveniendo exordio se maceraverat, dixisse: *Numquid tu melius dicere vis, quam potes?*

XVI. Verum mittimus illud eloquentiæ genus, quod hodie mutatâ fori facie, penè in desvetudinem abiit. Regnat in subselliis SENATORUM gravissimum Eloquentiæ genus, quâ de causis publicis ac arduis deliberatur, cujus summa atque Princeps regula est, quam Fab. lib. 8. cap. 3. præscribit: *Non debet unquam, ubi maxima rerum momenta versantur, sollicitus esse de verbis*, nam ubi ars ostentatur, veritas abesse videtur, & ipsa materiæ sublimitas facilè verba ostendit. Hanc ob causam ipse quoque Arist. lib. 3. Rhet. cap. 1. v. 15. statuere non veretur: Τὸ περὶ τὴν λέξιν δοκεῖ φορτικὸν εἶναι καλῶς ὑπολαμβανόμενον: *quod ad Elocutionem pertinet, si quis rectè reputet, totum leve & importunum videtur*; Ibidem v. 17. Τἆλλα, ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι περίεργα ἐστιν. *Cætera, quæ præter probationes adducuntur, supervacanea sunt,* & lib. 1. cap. 1. v. 6. αἱ πίστεις ἔντεχνον μόνον, τὰ δὲ ἄλλα προσθῆκαι. *Solæ probationes ad artem pertinent, cætera appendices sunt.* Eleganter itaque lib. 3. cap. 12. v. 18. elocutionem deliberativi generis, umbratili picturæ similem facit, in quâ, è longinquo positâ, diligentia exprimendorum colorum, & quæ exquisita sunt, supervacanea & deteriora videntur, cum ars non conspiciatur. Alia verò Principis, alia Ministri oratio. Illi autoritas partem persvasionis maximam occupat. Huic ad ingenium rerum, temporum, personarum, accommodanda est oratio, ne ipsi objici possit, quod in Claudio reprehendit Svetonius: illum *non cogitasse: quis, inter quos, quove tempore ac loco verba faceret.* Ex ore ejus, ut Cicero in Oratore, *verbum nullum, nisi elegans ac grave exire debet.* Fugienda tamen, eodem Cicerone monente, *vel pragmatico homini nimia concinnitas:* neque in locos communes, à quibus politica eloquentia longissimè abesse debet, digrediatur. Sententiis gravibus potius & probabilibus, quàm concinnis, utatur, & argutulo illo dicendi genere, *quod è Sophistarum fontibus*, teste Cicerone in Oratore, *in forum defluxit, sed quod spretum à subtilibus, repulsum à gravibus*, planè abstineat. Quare omninò ἐκτὸς λεωφόρου βαδίζουσι, qui ad Oratorem politicum formandum omnem illum apophthegmatum, argutiarum, similium, emblematum, historiolarum apparatum scholasticum afferunt. *Delphinum sylvis appingentes fluctibus aprum.* Rationes hîc omne punctum ferunt, non ornatus verborum vel figurarum nimius. Nihil in aulâ magis sordet, quam quod Scholam sapit, cujus exempla supra

§. 11.

§. 11. adduximus. Scilicet *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.* Imò eò se demittet sæpe noster Orator, præsertim quidpiam literis mandaturus, ut à dictione multâ sibi temperet, & familiaribus illis loquendi formulis, ringente etiam Prisciano, & omni Grammaticorum senatu, adsvescat. Valet hic illud Æschyli; ἢ σιγᾶν, ἢ λέγειν τὰ καίρια.

XVII. Præcipuè LEGATO ea lex dicta esto: ne quid temerè dicat, ac ineptâ oratione impingat. Meminerit enim non sibi se loqui Oratorem, sed Principi & Reipublicæ, cujus ille sensum, vocem & spiritum repræsentat. Vel in unius hominis prudente & animosâ lingvâ salus hæret Reipublicæ, ut exemplo Demosthenis constat, cujus ore stetit & adversus Philippi insidias se defendit Græcia. Hoc Legati charactere qui insignitus est, ut ab ipso Principe & negotio animos sumit; (observatum enim est, modicâ dicendi facultate per se instructos, autoritate tamen ipsâ nonnunquam persvasisse,) ita operam dabit, ut nihil, quod à personâ dicentis vel audientis alienum sit, admittat. Præprimis brevis esto, neque nugamentis superfluis aures oneret, quibus negotium in discrimen adducatur. Testantur historiæ, quomodo loquaces Samiorum legati à Lacedæmoniis elusi, qui ita responderunt; *prima sibi, quia remota, excidisse: media, quia nimia, sine attentione effluxisse; ultimis verò se annuere non posse, cum cætera non perceperint.* Similiter Abderitarum Rex loquaci oratori responsum urgenti regessit: *Abi, & te quoque meam mihi orationis partem præripuisse, tuis nuncia.* Nihil verò facetius, quàm historia illa de duobus Legatis Perusinis, è quibus alter, cum ineptâ prolixitate molestiam creasset Urbano V. Pontifici ægrotanti, idque collega animadverteret, ut hoc erratum emendaret, subjunxit: *sibi in mandatis datum esse, ut nisi brevi votis potirentur, ipse quoque tam longam orationem depromeret.* Quo joco tædium orationis mitigatum, & quod petebatur, indultum fuit. Ut breviter & aptè loquatur legatus, præmeditatus dicat, & tum quidem, cum ad princeps negotium accedit. Præmeditatio orationis cum objiceretur Demostheni, quasi verba velut scripta loqueretur: *Omninò,* respondit: *non enim scripta solùm, sed sculpta si possim, dixero.* Ipse quoque Augustus, notante Svetonio cap. 84. è scripto sæpè dicebat, *ne plus minusvè loqueretur ex tempore.* Sed tamen & ex tempore, ubi opus, loqui sciat *promptâ illâ & profluente,* quam in eodem Augusto Tacitus laudat, *eloquentiâ,* ne commoda & mollia fandi tempora ipsi pereant, ac rerum præsidiis, cum verba illum destituunt, destitutus videatur. Præstat tamen omni temerariâ loquacitate brevitas & silentium: nam secura illa nec affectata eloquentia fidem dicentis auget. In brevitate plus pensitandum relinquitur. Ac est interdum, ubi abrumpere sermonem utile est, ut majus aliquid restare credatur: cum verbosus nihil, quod dicat, reli-

qvum habere videatur. Præterea si quid silentio peccatur, emendari potest, cum loquacitas & temeritas in dicendo nonnisi pœnitentiam producat. Cujus exempla plurima cumulavit Vicquefortius lib. 2. de legatis eorumque functionibus cap. 7. Videndus & Marselarius lib. 2. dissert. 36. 37. 38. Multa quoque, quæ ad prudentiam Oratoris civilis pertinent, Böclerus in Dissertatione *de Eloquentia Civili* persequitur.

XVIII. MILITARIS Eloquentia, quâ Dux ad milites utitur, autoritate potiùs, quàm nitore verborum & longâ oratione constat. Corbuloni Duci, cui *magnifica oratio non defuit*, ut ait Tacitus, *autoritas pro facundia fuit*, & Vespasianus quoque apud milites *militariter locutus*, eodem teste: neque Drusus, etsi *dicendi rudis*, milites seditiosos infeliciter allocutus est. Onosander in Strategico, & Leo in Tacticis hanc eloquentiam Duci commendat. Eandem in Julio Cæsare Svetonius laudat, quâ ille *inclinatas acies sæpè restituit.* Verùm inepta hîc esset facundia certis regulis & periodicis dimensionibus definita, quam rei præsentis necessitas respuit; ut ridiculus videatur Homerus, qui Heroibus suis non modò inter se, sed & cum hostibus longas sermocinationes, in mediis etiam periculis & subita omnium rerum desperatione affingit: quâ in re prudentior Virgilius, qui nunquam extra judicii hîc limites abit. Hanc prolixitatem quoque in Ephori Theopompi Anaximenis oratiunculis damnat Plutarchus. Mirum itaque non est, unam vocem *Quirites* ore Cæsaris prolatam plus efficaciæ habuisse apud milites, quam longas aliorum orationes. De illo Balzac. Oeuvres div. disc. 1. *Les soldats se fussent moqués d' une douzaine d' oraisons de Ciceron, & ils se rendent à une parole de Cesar.* Idem in disc. *de la grande eloquence* Gustavi Adolphi eloquentiam militarem mirificè extollit, & exemplum Henrici IV. adfert, qui sola illa compellatione, *Faites comme je femy*, efficacius, quàm prolixô sermone milites in pugnam accendit. Et sanè ubi festinatione, alacritate, concitatione animorum opus est, loquacitate nimiâ potius obtunderet, quam exacueret animos; quemadmodum ineptus esset, qui milites ad pugnam per cantum animaturus, fidium concentum & molliores Musicæ modos, quam tubarum & lituorum acres & incitatos, brevibusque intervallis finitos, & in se redeuntes sonos adhibere mallet. Plura de hoc argumento doctissimus Naudæus in de studio militari, *lib. 2. sect. 3. num. 2. pag. 487.*

XIX. Subjicimus Oratoriæ Civili ECCLESIASTICAM, quæ iisdem principiis superstructa est, quicquid etiam nonnullis videatur: etsi suo quoque à reliquis distincto charactere gaudeat. Nam cum, observantibus eloquentiæ magistris, tot eloquentiæ penè genera, quot causæ sint, & ipse Aristoteles *lib. 3. cap. 12.* elocutionem deliberativi generis, ab elocutione

cutione demonstrativi & judicialis sollicitè distinguat: diversitas illa à civili in sacra quoque eloquentiâ agnoscenda est, quam pulchrè ob oculos posuit Franciscus Panigarola, ipse magnns eloquentiæ sacræ magister, in quæstionibus præliminaribus, commentarii super Demetrii Phalerei librum de Elocutione Italicâ lingvâ scripti: ut ea, quæ ad laudem hujus eloquentiæ studiumque ejus in Patribus pertinent, doctè pro more suo congessit Cresollius Mystagog. *lib. 2. cap. 18. sect. 2.* Hic vero unicè notandum est, nihil magis orationem sacram ornare, quàm illam in tacendo eloquentiam.

XX. Quare inter præcipuas orationis sacræ virtutes vel eam ob caussam BREVITAS est. Cum enim potissimam cultus divini partem constituant preces, hymni, lectio scripturarum, gratiarum actiones, & si quid præterea est hujus generis, his quasi appendicis loco in veteri Ecclesiâ accesserunt parænefes ad populum, sed breves, quæ intra horam, imo dimidiæ horæ spatio finirentur, ut sunt pleræque Patrum Græcorum & Latinorum homiliæ, quas hodie superstites habemus, quorum aliqui summâ eloquentiæ laude floruerunt, imo ipsam professi fuerunt. Diserte Basilius Magnus ostendit, suo ævo ultra horam non durasse has orationes. Nam sermonem in Psalm. 14. cum absolvere non potuisset, postridie ea, quæ restabant, novâ oratione complexus est, ejusque hanc causam subjungit: *Hesternâ die*, inquit, *super Psalmo XIV. sermonem apud vos habuimus, quem sub horæ spatio permissi non sumus absolvere: nunc autem ut certi debitores reliqua, quæ restabant, libenter exsoluturi venimus.* Gregorii M. Leonis M. homiliæ intra horæ dimidium facile finiuntur. Rationem ejus brevitatis pulcherrimam suppeditat Patrum Græcorum politissimus & eloquentiæ arte præcipuè clarus Gregor. Nazianzenus Orat. 40. in S. Bapt. init. *Sermonis satietas est auribus inimica, non aliter atque cibus immoderatus & nimius noxius corpori.* Imo hoc in more positum fuit Patribus, ut in medio cursu, cum permotos suâ oratione auditores vel è lacrymis vel ex plausibus eorum cognoscerent, illam abrumperent. De quibus aliisque præterea ritibus copiose egit *Franciscus Bernardinus Ferrarius, singulari libro de ritu sacrarum Ecclesiæ concionum.* Videri idem potest *de veterum acclamationibus & plausu lib. 5.* quo agit de Acclamationibus Ecclesiasticis, & *Hildebrandus quoque de veterum concionibus cap. 3. §. 12.* Omninò itaque valet hic Arabum Adagium: *Bonitas orationis in Brevitate*, & illud Pindari: βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν ἀκοὰ σοφοῖς. *Pauca in prolixis vario artificio sermonis edissere, auditio sapientibus grata.*

XXI. Ut in oratione Civili, ita & hîc OCCULTATIO artis necessaria, eoque magis, quo majorem sublimitas argumenti, omne illud humanæ eloquentiæ ὕψος excedens, & singularem quandam ac divinam in dicen-

dicendo ἀφέλειαν & καθαρότητα requirit. Quod cum viderent nonnulli, in eam ſententiam parum cautè prolapſi ſunt, quaſi nullus eſſet eloquentiæ civilis in ſacris uſus, ſed excludi omnino deberet: Cum, ſi quid hic peccatur, non artis culpâ, ſed artificis contingat, qui prudentia in præceptis eloquentiæ argumento ſacro applicandis deſtituitur. Scilicet arte Rhetoricâ non aliter ut ſerperaſtris utimur, quæ abjicimus, cum noſtris talis conſiſtimus, & latera totamque corporis compagem firmatam habemus Viri. Sed tamen occultatio artis non niſi per artem ipſam diſcitur, ut in pictura, qui circino συμμετρίαν partium primum dimenſus eſt Pictor, cum habitum illum jam conſecutus eſt, melius absque circini uſu pingit, res oculis exponens, non quales ſunt, ſed quales è diverſo poſitu intuentibus apparent. Quare omni ſtudio cavebit Orator ſacer, ne Sophiſta & Declamator videatur, quem plurimi nunc, quam veri Oratoris titulum malunt. Meminerit Eccleſiaſtes, aliam eſſe legati, quam privati eloquentiam. Illi enim cum præcipuam perſvaſionis partem conſtituat autoritas & rei dignitas, Eccleſiaſtes vero quaſi DEI nuncius videri poſſit, qui voluntatem divinam auditoribus ſuis proponat, ita ſe alliget arti, ne quid argumentum ſuum dedeceat: dedecebit autem, ſi magis ex artis præſcripto, quam ex ipſius rei argumentis loqui deprehendatur. Quod cum humani ingenii commentum non ſolum, ſed præterea etiam ſophiſticum quid oſtendat, multum divinitati argumenti dedecet, quod *non in perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis* conſiſtit. Petri hoc monitum eſt: 1. *Ep. c.* 4. *v.* 11. Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια θεοῦ. ἵνα ἐν πᾶσι δοξάζηται ὁ θεός. Ineptæ itaque hîc ſunt Dialecticæ illæ nonnullorum in argumentationibus, diviſionibus & ſubdiviſionibus argutiæ, quæ cum à civili eloquentia relegandæ ſint, multò magis hic exeſſe debent, licet illis occulte nonnunquam utatur Orator. *Frigidum fuerit*, inquit Eraſm. in Eccleſiaſt. lib. 2. *ea apud populum inculcare, cum tamen interim his omnibus utatur Eccleſiaſtes, ſed occultans artem, & ratiocinationum argutias ſic explanans, ut multitudo ſentiat, verè dici potius, quam ingenioſè.* Memorabili hoc exemplo Patris Caſtilionis oſtendit ſummus eloquentiæ civilis & ſacræ cenſor Rapinus, in libro Gallico, cui titulus *Reflexions ſur l'Eloquence de la Chaire, circa finem*, quàm artis occultatio omnes eloquentiæ ſacræ numeros abſolvat. Ejus verba, ut Gallicè ſonant, hic adducemus: *Sous une apparence de ſimplicitè & de negligence il couvroit l'artifice le plus grand, qui ait jamais eſté. Cette negligence meſme eſtoit accompagnée de tant de graces, qu' il charmoit toujours, parce qu' on eſtoit perſuadé par ſa façon de parler, qu' il ne penſoit à rien moins, qu' à charmer. Son ſouverain talent etoit le ſecret, qu' il avoit trouvé de faire croire, que tout ſon art eſtoit naturel: parce qu' il*

eſtoit

estoit caché sous la negligence la plus estudiée, qui fut jamay. Legi illic cætera possunt, quibus characterem illius viri describit.

XXII. In INVENTIONE ipsâ multa ἄῤῥητα ἀμείνω occurrunt, cum adferuntur sæpe, quæ extra rem posita sunt, ac plane extra oleas vagantur. In ipsa Thematum indagatione nonnulli ingenii impetus, quam artis regulas sequi malunt. Nam vel propositiones speciales omnibus totius anni pericopis indistinctè applicantur, vel adeo generales illæ formantur, ut omnem totius Theologiæ fundum exhauriant, verbis textus utcunque eum in finem detortis, atque ita locis communibus omnia impleantur. Quæ etsi non incommodè sæpè fiunt, tamen libri potius, quam brevioris sermonis res est. Vel propositio aliqua metaphorica textui simplici maximeque dogmatico infertur. Accedunt emblemata, nescio quem cultum peregrinum spirantia. Quo fit, ut non argumenta rebus, de quibus dicitur, ut fieri æquum est, sed themata locis communibus serviant. Quæ omnia è Dialectices illa & Rhetorices ἀπαιδευσία, apud homines cæteroquin doctos & ingeniosos oriuntur, cum ingenium & eruditionem ex ornatu ostentare malunt; quàm ex argumentorum nervis & robore ostendere prudentiam, quæ sola animi fundum penetrant: cum cætera in auribus hæreant, & solâ novitate placeant. Et verò, ut perpetuus rerum inter se analogismus est, ita ingenioso homini facillimum est, quidvis de quovis dicere, atque ita aptare, ut & concinna & arguta videantur, ac placere auditoribus, etiam eruditis possint, nam horum gratia plerumque talia fiunt. Verum alia sunt, quæ Oratorem sacrum decent & ornant. Vidi, qui omnes totius anni pericopas vel ad flores, vel ad gemmas, vel ad historiarum Indicarum rariora dirigerent, intempestivo & theatrico hoc apparatu populo delicias facturos, quos divinorum argumentorum majestate dignôque illis eloquio commovere debebant. Quorum institutum non abludere ab illorum more videtur, qui calendaria nunc scribunt, iisque novos jam è medicinâ, jam è culinâ, jam ex artificialibus, & omnis historiæ genere titulos conquirunt. Sed quocunque etiam ingenio illa incrustentur, quibuscunque etiam coloribus pingantur, (sunt enim qui acutissimo in illis versantur ingenio) ἄτεχνα tamen omnia sunt, quoniam extra veræ eloquentiæ fines posita, & ut strumæ quædam τὸ σῶμα τῆς πίστεως deformant, ejusque succum & vim extinguunt. Neque sanè cathedra sacra ut scena instrui debet, in quâ voluptatis magis, quàm usus ratio habetur.

XXIII. In argumentis primum occurrunt ΛΟΓΟΙ sive docentia. Ea è locis communissimis, communibus, & propriis tam Rhetorum, quàm eorum, quæ Theologia illis subordinat, ita desumenda sunt, ut oratoris illa prudentia omne hic punctum ferat. Nam Enthymemata hic more ora-

torio formari posse, pulchrè exemplis demonstravit Franciscus Panigarola *comm. in Demetr. Phaler. Part. 1. particell. 23.* Quare id præcipuè cavendum est, ne intempestivo alienarum meditationum usu nostri judicii robur enervemus. Illi enim, qui alienis uti malunt, quam suis, suum genium exuunt, ut alienum, quem non habent, induant. Non possumus aliorum meditata nobis accommodare, nisi illa in nostra quodammodo transfigurentur. In mysteriis verò proponendis ita olim versabantur Patres, ut hâc quasi præteritionis formula uterentur: *Hoc fideles norunt:* τοῦτο ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Malebant enim sacro quodam silentio uti, ne nondum initiati aut cæteri homines illa, quæ non intelligebant, contemnerent. Accensentur docentibus argumentis, quæ ad ἔλεγχον pertinent. Hîc verò, si usquam, illud Plutarchi valet: σοφὸν εὔκαιρος σιγή, καὶ παντὸς λόγου κρεῖττον. *Tempestivum silentium est sapiens, ac quâvis oratione potior.* Nam si doctrinam spectes, quantum ex intempestivâ & immaturâ reprehensione, è vocum novitate, malorum in populos serpsit! quæ non hæreses & schismata inde exorta! Quot illa simultalibus, odiis, cædibus, bellis ansam dedit, quorum multa apud Vedelium in aureo planè libro, *de prudentia veteris Ecclesiæ, Proleg. cap. 6. & lib. 3. cap. 3. & 4.* ac passim notata videntur. Adde & Gregor. Nazianz. Orat. 26. de moderatione in disputationibus servanda. Si morum emendationem spectemus, eâ hîc modestia esse convenit, ut, nisi tubera offendant, verrucis ignoscamus. Qui hîc vel naturæ, vel ætatis vitio, vel rerum civilium imperitiâ peccant, nimis quàm decet, φορτικοὶ, cum vel *prave sectum stomachantur ob unguem*, plus destruunt, quam ædificant, & de judicii sui, imò & charitatis opinione apud auditores detrahunt, quæ omnibus Angelorum & hominum lingvis potior est. De his elegantissimè Rapinus in libro supra laudato §. 26. *On traite indignement la parole de DIEU, de la reduire à de amplifications pueriles de petits sujets, & à de pures bagatelles, dans le grand nombre de matieres importantes à traiter, que peut fournir nostre religion. Comme font par exemple ces petits Predicateurs, qui font les zeles conte les mouches, les garnitures, la coiffure, & les autres vanitéz des femmes.* Pleraque illa orationum sacrarum argumenta è genere deliberativo, rarius è demonstrativo genere petuntur, etsi vel maximè suppeditare textus videatur. Quare prudenter Philippus Melanchthon lib. de offic. Concionatoris Part. 2. operum fol. 3. svadet, excludendas ex ecclesiis orationes illas, in quibus CHRISTUS ita prædicatur, tanquam in declamatione Camillus aliquis aut Themistocles, eamque ob causam Nazianzenum & Chrysostomum reprehendit, qui nonnunquam ut in ludis declamant & CHRISTUM laudant, cum oportuisset non de CHRISTI facto, sed de consilio dicere, & quid credere, quid sperare

nos

nos voluerit CHRISTUS, ostendere. ΗΘΗ in Oratore sacro plus quam alia argumenta præstant. Nam si Orator Civilis, Vir bonus; multò magis pius & humilis noster esse debet. Plus sincera pietas, etiam cum silet, loquitur, quam speciosa argumenta. Sic de P. Suffrendio Rapinus *l. c. §. 22.* ait, prius illum persvasisse, quam ullum ore verbum proferret. Quæ vis propemodum magica est. Magiæ certè partem Campanella *Rhet. cap. 3. art. 1.* facit Rhetoricam. Quare si prava de Oratore opinio animos auditorum occupaverit, omnes ut hypocritam, qui in theatrum venerit, aliam quam ipse ferret, personam sumpturum aversabuntur. Nec in ΠΑΘΕΣΙΝ extra orbitam feratur, ne in *παρένθυρσον* incidat. Et solet plebs inani figurarum strepitu, soloque dicentis accentu & actione moveri, cum nec alias facile afficiatur animus, nisi tumultu in sensibus excitato. His placere possunt declamatores tales, qualibus nescio quis hanc concionandi regulam præscripsit: *Percute cathedram fortiter, respice crucifixum torvis oculis, & nihil dic ad propositum, & benè prædicabis.* Est ubi argumentorum amplificantium magnus usus est, ut ostendit Hyperius *de Form. Conc. lib. 1. cap. 15. Carbo Rhet. div. lib. 4. cap. 1. 2. 3.* In figuris tamen amplificationum parciorem esse convenit, ne fastidium gignant: Actio quoque comitabitur argumenta, sed quæ à scenica & civili discrepet. Modestia enim argumenti omne *Φορτικὸν* excludit.

XXIV. E DISPOSITIONE quoque Oratoris sacri elucebit prudentia, si ita partes tribuat atque connectat, ne vel *βυκέφαλος*, vel *μείουρος* fiat oratio. Præexordia solam nominis divini invocationem, ut excitaretur pietas & attentio auditorum, olim continebant. Quibus si peregrina immisceantur, pietatis ardor retunditur. Non sine causâ itaque Rapinus *libr. laudat. §. 27.* pomparica (ut vocat) præludia, de concupiscentia, peccato originis, gratiâ, aliisque locis communibus improbat. Ipsorum Exordiorum (quæ interdum omittuntur) in Patrum homiliis mira brevitas: nam periodis aliquot absolvuntur, neque separatum thema continent. Ut mirum sit, reprehensum aliquando, ob productiora sermonum initia, fuisse Chrysostomum, qui publicè gratias monenti agit, *princ. serm. de ferendis reprehensionibus hom. 9. de laud. D. Paul.* Quis ferat itaque morem nonnullorum, qui è capitibus librorum Biblicorum ordine illo, quo se inseqvuntur, exordia ad pericopas totius anni Evangeliorum obtorto quasi collo trahunt? Infelix Orator, qui ut cantherius in porta titubat, aut navem, dum è portu egreditur, impingit. In singulis porrò membris, argumentis & partibus ita se geret Orator noster, ne finium regundorum judicio opus sit, aut superstitiosa ipsi sit, vel nulla diligentia.

XXV. ELOCUTIO etsi, ut in oratoria civili, supervacanea esse videtur:

detur:

detur: sciendum tamen, singulare hic dicendi ὕψος esse, cujus character è Prophetis, Apostolis, Pauli inprimis Epistolis, hinc Patrum Græcorum, Basilii, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni & quorundam Latinorum sermonibus ducendus est. His nos Germani, Viri summi, Martini Lutheri sermones sacros addere possumus, quibus magnus eloquentiæ succus & spiritus inest, etiam cum omnem cultum abjecisse videtur, & paucos præterea alios, præ quibus facile aliquis cymbala illa & æra tinnientia contemnat. Verè enim, quod suo tempore Quintilianus lib. 4. cap. 1. dicere possumus: *Veterum circa occultandam eloquentiam simulatio multum ab hâc nostrorum temporum jactatione diversa.* Imprimis verò tota illa Dictio & Elocutio Biblica, tum quà simplices phrases, periphrases, sententias: tum, quà adagia, similia, metaphoras, figuras in succum sangvinemque vertenda: In his ὕψος illud reconditum est, quorum particulam exiguam, è verbis Mosis γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο, Longinus mirificè laudat. Verum in Prophetis non solum illud Longini ὕψος, sed & omnes illas Hermogenis ideas observes; in Esaia sublimitatem: in Jeremia σφοδρότητα; in Ezechiele, σεμνότητα & τραχύτητα, in Daniele teneritudinem, in Cantico Canticorum γλυκύτητα, in Psalmis Davidis omnes Poëtici & soluti sermonis elegantias: ut itaque quicquid humana industria sparsim excogitavit, in divina eloquentia cumulatum videatur. De novo fœdere valet illud ipsius Salvatoris: *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Joh. 6.* Paulinæ eloquentiæ artificia extollit Rittershusius *Sacrarum Lectionum lib. 4. cap. 13.* Scoreas itaque auro immiscent, qui peregrinum sententiarum, argutiarum, emblematum, allegoriarum (quarum immoderatum usum reprehendit Erasmus in Eccles. lib. 3.) historiolarum è profanis autoribus apparatum, laboriosas allegationes orationi sacræ inferunt. Qui cum flores quærunt, fructum rerum perdunt. Fuere inter patres alioquin eloquentissimi, qui omnes latinæ linguæ elegantias exuerunt, rustico sermone, barbarismis & solœcismis scatente usi, ut populus intelligeret, neque tamen sacræ eloquentiæ gloriam amiserunt. Cujus specimen in Arnobii sermonibus super Psalmos luculentum est, super quos legenda est aurea Erasmi præfatio multa hujus argumenti continens.

XXVI. Multa nobis dicenda superessent. Sed abrumpenda tandem est hæc dissertatio, ne qui *Eloquentiam in tacendo* proponimus, adversus illam hic peccasse videamur. Illam ita hìc recolamus, ut quæ solius VERBI est, & circa ῥήματα ἄῤῥητα versatur, eloquentiam in cœlis aliquando discamus.

FINIS.

DE

DE

PATAVINITATE LIVIANA

LIBER.

UBI

DE

URBANITATE ET PEREGRINITATE SERMONIS LATINI UNIVERSE AGITUR.

ILLU-

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

VITO LUDOVICO à Seckendorff/

TOPARCHÆ in Oberzenna/ Meuselwitz/ & Modelstein/ &c.

Potentissimi ELECTORIS ac DUCIS Saxoniæ, Postulati Administratoris Naumburgensis Consiliario Intimo, &c.

DOMINO ET PATRONO summè observando.

D. D. D.

D. G. MORHOFIUS D.

ILLU-



ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME

D O M I N E,

Cum pro more veteri Patronum huic libello circumspicerem, illustre tuum totique Orbi literato venerabile nomen occurrit, quod in hoc vestibulo, ut Herculis alicujus Musagetæ statuam & honoris & auspicii gratiâ ponendum duxi. Quas enim in Te dotes universa suspicit Germania, cujus Tu summum ornamentum es: quas omnis eruditorum populus extollit: eas ut jamdudum animo præcepi; ita ut tenui hoc quidem, sed submissi tamen affectus documento propius nunc venerarer, nescio, quâ religione sum compulsus. Si generis in te splendorem laudamus, quamquam is summus est; in laude tamen tuâ id minimum est. Iis enim virtutibus, iis artibus generosam illam mentem percoluisti, ut divinarum humanarumq; rerum, quæ in Te est, scientia Nobilitati plus ornamenti; quam illa literis attulisse videatur. Est verò Generis ac Eruditionis tanta in Te conspiratio, ut cum alii vel Nobilitatis officere luminibus literas, ac propterea contemnendas arbitrentur, vel levi earum colore tincti arroganter & ineptè de studiis ingeniisq; judicent; Tu admirabili solertia id assecutus sis, ut quâlibet in arte ac disciplinâ ultra magistros etiam ipsos sapias, & censoris etiam partes sustinere possis. Felices olim artes pronunciabat Fabius, si de iis non nisi artifices judicarent: felicissimos esse cum artibus doctores existimo, qui Te Tuiq; similes judices experiuntur. Nam ut homine imperito nihil est injustius: ita nulla major eruditis accidere calamitas & molestia potest, quam ab inscitiis Censoribus, qui tamen supercilio suo omnia metiuntur. Privatæ illæ in Te Virtutes & Artes sunt; etsi ultra privatorum & hominum tui ordinis sortem: Sed enitet Architectonica illa scientia, quæ inter ætatis nostræ Heroas Togatos Te reponit. Quis nescit, quam salutaribus Tu Principum

Ooo Germa-

Germanorum aulas monitis instruxeris? quorum imperandi artes cum ad prudentiæ tuæ amussim exegisti, & in quandam, ut ita dicam, disciplinam compegisti, Te quasi magistrum quendam & antesignanum habent, quem respiciant, qui Principum rebus præsunt, siquidem in ejus & Reipublicæ salutem omnes suas curas defigunt. Neque præceptis Tu tantum disertus & canorus, ut multi philosophâ sententiâ, ignavâ operâ sunt; verum, quod verè prudentis & Architectonici erat, ipse clarissima in oculis, in luce omnium artis tuæ exempla statuisti, quæ grato animo agnoscunt Principes, laudant Cives, exteri imitantur, posteri admirantur. Quæ cum omnibus experta perspectaq; virtutes sint, vix invenit in Germaniâ doctissimus ingeniorum æstimator Böclerus, præter Boineburgium & Forstnerum, (at quos Viros!) quos tecum conferret & contenderet. Nihil ego nunc dico de familiaritatibus Principum, qui à Te velut Oraculo responsa exspectant: nihil de meritis dicam, quibus Respublicas, Ecclesias, Academias, Scholas Tibi obstrinxisti, quorum perpetua in Civium tuorum animis memoria hærebit. Quas ego causas habuerim, cur Tibi inscriberem libellum, qui inter quotidiana rerum nostrarum tædia in lucem protrusus est, facilè quis augurabitur. Quem enim tam illustre & in hoc generis splendore sine exemplo eruditum Nomen non pellexerit? Accedit favor ille tuus eximius, quo me non visum complecti non es dedignatus, & honesta illa de studiis meis opinio, de quâ amicus noster & inter Academiæ Lipsiensis decora merito nominandus Clar. MENCKENIUS copiosè ad me perscripserat. Quo judicio ut me non mediocriter ornatum intelligo; ita his quanquam tenuibus officiis voluntatem gratumq; animum remetior. Si libri argumentum spectaveris, neque hoc Tuo Nomine indignum erit. De sermonis Romani, qui Consulum, qui Patriciorum, qui Equitum erat, nitore, quam urbanitatem dixêre, disquiritur: Livium Historicorum Romanorum Principem, & ipsum Equitem, adversus Pollionem Patavinitatis insimulantem defendo. Nihil hic, quod vel dignitatem, vel ingenium tuum dedeceat, qui in patriciâ causâ sedere judex non gravaberis, & istâ animi solertiâ omnes hujus argumenti recessus jamdudum ita exhausisti, ut ad Te totum ejus rei arbitrium rejiciendum esse duxerim: à cujus splendore multum huic quoque libello lucis me feneraturum sperabam. De cætero, ut inter Tuos numerari clientes summo mihi honori duco; ita ut in favore illo, quo me non indignum judicasti, persistere velis, etiam atque etiam à Te contendo. Pro cujus salute & incolumitate ut perpetua mea vota sunt; ita, DEO volente, eventurum auguror, ut consiliis tuis Principes, præsidio Respublica, patrocinio docti omnesq; boni, Ornamento Germania atq; universus Orbis literatus quam diutissimè fruatur.

Scribebam KilonI. Idibus Septembris,

Anno CI> I>C LXXXIV.

AD

AD

BENEVOLUM

LECTOREM.

Quæ Tibi, B. Lector, hic exhibetur de PATAVINITATE LIVIANA dissertatio; è publicis lectionibus, quas Acroamaticas voco, mihi nata est. Nam cum per hos XXIV. Annos, quos in munere Professorio, tum in Academia Rostochiensi, tum in Holsatica Kiloniensi exegi, non pauca de argumentis rarioribus privata industria congesta mihi ac notata sint; ut tamen & illa in juventutis usum cederent, unam de hebdomada horam lectionibus his Acroamatis seposui. Ex illis primum hoc de PATAVINITATE LIVIANA argumentum publicè propositum nunc in lucem editur. Varia hîc eruditis, ut puto, non ingrata, disquiruntur. Præcipuè verò de Urbanitate & Peregrinitate sermonis Latini universè, cum argumenti ratio nos invitaret, paulò uberius agendum duximus. Quod si, B. L. hanc qualemcunque operam nostram non aspernatus fueris; etiam reliquæ, quæ per hanc occasionem è scriniis & schedis nostris in cathedram produco, si vel valetudo, vel temporum iniquitas consilia nostra non destituerit, prælo subjicientur. Id monere tamen te volui, cum in his chartis emendandis versarer, aliis sæpè rebus & studiis intentus, & urgerent Operæ, non pluscula tantùm typorum sphalmata fuisse prætervisa, sed & aliquas non optimæ latinitatis voces, quæ in scribendi calore se suggesserant, non fuisse expunctas. Pauculæ illæ quidem sunt, *asserere* pro affirmare; *preprimis* pro præcipuè; *elucescit* pro elucet; quæ semel iterumque comparent. Sed quoniam de Urbanitate sermonis latini scribenti hæc ut minus Romana vitio verti poterant; eaque non ignaro, sed planè incauto, nec advertenti exciderint, non dissimulanda hæc παροράματα duxi. Benè Vale

L. B. & rebus nostris

fave.

Cap. I.

T. *Livii laus, ejusque æmuli. Liviani libri deperditi. Supplementa Freinshemiana. Fragmenta & libri diversis temporibus è Bibliothecis eruti. An in Arabum Bibliothecis è Latino in Arabicum conversi libri omnes supersint? Conjectura è Leone Africano. Conringii judicium. In Bibliothecâ Constantinopolitanâ à Regis Galliæ & Magni Ducis Florentiæ legatis frustra quæsiti. Mercator Græcus Regi Christianissimo venales obtulit. Sed non stetit promissis. Erasmus Roterodamus occasione librorum à Simone Grynæo inventorum Principes ad reliquos conquirendos adhortatur. Codex integer à Fregusio Scotorum Regulo in Hebridas insulas delatus. Pauli Jovii testimonium. Codex integer è Bibliotheca Drunehemensi per Martinum Gröningum erutus & Pontificis Bibliothecario Beroaldo oblatus periit. Testimonium è MSCto Chronico Bremensi. Philippus Beroaldus quis fuerit? Verosimile est, eundem esse hunc Codicem Norvvegicum cum Scotico. Decadum ineditarum aliquot fragmenta apud Gallos in Sphæristerio ab amico quodam Capellani inventa. MSCtorum Codicum varia fortuna. Laus Marquardi Gudii. T. Livii elogium è Maccio. Ejus Historia Liviana. Transitus ad* Patavinitatem *Livio objectam.*

Magno semper in pretio habitum Livium rerum Romanarum Historicum gloriosissimum, nemo est, qui ignorat. Postquam ille Patriæ rebus manum admovit, & felicissimè ab urbe conditâ ad sua usque tempora, non interruptâ serie, annales pertexuit, adeò omnibus ille historiam Romanam numeris absolvit, ut scriptorum, qui ante ipsum fuerant, memoriam unius propemodum deleverit, & quod armis sibi nomen Romani acquisiverant, ille literarum gloriâ immortalitati consecrârit. Agnoverunt viri ejus merita ac deprædicârunt, populares non tantum, sed & à Gadibus Roman venerunt, teste *Plin. lib. 2. Epist. 3.* peregrini, qui illius videndi cupidine ducebantur. Non defuerunt tamen, inter ipsos ejus Cives, quidam ingrati adeò, ut quem ob honorem genti suæ habitum omni officiorum cultu prosequi debuissent, conviciis tamen prosciderint, ejusque famæ apud suos & posteros, iniquis judiciis detrectârint. Quod cum occultè facerent nonnulli, inter quos Plinium referre possumus, qui in historiæ suæ naturalis præfatione animum in ipsum iniquum prodit; alii palàm virus suum evomuerunt. Inter hos morosus ille æqualium suorum Censor Asinius Pollio fuit, qui nescio quam PATAVINITATEM illi objecit. De quâ cum inter eruditos disceptari soleat,

nos quid de eâ sentiamus, hâc Dissertatione disquirere constituimus.

Nolo hic in Livii vitâ, iisque, quæ ad illam pertinent, recensendis, ejusque elogiis, quæ plenâ manu alii congesserunt, inanem insumere operam. Vossius, Bonifacius, Sigonius, Livianorumque operum editores sollicitè illa omnia conquisiverunt. De libris tamen ejus, quos multos & vastos scripsit, adeò ut Martialis totam iis Bibliothecam suam occupari scribat, id monendum est; quinque & nonaginta eorum temporum injuriâ deperditos, quorum non nisi epitomen à Floro confectam & supplementum à J. Freinshemio egregiè adornatum habemus, quod nunc integrum prodiit, adjectis illis, qui hactenus deerant libris, ex hereditate Freinshemianâ redemtis, illâ editione Livianâ, quam in usum Delphini procuravit Johannes Doviatius Antecessorum Parisiensium & Regiorum Professorum primicerius. Quam Livianorum operum jacturam ut acerbè deplorant Viri docti, ita se spe illâ solantur, fore ut è tenebris producti libri in Barbarorum bibliothecis superstites lucem aliquando videant.

Sed adhuc spes omnis evanuit. Paucula tantum fragmenta è MStis quibusdam codicibus eruta, ut in editione Magontiacensi de anno cIɔ Iɔ VIII particula cap. XVII. Lib. XXX, & quod deerat libro XL usque ad finem. Prodiit & Anno cIɔ Iɔc XVI Romæ à Gasparo Lusignano editum principium libri XXXIII Livianæ historiæ, depromptum ex codice vetusto Bibliothecæ venerabilis Capituli Ecclesiæ Bambergensis, indeque Romam à Francisco Bartholino Urbinate JC. delatum, quod ut genuinum Antonius Querengius aliique probavere. Verum judice Vossio lib. 1. c. 19. de hist. latin. *fucum fecit auritis Midis, non illis, quibus corculis esse datum est, & qui norunt, quid æra lupinis distent, qui primus hoc fragmentum publici juris fecit.* Sed acerrimus & diligentissimus Livii emaculator Gronovius in luculentâ illâ præfatione commentariorum suorum, & Livio hoc fragmentum, & viris doctis fidem vindicat.

De Arabum Bibliothecis ut sibi magnifica multa nonnulli promittunt, ita expleri inde lacunas Livianas posse existimant. Sunt enim, qui cum Græcis latinos quoque libros illic latitare, vel è latinis in Arabicam linguam conversos existimant. De latinis & è latino conversis illic superstitibus tum Erpenio tum aliis traditum est, de quo tamen dubitandum videtur, cum Joannes Leo Africanus monumenta omnia abolita esse testetur, ob superstitionem Calipharum. E Græcis illi pleraque transtulerunt, quæ conversa habent. Sed tamen & idem Leo non adeò ignotas historias Africæ latinas Arabicis ejusdem terræ scriptoribus fuisse testatur. Ita enim libr. 1. Descr. Afr. c. 25. *Nullam habent Arabes de rebus Africanis historiam, quæ non prius fuerit latinè descripta. Autores habent antiquos quosdam, qui partim*

tim Arrianorum temporibus scripserunt, partim etiam qui ante ea tempora fuerunt, quorum omnium nomina memoriæ exciderunt. Illorum autem volumina permultos continere libros credibile est: cùm enim horum interpretes nobis quid persvadere vellent, id septuagesimo haberi libro, ex illis me audisse memini. Neque in vertendis jam dictis voluminibus autoris ordinem per omnia sunt secuti, sed sumptâ cujusdam Principis historiâ, tempora illa cum Persarum Regum, aut Assyriorum, aut Chaldæorum, aut Ismaëlitarum temporibus connexa maluerunt. Hoc ex loco suspicioni occasionem dari posse existimat Conringius *Antiq. Acad. supplem. 19.* ipsam Livii historiam in manibus eorum fuisse, qui septuagesimum historiæ Latinæ librum laudarunt, quia unus Livius multos adeò historiæ libros condidit. Verum illa procul dubio ab interprete interpolata fuere: cum Leo testetur, illos in vertendis his libris non fuisse Autoris ordinem secutos. Frustra itaque hinc omnes esse colligit Conringius, qui historiam Livii integram è Latino in Arabicam conversam existimant.

Novâ posteà spe implevit eruditos Petrus de Valle Nobilis Romanus, qui in itinerarii *part. 1. c. 9.* Livium integrum in Bibliothecâ Ottomannicâ Constantinopoli extare testatur. Tres enim Constantinopoli Bibliothecæ sunt. Prima est antiqua illa Constantini M. in quâ multi MSti Codices. Altera in usum Nobilium & Servorum. Tertia non procul à cubiculo Imperatoris Turcarum, in quâ illum latitari ait. Narrat verò ille, se & Legatum Regis Galliarum cum Bibliothecario egisse, ut pretio decem millium coronatorum eum venderent: sed irritum fuisse ejus consilii eventum, quia per menses aliquot quæsitus inveniri forte ab imperito Bibliothecario non potuerit. Idem quoque memorat de Magno Florentiæ Duce, quinque Piastrorum millibus illum sibi comparaturum. Dubium itaq;, utrum illic etiamnum latitent integra Livii opera, an verò horribili incendio, quod mense Novembri Anni clɔ lɔc LXV etiam bibliothecā corripuisse dicitur, consumpta fuerint.

Cum jam spes Livianorum operum omnis decollasset, reviviscere eruditorum vota ante annum, & quod excurrit, cœperunt. Nam venit in Galliam mercator Græcus ex Insulâ Chio oriundus, cui nomen JUSTINIANI, & obtulit Regi Christianissimo opera integra Liviana, quæ mirabili casu ad manus suas pervenerant. Nam in incendio Constantinopolitanæ arcis, (fuit forte illud, cujus modo mentionem fecimus) inter multam supellectilem aliosque libros è fenestris projectos Turca aliquis hæc Livii opera abstulerat, qui secreto, cum pecuniâ indigeret, mercatori cuidam vendiderat, in cujus gratiam ille, quem dixi, *Justiniani* Regi Galliæ libros hos manuscriptos venales obtulit. Constitutum fuit quinquaginta millium scutatorum pretium, hâc conditione, ut pro singulis binis decadibus oblatis ipsi statim decem scutatorum millia solverentur. Sed nihil hacte-

nus

nus factum est, neque mercator cum Livio suo comparuit, ut de veritate repertorum librorum in Galliâ jam dubitare incipiant viri docti. Illa ex ore Dn. Doviatici ad me perscripsit Amicus. Quod si in potestatem Regis Christianissimi venissent illi libri, jam de Livii restitutione poteramus esse securi. Neque enim in bibliothecam suam, velut alterum sepulchrum detruderet, aut pateretur Rex gloriosissimus, ut immortali hoc beneficio suo careret orbis eruditus, vel sic Romanas res restituturus.

Patet ex iis, quæ adduximus, superfuisse tamen illos libros in Bibliothecis nonnullis, quos ut deperditos deploramus, nisi quod fortuna adhuc eruditorum vota destituit. Erasmus Roterodamus, qui præfatione in Livium, (quæ est inter epistolas ejus XV lib. XXVIII) de quinque illis libris Livianis à Simone Grynæo è Bibliotheca monasterii Laurisseni tum primum productis orbi literato gratulatur, hâc se spe solatur, fore, ut aliquando reliqui illi libri in lucem protrahantur. Quâ ille plenus & Principes & literatos compellat, ut nulli operæ, nullis sumptibus parcant in hoc thesauro inveniendo. Quæ ejus parænesis hic legi meretur, si vel nunc excitari possint Reges, ut liberalitate suâ hunc orbi thesaurum restituant. *Utinam faxit DEUS Optimus Maximus, ut hic Autor totus & integer nobis restituatur. Ejus rei spem nonnullam præbent rumores per ora quorundam volitantes, dum hic apud Danos, ille apud Polonos, alius apud Germanos haberi Liviana quædam nondum edita jactitat. Certè postquam hasce reliquias præter omnium spem objecit fortuna, cur desperemus & plura posse contingere? Atque hic meâ quidem sententia principes viri rem se dignam facerent, si præmiis propositis eruditos ad pervestigandum tantum thesaurum sollicitarent, aut etiam ad editionem perpellerent: si qui forte sunt, qui rem publicæ utilitati pamtam gravi studiorum jacturâ premunt abduntque. Vehementer enim absurdum videtur, homines ut parum auri argentique inveniant, tantis impendiis tantisque periculis ad ipsos pene inferos terræ viscera perfodere: & hujusmodi thesauros tantò illis pretiosiores, quanto corpore præstantior est animus, prorsus negligere, nec ullâ investigatione dignos judicare. Midarum hic animus est, non Principum.*

Hæc de Livii integro opere Erasmus. Qui cum de illo apud Danos superstite famam circumferri ait, illum ego Codicem designari dixerim, quem secum Fregusius Scotorum Regulus in Hionam Hebridum & Orcadum unam deduxit: Ita enim de illo Paulus Jovius Descript. Hebrid. p. 77. *Fama quoque est, prisca ingeniorum monumenta Romanasque historias, quæ quisque vel idiota cupidissimè desideret, in illis scriniis recondi, quas Fregusius Scotorum Regulus, non incuriosus, ut videri potest, amator historiæ Alarico Gothorum Regi comes direptâ urbe Româ secum abstulerit, in Hionamque demum tumultu Danico diligentius & tutius asservandos religiosè transtulerit; ita ut non omnino*

omnino vanum & irritum videri possit, reliquas T. Livii decades exspectare, quarum è tenebris erutarum certa exempla ad Franciscum Galliæ Regem Scotorum literis prolixe atque munificè præmissa nuper audivimus.

Hæc Jovius, quæ an omnia sic se habeant, incertum. Ad Franciscum Regem quædam Livianorum operum à Scotis transmissa, planè non constat, ac si id fuerit, non præteriisset hoc silentio diligentissimus talium rerum annotator Thuanus, nec omisisset libros illos Doviatius, qui ante aliquot Annos in usum Delphini Livium Tomis V. edidit, & Freinshemianos superstites ab heredibus Freinshemii redemtos novæ suæ editioni adjecit, vel saltem aliquam eorum mentionem fecisset. Verum fuisse illic Codicem integrum, ex eo non obscuris indiciis conjeceris. Possum enim insigni documento ostendere, è Septentrionis thesauris hanc rei literariæ insignem jacturam, quod vix credideris, resarciri potuisse, ut olim è Corbejensi monasterio Taciti libri deperditi, si mens non læva fuisset, aut nescio, quæ fortunæ iniquitas eas nobis delicias eripuisset.

Communicavit mecum Vir ut reverendâ dignitate, ita variâ doctrinâ conspicuus, Dn. DIECMANNUS, Ecclesiarum per Ducatum Bremensem & Verdensem Antistes, quod ille è Johannis Heringii JCti schediasmate quodam excerpsit, dignum utique quod hic legatur, & Orbi erudito innotescat. Ita vero ille: *Johannes Heringius, JCtus, Syndicus Capituli Bremensis, in manuscripto Catalogo librorum in dicti Capituli Bibliothecâ à se repertorum, quem Anno cIɔIɔc XXX. consignavit, sub finem testimoniorum memorabilium de Bibliothecis, laudato Catalogo præmissorum, ex manuscripto Chronico Bremensi in vita Archiepiscopi Christophori ista refert:* Anno cIɔ Iɔ XXI. starff D. Martinus Grönning/ van Bremen/ und Cantor im Dome tho Bremen/ een sehr gelehrt Man/ de hadde tho Rome im Collegio Sapientiæ publicè gelesen/ he hedde ock de Decaden und Boeker Titi Livii, de man nicht hefft/ sondern verlahren sind/ de waren geschreven/ und hedden betherto in Norwegen in Druntheim in de Liberey gewesen/ de kreech he tho sinen handen/ und schreeff solckes an sinen goden Fründ Philippum Beroaldum, des Paustes øversten Bibliothecarium, de schreeff öhme weder/ he scholde darmede tho Rom kamen/ he wolde darunter de verschung doen/ dat öhme thor stunde/ ohne sine tering und weg 1000 Ducaten scholden erlegt/ und verehret werden. Neverst Martinus starff midddeler tydt/ do wurden de gefundene Böcker Livii, von Kindern und andern/ de darvan keinen Verstand hadden/ thoreten und verderven/ welckes tho beklagen is/ dat also düsse edle Böcker wedder eruin verlahren/ und nicht an den Dag gekamen. Placuit ipsa hæc verba sermone vulgari Germanico, quo notata sunt, apponere, quibus latinè conversa subjungam, si forte in hujus sermonis imperitos dissertatio nostra inciderit, ut

ut & illi hanc fundi literarii calamitatem nobiſcum deplorent. *Anno cIɔ Iɔ XXI. diem ſuum obiit D. Martinus Grönning Bremenſis, Cantor illius Capituli, Vir doctisſimus, qui Romæ in Collegio Sapientiæ publicè prælegerat. Is decades & libros Titi Livii deperditos manuſcriptos habebat, quos è Bibliothecâ Drunthemenſi è Norwagiâ, ubi hactenus latuerant, acceperat. Quâ de re cum certiorem faceret Philippum Beroaldum Pontificis Bibliothecarium primarium; ille reſcripſit, ut libros illos ſecum Romam deportaret: ſe curaturum, ut ipſi è veſtigio, præter ſumtus itineris, mille aurei ſolverentur. Verum cum fatis interea concederet Martinus, Libri illi Liviani à pueris aliisq; harum rerum ignaris diſcerpti perierunt. Dolendum ſanè, præclaros iſtos libros iterum deperditos in lucem edi non potuiſſe.*

De hoc teſtimonio, quod ex Chronico illo manuſcripto produximus, quod & alius quidam Amicus in illo ſe legiſſe confirmavit, planè dubitandum non eſt. Nam de Philippo Beroaldo ne quis alicui ſcrupulus ſuperſit, monemus, hunc Beroaldum Philippi eſſe filium, non Patrem, qui Bononiæ humaniores literas profeſſus eſt, Vir quidem doctus, ſed non magni judicii, cujus ſcripta blattarum ac tinearum epulas & cacationes, in quibus nihil præter lutoſam loquacitatem reperiatur, vocat Floridus Sabinus *Lection. Subſeciv. lib. 2. cap. 9.* quem tamen indignius ab illo habitum cenſuit Voſſ. *de Hiſt. Lat. lib. 3. cap. 11.* nam vel ideò candidiore elogio ornandus videbatur, quod Livianarum laudum magnus præco fuerit, oratione de ipſo habitâ, quæ inter opuſcula ejus varia Baſileæ Anno 1513. prodiit. Obiit verò alter ille Anno cIɔ Iɔ IV. Sed noſter ille, cui Gröningius repertos Livii libros indicaverat, filius ejus fuit. Eraſmus *in Epiſt. 5. lib. 23. pag 1029. lit. C.* edit. Londin. alterum illum Beroaldum, cognatum ejus vocat, judicio ſeniore illo ſuperiorem. Hunc inter inſignes ſui temporis Poëtas Lyricos numerat Patrique ſuo anteponit Lil. Gyraldus in libro de Poëtis noſtri temporis, *Dial. 1. pag. 391. num. 10.* Is primum in cathedra Bononienſi Patri ſucceſſerat, & poſteà Romæ docuit. Inde verò à Leone X. Vaticanæ Bibliothecæ præfectus fuit, teſte Paulo Jovio *lib. III. de vita Leonis, cap. 10.* & I. Pierio Valeriano *in lib. 1. de Literat. infelicit.* qui etiam hunc in infelicium literatorum numero reponit. Cæterum hunc ipſum à Freguſio delatum Codicem fuiſſe minimè dubitaverim: nam cum perpetuæ Norwagiæ Regum cum Scotiæ Regibus de Orcadum & Hebridum inſularum dominio lites fuerint, usque dum Chriſtianus I. Rex Daniæ & Norwagiæ Jacobo III. Scotiæ Regi eas cum filia in dotem dedit, non eſt omnino incredibile, inter has turbas bellicas Norwagiam illud exemplar fuiſſe delatum.

Quis jam crediderit, ex ultima Thule (ſi illa Norwagia eſt) per tot ſecula ſepultum reſuſcitari potuiſſe Livium? quis è ſeptentrionum tenebris hanc Romanæ gloriæ lucem exſpectaſſet? Sed quem non remordeat

tanti thesauri tam turpis jactura? An sera aliquando dies in lucem productura sit, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Si suspicionibus locus est, latitare perditos illos libros tamen alicubi dixerim, modò tam sagaci alicui esse liceat, qui indaget. Certè Colomesius in suâ collectione (*Recueil de particularitéz*) quæ inter opuscula ejus Ultrajecti edita reperitur, testatur, fragmenta quædam Decadum Livianarum deperditarum in Sphæristerio, instrumento quo pila propelli excipique solet, illita à quoquam deprehensa. Juvat ipsa ejus audire verba: *J' ay oüi dire a M. Chapelain, qu' un de ses amis, homme de lettres, avoit joué à la longüe paume avec un Battoir, sur lequel se voyoient des Fragmens de quelques Decades de Tite Live, que nous n' avons point: Et que ces Fragmens venoient d' un Apotecaire, qui ayant eu en don des Religieuses de Fontevraut, plusieurs volumes en parchemin du mesme Auteur, les avoit vendus par ignorance à un faiseur de Battoirs.*

Vidimus, quod malorum scriptorum aliàs fatum esse solet, ad piperis cucullos & ad sphæristeria, etiam post fata sua totque secula, fortunæ pilam, bonum damnatum fuisse Livium. Magna fuit semper hodieque est præstantissimorum librorum & bibliothecarum ab hâc hominum inscitiâ strages nunquam satis deploranda. Notat eodem in loco Colomesius, Quintilianum à Poggio in Concilio Constantiensi è popinâ extractum, item de Sirmondo, qui è Bibliopegi officinâ multos MStos Codices acceperat. Sæpius hoc à se factitatum fuisse sagacissimus & felicissimus MSCtorum Codicum indagator, Vir summus MARQUARDUS GUDIUS mihi narravit, apud quem incomparabilis illorum thesaurus latet, quibus nuper per liberalitatem Reverendissimi & Celsissimi simulque literatissimi Principis FERDINANDI, Episcopi Monasteriensis, maximi dum viveret, literarum Patroni accessio facta fuit, cum illustri Legationis apud illum munere fungeretur, nec digniorem tantus possessor heredem inveniret.

Sed nos, cum nihil, præter tristia illa tam cari nobis erepti pignoris monumenta restent, ad superstites Livii libros redeamus, & partam ex illis Autori nostro gloriam tueamur, quem omnium seculorum elogia à calumniis iniquorum hominum facile defendant. Illorum segetem amplissimam dare poteramus. Sed quæ apud veteres habentur omnibus cognita sunt. Inter recentiores unus instar omnium erit Sebastianus Maccius Italus, Vir omnium literarum, Theologus, Philosophus, JCtus, Poëta, Orator suo tempore celeberrimus: nam scriptis in omni scientiarum genere excelluit, totque in lucem opera edidit, ut teste Erythræo, Pinacothec. I. imag. 152. ex assiduâ calami tractatione dextra manus pollici atque indici sulcos altè impressos habuerit. Ille in honorem Livii de ejus Historiâ

ſtoriâ amplum volumen, Erythræo teſte, conſcripſit. Nam liber ipſe ad manus meas non pervenit. Quantum tamen è libro ejus de Hiſtoriâ ſcribendâ conſtat, adeò in laudes ejus ſe diffundit, ut in ipſo uno omnium Latinorum ſcriptorum dotes agnoſcat. *Titus Livius*, inquit ille, lib. 2. c. 8. *aureum ac pene dixerim cæleſte & divinum profudit eloquentiæ flumen. Vaſtiſſimus hic ille eſt profundiſſimus latinæ locutionis Oceanus, mare doctrinarum ac diſciplinarum omnium maximum, immenſisſimum ac inexhauſtum eruditionis omnis & ſcientiæ pelagus. Summa in eo erant olim omnia, ſumma quoque in eodem illo ſunt his diebus. Nam ſplendorem Cæſaris, Hortenſii Candorem, gravitatem Bruti, elegantiam Lælii, vim Galbæ, integritatem Claudii, Domitii & Piſonis puritatem, majeſtatem Virgilii, copiam, amplitudinem, ſpiritum & gratiam Ciceronis perfectisſimam, ſingularique modo & ratione cæterarum omnium præſtantisſimâ ſuis præclarisſimis Hiſtoriis ad vivum expreſſit. Hic enim Princeps Orationis, Pater Hiſtoriæ, ſplendor veritatis, gloria litteratorum doctorumque hominum, tenebris lumen, locutioni virtutem, ſermoni puritatem, verbis granditatem, rebus ſublimitatem, principibus conſtantiam, Reip. Romanæ animam, Italiæ ſpiritum, patriæ nomen, mortalium ingeniis honorem perpetuum, & famam nullis unquam terminis nullisque finibus circumſcriptam attulit.* Hæc Maccio de Livio magnificè planè, ſed paulum ſublatius & declamatorio ſpiritu dicta, quibus tamen ita aſſentior, ut Hiſtoriæ leges cumulatisſimè impleviſſe Livium non dubitem: in cæteris verò, quæ ille cupidius & aliquâ immoderatione verborum effert, modeſtius mihi ſentiendum eſſe exiſtimem. Satis verò illi ad gloriam immortalem erit Hiſtoriæ tenuiſſe principatum, cujus quantum infringat ipſi objecta PATAVINITAS, nunc amplius diſpiciemus.

CAP. II.

DE Patavinitate variæ ſunt doctorum opiniones. Benius per Patavinitatem intelligit ſtudium partium. Benius & veterum & recentiorum autorum ſugillator. Livium aggreſſus eſt Patavii Patavinum. Querela Laur. Pignorii ſuper illo facinore. Per Patavinitatem Pompejanitatem intelligit Benius. De iſtâ ſententiâ disquiſitio inſtituitur. Aſinius Pollio aliquando tamen Pompejanis & Reip. partibus ſe addictum oſtendit. Livius, ut omnes Patavini, Pompeii partibus favebat. Quæ cauſa? Benii vafrities in Taciti loco de Livio explicando. Refutatur hæc Benii de Patavinitate opinio. Quæ de dictione intelligenda. Ineptæ Benii argutiæ notantur. Budæus per Patavinitatem intelligit odium Gallicæ nationis. Henr. Glareanus & Brodæus hoſtilem Livii in Gallos animum exagitant. Aliqui per Patavinitatem Livii πατριδομανίαν, quâ ille Patavinorum res geſtas aliorum

rebus pretulit, intelligunt. Hujus πατριδομανίας exempla in Romanis aliisque scriptoribus.

DE Patavinitate Livio per Pollionem objecta, licet Quintilianus quid ipse intellexerit, satis definiverit; non levis tamen est virorum doctorum disputatio, ut Bonifacius in libro de Romanæ Historiæ scriptoribus, etiamnum inexplicatam pendere quæstionem existimet. Nos eorum sententias ita exponemus, ut quæ removenda nobis videntur primò excutiamus.

Sunt qui Patavinitatis convicio studium partium abscondi crediderunt. Primus quantum scio hujus opinionis architectus Paulus Benius Eugubinus fuit, Vir quidem doctissimus, sed maledicentiâ notissimus. Laborabat enim hoc morbo, ut non recentiorum tantum, sed & antiquorum scriptorum famam flagellaret, vel his illorum virtutes præferret. Vivis eum coloribus depinxit Crass. in Elogiis hominum literatorum part. 2. p. 80. Ita enim ille: *Rendesi sin ora dubbiosa la fama qual fosse maggiore verso Paolo Beni l' odio ò la benevolenza de' Letterati del suo secolo, dominando ugualmente nella di lui persona la letteratura e la maldicenza.* Paucissimos sane fuisse ait, qui non mordacissimam ejus censuram senserint; adeò, ut nonnulli lucem & typos formidarent, ne in ejus criticos ungues incurrerent. Illud sanè minimè ferendum videbatur, & posteris acerbius vindicandum, hominem bonas literas in Patavinâ cathedrâ profitentem illam Patavini nominis gloriam, quam illustri monumento immortalitati consecratam voluerunt cives Patavini, qualem in gente sua, patriæ affectu interdum nimio, posteri non efferre solum, sed & amplificare ultra fidem solent, adeò indignis lacerasse conviciis, ut vix boni scriptoris titulum ipsi in libro secundo de Historiâ salvum reliquerit, cæteris vero Romanorum Historicis postposuerit. Non sine causa tam turpi facto indignatur Laurentius Pignorius, *Symbolis Epistolicis Epist. 44.* quâ Livium adversus Benii ineptias defendit. *Paulus Benius homo Italus & (quod nemo non miretur) in Gymnasio nostro Eloquentiæ interpres, qui Patavii Patavinum aggressus est conviciis proscindere, silentibus omnino Civibus nostris, & strenuè condonantibus actionem injuriarum, quam illi intendere debuerunt.*

Sed de iis in sequentibus agemus fusius, nunc tantum de illo partium studio, quod ipsi impingit, dicemus, quo ille sollicitè cavet, ne nimis honorasse videatur. Eo enim sensu intellectam Patavinitatem inter laudes ejus numerari penè ægrè fert mordacissimus Censor, cum vel idiotismorum Patavinorum sub Patavinitatis titulo illi objectorum culpam leviorem esse existimet, quam ut reprehendi tantum in opere illo mereatur, cujus multo

multo plura ac majora obelo ſint transfigenda. Adeò iniquo in illum animo eſt, ut vel laudis ipſi umbram invideat, qui memor potius eſſe debebat illius, quod Quintilianus ſcitè prudenterque dictum reliquit, lib. 10. c. 1. *Modeſtè & circumſpecto judicio de magnis autoribus pronunciandum eſt: ne, quod pleſumque accidit, damnent quod non intelligunt. Ac ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam diſplicere maluerim.*

Videamus tamen ſi quid eſt vel laudis vel reprehenſionis in hoc partium ſtudio. Ajunt enim ſub Patavinitatis convicio reprehendi Livium, quod Pompejanus fuerit, atque ita Patavinitatis nomine Pompeianitatem intelligunt. Neque res à veri colore omninò abeſt. Aſinius Pollio, teſte Paterculo *lib. II. c. 63.* Antonii partibus favebat, ac Patavinis, quod Pompeji partes ſequerentur, infenſus erat. Quare ut Macrobius refert, acerbè cum iis egit, ut pecuniam & arma conferrent, quin, cum ii id recuſarent, & propterea deliteſcerent, præmia & libertatem Patavinis ſervis obtulit, dum tamen dominos, qui deliteſcerent, propellerent. Sed tamen & Tacitus *lib. IV. cap. 34.* teſtatur, quod Aſinii Pollionis ſcripta egregiam Pompeianorum memoriam tradant. Unde veroſimile non videtur, eam ob cauſam Livio ſuccenſere potuiſſe, ut qui ipſe Pompeianos laudaverit. Præterea & epiſtolæ illæ, quas ad Ciceronem libro 10. familiarium ſcripſit, animum ejus libertati Reipublicæ addictum arguunt: excuſat enim ſe & ſuſpicionem hanc, quod Antonii partibus faveat, à ſe amolitur. Certè invitum ſe in has partes pertrahi oſtendit. Quo minus itaque credibile eſt, adeò infenſum partibus Pompeianis fuiſſe, ut nec in Livio earum laudes ferret. Diſertè enim ait: *Si id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia unius ſint, quicunque is eſt, ei me profiteor inimicum.* De Patavinis teſtis eſt Cicero, *illos excluſiſſe & ejeciſſe miſſos ab Antonio, pecuniâ milites & armis Duces Pompeianos adjuviſſe.* Thraſeam Patavinum Civem unà cum Helvidio genero natalem tum utriusque Bruti, tum Caſſii, quod Reipublicæ fautores erant, celebrare conſveviſſe, autor eſt Juvenalis. Accedunt alia, quæ ſuſpicionem illam firmant, quod Auguſtus, cum Livii hiſtoriam legeret, & in illum forte fortunâ locum incideret, qui tamen in ſuperſtitibus deſideratur, quo in Pompeii laudes diffundebatur, Pompeianum illum eſſe exclamaverit. Memoriæ hoc prodidit Tacitus *Anal. IV. c. 34.* qui ita de Livio: *T. Livius eloquentia & fidei præclarus inprimis Cn. Pompeium tantis laudibus extulit, ut Pompeianum eum Auguſtus appellârit.* Quem inſignem locum prætermittere non potuit Benius, quin de laude Livii aliquid detereret. Nam quam Tacitus in Livio fidem prædicavit, non ipſi propriam & velut in hiſtorico ſpectandam, ſed potius cum Civibus Patavinis communem ipſi eſſe voluit, quod ſcilicet partibus Pompeji faveret. Quaſi ſcilicet, qui Eloquentiam

in illo laudat, alteram ſc. Hiſtorici virtutem veritatem & fidem ſimul exprimere noluerit. Eloquentiæ etiam gloriam, ut aliàs facit, illi hîc etiam, ut puto, detracturus fuiſſet, ſi per evidentiam verborum id licuiſſet. Hujus erga Pompeium affectionis & fidei originem ut porro inveſtiget altius, operosè laborat Benius. Exiſtimat enim Patavium à Cn. Pompeio Strabone, Magni Pompeji Patre, Romanâ Civitate donatum fuiſſe, cujus beneficii ut recentis memores Patavini in Pompeium & Rempublicam fidem ſuam, in cujus partem etiam hîc, apud Tacitum, Livium venire exiſtimant, teſtatam fecerint; quam Pollio parti adverſæ addictus, cæterique Cæſariani, cum Imperio potirentur, quaſi per contemptum & ludibrium Patavinitatem dixerint, in probrum vertentes, quod laudi illorum accenſeri debebat, libertatem & Rempublicam præ ſervitute & tyrannide expetentium. Cui etiam hoc addit, Pollionem ut hiſtoricum (figulum ſc. figulo invidentem) & præterea Pompeianum, hoc illi convicium impingere potuiſſe. Huic quoque ſententiæ calculum ſuum adjicere videtur Thomaſinus *in Vita Livii c. 5.*

Verum illa omnia ut ſpeciosè ſatis dicuntur, ita parum ad rem noſtram faciunt. Eſto, Livium Pompejanis partibus addictum fuiſſe; Eſto, Patavinos omnes faviſſe Reipublicæ & libertati Romonæ: Eſto, pro Pompejano habitum Auguſto Livium. Nihil illis conficitur Benii argutatiunculis, aut alius Patavinitati objectæ ſenſus affingitur, cum diſerte teſtetur Quintilianus, de dictione hoc capiendum eſſe convicium. Adverſus quem, qui hîc diſputat, judicem ſcilicet & cenſorem illarum rerum antiqvum, peritum, & fide dignum, næ ille operam ludit & aranearum telas texit. Nam putidum & hoc eſt, quod pro ſua ſententia adverſus Quintiliani ſenſum adfert Benius: *Si ad orationem, id quod cæteri omnes affirmant, pertinet iſta Patavinitas, vel pronunciatione vocisq; accentu ac ſono dignoſcebatur à Pollione, vel ex verbis, atq; adeò ex dictione & ſtylo. Primum niſi temerè affirmari non poteſt, quandoquidem Pollio non Livium pronunciantem audiebat, nec, ſi audiviſſet, rectè Patavinitatem redolere dixiſſet, ſed potius Patavinitatem reſonare aut ſonare quid Patavinum. Non alterum: nam licet reverâ Livianam hiſtoriam perinde atq; Auguſtus legendo cognoſceret Pollio, vix ac ne vix quidem fortaſſe intelligi poteſt, quas Patavinas voces, qualemve Patavinam dictionem ſeu dicendi rationem agnoſcere poſſet in Livio. Si enim hæc agnoſcere omninò licuit, age dum obſecro proferant illas, qui ad rationem & ſtylum pertinere dictitant, ac rem alioqui obſcuram & optatam dilucidare ne graventur.* Mirum quam inutilibus & nîl profuturis ſubtilitatibus ſe hîc fatiget Benius. Cui in mentem hic veniſſet, inter pronunciationem & inter dictionem diſtingvere, cum omnem dubitationem abſcindat Quintilianus: nam de dictione id accipiendum, gemi-

nus apud illum locus *lib. 1.* & *lib. 8.* ipseque verborum sensus declarat; licet Rapinus, ut sequenti capite videbimus, Benio ὁμόψηφος esse videatur. Quomodo in pronunciationem *redolendi* vox non conveniat, sed potius vox *resonare*, non video: cum in pronunciato etiam sermone, non tantum ad accentum, sed etiam ad dictionem respicere possimus: neque quisquam id verbum de Livii historiâ usurpaverit. Nam Quintilianus *lib. 1.* dicit, quod Pollio deprehenderit in Livio Patavinitatem & *lib. 8.* quod ipsi Asinius Patavinitatem inesse putaverit. Non satis itaque mirari possum, quomodo emunctæ naris homo in istud redolendi verbum inciderit: quod tamen illo sensu sæpe apud Ciceronem usurpatur, cui oratio antiquitatem, Athenas redolere dicitur. Imo ipse Quintilianus in eodem illo loco *lib. 8.* Pollionis judicio totique capiti hoc suum velut suffragium subnectit: *Quare si fieri potest, & verba omnia, & vox hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana planè videatur, non Civitate donata.* Ubi per vocem nihil aliud, quam pronunciationem intelligit, quæ tamen per Benii Criticam, non rectè olere, sed sonare dicitur. Quod de verbis ait, vel dictione tota, illam in Livio à Romana discrepantem non posse ostendi, in eo parum circumspectè judicat. Nam licet nobis res illa difficillima sit, Pollioni tamen forte non fuit, qui Romano sermoni aures adsvetas habuit. Neque inde conficitur, non esse quicquam in illo, quod Pollionis palato minus arrideret, cum nos discernere illud nequeamus.

A Benio ad Budæum venimus, qui partium in Livio studium per illam Patavinitatem explicat, sed fortassis non seriò rem agit. Nam quod de Gallis acerbè & non satis integrâ fide judicat, illud Patavinitatis nomine in ipso reprehendendum judicat Budæus in libro de Philologiâ, *fol. 22. Oportet*, inquit, *hominem Patavinum malè aliquando atque durè à transalpinis Gallis & agro Patavino finitimis acceptum esse & pugnis forte converberatum, qui acerbè magis & stomachosè, quàm historicè & compositè Gallorum mores vastos corporaq; fingeret, eamq; ob rem fortasse Patavinitas in eo reprehendi potuit, ut absurda & indecora.* Verum nimio hîc erga populares suos studio ducitur Budæus, in quibus cum Livius ferociam aliaque nonnulla reprehendit, (ut superarunt illo tempore Romani Gallos literis morumque elegantiâ) non est illi eam ob causam dica scribenda, cum nec virtutes in illis, quod candidi sanè hominis est, dissimulet. Seneca certè Svas. 6. eum vocat candidum magnorum ingeniorum æstimatorem. Henricus quoque Glareanus Livium exagitat, quod bellicosæ Gallorum gentis res odiosè tractârit. Eandem querelam recoxit etiam Brodæus commentario in Epigramma quoddam Græcum, quo de Galatis Asiam depopulantibus agitur *Anth. lib. 3. pag. 357.* cæteras quoque in Livium calumnias his immiscens. *Livium*

citare,

citare, inquit, *quid attinet, sempiternum Gallorum adversarium, sicut rectè colligit Glareanus, cujus fides merito infamatur atque ut invidiæ plena ab Antonino Pio, ut gloria à Plinio, ut mendacii ab Augusto, Liviomastige scilicet Pompejanum illum appellante, ut perperam, cum Halicarnasseo, Diodoro, Polybio, à multis ut secum pugnans, à Laurentio Valla ut fabulosa, velut de Caco & Evandro liquet, notatur lactea illa ubertas: Patavinitatem sanè non dicam aut verbositatem negligentiamq; post Caligulam, quæ tamen in Patriæ defensionem à me dicta sint.* Hæc ille, quibus singulis conviciis nunc respondendi locus non est, nam de Patavinitate hîc soliciti tantum sumus, & parum hoc vel nos, vel Pollionem tangit, qui cum ipsi Patavinitatem objecit, ne per somnium quidem de hoc Gallorum odio, cujus ipsum insimulat Budæus aliique, cogitavit.

Non desunt, qui sub Patavinitate illa πατριδομανίας, quâ plerumque laborare solent historici, intelligunt, de quâ Franciscus Motthæus Vayerus in libro de antiquis & præcipuis historicis Gallicè scripto pluribus agit. Putant enim, in libris Livii deperditis, ubi rerum gestarum series ad populares suos vocat, plusculum indulsisse Patriæ civiumque suorum laudibus. Qualem errorem Polybius Philino Carthaginensi & Fabio Romano tribuit. Idem quoque Guicciardino imputari scribit Vayerus, qui ut Florentinis suis aduletur, in minoribus illius Reipublicæ momentis nonnunquam tenacius hæreat, & facta illorum levicula in cœlum extollat laudibus ut importunus aliis, aliis ridiculus interdum videatur. Idem in Poggio Actius Sincerus elegantissimo hoc epigrammate reprehendit:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est civis, nec bonus Historicus.

Idem in Livio Barthius *lib. 60. Adverss. cap. 6.* improbat: *Certissimum hoc*, inquit, *omnes scriptores rerum Romanarum, qui nunc sunt, datâ occasione panegyristas simul laudum esse patriæ suæ. Livius meritò eorum Princeps paterque, quàm frigidè aliarum gentium præconia præterit, cum fortiter fecerunt, Gallorum verò item deditâ operâ non tam obscuravit, quàm obruit & maledictis exstirpavit, Romanorum autem facinora longis præconiis obliquis directisq; extollit ubique.* Verum illa ut aliena omittimus, cum in solâ oratione vitium hoc agnoverit Quintilianus.

Cap. III.

Laurentii Pignorii sententia de Patavinitate, qui in Orthographia peregrinitatem illam consistere putat, quod Livius SIBE pro SIBI, QUASE pro QUASI scripserit. Monumentum de Livio ob eam causam ab illo rejectum. Rejicitur ejus senten-

ſententia. Hiſtoria repertorum oſſium, quæ Liviana credebantur. Pompa, quâ illa in Prætorium deportata & Mauſoléo ornata, deſcribitur. Error publicus. Monumentum non fuit ipſius Livii, ſed Liberti ejus nominis. Nomen ſervile & Domini jungebatur in nominibus Libertorum. Explicatur exemplis aliarum Inſcriptionum. Halys ſervile nomen. Blondii Flavii, Scardeonii, Panvinii explicatio monumenti inepta. Vera ejus explicatio. Officium Concordialis etiam Libertis datum. Pignorii Patavinitas imaginaria exploditur. Variis exemplis oſtenditur, commutationem literæ E & I non Patavinis tantum, ſed & Romanis aliisq; municipalibus fuiſſe communem. A Rapino diſſenſus.

QUando ergò orationis potius vitium PATAVINITAS, quâ in re potisſimum illa conſiſtat, disquirendum eſt: ubi primò omnium nobis occurrit Laurentii Pignorii ſententia, qui ipſe Patavinus & Patavinâ in Academia Profeſſor humanitatis celeberrimus, hanc populari ſuo objectam Patavinitatem primum è tenebris ſe eruiſſe gloriatur: nam in epiſtola illa, quam capite ſuperiori laudavimus, quâ adverſus Benium defendit Livium, etiam hac in re ipſum impugnat: *Hanc Patavinitatem Benius, ut ſibi quidem videtur oculeus totus, hîc ſanè totus, totus tenebrio ad partium Pompejanarum amorem revocat, contra Pollionis & Fabii Quintiliani mentem. Eam, ſi qua fuit, ego forte primus, quod & tu probas* (ſcribit verò ad Balthaſarem Bonifacium) *in originibus noſtris indicavi ex Quintiliano & Marmoribus vernaculis.* Quis jam ſibi non ſatisfactum crediderit hujus Viri doctisſimi ſententiâ, quam ille tantâ confidentiâ aſſertum ivit in Originibus ſuis Patavinis lingvâ Italica ſcriptis, *cap. 17. pag. 133.* ut nihil dubitationi relictum putet. Demonſtrabimus autem, illum opinione ſua vehementer falli, cum putat, ſolâ Orthographiæ peregrinitate Patavinitatem illam conſtitiſſe. Ait enim T. Livium ſcripſiſſe SIBE & QUASE, non SIBI & QUASI, atque harum literarum I & E commutationem Patavinis familiarem, hanc Livio Patavinitatem peperiſſe. Hujus in rei fidem conſulendas ille inſcriptiones Patavinas exiſtimat, in quibus plerisque E pro I legatur, atque ex iis unam producit, quæ Patavi reperitur, & à Grutero quoque conſignata eſt.

C. GAVIO C. L.
IVCVNDO
CONTVBERNAL
SVO. ET. SIBE
OCTAVIA. METHE, &c.

Ubi Gruterum reprehendit, prò SIBE SIBI ſubſtituentem. Imò adeò

se suâ hâc opinione obfirmat Pignorius, ut eam ob causam, Inscriptionem illam, quæ in marmore illo legebatur, quod in Divæ Justinæ templo effossum fuerat, ubi ossa Liviana, ut credebatur, reperta antea fuere, ad T. Livium nostrum non pertinere existimet, quia in eo SIBI legatur, non SIBE, ut omninò scripturus fuisset Livius noster, si ipse vivus sibique superstes, quod volunt, & verba Inscriptionis ostendere putat, hoc monumentum erexisset. Ita verò hoc habet:

V F
T. LIVIVS
LIVIAE T. E.
QVARTAE L.
HALYS.
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS

Verum ut mirum in modum decepti sunt omnes illi, qui monumentum hoc de Livio Historico intellexerunt; ita suâ quoque de Patavinitate sententiâ, quæ nullo idoneo argumento nititur, falsus omninò fuit Pignorius.

Quandoquidem ergò in hunc locum nunc incidimus, occasione ita ferente, hujus erroris ostendemus originem, qui eruditorum animis eximendus est, cum Viros etiam doctissimos errantium autoritate passim deceptos sentiamus, neque hujus rei falsitas à quoquam demonstrata sit. Cum Anno cIↄ cccc XIII. apud ædem D. Justinæ ædiculam aliquis è Canonicis exstruere cogitaret, & pro fundamento sternendo terra altius effoderetur, apparuit vetustissimum pavimentum, quo fractô capsa plumbea ossibus plena reperta est. Exclamatur statim, Livium illic sepultum, quod Monachi meminerint, ibi veterem effossum lapidem cum Livii epitaphio. Erat verò ille quem modò produximus. Omnem hujus rei historiam Sicco Polentanus in Epistola ad Nicolaum Florentinum scriptâ enarrat, quam *Originum suarum libro cap. XVII.* inseruit Laurentius Pignorius. Confluebant ad spectaculum omnes Viri Nobiles & Literati, amplexabantur capsulam, ac magno hinc conventu ac celebri Civitatis totius pompâ Nobilium humeris in forum maximum ossa deportata sunt. Deliberatum de monumento illustri his ossibus erigendo, & de loco commodo diu disputatum. Aliqui locum publicum designabant. Optimates quidam privatâ pecuniâ,

sed

ſed inſignius monumentum pollicebantur, ſi prope ædes ſuas illius oſſa transferrentur. Vicit tandem publica pietas, ac fuere ejus oſſa ad occidentalem Prætorii parietem deportata, & ſupra portam illius condita, adjecta imagine & elogio. Cum ejus rei fama ad Alphonſum Arragonium Regem perveniret Anno cIↃ CCCC LI per legatos os brachii Liviani, quod præclara illa commentaria conſcripſerit, à Republicâ Patavinâ impetravit, quod Neapolin deportatum, poſt Regis mortem apud Legatum Panormitam manſit, poſteaque ad J. Jovianum Pontanum pervenit, à quo in urnulâ locatum ac inſcriptione ornatum fuit. Anno vero cIↃ IↃ XXXXVIII oſſa eadem translata fuere in eminentiorem locum ejusdem occidentalis partis Prætorii. Illic, ut Thomaſinus in T. Livio ſuo refert, ſpectatur nunc T. Livii Mauſolæum nobilitatum tabellis æneis, inſcriptionibus, & vetuſtiſſima ipſius imagine marmorea, quam ab Alexandro Basſiano inventam Civitas dono accepit. Laurentius vero Pignorius habet pro capite M. Claudii Marcelli, vel Lentuli Marcellini, ad Fulvii Urſini librum de Familiis provocans. Sub illâ imagine marmor id videtur, quod olim effoſſum fuerat in D. Juſtinæ templo, ubi oſſa ipſa poſtmodum reperta ſunt. Dextram Mauſolæi hujus partem obtinet *Æternitatis* ſtatua: lævam *Minervæ*. Sub Æternitatis pedibus *Tybris* excurrit: ſub Minervæ *Medoacus* & hos inter omnes in meditullio Lupa Romulum & Remum lactans ſpectatur.

Res ſtupenda ſanè tanto conatu & molimine nihil omnino fuiſſe actum à Viris & nobilisſimis & doctisſimis, neminemque adeò ſagacem fuiſſe, ut monumentum hoc non à T. Livio Hiſtorico, ſed à cujusdam Livii liberto poſitum fuiſſe, animadverteret. Omnes certe noſtrorum temporum Viri docti eo ſibi imponi paſſi ſunt, ut quidam Editionibus Livianis velut inſigne quoddam emblema ſuſpenderent. Primus hunc errorem, cum apud Patavinos verſaretur, detexit Vir incomparabilis MARQUARDUS GUDIUS, qui cum omnes Italiæ angulos perreptaret, ut veteris Reipublicæ Romanæ λείψανα erueret, Inſcriptiones ſcilicet à Grutero præteritas, (quarum ille vaſtum totque eruditorum votis optatum opus, quodque omnibus in illo genere ſcriptis palmam facile præripiet, magnum antiquitatis theſaurum, penè ad umbilicum deductum habet) facile, quâ fuit ſagacitate, vidit, fucum ſibi facere Patavinos, qui hoc monumento Manium Livianorum cuſtodes haberi voluerunt. Verum ut fieri ſolet in erroribus publicis, amant ſæpe illos homines; ac indignantur cum illo Argivo apud Horatium,

——— ſibi quando extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratisſimus error.

Adeò verò error ille in propatulo eſt, ut luce meridianâ clarius è verbis Inſcriptionis paulò accuratius conſideratis ſe prodat. Ita enim legenda eſt Inſcriptio: VIVVS FECIT TITVS LIVIVS LIVIÆ TITI FILIÆ QVARTÆ LIBERTVS HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SVIS OMNIBUS. Monumentum itaque hoc ſibi erexit Libertus Filiæ Titi Livii, an Hiſtorici, an filii ejus, vel alterius, incertum, qui Domini quondam ſui Titi Livii nomen ex more aſſumpſerat, & ſervile nomen Halys adjecerat. Primum illud certum eſt, libertos Patronorum nomen adſciſcere, ſuoque nomini ſervili, quod interdum mutabant, interdum retinebant, prout commodum erat, præmittere ſolitos, quâ de re vide *Juvenal. Satyr. V. 27. & locum in Onirocriticis Artemidori, ubi ſervum, qui tria ſe nomina habere ſomniabat, liberum factum notat, cum ad ſuum duo patroni nomina aſſumpſit, item l. 9. C. de lib. cauſ. l. 10. C. de Ingenuis manumiſſis, ibique Gothofredum: tum & Fr. Connanum Jur. Civil. lib. 2. c. 11. n. 3.* Multa Inſcriptionum exempla hoc teſtantur. Apud Gruterum *fol. 965. n. 2.* hæc eſt:

L. CÆDIUS
L. L. EROS
SIBI. ET. LI
BERTINÆ.
ET. LIBERTO.

Ubi EROS nomen ſervile notisſimum, L. CÆDIUS à Domino aſſumtum. Similis Inſcriptio eſt, quæ extat apud Laur. Pignor. de Servis *p. 109.*

TI. CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI CLAVDII
AVGVSTI. LIB.
A STVDIIS

Apud eundem. *p. 184.*

SEX. POMPEIVS
SEX. L. DAPHNIS, &c.

Et *pag. 212.*

TI. CLAVDIVS. AVG.
LIB. FORTVNATVS. &c.

Piget plura adſcribere. Fuiſſe vero ejus nominis libertum Titium Livium,

è gemi-

è geminis inſcriptionibus manifeſtè probari poteſt. Vetuſtisſimus Lapis in ædibus Alexandri Basſiani, quem Thomaſinus aliique eodem errore de ipſo Livio Hiſtorico capiunt:

T. LIVIVS
T. L.
OPTATVS AN. XV.

Altera Inſcriptio eſt, quam & Petrus Servius *in Miſcellaneis pag. 131.* adduxit:

V. F.
T. LIVIVS. T. LIB.
ET LIVIÆ. LEVINVS
L. F. STEL....
VENONIÆ. EXORATÆ
P. LIVIÆ. FIRMÆ. ET.
FESTO. FILIO. ET
FIRMÆ. FILIÆ

Cujus vero Livii Libertus, an Hiſtorici, an alterius, an idem, an alius, incertisſimum eſt. Nam plures fuiſſe Livios ex illâ Inſcriptione patet, quæ in ædibus Annibalis Capiliſtii legitur:

T. LIVIVS. C. F. SIBI.
ET SUIS.
T. LIVIO T. F. PRISCO ET
T. LIVIO T. F. LONGO ET
CASSIÆ. SEX. PRIMÆ
VXORI.

Quam Inſcriptionem genuinam eſſe, dubitandum minimè eſt, licet Laur. Pignorius ei litem movere videatur, quod in illa SIBI non SIBE ſcribatur; in quo ille Livii Patavinitatem unicè agnoſcit. Quod quam frivolum ſit, infra patebit, & jam tum hujus vanitatem redarguit Sertorius Urſatus, in Monumentis Patavinis, *lib 1. ſect. 1. p. 32.* Fuit itaque Libertus, qui per literam L. ſignificatur, cujus ſervile nomen HALYS, à fluvio Aſiæ minoris fortè ita dictum: nam ſolebant talia ſervis nomina imponi. Neque enim hoc Romanum nomen videtur, & quæ de C. GRATIO HALY adducitur à Panvinio, *lib. de antiquorum nominibus*, è Grutero, *fol. 778. num. 2.* Inſcriptio

Saguntina, in Libertum itidem concepta videtur; nam mutilum produxit Panvinius. Sed de illo alii viderint. Hîc ſervile nomen eſſe, ipſe verborum numerus & compages dictitat. Miſerè enim ſe torquent, qui de Livio Hiſtorico interpretantur. Quam enim inepta ſunt & ἀσύστατα, cum Blondus Flavius verba illa LIVIAE. T. F. QUARTAE L. HALYS ita legit: LIVIAE TITI FILIAE QUARTAE LEGIONIS HALYS, cum nec verba ipſa cohæreant, neque teſte Scardeonio LEGIO ſolâ literâ L. ſed notâ LEG. in monumentis exprimatur, neque Legio quarta Halys, ſed Scythica dicatur. Sed & ipſa Scardeonii & Panvinii explicatio invitâ planè Minervâ advocatur, quæ hæc eſt: quod LIVIA. T. F. QUARTA nupſit L. HALY. Aliena autem omnino ſunt, quæ pro hac confirmanda Sententiâ Scardeonius è Senecæ Controverſiis adducit de LUCIO MAGIO, LIVII genero, quem ille cognomine illo HALY, nullo idoneo argumento ductus, etiam inſignitum putat. Atque is error ex eo provenit, quod literâ L. nomen Lucius exprimi putârit, cum litera L. poſtpoſita aliis nominibus, ut hîc, neceſſario ſignificet Libertum, quæ præpoſita nomen Lucii notet. In omnes partes hoc ſenſu intellecta inſcriptio vertatur, οὐδὲν ὑγιές. Quare etiam jam tum aliquo modo ſuſpecta fuit hæc explicatio Laur. Pignorio viſa, qui in Originibus Patavinis *p. 134.* hæc habet: *quel dire che T. Livio ereſſe la memoria a Livia figliola di Tito, moſtra che Livio non foſſe altrimenti il Padre, che ſe foſſe ſtato, haverebbe detto LIVIÆ FILIÆ, come ſi vede, uſato nelle antiche Inſcrittioni.* Neque enim, ut putat, ipſe Pater Livius ſcribere potuiſſet: T. LIVIVS LIVIÆ T. F. ſed FILIÆ SUÆ. Quare ut omnia concinno ordine ſe verba excipiant, ita legendum eſt: T. LIVIVS LIVIÆ TITI FILIÆ QVARTÆ LIBERTVS HALYS. Fuit enim iſte Halys Filiæ Titi Livii Quartæ ex hereditate Libertus, qui Patroni ſui defuncti nomen adſciverat, & Quartæ nomen, ut fieri ſolet pluribus exiſtentibus, Liviæ additum, quod pluribus exemplis demonſtrat Petrus Servius *Miſcellaneorum cap. 8.* quomodo Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, interdum prænomina, interdum cognomina fuerint.

Sequitur ulterius in Inſcriptione nomen CONCORDIALIS, quod officium denotat. Eſt vero Concordialis ſacerdos Deæ Concordiæ, cujus an ædes illa olim fuerit, quæ nunc Divæ Juſtinæ ſacra eſt, & penes quam reperta fuere hæc oſſa, ut putat Sertorius Urſatus, ſuo nunc loco relinquo. Blondus Flavius in Italiâ ſuâ illuſtratâ Jovis, Paulus Merula Martis vel Junonis ædem illic olim fuiſſe ſtatuit. Scardeonius Concordialem magnæ dignitatis & æſtimationis fuiſſe autumat, qui nempe præfuerit templo ab Antenore erecto. Sed ut omnia illa, quæ de Æneæ & Antenoris in Italiam adventu jactantur, infirmo tibicine nituntur, ita hujus quoque rei fides

penes

penes Autorem suum esto. Fuisse verò non adeò eximiam CONCORDIALIS dignitatem, è monumentis nonnullis patet, in quibus ea Libertis, ut hoc ipso loco, adscribitur. Exstant in ædibus Georgii Contareni Patr. Veneti monunemta, quæ Patavio Ateste, ubi ille ædes suas habuit, commigrarunt, quæ hujus rei documentum præbent. Primum hoc est:

V. F.
C. TVRRANIVS
SECVNDI. LIB.
EVANTHVS
CONCORD.
C. TVRRANIO
PANTAGATHO. ET
C. TVRRANIO
EVTYCHO
LIB. OPT.

E quâ Inscriptione & hoc patet, ter idem Patroni nomen tribus libertis tribui, adjecto semper servili nomine. Alterum hoc:

SEX. NAVINIVS.
SEX. L. APOLLONIVS
CONCORD.
SIBI. ET. SVIS.
IN. FRON. P. XXXV.
RETRO P. XX.

Nil ergò jam amplius restat, postquam tot luculentis documentis rem omnem demonstravimus, quam ut Manibus Livianis, queis tanto apparatu funeralia & parentalia, pietate quidem laudabili, sed vanâ ac inutili celebrarunt Patavini, dennò funus ducamus. Nam cæteris argumentis illis, quæ nonnulli adduxerunt, ut demonstrarent, ossa reperta Livii non esse, nimirum ossa feminina esse, non masculina; cadavera intra civitatem non fuisse sepulta, sed illâ ætate cremata, nunc non opus est, postquam è monumento ipso falsitatem hujus rei ostendimus. De iis tamen legi potest Sertorius Ursatus in *Mon. Patav. lib. 1. sect. 5. pag. 203. 204.*

Redimus jam in viam & ad Pignorium nostrum, cujus imaginaria Patavinitas excutienda est, cujus causâ ille à nobis excursus institutus, quod ille monumentum hoc Livianum esse negaret, quia in illo SIBI, non SIBE lege-

legeretur. Inane hoc esse commentum, jam tum Sertorius Ursatus deprehendit *lib. 1. sect. 3. pag. 32.* qui lapides minimè Patavinos reperiri ait, in quibus SIBE pro SIBI positum, quorum exemplum producit è Romanis Gruteri *fol. 958.*

D. I S. M A N I B.
M. V I N I C I. M. F.
S A L V I A R I.
V I X I T. A N N. X X X I I.
M E N S. V I.
V I N I C I A H E L P I S.
P A T R O N. E T.
C O N I V G I
I N D V L G E N T I S S.
E T S I B E.

Non est opus ad Inscriptiones hic recurrere, cum notissimum sit, lit. E. & I. indifferenter à priscis Latinis usurpatas & in codicibus scriptas. Testis ejus rei Gellius *lib. 10. cap. 24.* exempla affert *præfiscine* & *præfiscini*, *proclive* & *proclivi*. Quintilianus lib. 1. cap. 4. & 7. *In HERE neque E plane neque I. auditur: nos nunc E literâ terminamus: at veterum Comicorum adhuc in libris invenio: HERI ad me venit. Ita mane* & *mani*, *vespere* & *vesperi* dictum est, teste Donato in Phorm. *Act. 1. Scen. 1.* Videantur Lipsius de pronunc. Lat. Lingv. & J. C. Scaliger de Caus. Lingv. Latinæ, idem asserentes: quorum ille affert, in lapidibus scriptas voces *navebus* pro *navibus*. Salmasius in notis ad Hist. August. scriptores, varias voces passim adducit, ita inter se mutatas, ut *patenas* pro *patinas*, *melpomine* pro *melpomene*, *inormis* pro *enormis*, *inervare* pro *enervare*. Ita apud veteres autores *vegeo* & *vigeo*, *vella* & *villa*, *lemen* & *limen*, *aves* & *avis*, *intellego* & *intelligo*, *comissatio* & *comessatio* scriptum invenitur. Longum esset recensere omnia per totum Gruterianum & Reinesianum Inscriptionum opus sparsa exempla. Illic *Bedua* pro *Vidua*. *Benemeretus* pro *Benemeritus*, *Cives* pro *Civis*. *Corentianus* pro *Corintianus*, *Emet* pro *Emit*, *fecet* pro *fecit*, *filicitates* pro *felicitates*, *Penaces* pro *Pinaces*, *Servea* pro *Servia*, *Sorore* pro *Sorori*, *Soteres* pro *Soteris*, *Vertutem* pro *Virtutem*, *Ver* pro *Vir*, *Sever* pro *Sevir*. In notis Tironis sæpè *antegraphum* pro *antigraphum*, *doleum* pro *dolium*, *Menerva* pro *Minerva*. In nominibus propriis habemus *Virgilius* & *Vergilius*, *Alfenius* & *Alfinius*, *Camellii* & *Camillii*, *Calvedii* & *Calvidii*, *Suellii* & *Suillii*. Nemo has voces Patavinitatem sapere dixerit,

rit, cum non in Patavinis tantum, sed & in cæterarum nationum Italicarum, atque adeò in ipsis Romanis monumentis legantur.

Etsi verò omnia illa rectè se habent, Rapinus tamen acerrimus ille veterum & recentiorum Censor, in elegantissima illa Thucydidis & Livii comparatione Gallicè scripta, *p. 96.* hanc Livii Patavinitatem ad pronunciationem verborum inconditam, quam ad phrasin referre mavult. Ita enim ille: *Cét air provincial qu' Asinius Pollio blâme en cét auteur, sur quoy insinent la plus part des Critiques qui luy donnent de sens differens, n' est autre chose à mon avis, qu' une mauvaise prononciation, qui choquoit les courtisans élevez a la delicatesse de la cour d' Auguste, & sentoit un peu la province: au moins c' est le sentiment de Quintilien, qui estoit trop eclairé de luy mesme, & trop voisin de ce temps-la, pour en ignorer le mystere qu' il impute uniquement au langage.* Fateor ab illo me dissentire: nam è Quintiliano non patet, in solâ pronunciatione vitium hoc consistere: neque est verosimile Pollioni à Livio ipso fuisse sua scripta recitata, sed ab ipso lecta, ut legere ipsi historias solemus, quæ non ut orationes ab autoribus recitantur. Ac alio loco planè fluctuat idem autor, cum in libro, cui titulus *Instructions pour l' histoire, sect. 28. pag. 144.* disertis verbis dicit: *Je ne comprends point ce que veut dire Asinius Pollo, quand il luy donne un air provincial, qui sent un peu la Lombardie;* quo loco in laudes Livii laxis habenis effunditur. Frustra itaque hæc tum à Laurentio Pignorio, tum à Rapino dicta videntur.

Cap. IV.

Quintiliani loca de Pollionis super Livio censurâ. Quis Pollio? Gallutius illum male confundit cum Pollione Trulliano. Ejus virtutes, facta, scripta. Bibliothecas primus Romæ instituit. Ingenii in illo asperitas & supercilium. Contemptor omnium æqualium. Magna æqualium erga Ciceronem invidia. Pollio Ciceroni infensissimus fuit. Elogium ejus ipsa veritatis vis Pollioni extorsit. Sextilii Hena encomiastico in Ciceronem commotus Pollio. Gallus Asinius, Pollionis filius Ciceromastix à Gellio notatus. Pollio Cæsaris, Sallustii, Attei scripta cavillatur. Pollionis eloquentia ab inventione & diligentia laudata, sed ad Ciceronianam comparata, salebrosa. Judicium Senecæ, Quintiliani, Victorini Strigelii. Causa obtrectationis, quod Ciceronis copiam imitando exprimere non posset. Barthius notatus. Locus de Pollionis stylo apud autorem Dialogi de Orat. sollicitatus. Pollionis Patris & Filii erga Augustum & Tiberium ferocia. Postuma Patris in Manes cujusdam maledicentia notata. Brevitatis gloria affectata à Pollione, cum de copiâ Orationis desperaret. Superstitiosa in ejus oratione diligentia.

Patavini à Ptolomæo Flavio loquacitatis arguuntur. Atticorum factio apud Romanos iis, qui copiosa eloquentia excellebant, semper infesta. Rami furiosa in Ciceronem maledicentia. Nostri temporis Laconismi & Atticismi ineptè affectatores Itali. Lepida de Cestio declamatore historia. Neque Tullio, neque Livio quicquam Pollionis calumniis detractum est. Vivunt eorum scripta dudum abolitis Asinianis.

QUandoquidem ergò in oratione & dictione ipsa vitium hoc hærere, Quintiliano interprete, Asinius Pollio judicavit, missis iis, de quibus ante prolixè egimus, rem ipsam consideremus. Nam de dictione intelligendam hanc Patavinitatem Quintiliani verba arguunt. Ita ille lib. 1. Instit. orat. cap. 9. *Peregrina porrò ex omnibus propè dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. Taceo de Thuscis & Sabinis, & Prænestinis quoque; nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur; quemadmodum Pollio in Livio deprehendit Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam.* Idem lib. 8. cap. 1. *Verum illic tantum ne vitiosa essent, præcepimus: hic non alienum est admonere, ut sint quam minimè peregrina, & externa. Multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias, quos curiosè potius loqui dixeris, quàm Latinè: quomodo & illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Atticè loqueretur. Et in T. Livio, miræ facundiæ viro, putat inesse Pollio Asinius quandam Patavinitatem. Quare si fieri potest, & verba omnia, & vox hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana planè videatur, non civitate donata.* Quæ gemina Fabii loca si pensitemus accuratius, peregrinitatem aliquam orationis, à quâ Romanæ aures abhorreant, taxatam à Pollione in Livio fuisse animadvertemus. Antequam verò ad rem propius accedamus, videamus primum, quis ille in literatorum regno Dictator, quisve è tripode Apollo hanc pronunciarit sententiam: nam ex Græcorum dicto

Τὴν σοφίην σοφὸς ἔγνω, τέχνας θ' ὁμότεχνος.

Fuit Asinius Pollio magnæ sanè dignitatis, qui præclaras res pace & bello gessit. Principem Oratorem & Civem vocat Plinius *lib. 7. cap. 30.* nam viginti duos annos natus Catonem accusavit: Consulatus duos gessit, deque Dalmatis triumphavit. Ut itaque falsi omninò sint, qui ipsum cum Pollione Tralliano confundunt, ut facit Tarquinius Gallutius, qui in Oratione de Ciceronis obitu hæc de ipso habet: *Docuit initio ætatis adultæ artem dicendi Rhetoricam: successitq; illius scholæ Timagenis, qui sub Pompejo captivus atq; à Gabinio coëmptus ludum in urbe declamatorium habuit. Ex eâ deinceps officina prodiit in forum, ita condocefactus, ut locum invenerit haud mediocrem inter diser-*

disertos. Nam in illo vehementer errat. Fuit Asinius Pollio, Trallianus, Timagenis successor, homo Græcus, qui Romæ docuit, ut demonstrat Vossius *lib. 1. de Hist. Græc. cap. 24.* quod non fuisset è dignitate Viri principis, sed ferè libertinorum erat. Quare existimat Vossius, Trallianum hunc Asinium fuisse id nomen consecutum à claro illo cive atque Oratore Pollione, qui cum libertate vel civitate donasset. Præter Orationes, quas autor Dialogi de Oratoribus *cap. 34.* cum admiratione lectas dicit, & tragœdiam, reliquit quoque historiarum libros XVII teste Suida, quibus Græcorum res gestas latinè scripsit: Belli quoque Civilis historiam consignasse ex Horat. *lib. 2. Od. 1.* patet. Eidem Virgilius Eclogam IV inscripsit. Valerius M. *lib. 8. cap. 13.* non minimam Romani styli partem vocat. Ingenium in ipso impigrum fuit, vigilantissimum: nam totius diei lassitudinem perexiguâ quiete deposuit, unde omnium horarum hominem dictum, & jocis seriisque accommodatum ait Quintilianus. Primus Bibliothecam Romæ erexit. Ita enim Plinius lib. 35. cap. 2. *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum Rempublicam fecit.*

Quibus sanè elogiis apparet, virtutes in illo non vulgares fuisse. Sed illæ tamen ingenii asperitate & supercilio, quo æquales præ se contempsit, obnubilatæ. Perpetuus enim erat æqualium suorum obtrectator. Ac fieri sanè id plerumque solet, ut qui eloquentiæ gloriam affectant, quemadmodum variæ ipsius formæ sunt, ita Oratores suis quique characteribus distincti sibi plaudant solis, aliis, qui aliud seqvuntur orationis genus, insultent. Ut figulus figulo invidet, ita orationis illi figuli sibi succensent. Perpetua illa Ciceroni fortuna fuit, ut æqualium suorum dicteriis impeteretur, quem solutum & enervem Calvus, plumbem & fractum Brutus, Rufus ille apud Juvenalem Allobroga dixit, quod Gallicismum oratio ejus sapere videretur. E quo solo patet, quo loco Pollionis de Livio judicium habendum, cui minus à Patavinitate objectâ periculi est, si Cicero ipse Eloquentiæ Princeps Gallicismi notam apud temerarios & ineptos censores effugere non potuit, de quo in sequentibus plura dicturi sumus.

Vitio itaque non tantum communi, quo omnes eandem artem professi sibi invident, sed suo & è suo scilicet ingenio nato, ductus fuit, ut æquales suos omnes convitiis lacesseret. Ciceroni infensissimus fuit, ut è M. Senecæ Svasoria VI patet, ubi hæc leguntur: *Quando in hanc svasoriam incidimus, non alienum puto indicare, quomodo quisque se ex Historicis adversus memoriam Ciceronis gesserit. Nam quin Cicero nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium; nec tam stultus, ut exorari posse speraret, nemo dubitat excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famæ Ciceronis permansit: & is etiam occasionem scholasticis dedit. Solent enim scholastici declamatores ponere, an promittente salutem*

 Anto-

Antonio, orationes suas comburat. Aliquanto post: *Pollio quoque Asinius, qui Verrem, Ciceronis reum fortissimè morientem tradidit, Ciceronis mortem SOLUS EX OMNIBUS malignè narrat: testimonium tamen quamvis invitus plenum ei reddit.* Hinc adfert ex Pollionis historiâ invidendum Ciceronis elogium, id enim ipsi veritatis vis extorserat, quod legi illic potest, atque ubi hoc recensuerat, addit: *Affirmare vobis possum, nihil esse in historiis ejus hoc, quem retuli, loco disertius: ut mihi tunc non laudasse Ciceronem: sed certasse cum Cicerone videatur.* Aliud etiam malignitatis in Ciceronem specimen exhibuit Pollio: nam cum Sextilius Hena Hispanus Cordubensis de Ciceronis morte versus in domo Messalæ Corvini recitaturus esset, Pollionem Asinium, ut interesset, advocavit, cumque in principio hunc versum recitaret: *Deflendus Cicero est Latiaq; silentia linguæ:* tum Pollio Asinius graviter commotus Messalæ ait: Videris tu Messala, quid tibi liberum sit in domo tuâ, ego istum non sum auditurus, cui videor mutus, & simul consurgens abscessit, nec recitationi interesse voluit. Ejusdem insaniæ heredem habuit Filium Gallum Asinium, κακȣ̃ κόρακ☉ κακὸν ὠὸν, in Ciceronem maledicum, de quo scitum est Gellii *N. A. lib. 17. cap. 1.* judicium: *Ut quidam fuerunt, monstri hominum, qui de diis immortalibus impias falsasq; opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi, tamq; vecordes exstiterunt, (in quibus sunt Gallus Asinius & Largius Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix) ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integrè atque impropriè atq; inconsideratè locutum. Atque alia quidem, quæ reprehenderunt, neq; dictu, neq; auditu digna sunt.* Quæ sanè censura quoque in Patrem Liviomastigem convenit.

Sola hæc judiciorum inconstantia in Asinio Pollione, quodque solus ex omnibus iniquior in Ciceronem fuerit, arguit affectibus & invidiâ agitatum tam sinistrè de ipso sensisse. Unde quis in cæteros ipsi animus fuerit, facilè judicium institui potest. Nemo enim propemodum æqualium fuit, quem ille non vellicarit. Notum est, quid in Jul. Cæsaris commentariis reprehenderit. Ita enim Svetonius in Jul. Cæsare cap. 56. *Pollio Asinius parum diligenter parumq; integra veritate compositos putat: cum Cæsar pleraque, & quæ per alios erant gesta, temerè crediderit: & quæ per se, vel consultò, vel etiam memoriâ lapsus perperam ediderit: existimatq; rescripturum & correcturum fuisse.* Eodem illa livoris genio profecta esse dubium nullum est: Quis enim Cæsarem ingenio acerrimum, memoriâ promptissimum, ut septenas simul librariis epistolas, teste Plinio *lib. 7. cap. 25.* dictaret, in suis rebus memoriâ lapsum crediderit? Sallustium peculiari libro aggressus est, quo ejus scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, teste Svetonio *de Illustr. Gramm. cap. 10.* Quin etiam Attejum Philologum, qui familiarissimè aluerat, & præceptis de ratione dicendi instruxerat, cavillatus

tus est Pollio: antiqua eum verba & figuras solitum esse colligere è Sallustio, cum ut Svetonius illic ait, sibi sciat nihil aliud svadere, quam ut noto civilique & proprio sermone utatur; vitetque maximè obscuritatem Sallustii & audaciam.

Quænam ergò Pollionis nostri dotes ingenii, quæ eloquentiæ vis fuit? Nam sanè qui aliorum se censorem gerere velit, præstare illis, in quos virgulam censoriam stringit, debet; ne illi occentetur Horatianum illud:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Incorruptam in illo vitam & facundiam laudat apud Tacium Annalium *XI. 6.* Silius. Fabius Instit. Orat. lib. 10. cap. *1. multam in ipso inventionem, summam diligentiam, adeò ut quibusdam etiam nimia videatur, & consilia, & animi satis* agnoscit. Sed cum Cicerone illum comparans, incorruptus testis, audacter pronunciat: *A nitore & jucunditate Ciceronis ita longè abest, ut videri possit seculo prior.* Seneca cum Fabiani Papyrii libros filio commendasset, isque non placere sibi ejus dictionem rescripsisset, comparat inter se Ciceronem, Pollionem, Livium, ut vario eloquentiæ genere claros, sed ita ut Ciceronem omnibus præferat. *Lege*, inquit, *Ciceronem, compositio ejus una est, pedem servat, cuncta, lenta, & sine infamiâ mollis. At contra Pollionis Asinii salebrosa & exiliens, & ubi minimè exspectes, relictura. Denique apud Pollionem omnia cadunt, exceptis paucissimis, quæ ad certum modum & unum exemplum adstricta sunt*, inter quæ & illud de Cicerone elogium, cujus supra mentionem fecimus, referendum. Pergit ulterius Seneca in comparatione aliorum autorum & nostri quoque Pollionis cum Fabio: *Affer quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad philosophiam pertinentes penè totidem sunt, quot Fabiani. Cedam, sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem, Cedam, & respondeamus, in re tantâ eminere est, & post duos esse. Nomina adhuc Livium: Scripsit enim & dialogos & ex professo philosophiam continentes libros, quos non magis philosophiæ annumerare possis, quam historiæ. Huic quoque dabo locum.* Rectè hîc de Pollione judicasse Senecam, omnia ostendunt, & illæ quoque Pollionis epistolæ, quæ inter Ciceronis epistolas familiares libro X. comparent. Intricata enim pleraque sunt & duriuscula, & prærupta, quod accuratius pensitanti statim in oculos incurrit, licet cum cura scripta videantur. Quare ad infimum dicendi genus has epistolas retulit Victorinus Strigelius in *dissertatione de Imitatione*, cum Livium in sublimi genere versari existimet: quâ in sententiâ quoque Schottus est *Tullian. quæstion. lib. 1. cap. 18.* Unde Philelphus quoque existimat, eam esse in Livio à Pollione taxatam Patavinitatem, quod plerumque neglexerit sequi vulgare genus orationis, & se communis sensus consvetudini minus accommodarit.

Sola itaque illa causa, quod ad lacteam illam ubertatem, quam in Cicerone & Livio admirabantur omnes, per ingenii asperitatem adspirare non posset, in utrumque tam Ciceronem, quàm Livium armavit, ut odio prosequeretur & conviciis proscinderet, quorum laudem & famam sibi obfuturam credebat. Neque tamen Livio præpositum ideò voluit Fabius, quod extremo loco Livium poneret, cujus dictio cum Liviana collata, tota strigosa est & macilenta, cum altera vivida, copiosa & succiplena. Fabio & Senecæ, at quantis censoribus, omninò calculum suum addit Autor Dialogi *de Oratoribus cap. 21.* cujus judicum Quintiliano, nisi forte is ipse autor est, adeò consonat, ut nec ovum ovo sit similius. *Asinius quoque quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios & Appios studuisse. Pacuvium certe & Attium non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit. Adeò durus & siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in quâ non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra & exsurgit toris, ipsos quoque nervos rubor tegit & decor commendat.* Siccitatem itaque, duritiem & asperitatem in illo reprehendunt peritissimi Censores, quam ipse potius, quàm tumidum dicendi genus, sectatus est, ut putavit Barthius *Advers. lib. 3. cap. 7.* Neque enim circumscriptionibus studuit, ut ille ait, ad magnificè rem proferendam, ne vulgariter loqui putaretur, nisi forte in locis quibusdam à se ipso styli inæqualitate discrepet, quod tamen in paucitate istorum fragmentorum vix deprehendi potest. Hinc Quintilian. *lib. 10. cap. 2.* pravos illos Pollionis imitatores tristes ac jejunos vocavit.

Mirum itaque quid in mentem venerit Autori Dialogi de Oratoribus, qui in Asinio nostro numerosam orationem commendavit, quem durum & siccum antea dixerat, in quo orationem *salebrosam & exilientem, strictam, asperam & nimis rarum in dicendo judicium* Seneca Pater notaverat, de quo alibi Quintilianus, quod currentes etiam numeros ultro inhibuerit, ut teneram illam modulandi voluptatem refugeret. Sed tamen & Quintilianus *lib. 9. cap 4.* adducit quoddam Pollionis exordium adeò Celso probatum, ut optimam in eo compositionem & legem principiorum dixerit, quam quidem Quintilianus non reprehendit, sed omnibus principiis accommodandam negat. Putabat itaque Schelius commentario ad hunc locum, pro *numerosior* legendum *morosior*. Sed quia Codices non consentiunt, frustra hic locus sollicitabitur. Existimaverim ego, Autorem Dialogi respectu ad Calvum, quem strictiorem vocat, habito, à numeris commendare Pollionem, quod iis Calvum tamen vinceret, licet ab aliis vinceretur, Cæsare, Cælio, Bruto, Cicerone, qui tamen aliis virtutibus orationis extantioribus, sed præcipuis & propriis commendantur, licet & numeroso dicendi

gene-

genere Asinium vincerent. Nam cum Ciceronem à vehementia & plenitudine laudat, numeros non excludit, quibus Asinio & cæteris omnibus superior est. Sic enim verba habent: *Strictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero.*

Salva itaque erit Asinio sua durities & asperitas, quicquid de numeris sit, quæ adeò ipsi propria fuit, ut in animum quoque ipsum immigraverit. Plerumque enim eloquentiæ forma genium ostendit, atque hic ab illa noscitur. Ut confragosa & aspera Asinio Pollioni oratio fuit, ita talis quoque indoles. Id quod hujus quoque exemplo ostendit elegantissimus JCtus Tuldenus libro de *Cognitione sui lib. 3. cap. 4.* Atque hæc Asinis gentilis planè indoles fuit, ut Tacitus *lib. 1. Ann. cap. 12.* memorat, qui de Asinio Gallo Pollionis filio refert, *quod invisus Tiberio fuerit, tanquam plusquam civilia agitaret Pollionisq; Asinii Patris ferociam retineret.* Namque ob nimiam παῤῥησίαν in vincula conjectus, & tandem jugulatus fuit. Quanquam enim Gronovius hic ejus asperiorem indolem commodiore & benigniore interpretatione cohonestarit, dum in illo ferociam notatam fuisse ait, ut in Labeone insania, quibus titulis illi signabantur, qui libertatis & juris sui retinentiores erant, quam ferre aulica ingenia poterant; ingenii tamen morositatem eo ostendit, quod tempori cedere nollet, sed potius adversus Principis & aulæ ingenium se obfirmaret. Timagenem ille amavit & contubernalem habuit, cum Augustus illi domo suâ interdixerit, & plurima alia fecit, quibus in odium aulicorum incurrit, qualia evitare vir prudens & modestus facile potuisset. Ut excusandus non videatur, quocunque etiam virtutum colore hæc ejus pertinacia & morositas incrustetur. Elucet quoque ex eo viri hujus malignitas, quod aliorum etiam manes ne post sua quidem fata quietos esse voluerit. Cujus rei historiam Plinius in præfatione Historiæ suæ recenset. *Nec Plancus illepidè. Cum diceretur Asinius Pollio Orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere possit: cum mortuis non nisi larvas luctari. Quo dicto sic repercussit illas, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur.*

Neminem jam puto fore è prudentioribus doctioribusque, quem Pollionis autoritas facile movere possit, hominis ut ingenio maligno, tristi & lividio, ita oratione sicca & aspera. Cui ut nec benè judicandi voluntas ob ingenii malitiam, ita nec censendi facultas fuit, quod ipse his virtutibus destitueretur, & cum vitia sua amaret aliorum virtutes ferre non posset. Eundem in sensum judicat Ptolomæus Flavius centuriâ Conjectaneorum cap. 45. *Illud,* inquit, *Asinium innuisse suspicor, quod cum placeret sibi brevissimus dicendi modus & nihil probaret, quod pluribus explicetur, & lacteam uber-*

ubertatem in Livio intueretur, offensus ea (utpote ingenio suo Laconismum appetenti satis minimè facienti) taxavit in illo Patavinitatem, quando in hodiernam usque diem Patavini male audiant de effusiore quadam sermonis prolixitate, quibus hunc tradunt in loquendo esse morem, ut semper ab ovo exordiantur. Omnino ita se res habet, ut judicat Quintilian. lib. 8. in procem. extrem. *Quibusdam nullus finis calumniandi est, & cum singulis penè syllabis commorandi: qui etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum: nec intelligunt, jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur.* Quorum hominum generi accenseri sanè Pollio debet, ut in quo ita diligentiam laudat Quintilianus, ut nimiam in illo reprehendat.

Erat scilicet Romæ quædam Atticorum factio, qui cum virtutes copiosæ orationis consequi ingenio non possent, Attici sermonis castigatiore diligentia huic suæ imbecillitati colorem quærebant, & ut benè se rem suam agere omnes crederent, iis quos beatæ ubertatis gratiâ florere intelligebant molestias faciebant, ac velut Asianos traducebant. Cujus culpæ partem cum Cicerone etiam Livius ferre debuit ab ineptis illis censoribus, cum in illo sermonis genere hi duo regnarent. De Cicerone disertè id Quintilianus lib. 12. cap. 10. *Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species præstantem, sed in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimum. Quem tamen & suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè (quod procul absit) viro molliorem. Postea verò quam triumvirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum invaserunt. Ille tamen qui jejunus à quibusdam atque aridus habebatur, non aliter ab ipsis inimicis malè audire quam nimiis floribus & ingenii affluentiâ potuit, falsum utrumque. Sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipuè verò presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupiebant. Hæc manus quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam, & virum superstitiosum, devinctumq; illis legibus insequebantur. Unde nunc quoque aridi, & exsucci, & exsangues. Hi sunt enim, qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maximè contraria, obtendunt: qui quia clariorem vim eloquentiæ velut solem ferre non possunt, umbra magni nominis delitescunt.* Hæc Quintilianus acute sanè & eleganter judicat, qui sub Atticis illis procul dubiò Pollionem nostrum perstringit. Compositionis enim diligentiâ videri volebat, & pressum dicendi genus sectabatur, cum circumductum illud & fusum exprimere non poterat, ut ex ejus epistolis apparet. Quam ob causam cum ipse præruptam illam brevitatem sequeretur, Lipsius Livium alibi supinum & frigidum imò & ταυτόλογον agnoscit in *notis ad Polit. lib. 1. cap. 9.* Ludovicus sanè

Vives

Vives *lib. de ratione dicendi* talem fuisse suspicatur Pollionem, qualem fuisse perhibent Hegesiam Charisii imitatorem, cui oratio erat jejuna & ossea, fractis minutisque sensiculis, quique maximè affectavit Atticus videri & alios præ se contempsit. Atticorum illa affectatio è Cicerone ipso patet, qui in libro de claris oratoribus Brutum falsè inducit Calvum exagitantem, quod Atticismi studiosior corruperit eloquentiam, ne Brutum ipsum reprehendere videretur. *Atticum se*, inquit, *Calvus noster dici Oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industriâ consequebatur. Dicebat, inquam, ita, sed & ipse errabat, & alios etiam errare cogebat.* Prolixe hic ostendit, quod Atticismi non sit unum genus, & quam illi nihil hujus assequantur, qui vitia sua hoc colore tegunt. Et ille quidem Calvus in Ciceronem singulari libro injurius, ille est, de quo Autor Dialogi de claris Oratoribus ait: quod cum unum & viginti libros reliquerit, vix in unâ aut alterâ oratiunculâ satisfaciat. De illo Seneca l. 7. Declam. & lib. 4. controv. dixit: illum cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuisse. Mirum est, nostris temporibus in istâ judiciorum luce potuisse Ramum, sciolum & perpetuum antiquitatis cavillatorem, novum Ciceronianæ famæ post Antonium parricidam, eandem Asiatismi notam Ciceroni inuere, qui in Brutinis quæstionibus, Sus Minervam, Ciceronem eloquentiæ principem eloquentiam docere voluit, omnia ejus adlatrans, è furioso illo adversus Aristotelem odio, cujus vestigia cum sequitur Cicero (ut sanè sequi ipsa ratio, & præclarè excogitata præcepta jubent) in tantam ejus reprehensionem incurrit. Eadem fabula nostro tempore in cultissimâ Italorum gente acta fuit. Etenim cum primi Eloquentiæ Tullianæ gloriam illic resuscitarent superiori & nostro seculo viri in his literis principes cæterisque gentibus in exemplum dati, Manutius, Casa, Muretus, & his similes, adversus hos insurrexerunt homines quidam stulti, futile aliquod, sub nescio quâ Atticismi & Laconismi specie, & pumilum dicendi genus commenti, quod sententiis argutis sed precariis, frigidis & ineptis tanquam crepitaculis & cymbalis, velut aliqua morionum vestis undique sonaret, & brevibus membris non flueret, sed stillaret. Adversus quos eloquentiæ genuinæ corruptores Actionem scripsit & sub Thesauri Eloquentiæ titulo edidit Albertus de Albertis, & doctissimam illam Orationem pro veteri adversus novum dicendi genus, quæ inter Orationes ejus tertia est, habuit ad elegantias omnes factus Fr. Vavassor. Quibus addi possunt Epistolæ à Jano Nicio Erythræo scriptæ, libri Tertii, decima, Quarti, decima tertia, Quinti decima & undecima, Septimi tertia, & illa ejusdem ad Hieronymum Aleandrum præfatio, quam Eudemiæ suæ præmisit, quibus nihil facetius in his ingeniorum monstris exagitandis, excogitari potest. Lepidissi-

dissima illa est, quam & eo in loco commemorat è Senecâ de Cæstio declamatore historia, qui apud discipulos suos in Scholâ responsurus Orationi Ciceronis pro Milone, hoc utebatur principio: Si Thrax essem, Fusius essem, si pantomimus essem, Pantillus essem, si eques, Melison. Quæ cum audiret, qui forte illic aderat Seneca pater, non sine indignatione altâ voce exclamavit: Si cloaca esses, magna esses. Hinc risu omnes emori & Cæstius obmutescere. Quem cum Seneca postea in foro omni litium genere vexaret, ut adigeret eò hominem, quò Ciceronem se disertiorem vel seriò vel joco profiteretur, nulla id arte efficere potuit.

Idem ille furor Pollionem occupaverat, cujus si linguam & ferociam non principes viri, non privati, non æquales, non viventes, non mortui effugere potuerunt, quid mirum, si in Livio aliquid, quod carperet, invenisse sibi visus est, qui nemini pepercit. An rejiciemus Tullium, quod tot maledictis & cavillationibus ab æmulis suis & hoc nostro Pollione exagitatus fuerit? Validiora sunt tot seculorum judicia, tot doctorum hominum suffragia, quam ut his voculis vel Ciceronis vel Livii gloria infirmetur, quæ nullam hactenus jacturam fecit. Esto itaque Asinius sibi semper similis, sibique relictus Asinius, cujus protervia tot scriptorum jacturâ pœnæ satis dedit. Nam cum perstent omnium judicio firma adversus hominis hujus censuras Ciceronis & Livii immortalia opera; Asiniana temporis injuriâ hominumque oblivione dudum perierunt. Pulchrè sanè Buchnerus in Dissert. Academicâ 393. quæ in Livii laudes scripta est: *Sit in Oratione Livii Patavinitas quædam, non tamen efficere potuit, quo minus historias ejus & hodieque legamus. Cum Pollinis contra Romanitas non eâ virtute polluit, quantâ ad eluctandum opus erat ex illis fluctibus, qui scripta ejus, quod dolemus tamen, absorpserunt.* Trahit aliquid è nomine suo Asinius, facile eo, quod calcitrat semper & rudit, noscendus: nam sanè cum in Livio deprehendere sibi Patavinitatem videtur, utrum Livio plus Patavinitatis, an Asinio plus Asinitatis insit, meritò dubitaveris.

Cap. V.

Pollionis autoritate inducti multi ad sinistra de Livii Latinitate judicia. Livii in stylo Historico præ Cicerone prærogativam nonnulli inepte adstruunt. Impugnat Trapezuntius & Buchnerus. Maledicus hujus litis arbiter Benius. Sturmius Pollionis censuram sequitur in Livio, uti & Fr. Picus Mirandula & Bibliander. Cœlii Rhodigini judicium de eo non omni ex parte benignum. Pulchritudinem in illo agnoscit, sed austeritati junctam. Subausterum etiam Erasmus judi-

cat. Pulchritudinis & jucunditatis in Oratione discrimen. Jucunditas Li-æ orationi vindicata; è judicio Senecæ, Quintiliani, Trapezuntii, Rapini, requisitis Hermogenis. Quæ dulcem & jucundam orationem efficiant, in Livio niuntur. Historia Poeticæ orationi proxima. Respondetur Benii calumniis. vitas in Historia non semper laudabilis. Aristotelis de eâ judicium. Benius m notatus. Copia Carminis Ovidiani à nonnullis reprehensa, à Daniele sio eleganter defensa. Cortesius ubertatem sine modestiâ profluentem in Livio vit. Cui à Gaddio responsum. Quod aliquâ parte notatur. Rapini judicium is, quæ Livio objiciuntur. Modestia, Character Ethicus in Livio insignis præ ito. Compositio Orationis in Livio jucunda. Cicero ipse in Historiâ aliquid ricum agnoscit.

QUod de calumniis dici solet, earum semper aliquid hærere, ejus exemplum in Livio luculentum habemus. Postquam semel illi Pollio Patavinitatis notam inusserat, aliqua ejus suspicio in animis etiam doctorum virorum eas radices egit, ut exstirpari non potu- Quoniam enim Pollio Livii æqualis, interque Romæ viros principes, uentiæ præterea laude floruit, facile calumnia hæc veri colore impo- nonnullis potuit. Movit certe Sturmium, Virum maximi nominis, mumque Latinitatis Censorem, Pollionis autoritas, ut sinistræ quoque entiæ calculum suum adjiceret. Nam cum in *Nobilitate* suâ *Literata* de ribus nobili juveni legendis ageret, in historico quoq; stylo formando ronem omnibus prætulit. Quod equidem non reprehendo. Nam eorum sententiam minimè probo, qui Ciceronem ad Historiam scribendam in- m fuisse existimant. Ineptum est Gaddii in libro de scriptoribus, Tom. 75. judicium, *qui ubertate ac styli ornamentis ac luminibus facile superandum à Tullio Livium, sed virili ac torosâ dictione, gravitate sententiarum, copia icarum præceptionum, judicio ac mente sedatâ præstantiorem Livium judicat.* si non in his triumphet Cicero, cujus qui virilem & torosam dictionem avitatem sententiarum non videt, nihil videt. In cæteris vero, quæ entiosum dicendi genus sibi conjuncta habet, facile, quâ fuit pruden- sibi temperasset Cicero. Rectè itaque Trapezuntius Rhetoricor. lib. g. 172. insanire illos dicit, qui Ciceronem in historiâ scribendâ T. Li- n exæquare non potuisse judicant. Nam Ciceronem ita summum O- rem esse ait, ut & Historicus esse possit: Livium ita summum Histo- n esse judicat, ut & Orator esse possit, ita enim diserte de Livio: *Hunc n, si quis bene Orationis suæ vim intellexerit, non magis inter historicos, quam præclaros Oratores numerabit. Mirum enim dictu est, cum apud eum per- re quisquam cuiquam velit, quâ rationum copiâ, quibus aculeis, quo affe-*

ctu utatur. Contra Ciceronis Historicum scribendi characterem arguunt narrationes ab illo subinde Orationibus interspersæ: unde patet, quam ille faciem styli argumento attemperet. Buchnerus quoque *Part. 2. Epistolâ 32.* adversus illum, qui Curtium in Historico stylo firmando Ciceroni prætulerat, præclarè ostendit, hujus quoque styli lineamenta esse è Cicerone ducenda. Maledicus tamen est Benius, qui eos, qui Livium Tullio in scribendâ historiâ præferunt, Musicam Marsyæ & Apollinis contentionem, ac Midæ judicium renovaturos ait. Nimis enim indignè tractat Livium ipse Marsyas ac Midas, cum in tantos viros censoriam illam virgulam stringit, utut ab ipso non dissentiam, cum existimat, si Cicero historiam scripsisset, illum germanam perfectæ historiæ ideam dare potuisse.

Ut verò ad Sturmium redeam, laudare in illo minimè possum, quod Pollionis censurâ in sinistrum quoque de Livio judicium impelli se passus sit. *In Livio*, inquit, *Pollio Patavinitatem deprehendit: quam non considerasset, si non ex melioribus cognovisset, quid Romanum esset, & quid Patavinum. Et qui Ciceronis aquis benè os imbutum habent, eodem illi gustatu in Livio eam, ut ita loquar, peregrinitatem sentire poterunt, quam sensit Pollio.* E quibus sanè verbis patet, eandam ipsi cum Pollione dicam scribere Virum doctissimum, cujus tamen si causa danda esset, haberet sanè quod ageret, facilius enim illa dici, quam demonstrari possunt. Theodorus Bibliander, in libro de ratione communi omnium lingvarum, de Livio idem ait: *In Livio est à Pollione animadversa quædam Patavinitas, quia fuit Patavienfis, nec purum putumq; Romanum eloquium per omnia retinet.* Videmus & Johannem Franciscum Picum Mirandulam, in libro de imitatione, Patavinitatem causæ eidem adscribere, quod Romani sermonis ideam non satis rectè assequeretur Livius. Neque Cœlio Rhodigino ab hac Patavinitatis notâ Livius abesse videtur, licet eloquentiam ejus in cœlum ferat laudibus. Nam *Lectionum Antiq. lib. 25. cap. 3.* ideò Patavinitatem objici putat Livio, quia non sit urbanitate certâ, id est, urbis Romanæ genuinâ proprietate, quasi colorata ejus oratio, (quibus ille Ciceronis verbis hic utitur) quæ inter legendum sentitur potius, quam exprimi oratione queat. Majus quippe, ait, recinit quiddam & resonat urbanius in Romanis scriptoribus, quam gentium reliquarum. Idem tamen in illo agnoscit ubertatem prædulcem & austeram tamen, nec decoctam, nitidam, sine labore efflorescentem, nec affusam modo nectare, sed quodam Circes veneficio delibutam, inenarrabilem facundiæ vastitatem, quæ tamen vasta non est, sed compta honestius, culta pretiosius, expolita divinitus; è cujus una prælectione plus emolumenti, quam è decem Salustii auditores sui retulerint. Quare Dionysium Halicarnassæum secutus, quod ille *lib. de Collocat. verbor. num. 29.* de Thucydide dixerat, pulchram

m quidem esse Orationem Thucydidis, sed non inesse illi jucundita- illam ac gratiam, quam aliqui forte desiderarent, id ille in Livium spar- e videtur. Dionysius enim in Oratione gratiam & jucunditatem ora- is à pulchritudine distingvit. Hæc ipsi consistit in numero, harmonia, gantia, nitore, dulcedine, splendore, juncturâ & convenientiâ cum umento: Illa in magnitudine, majestate, gravitate. Quæ itaque pul- a dicuntur, non semper cum jucunditate aliquâ conjuncta sunt. Ju- ditas enim orationis procedit plerumque ab indole & ingenio hominis, pulchritudo ab artis præceptis dependet. Horatium hujus discriminis em hubemus: *Nec satis est, pulchra esse poëmata: dulcia sunto.* Haud scio, lluc respexit Erasmus, cum *lib. 28. Epist. 8.* ait, Livium, quo non alius undior, ad primum gustum subausterum esse: quam in rem elegantis- â usus est similitudine: *Quemadmodum quosdam loquentes ægrè intelligas, sæpius audieris: & quemadmodum Musica genus ob hoc ipsum minus delectat, novum est & insolens; ita quoniam suus cuiq; stylus est, fit assvetudine familia- , ac proinde jucundior.* Jucunditatem hanc asperitati mixtam in Livio oscit Trapezuntius *lib. 5. pag. 172.* quando ita de illo: *Pulchritudinis & nditatis tantum adhibet, quantum possit orationem delinire & ab altitudine non cere. Nam adeò varius schematis ornatus est, eoq; ordine fere naturali apud res circumductæ sunt, ut ultra quam dici possit dulcis svavisq; videretur, nisi râ locatione nimium jucunditatis contemperaret.* Verum Rapinus, ut illa onisii de Thucydide verissima esse putat, ita tantum abest, ut in Livio unditatem & gratiam desideret, ut potius cumulatissimè in illo inveniri ue illâ Thucydidem superari existimet. Quin & Quintilianus eam in io agnovit, cum *lib. 10. cap. 1.* ait, Livium in narrando esse miræ jucun- tis & clarissimi candoris, neminemque Historicorum affectus dulcio- magis commendasse quam Livium. Seneca quoque *Epist. 16.* librum, ipsi transmissus erat laudaturus, primo aspectu, quasi Livii fuerit, placuisse ait: tantâ enim dulcedine ipsum tenuerat & traxerat. Ac è si sermonis svavitas, γλυκύτης Græcis dicta, inde æstimanda est, unde imandam docuit magnus harum dicendi formarum spectator Hermoge- s, *lib. 2. cap. 4.* περὶ ἰδεῶν & *lib. 1. cap. 2.* illam cum Quintiliano jucundita- n omni ex parte deprehendemus. Requiritur primum simplex oratio, n fucata, & audientibus grata. Et sanè lacteam ob id in Livio uberta- n prædicat Quintilianus *lib. 10. cap. 1.* Sententiarum svavium fontes sunt, vel animum pascunt, vel sensus nostros. Ad illum fontem referuntur τὰ θικά, fabulosa ficta, vel ipsis proxima, verosimilia, quibus Livius indulget, antum per Historiam licet, ita ut ad illa alludat & interspergat. Vel una historia de Romulo & Remo istam svavitatem ob oculos ponet. Præter-

ea illa toties iterata prodigia, quod in ipso vituperant nonnulli, aliquam ejus svavitatis partem constituunt. Quæ sensus afficiunt, dulcia sunt, ut fontes & sylvæ, oculos enim pascunt, quo genere Bucolici scriptores passim utuntur Theocritus & Virgilius. Omnia itaque ex his translata & figuræ svavitatem habent. Iis quam feliciter utatur in rerum descriptionibus, in narrationibus Livius, sexcentis posfit exemplis demonstrari. Svavia etiam sunt, quæ pertinent ad nos ipsos, nam delectamur rebus nostris, majorum nostrorum, chara sunt nobis nostra existimatio, nostra domus, nostri liberi, patria nostra. Talia frequentissima sunt in concionibus Livianis. Nam disertis verbis Quintilianus de eo lib. 8. cap. 1. *Affectus præcipuè eos, qui sunt dulciores, ut parcisſimè dicam, nemo historicorum commendavit magis.* Etiam hoc svave est, cum rebus inanimis animus atque voluntas attribuitur & animantibus mutis sermo. Quod cum frequenter Poëtæ faciant Historici, & Livius noster datâ occasione tam scite se hic tractat, ut non desint, qui Poëticam Orationem cum Historiâ in multis convenire existiment. Quod licet Benius in Livio reprehendat, qui locum illum, ubi Livius Annibalis in Italiam transitum describit, ut Poëticum, turgidum & asperum cavillatur, cum tamen in tam memorabili facto stylus extolli deberet, & Quintilianum sugillet, qui historiam nihil aliud, quam solutam Poësin esse dixerat: nam illum non tam ad germanos & proprios virilis historiæ numeros, quam ad historicorum multorum usum & libertatem respexisse autumat; minimè tamen culpandus est, quin potius laudem maximam meritus est, ut qui illam eloquentiæ svavitatem loco commodo ostenderet. Neque negare id potest Benius, Livium perspicuè ac svaviter narrare, sed tamen illum statim ad dumeta se sua recipere ait. Quô judicio quid sibi velit, non satis liquet: nam cum inæqualitatem aliquam in stylo Liviano ostendere laborat, ea damnat, quæ laudari debebant. Cum enim à concionibus ad narrationes, ab his ad illas descendit Livius, alio vultu & habitu sermo adornandus erat. Et verò in concionibus ipse venustatem ac concinnitatem agnoscit, putatque illos, qui Livii eloquentiam tantopere extollunt, illius concionibus captos fuisse, pudicæ ac virilis historiæ virtutem fortasse non attentius animadvertisse. Non disputabo hic equidem, quod à Vossio in Arte Historicâ & Augustino Mascardo factum est, an conciones sint ab Historicis narrationibus inserendæ; nam nunc styli tantum res agitur. Sufficit virtutem nitidi sermonis in concionibus Livianis agnovisse Benium, à qua cum discrepat in reliquo Historiæ corpore, tantum abest, ut reprehendi debeat, ut laudari eo nomine mereatur. In quo tamen si quid vagum, vastum & inconditum inesse videretur Benio, non videtur copiosæ orationis in Historia scribenda formam, modum & com-

compositionem intellexisse. Brevitatem enim non affectabat Livius, quæ in tam vasto opere & tam splendidi argumenti indecora fuisset & inepta. *Brevitas*, inquit Tullius, *laus est interdum in aliquâ parte dicendi: in universâ eloquentiâ laudem non habet.* In tanto enim opere, quo populi Romani gesta describenda erant, grandius aliquid requirebatur, quam in Thucydide & Salustio, in quibus pro argumento strictiori, laudem brevitas habet. Alia membrorum compositio ineunda est iis, qui sigilla, quam qui colossum Rhedium expressuri sunt. Apposite in rem nostram Aristoteles *lib. 3. Rhetoric. cap. 16.* νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησίν φασι δεῖν εἶναι ταχεῖαν. Καίτοι ὥσπερ ὁ τῷ μάττοντι ἐρομένῳ, πότερον σκληρὰν ἢ μαλακὴν μάξει, τί δ'; ἔφη, εὖ, ἀδύνατον; καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως. *Ridicule faciunt ii, qui narrationem brevem esse oportere dicunt. Atqui quod quidam pistori panem subigenti, percunctantique durumne an mollem subigeret? quid? bene, inquit, omnino subigere non licet.* Docet itaque Aristoteles, non in brevitate, sed in mediocritate, & in eo, quod oportet, sitam esse laudem omnem. Quem Aristotelis locum cum interpretaretur in commentario suo Benius, ut aliquo colore suo infuscaret, in medio relinquit, utrum Aristoteles ex animi sententiâ locutus sit, an vero hinc invidiam tacitè conflandam judicaverit Isocrati, qui brevitatem in narrationibus affectavit, à qua non discessisse M. Tullium in partitionibus scribit, qui tamen, ut supra vidimus, nullam absolute talem, sed argumento aptam requirit. Mirificè hic in Livium nostrum convenit, quod de Ovidio Daniel Heinsius libro de *Tragæd. constit. cap. 13.* Nam sunt nonnulli, qui eâdem injuriâ illum afficiunt, ut in narrationibus prolixum & declamatoriis argutis indulgentem, ac fuere non inter veteres tantum, sed & inter recentiores, qui hoc illum cavillo feriunt, in quibus Vavassorem reperiri indignor sanè. Nam quod Barthius ante ipsum idem quoque in Ovidio reprehendit, non moror; erat enim minime istarum rerum idoneus judex, longè ab illis elegantiis semotus, quales in Ovidio deprehendimus. Ab hâc verò injuriâ illum vindicavit Heinsius, ut non suâ tantum, sed è Mureti, Josephi Scaligeri & Julii Cæsaris Patris sententiâ, qui tanquam absolutum & omni ex parte perfectum dicendi exemplum commendavit, prodigii instar, ovis ac sulphure lustrandos existimet, qui autori tanto detraherent. *Ajunt*, inquit, *redundare Critici. Et sit sanè hoc verum: Idem Oceano quoque evenit, cui frustra ...nas legem, idem fluviis, quorum quisque quò generosior, eò minus agnoscit ri... ac pontem; fontes & stagna intra se consistunt. Sed quemadmodum mendici, ...ibus plurima ad vitam desunt, iis invidere solent, quibus ad felicitatem omnia ...ersunt: sic jejuni isti & famelici aliorum opes limis cum intueantur, virtutes ...ordinem redigere audent.* Ablegabimus hoc dicterio Heinsii Benium, quem

quem sola illa invidia, & calumniandi studium, ut Pollionem, in Livium excitavit. Qui cum ad felicem hanc ubertatem, per ingenii tenuitatem adspirare non poterant, illum contemnebant & conviciis proscindebant. Valeat etiam Cortesius cum bello illo judicio, qui in libro de Imitatione *profluentem quandam sine modestiâ ubertatem* Livio tribuit. Cui respondet Gaddius lib. de Scriptor. tom. 1. p. 141. *Hic non sine, sed cum modestia & modo adhibuit ubertatem Ciceronis profluentem, quam temperavit vel adstrinxit aliquantum, breviores periodos & sententias solidas & acutas adhibens frequenter, ita ut in suis orationibus, quæ sententiis & rebus gravissimis scatent, videatur minimè verbosus & brevis, cum Tullio collatus.* Rectè quidem ille judicat; sed quod breviorem illum Cicerone putet, id ex genio historici styli fieri conveniebat. Neque Cicero laxiores ubertatis suæ terminos posuisset, si historiam scripsisset. At Rapinus cum in Comparatione sua pag. 95. ad illa, quæ Livio objiciuntur, respondet, fatetur quidem, inveniri in illo, quæ speciem talem habeant, verum illum datâ operâ summâque cum prudentiâ & judicio iis usum arbitratur; ac admittit sane in ipso perspicuo dicendi genere quandam obscuritatem Hermogenes de Ideis lib. 1. cap. 5. extremo. Quod si Cortesius non modestiam sermonis, sed characterem in illo Ethicum desiderat, nil est falsius, qui ut in principio, ita per totum opus illum exprimit. Nil ab illo jactantius dicitur. Ex toto ejus opere mira honestas & μεγαλοπρέπεια in omni illa tot consiliorum, technarum actionumque narratione elucet, ut ipsâ illâ dicendi formâ sincerum aliquid spiret. A quo charactere quam longissimè abest Tacitus, qui omnium rerum & verborum quasi veteratoria quædam lineamenta ducit, subdolis conjecturis & suspicionibus totam historiam incrustans. Non potest enim characterem boni promittere malignus omnium dictorum factorumque interpres. Quicquid ergo Benius cæterique Cercopitheci cavillentur, nihil in Livio asperum & horridum est, sed omnia summâ ac uberrimâ suavitate decurrunt, quam ut in sententiis expressisse diximus, ita & illam, quæ in tota orationis compositione consistit, expressit. Nam ut Hermogenes tradit lib. 1. περὶ ἰδεῶν cap. 2. methodus & ordo aptus sententiarum adhiberi debet, dictio epithetis ornata acutis & poëticæ elocutionis, non elata, non diffusa; figuræ dictionis & præcipuè ea, quæ vocatur Rectitudo, quæ per rectos casus procedit, & quæ non habeat parentheses: membra paulo majora quam incisa: structura in suis partibus liberè soluta. Eorum omnium, si quis Livii orationem accuratius consideret, vestigia ubique deprehendes, nam illa structuræ concinnitas, illa laudabilis Poëtismi in Historico stylo felicitas adeò Livio propria est, ut neminem Historicorum sciam, qui eam ita expresserit. Benium illam impu-

mpugnantem suis ineptiis relinquamus. Unius autoritas Ciceronis omni obis exceptione major est, qui *in Oratore* finitimam esse dicit historiam orum orationi, quæ ut in epidictico genere Isocrateo Theopompeoque nore decurrit, quod ad poetismum accedere propius, verius est, quàm à nobis demonstrari debeat. Quomodo conveniat vel differat à Poesi istoria, de eo pluribus agit Maccius lib. 1. de Historiâ cap. 12.

CAP. VI.

Urbanæ & oppidanæ dictionis differentia hoc de Patavinitate Livianâ judicium peperit. Vetustissimus sermo Latinus alius à Romanô. Romanus sermo ad Græcæ ngvæ & Atticismi genium formatus. Latinæ & Græcæ lingvæ parallelismus. Latinam ngvam à Græcis non corruptam adversus Inchoferum disputatur. Rhetores Græci, quas causas Romæ ludum claudere jussi. Latinæ voces & Phrases à Græcis, & ad Græcorum imitationem confictæ. Pelasgi primi Italiæ coloni habiti. Latina lingva & ex is gentibus voces habuit. Varia lingvæ latinæ divisio. Prisca, Latina, Romana, ixta. Romana & Latina an differant. Vulgaris lingva latina an diversa à cultiore a. Leonardi Aretini & Francisci Floridi Sabini controversia. Italicismi jam m in plebea latina familiares. Ejus exempla luculenta adducuntur. Frustra itae de illo dubitat Barthius. Qui tamen Romanorum aliam in loquendo, ac in ibendo fuit, lingvam facit. Firmatur testimoniis è Quintiliano, Svetonio, apud em ipsius Augusti exemplum, Cicerone, Sidonio, Commentario Arnobii super lmos. Vulgaris illa loquendi ratio à Patribus Latinis usurpata in orationibus populum. Erasmi de eo judicium. Arnobii defensio. Dictio Versionis veteris Birum σολοικοφανὴς defensa ab Alberico Gentili. Barbarismi & Solæcismi in none politico sæpè affectantur. Voces inusitatæ latinæ, sed plebejæ in Glossariis erstites antiquitate certant cum cæteris. Causæ, quare in usu esse desierint, resentur. Voces inusitatæ apud classicos autores usurpatæ à Criticis ineptè expunntur. Factum hoc in Cicerone & Livio. Voces multæ ejus commatis supersunt in iomate Hispanico & Italico. Inde orta vulgaris Romana. Romana Rustica. Prociales suæ gentis vocabula ad normam latinam flectebant. Exempla adducuntur. rbarismi nomine olim rusticitas illa sermonis salutabatur. Sed & solæcismus eò erendus. Recentior sermo rusticus distingvendus à veteri. Romances fabulæ ab s lingvæ nomine ita dictæ. Plebitas & Peregrinitas etiam in Romanis scriptoribus atæ, ut in Vitruvio. Plurium numero unum alloqui Romanum, imò & plebeum. iam in Virgilio rusticæ voces observatæ. Imò & Solæcismi. Impugnat hoc Rapinus. sticus & Urbanus sermo apud Græcos non solum diversus, sed & apud Romanos, n pronunciatione, tum vocibus ipsis.

Quandoquidem ut vidimus, tantum Afinii Pollionis autori pondus apud nonnullos habuit, ut Patavinum aliquid Livii esse orationi suspicarentur; videamus nunc, an tam imma inter Romanum & municipalem sermonem, quodque disc men illud fuerit. Certum enim est, ab hac Urbanæ & Oppidanæ diction etiam vulgò notata differentia Pollionis hujus imputationi robur aliqu & præsidium peti. Constat, in Italia non unum sermonis vultum fuiss lingvis enim & dialectis vel saltem idiotismis, ut nunc sunt, etiam discr passe ipsa ratio, & populorum è gentibus coalescentium natura dictitat. Quis vetustissimus ille latinorum sermo fuerit, nunc non disquiremu: Id certum est, planè illum alium fuisse, quam is florente Romanâ eloquenti fuerit. Quod è fragmentis Hetruscis aliisque, quæ à quibusdam prodq cuntur, observari potest. Plus illam Celticæ aliisque antiquissimis lingvis debuisse verosimile est, cum Romana partim ex illis, partim è Græcæ lingvæ vocibus coaluerit, ad cujus formam totamque structuram illa paulatim exculta est, quôque magis exculta fuit, eò propius ad nitorem illum accessit, quem Urbanâ dictione veteres insignire soliti sunt. Ex quo enim sylvestrem illam popularis lingvæ naturam exuerunt, & arctiora cum Græcis instituerunt commercia, ita expoliverunt rusticanam illam indolem, ut quo felicius Atticorum rationes exprimerent, eò magis sermo publicus exsplendesceret, & in provinciarum quoque usum transiret. Quod verissimum esse ille Græcæ & Latinæ lingvæ à viris doctis notatus parallelismus ostendit, ac vasto & operoso volumine, cui titulus *Roma Attica*, quod hactenus ineditum apud V. Cl. Olaum Borrichium asservatur & prælum exspectat, Vir doctissimus Rumannus declarat, cujus specimen nuper editum fuit. Quò magis miror Melchior. Inchoferum in Historiâ Sacr. Latin. *lib. 2. cap. 4.* Græcos Latinitatis corruptæ reos, & quidem primos arguere. *Quam primum enim Græci Romam acciti aut sponte petentes cum cæteris lingvam miscuerunt, è vestigio,* inquit, *Romanus sangvis*, hoc est, *latinus sermo, saniem creavit.* Nam sanè lingvæ ipsi vitium nullum oblatum est, cum fatente Fabio lib. 1. cap. 5. *maximâ ex parte Romanus sermo è Græco conversus sit.* Idem Dionys. Halicarnass. Antiq. *lib. 1.* Varro *lib. 9.* de L. L. Festus & Scaliger ad Festum, Grotius epist. ad Gallos epist. 51. ad Peirescium, multis exemplis testantur. Imò verò disciplinâ Græcorum adjuti Romani Oratores lingvam ac eloquentiam mirificè expolierunt. Quam ob causam Quintilian. *lib. 12. cap. 10.* discipulam Græcæ vocat Latinam lingvam. Quod verò Cato Græcas literas & omnes disciplinas ex urbe expulsas vellet, de ipso Latinæ linguæ cultu parum ipse sollicitus, quod alii minus honorificè de Græcis

cis sentirent, id eam ob causam fiebat, quod cum Græcis literis, doctrina & religio corrumperetur, vitia Græcis familiaria unà in gentem Romanam transfunderentur, & qui è Græcis Romæ eloquentiam docebant, virtutum studiis neglectis, solam discipulorum lingvam exercerent. De quibus coercendis Censores cogitarunt, non tam quod lingva detrimenti quid caperet, quam quod malis moribus imbueretur juventus. Quare non rectè ad latinitatem applicuit Inchoferus, quod Cicero *in libro de claris Oratoribus* de Græca eloquentia, quæ è Pyreæo evecta Asiamque pervagata fuerat, ait latinitatem in urbe Romanâ, velut in Asia, peregrinatam, ut se externis oblineret moribus omnemque salubritatem Romanæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui propemodum dedisceret. Nam cum hæc de Græca lingvâ Cicero dicit, non adeò contemnit illos Asiaticos Oratores, sed potius in illis multa laude digna, & quæ sibi ipsi ad imitandum proponeret, invenit. Rhetores verò illi Græci, quorum impudentiæ ludum, ut est apud Ciceronem 3. de Oratore, claudi jubebant Censores, ob audaciam illam, quam discipulis suis ingenerabant, repellebantur. Tantum enim abfuit, ut latina lingva Rhetorum Græcorum scholis corrumperetur, ut ad usum potius civilem & nitorem lingva Romana per illos præpararetur. In his Cicero prima illa eloquentiæ suæ lineamenta duxit, tum Græcis, tum Latinis declamationibus ad præturam usque suam se exercens, quam ut omnibus numeris absolutam haberet, Græciam totam imò & Asiam pervagatus est, ut celeberrimorum virorum exemplis eam porrò excitaret & ad fastigium perduceret. Quid quod è Græcis novatæ multæ voces, quæ Romæ antea non audiebantur, teste Plutarcho in ejus vita. Tum & Budæus in optimis illis Græcæ lingvæ commentariis pluribus ostendit, quid de Græcis Cicero hauserit, & quam ad illorum exemplum dictionem latinam formarit. Totam itaque Græciam exhausit, totus Athenas redolens Cicero, & è Græcis uberrimi fontes Latinæ lingvæ sunt, quibus illa potissimum culturam & elegantias debet, ac aliunde sanè, quam è Græcis, peregrinitatem contraxit. Latini primum sua è Græcis finxere, teste Varrone l. 4. de L. L. ut quidam scripserint, Latinam olim lingvam eandem ferè fuisse cum Græca. Eorum farraginem subministrat diligentissimus Merula Cosmograph. part. 2. l. 4. cap. 18. & longe forte plura in Româ suâ Attica cumulavit Rumannus. Neque fieri aliter potuit, cum magna pars veræ priscæque Italiæ unà cum Sicilia sub nomine magnæ Græciæ cognita fuerit, & è Græcia coloniæ multæ in Italiam ductæ. Apud Festum lib. 16. gloriatur Ennius, se pavisse Romanos græcâ lingvâ, & Svetonius de claris Grammaticis ait: *Antiquissimi doctorum Poëtæ & Oratores semigraci erant.* Venerunt primum Pelasgi, qui se Aborigenes dicebant, in Italiam, teste Dionys.

Halicarnaſſ. lib. 1. partim ſuâ ſponte partim è Græciâ pulſi totis coloniis, prima ex Arcadiâ duce Oenotro, ſecunda è Dodona, tertiâ è Pallantio urbe Arcadicâ duce Euandro. Qui cùm lingvâ & moribus diverſi fuerint à Græcis, & Latinam gentem in Italia, exceptis qui cum Ænea veniſſe creduntur, conſtituerint, ſuſpicatur Humphridus Prideaux in notis ad Marmora Oxonienſia pag. 131. Pelasgorum lingvam antiquam fuiſſe latinam, eamque, quod ad voces purè latinas attinet, lingvâ Græcâ ideò longè fuiſſe antiquiorem. Græcam enim lingvam à Deucalione in Græciâ habuiſſe primordia, illos tum Græcorum nomen invexiſſe in Italiam. Verum illa nunc non excutiemus. Sive Pelasgi in Italiâ coloni primi illi fuerint, qui Latina lingva uſi fuerunt, ſive Latini è Græciâ poſtea voces deduxerint, id tamen conſtat, è Græciâ primos latinæ linguæ fontes, quæ ut primum erat ſterilis, ita incrementa ſua è Græciâ cepit, usque dum ad illum nitorem pervenit. Neque è Græca tantum lingvâ, ſed ex omnibus, quibus tum temporis Italici populi utebantur, concrevit, ſingulis de ſuo aliquid largientibus, ut doctâ diſſertatione in loco ſuperius laudato demonſtravit Merula, cum interim Italicæ illæ lingvæ à Romanâ ſingulæ diſcreparent, usque dum imperio Romano ſubjectæ gentes ad dominatricis lingvæ genium ſuam quoque componerent. Ita enim ſemper factum fuit, ut cum imperio & iis, qui imperio præſunt, ſuas quoque viciſſitudines lingva & literæ haberent, illo florente florerent, illo cadente declinarent.

Quoniam itaque Lingva latina ſucceſſu ſeculorum ſuis quibusdam intervallis ad illud faſtigium pervenit, certis quibusdam characteriſmis diſtincta fuit, ut ex Iſidoro *lib. 9. Orig. cap. 1.* patet, in Priſcam, cujus commatis fuere Saliaria illa carmina; in Latinam, quâ utebantur in Latio, cum rerum potiretur Latinus & Etruſci Reges; in Romanam, quæ ſub Plauto, Cæſare, Tullio aliisque ætatis aureæ ſcriptoribus Romæ vigebat, & denique in mixtam, quæ prorogato imperio, ex admiſtione cæterarum gentium labem aliquam contraxit. Priſca illa quæ fuerit, quodammodo è fragmentis, quæ ſuperſunt, conjici poteſt, cujus voces Lexico Antiquitatum collegit Jan. Guilielm. Laurenbergius, cujus linguæ genium doctiſſimus Mariangelus Accurſius dialogo, quem Oſcos & Volſcos inſcribit, Jul. Cæſ. Scaliger in Poematibus libro teretiſmatum pag. 103. Joſeph. Scaliger in Lycophronis Caſſandra. Jacobus Balde in Dramate ſuo Oſco expreſſerunt. Niſi forte recentioris illa Latii ſunt, quam ut ad Priſcam illam lingvam ſint referenda, cujus fragmenta ſuo tempore neminem interpretari potuiſſe Polybius teſtatur, ut Saliorum Carmina, teſte Quintiliano, nec ipſis ſacerdotibus ſuis intellecta fuerint. Patet tamen ex iis, quæ adduximus, Romanam lingvam à Latina fuiſſe diſtinctam, cujus deinde quatuor ætates com-

commenti ſunt alii, è quibus aurea & quadantenus argentea verum illum Romanæ lingvæ nitorem tuentur.

Non reſuſcitabo hic litem olim inter Leon. Aretinum & inter Franciſc. Floridum Sabinum agitatam, quorum ille lib. 6. Epiſtolarum p. m. 273. adverſus Blond. Flavium Forolivienſem ſtatuit: quod *Latina* lingva, per quam intelligit elegantiorem Romanam, à *vulgari differat terminatione, inflexione, ſignificatione, conſtructione & accentu, quodque præſtantes homines Oratorem latinè litterateque concionantem præclarè intellexerint, piſtores vero & laniſtæ & hujusmodi turba ſic intellexerint Oratoris verba, ut nunc intelligunt miſſarum ſolennia.* Hic vero *lib. 2. Lect. ſubciſiv. cap. 1.* operoſe ac ſpecioſiſſimis argumentis poſt Blondum & Fr. Philelphum, qui duabus epiſtolis de eodem negotio diſſeruit, adverſus Leonardum contrariam ſententiam adſtruere laborat, quod *Latinus ſermo veterum Romanorum tempore omnibus promiſcuus fuerit.* Concedit ille, cultius aliquanto nobiliores eosque, qui aliquem orationi ornatum adhibebant, locutos, quam qui ſimpliciter & plerumque indoctè animi ſenſa exprimunt; Hos vero aliam, quam latinam lingvam locutos pernegat. Collatis undique rationibus hanc diſputationem renovavit Melchior Inchofer in Hiſtoriâ S. Latinitatis lib. 3. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Verum tamen gravitate argumentorum victus rem omnem in medio reliquit. Non vacat nunc ſingula illa excutere. Id tamen conſideratione maximè dignum eſt, quod ante mille annos in uſu fuerint voces, quas hodie in Italica lingvâ vulgari agnoſcimus. Paret illud aliquo modo ex narratione, quæ in hiſtoriâ miſcella de rebus ſub Mauritio Imperatore geſtis recenſetur. Habentur ibi illa: *in exercitu, cum animans cecidiſſet, clamante quodam* Torna, Torna, frater, *univerſas copias in fugam verſas ambiguo illo vocis.* Unde colligit Lipſius Dialogo de rectâ pronunciatione, non adeò novam hanc loquendi rationem eſſe. Eſt & aliud longè firmius argumentum ab illo *Inſtrumento plenariæ ſecuritatis*, ut titulus habet, quod Pariſiis in Bibliothecâ Regiâ in ligni cortice ſcriptum adſervatur, cujus mentionem fecerunt Cujac. Obſervat. lib. 9. cap. 26. Lipſius loco modo laudato, Janus Rutgerſius variar. lection. libro 1. cap. 13. Cl. Salmaſius in notis ad Ælii Spartiani Antonin. Caracallam, Lampridii Heliogabalum, Lampridii Severum, Flavii Vopiſci Probum, quod Anno Juſtiniani Imp. XXXVIII ſcriptum & è Bibliotheca Cardinalis à Balneo Romæ Ann. clɔ Iɔc LXI à Gabriele Naudæo editum. Meminit quoque eius P. Merula Coſmogr. part. 2. lib. 4. qui illud Feſti huc trahit: *Latinè loqui à Latio dictum eſt, quæ locutio adeò eſt verſa, ut vix ulla ejus pars maneat in notitiâ.* Tot ſunt in illo inſtrumento, quo transactio continetur Stephani tutoris cum Gratiano pupillo, confuſiones caſuum, tot peregrinæ

 voces,

voces, ut satis ex illo pateat, quæ tum in plebe loquendi ratio obtinuerit: Hujus commatis sunt: *signum impraserit: inter nobis: ista successionis: manente banc plenariam securitatem in suâ firmitate: insererendi breve de diversas species: collecti seu mercedes mancipiorum: & de res quas Guderit liberti, quod accepit, scotella, bracile, baudilos; polimita duo valentes solido uno: plictori vetere: Sarica prasina, Sarica misticia cum manicas curtas: Butte de cito, Cuppo, Rancilione: orcas duas valentes siliqua una: socas tortiles: Albiolo ligneo: facina valentes asprione: Tina clusa: cocumella: cacavello rupto: catena ferrea desuper foco pensante libras duas semis: Sacario: Orciolo: talea: albio: rapo: Buticella granaria: Sarica una vetere tinctitia: Leva vetere una: Vagella vetere una: notitia quod accepit istras de domus quæ sunt intra Civitate Ravenna: domo qua est ad sancta Agatha: ex casa qui appellatur: uncias duas ex uncias tres: fundi isti* pro istius: *ex portiones Urbicii quas vendita sunt: panga una: de successionem: cum argento eis tradito de perceptam omnem: omnia mobilia traditas vidi: de percepta omnem terciam portionem quod isti Stephano: de successione isti quod Collicti competere poterunt: &c.*

Monstra hæc verborum sunt, sed plebejum tamen fuisse sermonem dubitari non potest, & qui etiam ante ista tempora obtinuerit, cum verosimile non sit, Justiniani demum tempore talem lingvam repente, ut fungi unâ nocte solent, fuisse ortam. Dissentit hic quidem Barthius *Advers. lib. 13. cap. 2.* ab illis, qui hodiernam lingvam Italicam etiam tum vulgarem ac in Romanâ plebe viguisse autumant, hoc inductus argumento, quod Italorum, Hispanorum, Gallorum lingvæ, totam hanc suam sermonis structuram à Germanis acceperint, cum voces latinas utcunque retinuerint. Non autem explicat, quâ ratione, quo tempore à Germanis acceperint. Si Gothos intelligit, quod nonnulli opinantur, certum est, ante illorum tempora viguisse sermonem illum vulgarem, quod luculentis argumentis probatum ivit Melchior Inchofer *Histor. Latin. lib. 3. cap. 7. & lib. 2. cap. 5. & 6.* qui præclarè de lingva latinâ meritos ejusque conservatores fuisse demonstrat, secus sentientium opiniones refutans. Sed tamen lingvam aliam Romanorum in loquendo, quam in scribendo fuisse Barthius constanter asserit, quem locum hic adscribere operæ pretium erit: *Veterum Latinorum in loquendo longè aliam lingvam fuisse, quam quæ à nobis usu frequentatur, dubium minimè esse debet. Licet enim significanter quoque hodiè non pauci doctorum loquantur phrases verbaque, tamen alia priscis in quotidiana usurpatione fuisse, vel ex lingvis illis, quæ Latinam exteris confuderunt, manifestum est. Adeoq; impossibile arbitror vel conjectare posse, quibus verbis loquendo veteres quasque res expresserint, nisi idiotismos Hispanicæ, Italicæ & Gallicæ deflexionis adhibeas. Sed ut vanus fortassis is labor sit, ita indicia quoque in autoribus non pauca numero, nec vilia pondere*

dere supersunt, quibus ipsos proceres latinitatis aliter locutos, quam plebem, adstrui possit. Unde illud commodo nostro concludi potest, longè nos venustiorem & politiorem lingvam Latinam hodiè sequendo autorum characteres habere, quam vulgò tempore Romana potentia fuerit usitata. Adducit hinc aliqua vitiosa etiam stante eloquentiâ Romanâ usitata, ut è Fortunatiano Rhetore, qui suo ævo *hunc theatrum, hunc prodigium* vitiosè à Romanis dictum notat; & cavenda gentilia verba, propria videlicet quarundam gentium, docet. Atque hanc ob causam non puto omnia illa, quæ in Fragmento Petroniano Traguriensi habentur, esse damnanda ut supposititia & spuria; cum certum sit, ut semper feminæ, pueri, rustici, in omnibus lingvis peculiare aliquid habere solent, ita etiam apud Romanos habuisse.

Non obscurum ejus rei testimonium ipse Quintilianus præbet, cum ait lib. 12. cap. 12. *quod aliam videatur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio.* Imò ipso illo Augustæo ævo alium à culto illo sermonem quotidianum fuisse, testis est Svetonius *in August. cap. 86.* qui hæc de ipso: *Quotidiano sermone quadam frequentius & notabiliter usurpasse eum, literæ ipsius autographi ostentant. Ponit assiduè & pro stulto* baceolum, *& pro pullo* pullejacium *& pro cerito,* vacerrosum, *&* vapidè *sese habere* pro male, *&* betissare *pro languere, quod vulgò* lachanissare *dicitur, item* simus *pro sumus, &* domos *genitivo casu singulari pro* domus. *In ipsâ quoque orthographiâ,* eodem teste, *eorum sequi potius opinionem visus est, qui perinde scribendum ac loquamur, existimant. Nam sæpe non literas modò, sed syllabas aut permutavit, aut præteriit.* Quo sanè loco ad rem nostram nihil adduci potest illustrius. Testis quoque est ipse Tullius lib. de Oratore, *suâ ætate fuisse, qui impoliti & consultò rudium similes & imperitorum videri volebant.* Mirum itaque non est, si in ipsâ urbe Româ, cultissimo illo tempore, duplex loquendi ratio fuit, in provinciis latinis sermonem variè corruptum fuisse. Et hic est, quem usualem vocat Sidonius lib. 4. epist. 10. *Reliquas denuò literas usuali sermone contexo. Non enim tanti est poliri formulas editione carituras.* Ubi Savaro in notis *usualem sermonem* explicat, sermonem Gallorum, sed impolitum.

Memorabile quoque exemplum, unde vulgaris lingvæ Latinæ impolities demonstrari potest, in Arnobii super Psalmos commentario, quem Erasmus primum è Collegio Franckentalensi produxit, habemus. Is cum in cæteris libris pro genio illorum temporum & gentis suæ, satis cultè scriberet, eloquentiæ professione clarus, qui ad æneam autorum ætatem alias referri solet, sub Constantini Magni tempora, in Commentariis tamen suis supra Psalmum eam linguam expressit, quæ vulgò tunc usitata fuit, ejus enim genio se accommodavit, quod in illo nec pro imperitiæ signo habet in præfatione operis Erasmus, neque pro argumento suppositi fœtus. *In hoc opere,*
inquit

inquit ille, *tot solœcismi reperiuntur, præsertim adeò manifesti, ut vix Holcot & Bricot solœcisset crassius.* Declarat hoc altero exemplo Augustini, cujus orationes ad populum habitæ, non ab ipso scriptæ, sed à notariis exceptæ, toto cœlo à reliquis ejus scriptis differant. Addit denique Erasmus, *ne Romæ quidem eo tempore, quo maximè florebat ea lingva, omnes locutos, quemadmodum loquebabur Cicero.* Ejus commatis apud illum: *ossum* pro *os, ossis, floriet* pro *florebit*, de quo verbo August. lib. 2. cap. 13. de doctrina Christiana: *Illud etiam, quod non auferre possumus de ore cantantium populorum: super ipsum floriet sanctificatio mea, nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non floriet, sed florebit diceretur: nec quicquam impedit correctionem, nisi consvetudo cantantium.* Similiter illa sunt: *hoc flos, hoc ros, Adtropare* pro *per tropologiam applicare*, & infinita alia, quæ maluit Christianus scriptor usurpare, quam dicere alia, quæ non intelligeret vulgus, de quibus omnibus doctissime & uberrime disserit eo in loco Erasmus. Hujus suæ impolitici in sermone apologeticum ipse scripsit Arnobius lib. 1. advers. gent. ubi ad objectam à Gentilibus barbariem respondet: *Puerilis sanè atque angusti pectoris reprehensio, quam si admitteremus, ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascantur & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit & saluberrimum voluit esse Natura.* Prolixus est in hoc argumento illo in loco Arnobius, qui ibidem testatur, quosdam non abjecisse tantùm sermonis cultum, verum cum possent ornatius atque uberius loqui, trivalem studio humilitatem secutos, ne corrumperent gravitatis vigorem. Jungi illi potest Augustinus *libro de catechizandis rudibus cap. 9. & lib. 3. Confess. cap. 5.* ac plurima aliorum Patrum testimonia. Legi quoque potest Carolus du Fresne *in Præfat. Glossar. à n. 57. ad n. 62.*

Hâc occasione etiam versionis veterum Bibliorum meminisse possumus, quæ & σολοικοφανῆ multa continet, & vulgares voces & phrases, quas tamen speciosa dissertatione de latinitate veteris bibliorum versionis male accusatâ assertum ivit Albericus Gentilis. Novi qui de industriâ etiam solœcismos & ineptas phrases & formulas, sed vulgaris usus, immiscerent sermoni politico, cujus in publicis procerum conventibus usus esse solet, ne nimirum lingvæ nitore vel scholam sapere videretur, vel non satis intelligeretur. Tot supersunt in glossariis Latinis & Græco-Latinis voces, quas ut barbaras hodiè damnamus, cum crediderim ego, pari cum optimis, quibus Cicero utitur, antiquitate censeri debere. Quod verò in usu esse desierunt, multis ex causis contigit, quas mirâ solertia indagavit diligens harum rerum scrutator Christianus Daumius, in libro de causis amissarum lingvæ Latinæ radicum, cujus beneficio, quandoquidem id opus Virum doctis-

doctissimum moliri audio, restitutas latinitatis veras ac genuinas radices aliquando habebimus. Horridæ erant antiquæ voces sonique asperi & inamæni, breviores, quarum juncturâ aures offendebantur. Ut vero mollior esset oratio, delectui verborum studebant Oratores, eligebant, quæ numerosiora erant & sonantiora. Hinc simplicia repudiabant, assumebant composita, inchoativa, paragoga, frequentativa. Schematum, Troporum, Synonymorum usus, numeri Oratorii observatio, vocum illarum quotidianarum, quæ apud opifices, mulierculas, agricolas obtinebant, rarior usus, tot lingvæ Latinæ radices nobis sustulerunt, quarum copiosum per singula capita catalogum recenset toto illo libro Daumius. Quibus simul junctis in sermone, si nunc quis uteretur, Slavonicam potius, quam Latinam lingvam loqui videretur.

Ipsa quoque librariorum & Criticorum audacia multa autorum loca corrupit, quorum ungves in Livio nostro adeo deplorant multi, & ipse Gronovius in præfatione suâ: nam antiquis illis genuinis, sed inusitatioribus sua substituerunt, ut pluribus exemplis demonstrat illic Daumius *cap. 20.* & vel ex unico Ciceronis *ad Atticum lib. 16. epist. 12.* patet, ubi in manuscriptis Codicibus legitur *via matta*, id est, lutosa, cui intempestivi illi correctores substituerunt inepta, notati eam ob causam à Salmasio in Comment. ad Flav. Vopisci vitam Proculi Tyranni. Apud Vitruvium multæ sunt voces vulgares & plebejæ, super quibus integra virorum doctorum Lexica prostant: Vel de solâ voce *Scamillus* scripti sunt integri commentarii. Idem cum Livio factum fuisse notavit Lipsius lib. 4. epist. quæst. 10. *Non est antiquarius*, inquit, *Livius, fateor: sed nec omnia in eo protrita & è fece vulgi. Vetustæ dictionis haud dubiè vestigia extarent, absque correctorum audacia fuisset.* Tot denique singularia in ipso Cicerone occurrunt, quorum perquam multa notata à viris doctis sunt, & Statilius integrum librum congesserat, quæ si apud Ciceronem loca interiissent, à nemine nunc pro latinis haberentur.

Longè plura itaque olim plebi relicta fuerunt vocabula, quæ maximam partem in usu apud posteros jam Italos, Hispanos, Gallos manserunt, quæ plebea & sordida vocabantur, quorum integrum librum scripsit Lavinius teste Gellio *lib. 20. cap. 11.* ubi in exemplum è M. Varrone affert vocem *Sculna*, pro quo qui elegantius loquuntur, *sequester* dicunt. Talium vocum, quæ in Hispanica lingvâ hodieque habentur, origines latinas è Glossariis cum curâ inquisivit Bernard. Aldrete lib. 2. del origen. de la lengua Castellana cap. 9. suntque e. g. *Ambrones, Astrosus, Asciola, Babiger, Baburrus, Bambalio, Bassatus, Batalia, Ballatrones, Bronco, Bua, Burra* &c. Hinc vulgaris illa lingva Romana orta est, quæ tot sordibus inquinata tandem

fuit, ut Latina lingva ab illâ distingueretur, eoque nomine appelleretur, quæ nitidior esset & ad genium veterem instituta. S. Gerhardus Abbas Silvæ majoris in vitâ S. Adalardi cap. 8. *Qui si vulgari, id est Romanâ lingvâ loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius, -- si vero Theutonicâ, enitebat perfectius, si Latinâ, in nulla omnino absolutius.* Hinc sequiori ætate Rusticus ille sermo ortus, qui Romana Rustica dicebatur: quali usus est Ludovicus Germanicus in formulâ fœderis, inter ipsum & Carolum fratrem Galliæ regem initi, quam operi suo inseruit Andreas du Chesne tom. 2. pag. 381. quæque ita incipit: *Pro Don amur & pro Christian poblo & nostro commun salvament, dist di en avant, in quant Deus savir & potir me dunat &c.*

Rusticus ille sermo multis etiam præclaris suo tempore scriptoribus affectatus fuit. Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 31. *MStos libros licet stylo rusticiore scripserim, tamen conjuro omnes sacerdotes Domini, ut nunquam libros hos aboleri faciatis.* Itaque Grammaticos, nitidiore sc. sermone utentes, rusticis opponebant, ut notat Barthius Adverſ. lib. 51. cap. 5. Imò eo procesſit Provinciarum æmulatio, ut gentis suæ vocabula latinâ normâ regulâque inflecterent, quemadmodum Græci Latina, Latini Græca: unde tot ortæ sunt barbaræ voces, quarum Glossaria integra à Vossio, Spelmanno, Lindebrogio & aliis scripta, quæ ob imperitiam linguæ domesticæ, è græcis latinisque fontibus arcessuntur, cum sint purè Gallica, Germanica, Saxonica, Britannica. Talia magno numero vel apud unum Spelmannum occurrunt ut *Auia* ein Au. (pratum) *Balatſerum*, Wallfahrt. *Billagines* Beylagen. *Crota*, Grotte. *Custagium*, Kosten. *Durpilum* Thürpfeiler. *Einecius*, (primogenitus) Einig/ *Extalium* Auszahlen. *Fegangi* Gefangen (per transpositionem) *Folgarii* Volck. *Friscus* Frisch. *Gasandus* Gesandet. *Gwalstonum* Wahlstatt. *Haderunga* Haderung. *Hakedus* Häcket/ Hecht. *Hursta*, Horst (Sylva) & plurima alia in Fleta, Legibus Salicis, Burgundicis, Ripuariorum &c. quibus recensendis non est ut immoremur. Ipsi quoque Latini barbaras voces ad suæ linguæ sonum flectebant, ut præcepit Quintillan: lib. 2. cap. 9. Quod Thuanus quoque in Historiâ suâ imitatus est in Gallicorum nominum formatione, quâ in re à nonnullis reprehensus est.

Et illa loquendi ratio barbarismus olim dicebatur. Diomedes lib. 1. de Oratione hos rusticos scriptores vocat, *qui rusticitatis enormitate incultique sermonis ordine sauciant, imò deformant examussim normatam orationis integritatem, politumque ejus lumen infuscant ex arte prolatum.* Etsi Gellius inter barbaros & rusticos distinguere videtur, lib. 13. cap. 6. *Quod nunc autem barbarè quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum, & cum*

& cum eo vitio loquentes rusticè loqui dictabant. Scilicet cum secundum Varronem de L. L. naturâ, analogia, consvetudine, autoritate, latina lingua constet, si quid adversus illa peccatum est, vel barbarismus, vel solœcismus est. Utroque autem oppletum fuisse sermonem rusticorum, manifestis exemplis constat, nisi forte antiquior ille sermo rusticus recentiori illo purior videri possit: nam & humilitas verborum rustico sermone notatur, quem pedestrem sermonem vocabant Vopiscus & Trebellius Pollio, de quo Salmasius ad Hist. Aug. Script. pag. 286. Sed variæ barbarismi acceptiones sunt, de quibus nunc non agemus. Recentior verò ille sermo Romanus Rusticus, qui prava interpretatione, κακοζηλίᾳ linguæ latinæ, tabellionum & notariorum imperitia, primum crevit, in singulis gentibus Gallis, Hispanis, Italis novam aliquam formam adeptus est. Sed Romanæ linguæ titulum apud Gallos non solum, in quibus Provincialis lingua hoc nomine salutabatur, sed & apud Hispanos retinuit, etsi apud hos & Italicos Limiosinæ nomen quoque accepit, de qua plura vid. apud Carol. du Fresne in *Præfat. Glossarii n.34.35.36.* Hinc illæ hodieque usitatæ Italorum, Gallorum, Hispanorum linguæ, quæ *Romances* olim dictæ, unde & fabularum illarum Comicarum *Romanciorum* nomen deductum.

Videmus ex his, quæ adduximus, quanto molimine Romani scabras illas, plebejas, & rusticas voces è sermone suo expurgarint: unde plus peregrinitatis in sermonem Romanum inferri potuit; quam ex ullo municipali dicendi genere. Quid quod in Romanis Scriptoribus ipsis hanc plebitatem & peregrinitatem nonnulli notarint. Scioppius in Vitruvio, optimi seculi autore, aliquam plebitatem ac peregrinitatem agnovit; multa enim in illo sunt singularia, non tantum quod ad voces singulas spectat, tam illas, quarum in arte Architectonicâ usus est, quam alias, sed & phrases: forte quod familiarius ei loquendum fuit, ut populus, quæ scriberet, satis intelligeret. Id ipse agnoscit cap. 1. lib. 1. *Peto,* inquit, *Cæsar & à te, & ab his, qui mea volumina sunt lecturi, ut si quid parum ad artis grammaticæ regulam fuerit explicatum, ignoscatis. Namque non uti summus Philosophus, nec Rhetor disertus, nec Grammaticus summus, sed ut architectus his literis imbutus, hæc visus sum scribere.* In illo hoc notavit Barthius *lib. 24. Adv. cap. 12.* quod plurali delectetur, cum numero unitatis possit esse contentus, quod & forte Romanum videri possit, cum idem *lib. 40. Adv. cap. 12.* à Romanorum consvetudine provenire autumet, quod plurium numero unum alloquamur. Romanus certe sermo numerosam & plenam dictionem requirit. Sed idem mos etiam in popularibus linguis obtinet, de quo extat elegans Celsi Cittadini libellus. In Virgilio nonnulli rusticas locutiones sibi observare visi sunt, ut in Eclogis, *Cujum pecus*, quod ipsum scienter ac

prudenter posuisse interpres vetus existimat, ut vitaret ὁμοιοτέλευτον. Cui eam ob causam ita illusum est: *Dic mihi Damœta, cujum pecus, anne Latinum? Non, verum Ægonis, nostri sic rure loquuntur.* Ne quid dicam de barbarismis, quos in illo ineptus veterum & recentiorum autorum Censor Claudius Verdierius, deprehendere sibi visus est, è quo hæc, ut multa alia, deprompsit Leo Allatius in libro de erroribus magnorum virorum in dicendo. Imò & solœcismos aliqui notarunt, quibus objiciendis etsi parcior est Servius, aliquid tamen soloecophanes passim notat, quæque ab aliis notata sunt, nec refutat nec excusat. Sed longe aliter de Virgilio judicat acerrimus Censor Rapinus in Dissertatione de Carmine Pastorali, qui Virgilium in bucolicis iisdem verbis usum esse ait, quibus in foro & Senatu Tullius. *Tam purè*, inquit, *Latineque loquitur Tityrus in umbra fagi, quam ipse in palatio Cæsar Augustus. Quod non factum à Theocrito, cujus Musa rustica & pastoralis*, inquit Fabius, *non forum modo, verum etiam ipsam urbem reformidat.* Gravis enim in urbe videbatur Doricæ pronunciationis vastus ille agrestisque sonus ad rusticitatem sermonis exprimendam magis accommodatus. Ac præter hanc in sono & dialecto, erat ipse quidam rusticitatis character Theocrito affectatus, cujus quæ sint partes, Vavassor *de ludicra dictione à pag. 107. ad pag. 125.* declarat.

Non tamen simpliciter ego probem illud Probi, qui multo majori negotio bucolica scripta à latinis, quam à Græcis autumat, quod non diversus sit ab urbano sermo rusticus apud Latinos, ut est apud Græcos: Nam ideo non minus negotii Theocrito datum fuit, quod rusticum sermonem voce & sono exprimeret: ut de Latina lingva falsum est, eundem fuisse rusticum & urbanum sermonem. Saltem pronunciationem diversam fuisse, ipse Cicero innuit lib. 3. de Oratore, cujus hæc verba: *Rustica vox & agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, sermo eorum retinere videatur, ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguæ sonoque vocis agresti, & illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.* Et paulo post: *Quare Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut iota literam tollas & e plenissime dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videris imitari.* Neque pronunciatione tantum, sed etiam, ut I. L. Vives de ratione dicendi lib. 2. judicat, quibusdam vocibus pagorum propriis rusticis ac urbanis differebant, parum tritis ore civitatis, tam immutatione literarum aut syllabarum, quam metaphoris & omnibus similitudinibus atque exemplis de agro sumptis, quod videre sit in vetere Romano sermone, fuisse enim olim eum populum rusticanum, phrasi, argumentis, sententiis, pronunciatione crassa.

Cap.

CAP. VII.

Qualis Romani & urbani sermonis genius? Duo in Oratione spectanda: Materiale & Ideale. συφήνεια & ἦθ@ in urbana dictione. Illa quibus constet. Λέξις, dictio Civilis unde æstimanda. In his quoque vocum delectus observatione assiduâ habendus. Laus Antonii Schori. Ratio observandi. Vocum usus & seorsim & junctim considerandus, & junctarum vocum ordo. ἦθ@ orationis urbanæ. Prima ejus idea ἀφέλεια simplicitas. Romana simplicitas. Romanè & Latinè loqui, id est planè. Latinè & Grammaticè loqui sibi opponuntur. Simplicitatis character etiam aliis communis. In Bucolico carmine regnat. Simplicitati jungitur Suavitas. Illa præcipue obtinetur translationibus. Translationum magna varietas. Translationes simplices, venustæ, ex usu autorum Classicorum æstimari debent. Grammaticorum in Translationibus colligendis magna negligentia. Earum collectio suadetur exemplo Robortelli & P. Mosellani. Translationes sequiorum temporum facilè dignoscuntur à Romanis. Flori audacia in Metaphoris notata. Neroniani temporis phrasis ab Augustæo discrepat. Cum simplicitate & suavitate ὀξύτης s. argutia concurrit ad sermonis Latini Urbanitatem. Ἐπιπόλαι@ βαθύτης. Romani sales, Urbanitas Romana. Urbana elocutio qua in re consistat, ex sententia Aristotelis. Urbanitas Attica. εἴρωνες Urbani. Urbanitas virtutibus accensetur. Ad urbanam orationem spectat & concinnitas in clausulis, compositio verborum. Urbanitas sermonis à Cicerone descripta, ad exemplum Atticismi, item à Balzaco. Exemplum hujus urbanitatis & peregrinitatis in Gallica & Italicâ linguâ. In hac Florentinitas quibusdam notata. Voces Latinæ secundum auctores & ætates exigendæ. Maffæi exemplum. Bernardini Parthenii Spilimbergii monitum.

AD Romani & Urbani hujus sermonis genium penitius scrutandum nos jam convertimus, præsertim, cum viris eruditis adeò difficile visum sit, illum imitando assequi. Scaligeri hæ querelæ sunt: *Ad fastigium barbariei pervenimus, non habet quò ulterius progressum faciat. Jam stat in præcipiti. Multi Latinè, pauci Romanè loquuntur, & si qui forte Romani, at rari illum Ciceroniani seculi genium assequuntur.* Quare Victorinus in Grammatica sua latinitatem definit, quod *sit observatio incorrupta loquendi, secundum Romanam linguam.* Sunt scilicet in oratione duo præcipuè spectanda: Primum verba eorumque structura, deinde quod ab animo & cogitationibus nostris verbis quasi imprimitur. Est enim animi character oratio. Materiale & Ideale vocat Cordemoæus in elegantissimo de loquela tractatu. Illud autem in verbis, eorum formatione, pronunciatione, structurâ consistit.

 Hoc

Hoc vero omne illud, quod ab animo dependet, involvit, sive id à moribus, sive affectibus, sive rationibus, sive quacunque dicendi formâ procedat. Sunt verò illæ dicendi formæ variæ, quarum septem principes constituit Hermogenes, interque eas aliquæ magis ad primam partem pertinent, aliquæ magis ad alteram. Verum de utraque singulæ tamen participant.

Quod si illam lingvæ Latinæ proprietatem consideremus, quam urbanitatem dixere veteres, nos Romanitatem dicere possimus, atque ad Hermogenis ideas expendamus, præcipuas in ea deprehendemus σαφήνειαν, perspicuitatem, & ἦθος moratum sive affectum loquendi genus. Illa ad verba potissimum refertur, hæc à moribus in orationem infertur. Utrique parti & singulis ideis octo sunt partes, sententiæ, methodus, dictio, figuræ, membra, structura, clausulæ, numerus Oratorius; quæ quasi membra externa sunt, unde corpus illud orationis componitur. Σαφήνεια omnium prima est, ac per se & semper inesse debet orationi, suntque ejus partes duæ καθαρότης & εὐκρίνεια, sermo purus & dilucidus. Singulæ penè conveniunt, nisi quod εὐκρίνεια magis in methodo & collocatione verborum ac sententiarum versatur, ac facilem & plenum orationis cursum efficit, ac secundum octo illas partes considerari debet. Nam 1. *Sententiæ* debent esse usitatæ, non implicitæ, perplexæ, reconditæ. 2. *Methodus* & tractandi ratio simplex & facilis, sine ambagibus, trajectionibus, hyperbatis. 3. *Dictio* usitata non affectata & obsoleta. 4. *Figuræ*, inprimis illa, quæ vocatur ὀρθότης, ita ut non facile, vel πλαγιασμὸς, vel σύγχυσις hic locum habeat. 5. *Periodi* mediocres. 6. *Compositio* & structura verborum non quæsita, ac anxiè ornata, nec tamen sine omni ornatu. 7. *Clausulæ* non adeò ad artis normam fabricatæ. 8. *Rhythmus* sive Numerus, in quo non nimia cura adhibenda.

Præcipuum in his omnibus locum obtinet λέξις sive Dictio, Compositio ac Collocatio verborum. Consistit verò illa in verbis & phrasibus, quæ civilis usus sunt, non tamen protritæ, plebejæ & sordidæ. Consvetudo enim illa, secundum quam dignosci verba & phrases debent, est consensus hominum eruditorum & prudentiorum, quorum appellatione complector eos, qui non modo naturam sermonis probè cognoverunt, verum etiam usum & copiam bonorum verborum didicerunt. In illis respiciendum est ad verborum proprietatem, sensum & compositionem. In propriis delectus quoque instituendus, ut usitata, significantia, sonora & apta cæteris præferantur. Ad sensum, qui & verborum & rerum est, faciunt verba, quæ plus significant, quam loqvuntur, in quibus emphases sunt, quæ evidentiam præstant orationi. Collocatione aptâ nihil est in oratione magis necessa-

cessarium, ut vel sola illa ineptam & peregrinam reddere orationem possit, si videlicet adjuncta sæpè disjungantur à suis nominibus, substantiva verbis vel epithetis indecorè vel præponantur, vel postponantur, & similia. Quæ continuâ & attentâ lectione Autorum latinæ lingvæ purioris illius & aureæ ætatis, observari debent. Quam observandi rationem nemo explicatius proposuit, quam Antonius Schorus in illa sua Methodo discendæ docendæque lingvæ latinæ, nunquam satis laudandâ & in præfatione Phrasium Ciceronianarum, quam Franciscus Vavassor, delicatus alioquin autorum Censor, in suo de *Epigrammate* libro meritò auream vocat. Quoniam verò tria sunt in omni oratione: nomina, verba, particulæ, quæ singulis vis sit, probè notandum est. Ea vel sic seorsim, vel inter se juncta considerantur. Si prius: circumspicienda sunt sive nominum, sive verborum vel synonyma, vel cognata, vel antitheta, vel epitheta; vel quibus illa attribuuntur personis, temporibus, locis, rebus, unde & proprius eorum sensus, & quo aliæ ab illis distingvuntur, cognoscitur. Si posterius: diligenter notandum, quæ inter se voces jungi solent: nam verba interdum & adjectiva junguntur certis nominibus, quæ aliis juncta minimè latina videntur, vel saltem ad Romanum palatum non sunt. Sanè Antonius, Civis Romanus Ciceroni latinè loqui visus non est, cum scripsisset *facere contumeliam & denunciare timorem*, quod vulgò ea non jungerentur. Et hâc quidem re potissimum peccari adversus Romanæ lingvæ genium certum est, quod verba & phrases subjectis jungantur, quibus illæ non conveniunt, quod verba male collocentur. Nam etsi apud autores phrasis aliqua bona est in se spectata, aut ex rei indole, cui tribuitur, considerata; inepta fit, si personis, rebus, locis aliis applicetur. Quod sexcentis exemplis demonstrare poteramus, si nunc id ageremus, ac ipsius Germanicæ lingvæ accuratior observatio nobis ob oculos sistet, si peregrinæ nationis homines illam loqui audiamus. Insignia ejus rei exempla in sequiorum ætatum scriptoribus deprehendemus, è quibus unum illud instar omnium esse possit, quod habetur apud Ammianum Marcellinum, initio *lib. 23.* ubi restaurationem templi Hierosolymitani à Juliano irrito conatu procuratam describit, in quâ oratione ipso sono & sensu, & transpositione quoddam peregrinum, rusticum & inconditum observes. Oritur hinc *σύγχυσις* trajectio, quæ *μέθοδον* in oratione vitiat, qualem in dilucido genere omnino fugiendam præcepit Hermogenes. Magnæ itaque nobis curæ erit verba illa, quæ se mutuò, quove ordine consequantur, quæ verborum sint mutationes diligenter observasse, de quibus pauca Grammatici, longè plura & propemodum infinita usus subministrat. *Quis non perinde esse putet?* (inquit Vossius de Poëmatum cantu pag. 42.) si quis dicat: *Vir optimus est,*

Auri-

Auribus tamen minimè satisfacere credebatur, si quis vel in communi sermone posterius usurpasset. In particulas accurata impendenda est industria, quâ ratione membra orationis connectant, se mutuò respiciant, quibus verbis conveniant. Cujus rei vastitatem si expendo, penè est, ut nihil hactenus factum esse pronunciem. Nec enim credet quis, quam multa hujus argumenti & penè innumera observari possint. Sed mittam nunc illa: nam peculiari aliquando dissertatione *de Purâ dictione* fusius de his agam.

Illud quod ab animo & moribus accedit Romano illi & puro sermoni, est idea, quam ἦθος vocat Hermogenes. Ab ingenio enim & moribus tum nationis, tum hominum singulorum, præcipuè illorum, qui Reipubl. præsunt, ac eruditorum, ille color quasi & succus orationis venit. Idem illud, quod his omnibus constat, civile genus esse dixerim, quod adeò commendat Hermogenes *lib. 2.* περὶ ἰδεῶν, *cap. 10.* de quo ille: Φημὶ τοίνυν δεῖν ἐν τῷ τοιούτῳ λόγῳ πλεονάζειν μὲν ἀεὶ. Τοῖς τὴν σαφήνειαν ποιοῦσι τύποις, καὶ τὸν ἠθικόν τε, καὶ ἐυηθῆ, καὶ μετ' τούτους τὸν γοργόν. *Dico oportere in hoc dicendi genere* (politico) *copiosum esse in iis, quæ efformant perspicuitatem, & moratum sermonem & sincerum, & post illa concitatum.* In quibus requisitis tertium ad orationem potissimum pertinet, cætera duo, inprimis σαφήνεια, cui opponitur δυσπικασία & ἀσάφεια, ad hanc orationis formam per se spectant. Sed de civili eloquentia, quatenus oratoria ars in eâ spectatur, uberrimè egit singulari & doctissimâ dissertatione Böclerus.

Moratæ orationis prima idea est ἀφέλεια sive simplicitas, per quam oratio est nuda, sine fuco rem declarans, citra ambages, circuitiones, habetque illa partes cum idea τῆς σαφηνείας & καθαρότητος convenientes. Ita enim Hermogenes *lib. 2.* περὶ ἰδεῶν *cap. 3.* καὶ τοῦτό γε ὁμολογούμενον, ὡς αἵγε καθαραὶ ἔννοιαι πάντως ἂν εἶεν καὶ ἀφελεῖς. Αἵτε ἂν ἀφελεῖς, καὶ καθαραί. *Illud constat, omnes sententias puras omnino quoque esse simplices: ac rursus quæ sint simplices, illæ etiam sunt puræ.* Non existimandum est, simplicitate extenuari eloquentiam, quâ ornatur illa maximè, ut vinum & aurum, quo simpliciora, eò præstantiora sunt. Decantata illa Romana simplicitas apud Oratores & Poëtas est. Martial. *lib. 11. cap. 21.*

Absolvis lepidos nimirum Auguste libellos.
Qui scis Romanâ simplicitate loqui.

Verùm illic nequam sensus & plusquam duplex sub illa simplicitate reconditur. Hinc voces illæ, Romanè & Latinè loqui, pro simplici & planâ oratione accipiuntur. Ita Cicero in Epistolâ ad Trebatium, *Romano more* loqui appellat, quod nos rem simpliciter & candidè enarrare. Idem Philipp. septimâ *Gladiatorem appellavi, ut appellant ii, qui planè & latinè loquuntur*, & Verrinâ quartâ. *Latinè me scitote, non accusatoriè loqui.* Imò *Latinè* & obscurè

loqui

loqui sibi opponi solent, uti & *Latinè* & *Grammaticè*, quod Grammatici plus fuci & artis inferre in orationem videantur, regulisque suis libertatem sermonis adstringant. Fab. lib. 1. cap. 10. *Non invenustè dici videtur, aliud esse Latinè, aliud Grammaticè loqui.* Neque enim statim Latina est oratio, quæ Grammatica, etsi Latinam orationem Grammaticam esse oportet. Est enim aliquid in collocatione verborum, quod omne à consvetudine dependet, de qua ne cogitant quidem Grammatici, & quod præceptis comprehendi non potest, sed solâ & continuâ observatione discitur.

Simplicitas hæc, ut alicui dictionis generi per se competit, ita & cæteris omnibus, sed aliis quibusdam orationis virtutibus juncta. Nam & gravitas & splendor & magnitudo à simplici quidem oratione differt, sed illi tamen non repugnat, imò illam præsupponit, ut materiam, cui formæ illæ induci debeant. Cum enim duo sint eloquendi genera, alterum αὐτοφυὴς Aristoteli dictum, nativum & sponte suâ fusum; alterum πεπλασμένον, vorsum scilicet & mutatum, & Oratorio artificio excultum, etsi illi magis competat, tamen neque hoc sine illâ virtute esse potest. Hermogenes *lib. 1. de Form. cap. 4.* sub finem docet usum & copulationem perspicui & dilucidi generis cum amplo, sublimi vel magno: idem *l. 2. cap. 2.* de morato genere, cujus species est simplicitas, ait: se non illud vocare solum, quod per totam orationem necessariò debet apparere, quemadmodum color in corpore, sed etiam quod naturâ comparatum est, ut misceatur ubique & in vehementi genere & in aspero, & in aliis omnibus. Præ cæteris Bucolicum genus illa ornat, ut omni ex parte illa elucere debeat. Quam sic repræsentasse non tenuis, sed magni ingenii res est, ut præclarè demonstrat in laudatâ de Carmine Pastorali dissertatione Rapinus.

E simplicitate alius sermonis Romani characterismus efflorescit, *Suavitas* scilicet, quæ quibus sententiis obtineatur, prolixè demonstratum est ab Hermogene ejusque doctissimo Commentatore Sturmio, quæ omnia hujus loci non sunt. Suavem vero orationem præcipuè efficiunt *Translata*, quorum singularis ratio habenda est. Sunt verò illa non unius generis & penè singulis dicendi formis propria. Sunt sublimia, venusta, Poëtica, inque his quædam Comica, Tragica, Lyrica & sic deinceps. Quæ magno seligere judicio oportet, & nos aliquando in Poëticis nostris modum ostendemus, quo translata poëtica in hunc usum colligenda, plus utilitatis, quam omnia illa æraria habitura. Simplicitatem Romanam non nisi sui generis ornant translata. Qualia in Cicerone, Nepote, Cæsare, Terentio & similibus scriptoribus observanda & singulari curâ colligenda sunt. *Habet*, (si Quintilian. lib. 8. cap. 3. audimus) *ipsa* ἀφέλεια *simplex & inaffectata quendam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum, &*

sunt quadam velut è tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditia. Sed neque in Cicerone ipso omnia ejusdem generis sunt translata. Est enim ubi Orator paululum à simplicitate deflectit, & iis utitur translationibus, quæ παρακινδυνευμέναι dicuntur, quo nomine etiam Demosthenem exagitavit Æschines. Est ubi simplicitas sine translatis ornat, ut in Lysia Halicarnass. commendavit, quod tropis abstineat & simpliciter res indicet, nec tamen rerum magnitudinem imminuat. Quâ in re desidero Grammaticorum & Philologorum industriam, qui cum anxiè satis & sollicitè epitheta, antitheta, adverbia, synonyma in Cicerone excusserint, de translatis ne cogitarunt quidem. Fr. Robortellus Comm. in Aristot. Poëtica pag. 264. consilium id suppeditat, ut colligamus translata. *Nostra hâc ætate*, inquit, *putarim nil utilius esse, quam ex veterum libris, qui dicendi laude floruerunt, omnes translationis formas modosque colligere, ac animo ita complecti, ut pro suis aliquis utatur, quando opus fuerit: periculum enim est, si ex se confingat, ne disparem habeant analogiam, ne duriores sint, ne minus cognita, ne inusitata.* Vidit hujus rei utilitatem P. Mosellanus Græcæ linguæ in Academiâ Lipsiensi Professor, & quod ad laudem ipsi satis est, magni Camerarii Præceptor. Ut enim semper illustris hæc Academia elegantioribus studiis floruit, & in hunc diem floret, ita hâc quoque in re de literario negotio bene mereri potuisset, si Mosellani sui fatum non obstitisset. Ita enim de ipso Melchior Adami in vitâ ejus: *Erat Mosellanus Metaphorarum observantissimus earumque è Cicerone aliisque optimis scriptoribus magnum acervum collectarum, instar adagiorum Erasmi, editurus opus, si annos aliquot supervixisset.* Ego certe quoties hæc lego, hujus operis jacturam deploro. Nam dici profecto non potest, quantum in Metaphorarum recto usu positum sit, quam latè illarum vis in omnes eloquentiæ partes valeat. Quemadmodum sc. si loco adhibitæ, vehementer ornant orationem, ita nihil magis orationem corrumpit, si pravæ sint, & repugnante usu & autoritate ex ingenii libidine & lasciviâ confictæ. Omnia enim pene styli vitia ab harum pravo usu pendent, neque alio magis characterismo Romani sermonis corruptela, quam illo nascitur. Inde enim prima linguæ Romanæ corruptela, estque hæc jam suo tempore Quintiliani querela: *A corruptissimo quoque Poëtarum figuras & translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad nos intelligendos opus sit ingenio.* Emunctioris certè naris Critici statim subolfaciunt, ubi aureæ ætatis scripta cum sequioribus conferunt. *Quod si Ciceronianas translationes*, (inquit Robortellus loc. supr. citat.) *& eorum, qui eadem ætate vixerunt, conferas cum illis, qui postea scripsere jam labefactatâ ac corruptâ Romanorum linguâ, ob infusam peregrinitatem videas multum discrepare, magisque capiere illis, quam his: venusta illæ sunt, pares ac conveni-*

entes

entes rebus, nota, apta ac suaves, remque ob oculos ponunt, quasi præsentem intuearis: hæ horrida, obsoleta & à rebus ignotis ducta, dispares. Vel in uno Floro luculentum ejus exemplum est, cujus translatis & argutiis, ut cætera sic satis proba, nihil interdum est ineptius, quod certissimum labefactati sermonis argumentum. Vide quid de eo Censor harum rerum acerrimus, magnusque amicus noster Grævius in Præfatione commentarii sui doctissimi moneat. Imo & in iis, qui Florum præcesserunt, illa Translationum licentia notabilis est. Qui Augustæum ævum sequebatur Petronius, jam tum aliquid illius labis contraxit, quem qui imitantur, ejusdem succi aliquid trahunt. Huc etiam Scaligerum respexisse puto; cum in Baudio notaret phrasin Neroniani temporis, quod de illo judicium Fratres Puteani in Excerptis consignarunt. Nostra vero, quæ Romanum sermonem ornant translata, plane alterius generis sunt & talia, qualia è Robortello supra descripsimus: quibus illa Romani sermonis suavitas maximam partem consistit, inprimis si figuræ, numerus aptus, qualis simplicitatem & suavitatem decet, accesserit. Scitè Hermogenes lib. 2. περὶ ἰδεῶν cap. 3. ἡ γλυκύτης οἷον κάλλος τι τῆς ἀφελείας ἐστί. Svavitas est tanquam pulchritudo simplicitatis. Et ibidem Svavitatem vocat ὥσπερ ἐπίτασίν τινα τῆς ἀφελείας velut intensionem quandam simplicitatis. Quibus ὥρα & ἀβρότης ab illo additur.

Porrò inter Romani styli characterismos est ὀξύτης, argutia. Etsi enim Hermogenes loco laudato dicit argutiam pugnare cum simplici genere: δεινότητος γὰρ ἴδιον τὸ τοιοῦτον, inquit, tamen ille distinguit argutias. Vocatur enim illud argutiæ genus, quod simplicitati convenit, ipsi ἐπιπόλαιος βαθύτης superficialis profunditas. Nudus verò ille mentis conceptus, qui superficialiter producitur, quamvis sit profundus & reconditus, tamen illi videtur efficere genus orationis simplex. Ibidem ille ait, αἱ δριμεῖαι λέξεις ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον γλυκύτητα ποιοῦσιν ἐν τῇ ἀφελείᾳ. Acutæ voces ut plurimum efficiunt svavitatem in simplicitate. Efflorescit itaque ex ipsâ re & verbis hæc argutia, quam ideò superficialem vocat Hermogenes, quia non altius petita est, ut in ipso arguto genere. Et hæc argutia, quæ tamen ad jocos propius accedit, in Romano sermone Romanus sal dicebatur. Ita Martial. libr. 8. Epigr. 3.

At tu Romano lepidos sale tinge libellos.
Agnoscat mores vita legatque suos.

Commendat hos sales ipse Cicero, quo nemo felicior in illis spargendis erat, lib. 9. Epist. 15. ad Papirium Pætum scribens: ait enim, sibi non quasvis aut cujusvis nationis facetias placere, sed Romanas veteres atque ur-

 banas.

banas. *Accedunt*, inquit, *non Attici, sed salsiores, quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. Ego autem, existimes licet quod lubet, mirifice capior facetiis maxime nostratibus.* Hi sales urbanitatis nomine veniebant. Cic. ad Curium Epist. 31. lib. 7. *Vides, exaruisse jam veterem urbanitatem. Veni quaso, ne tantum semen urbanitatis unà cum Rep. intereat.* Eodem libr. Epist. 32. ad Volumnium. *Urbanitatis possessionem, amabo, quisque interdictis defendamus.* Alibi vocat *subtilitatem veteris urbanitatis & humanissimi sermonis.*

Hujus Elocutionis urbanæ ideam optimè delineavit Aristoteles Rhetoric. libro 3. cap. 10. quæ non per γλώττας & externa vocabula, nec per propria, quia nimis nota, sed per translata & imagines celerem in nobis intelligentiam gignit, atque ex eâ intelligentiâ voluptate nos afficit, cum nihil magis jucundum sit, quam discere. Nullum autem accuratius hujus Romani nitoris κριτήριον est, quam si se menti legentis vel audientis statim ingerat. Quemadmodum oculi formâ insigni conspectâ ejus imaginem menti statim sistunt, quæ vel admiratione vel amore inde percellitur, ut Musæus:

ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν. ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Ἕλκος ὀλισθαίνει καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει:

Ita suâ vi & ipso aurium judicio mens nostra celerrime per hanc καθαρότητα & εὐκρίνειαν in oratione comprehendit.

Quæ Romano sermoni Urbanitas propria erat, eadem quoque Attico, imò ab Attico in Romanum illata est. Idem enim urbi utrique eloquentiæ semper studium fuit, eadem orationis cultura. Imo vero fatetur Quintilianus lib. 10. cap. 1. sermonem Romanum non recipere illam solis concessam Atticis Venerem. In Atticis illa dicebatur εἰρωνεία, & εἴρωνες urbani homines, quo nomine Socrates quoque appellatus fuit. Anacharsis apud Lucianum Athenienses vocat εἴρωνας ἐν τοῖς λόγοις & M. Seneca in Suasor. nasum Atticum. Hujus urbanitatis lineamenta eleganter duxit Aristot. 4. Eth. cap. 8. nam & inter virtutes locum aliquem obtinuit urbanitas, quæ ingeniosis facetiis tempore & loco idoneo utitur. Quæ, si ulli genti, Romanis certè propria & nativa fuit.

Nemo non ex his, quæ dissertavimus, videt, in puritate, simplicitate, svavitate atque argutiâ sitam esse Romanam illam Urbanitatem, quibus addo concinnitatem in clausulis, quam ad simplicitatem etiam Hermogenes requirit. Sed illa pro genere dictionis variat. Id tamen certum est, quod Hermogenes monebat, clausulas & exitus periodorum & partium Orationis in simplici hâc oratione esse firmas ac stabiles magis, quàm in illâ oratio-

oratione, quæ rapitur & pendula est. Dionys. Halicarnass. de stylo Lysiæ Oratoris Græci dicebat, esse in eo *σύνθεσιν τὸν ἰδιώτην μεμιμημένην*, id est, talem compositionem, quæ videatur proficisci ab aliquo, qui artis ignarus est. Similem illaboratam & simplicem, sed convenientem & jucundam in Corn. Nepote & Jul. Cæsare observat Boeclerus dissertatione *de comparandâ latinæ linguæ facultate cap. 2. §. 10.* & ex iis præcipuè discendam svadet, ad quem tamen vix doctissimum quemque adspirare posse arbitratur. Et in hâc verborum compositione Dionys. Halicarnass. pulchritudinem Orationis præcipuè reponit. Eam ob causam judicarunt quidam, svavitatem esse in Xenophonte, non autem pulchritudinem, & pulchritudinem in Thucydide, non autem svavitatem, utrumque in Herodoto, de quâ jam supra egimus.

Ipse denique nos Cicero doceat, quis Romanus sermo sit. Ita enim ille in tertio de Oratore: *Me tuus sonus & svavitas ista delectat, omitto verborum, sed hanc dico svavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos Atticorum, sic in Latino sermone hujus est urbis maximè propria.* Et post pauca interjecta: *Quare cum sit quædam certa vox Romani generis urbisque propria, in quâ nil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur: neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus.* Quintilianus ita urbanitatem describit lib. 6. cap. 4. *Urbanitate significari video sermonem præ se ferentem in verbis & sono & usu proprium quendam gustum urbis & sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit rusticitas.* Et in eodem capite: *Meo judicio illa est Urbanitas, in quâ nihil est absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, nec ore gustuve deprehendi possit, ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos Atticismus redolens Athenarum proprium saporem.* De hoc Atheniensium urbanitatis studio Demetrius Phalereus lib. de Elocution. πλατέα λαλοῦσι πάντα οἱ Δωριεῖς. Διόπερ οὐδὲ ἐκωμῴδουν δωρίζοντες, ἀλλὰ πικρῶς ἠττίκιζον. Ἡ γὰρ ἀττικὴ γλῶσσα συνεστραμμένον τι ἔχει καὶ δημοτικόν, καὶ ταῖς τοιαύταις εὐτραπελίαις πρέπον. *Læta omnia loquuntur Dores. Quare neque cum aliquos notabant, utebantur Dorico sermone, sed amare Atticissabant: lingua enim Attica rotundum quiddam habet & populare & hujusmodi urbanitatibus aptum.*

De hac Urbanitate & Romano tum animi, tum sermonis charactere, cum Vir ad elegantias omnes factus Balzacus multa dissertasset in Gallicis suis opusculis, eorumque uno, quo de Conversatione Romanorum agitur, asserere non veretur, omnes Græcorum Veneres omnemque Atticismum à Romanorum Urbanitate esse exstinctum, diuque illam apud Ro-

 manos

manos in usu fuisse, antequam nomen ejus nosceretur. Ejus quandam quasi ideam repræsentaturus, his eam verbis declarat, quæ ob miram eorum venustatem, quodque illa, quæ hactenus à nobis dicta sunt, præclarè explicant, apponere non gravabor. *Soit que ce mot exprime un certain air du grand Monde, & une couleur, & teinture de la Cour, qui ne marque pas seulement les paroles & les opinions, mais aussi le ton de la voix & les mouvemens du corps. Soit qu' il signifie une impression encore moins perceptible; qui n' est reconnoissable que par hazard; qui n' a rien, qui ne soit noble & relevé, & rien qui paroisse ou estudié, ou appris, qui se sent & ne se void pas; & inspire un genie secret, que l' on pert en le cherchant. Soit que dans une signification plus estenduë il vueille dire la Science de la Conversation, & le don de plaire dans les bonnes compagnies. Ou que le mettant plus à l' estroit, on le prenne pour une adresse à toucher l' esprit par je ne sçay quoy de piquant, mais dont la piqueure est agreable à celuy, qui la recoit; parce qu' elle chatouille & n' entame pas: parce qu' elle laisse un aiguillon sans douleur, & resueille la partie, que la mesdisance blesse. Tant y a, qu' au jugement d' un grand Juge de pareilles choses c' estoit une connoissance, dont les Grecs ont abusé; que les autres Peuples ont ignorée, & dequi les seuls Romaisont sceu le vray, & le legitime usage: Leur ayant esté si propre, & si incommunicable à leurs plus proches voisins, que ceux de Italie mesme n' ont pû l' acquerir sans quelque déchet, ny la contrefaire si finement, que la ressemblance n' en fist remarquera diversite.*

Qui dictionis Urbanæ & oppidanæ diversitatem accuratius indagare, ejusque quasi quandam imaginem sibi ob oculos ponere vult, hodiernam ille Gallicam, qualem Lutetiæ Parisiorum loqvuntur homines elegantiores, cum provincialium sermone conferat. Ut enim in populari aut aristocratico statu vel in Dialecto dispescitur lingva, vel si una aliqua urbs rerum potiatur, ad hujus se lingvam populus universus componit; ita sub unius imperio Principis, aula, in qua versantur homines elegantiores, qui nitorem lingvæ exprimere laborant, cæteris provinciis in exemplum cedit. Loqvuntur ergò Lutetiæ Parisiorum plerique lingvam cultissimam, provinciales verò horridiorem illam, & quodammodo agrestem, vocibus & sono magna ex parte distinctam, ut jocis & urbanis salibus nonnunquam eos excipiant Parisienses. Eadem in recentiore illâ Italorum lingvâ Urbanitatis & Peregrinitatis vestigia nonnulli deprehenderunt. Nam Erythræus *Pinacotheca III. imag. 35.* in hodiernâ illâ Romanâ nil offendi, nihil displicere, præter pauca quædam verba Romanæ Urbis propria, quæ jam obsoleverunt: nihil sonare aut olere peregrinum ait, sed omnem Urbanitate quasi coloratam orationem, quod de latinâ Cicero dicit. Nam Florentinæ, quam alii præferunt, dicit inesse vocis sonum, qui cum non rectè & pressè

&

& æquabiliter, sed asperè, hiulcè crebroque in guttur incidens ex ore funditur, minus auribus gratus atque etiam in quibusdam, qui incorruptam illius antiquitatem conservant, ridiculus accidit. Qualem, ut ita dicam, Florentinitatem Romana lingva fastidit. Sed tamen Antonius Pactius Florentinus Urbanam illam Florentinarum vocum notam à peregrinis scitè distingvere novit: nam, ut ait idem Erythræus Pinac. I. imag. 91. *ex quodam Urbanitatis quasi colore atque sono ipso germanas Florentinas voces ab ascitis discernebat.* Imò fuerunt, eodem narrante Pinacoth. 1. imag. 157. *qui Florentina verba rancida exoleta consectarentur, quòd illud, quod scriberent, tum elegans visum iri existimarent, si putidis vocabulis & ab usu remotis explicatum Florentinitatem oleret,* in quos Jacobus Michalorus fabulam scripsit, cui Nuptiarum fictarum nomen indidit, Lucianum in Lexiphane imitatus, ubi personam induxit veteri Florentinorum lingvâ loquentem.

Quod si exemplo Servii, de quo Cicer. lib. 9. fam. epist. 16. *quod dicere facile potuerit: hic versus Plauti non est, hic est: quod tritas haberet aures notandis generibus Poëtarum ex consvetudine legendi*, etiam Romani sermonis voces ac dictiones, velut sono, pondere & colore nummos, internoscere possimus, benè cum nobis ageretur. Sed nemo fortè è Criticorum familiâ hoc sibi supercilium sumet. Etsi tamen & hìc crebrâ lectione purissimorum scriptorum non Grammatici, sed Oratoris aliquid explorari posse confido, ut est nonnullorum mira ex phrasi de ætate autorum judicandi sagacitas. Cui si verborum illa collocatio ejusque diligens, sed ab Oratore instituenda observatio accesserit, aliquid fortasfis in hoc negotio profecerimus. Singularem hac in re Maffei diligentiam imitari debemus, qui teste Erythræo Pinac. II, 18. omnia latina verba collegerat, ac pro ratione temporum, quibus inventa vel usu recepta essent, distribuerat, tum quæ verba historicis, quæ Poëtis, quæ Oratoribus aptiora essent. Græcorum in his mira fuit industria, apud quos diversa fuere pro vocibus Historicis, Politicis, Oratoriis, Poëticis, teste Photio in Bibliotheca suâ, glossaria. In hanc curam unicè quoque intentum esse jubet Imitatorem suum Bernardinus Parthenius Spilimbergius, præclarus ille Horatii commentator, in elegantisfima dissertatione de Imitatione Poëtica, Italicè scripta. *La onde fa di mestiero essere assidui nella lettione de' buoni, considerando la elegantia, la netteza, la proprietà, qual parole passano nell' altrui luogo, quali ferme stanno nel suo, ciò che diversamente è construtto, ciò che è puro & simplice, come le parole siano ordinate, disposte, qual è composta, qual raddoppiata, qual repetita, ciò che si sia usato per adornare & abbellire, qual parola è aspra, qual piacevole, & dolce, qual corrente, qual tarda, qual sonora, qual langvida, & muta, qual lieta & leggiadra, qual trista & spiacevole, qual grave & qual lieve, dalla*

qual

qual consideratione & memoria spesso aviene, che d' una parola il lume di una sentenza s' accende. De his aliisque alio loco prolixior dicendi occasio dabitur.

CAP. VIII.

DE Peregrinitate amplius inquiritur. Peregrinitas quædam laudabilis, quædam vitiosa. Quidam ut animorum, ita lingvarum characteres certis gentibus proprii. Grammatica Philosophica è consilio Verulamii scribenda. Prima varietatis in sermone principia. E pronunciatione & sono nativo primum literæ, hinc verba, & ipsæ lingvæ variant. Sermonis varietas cum modis Musicis comparatur. Elatioris pronunciationis homines plerumque tumorem in Stylo amant. Qui molliori voce sunt, leviorem stylum seqvuntur. Singulis lingvis aliquid vernaculum est, quod aliis lingvis exprimi nequit. Diversitas maxima sæpè in lingvis unius gentis, e. gr. *Italæ. Ejus causæ è Camillo Baldo propositæ. De singulis nationibus Italicis ejus judicia. Quare Germanorum voces pleræq; Monosyllabæ, & illi bibaces, ridicula ejusdem ratio. Latina lingva in singulis gentibus novo quasi colore tingitur. Ideoq; maturè illa discenda. Vitium hoc peregrinitatis frequens in omni gente. Vavassoris eâ de re judicium. Græci in Latinis græcissant, in Græcis hi latinismos sectantur. Erasmi Germanismus in Latinitate à Lilio Gyraldo notatus. Gallorum in Latinâ lingvâ multi Gallicismi, præprimis Barclaii. Peregrinitates domesticæ diligenter notandæ. Henricus Stephani & Johannes Vorstius eo nomine laudati.*

ROmanæ & Urbanæ orationi duo, ut vidimus, adversantur, rusticitas & peregrinitas. Illam cum omnes omni industriâ studioque evitent, relinquimus. Hanc cum evitare omnes non possint, eaque nobis non advertentibus orationem vitiet, & vitio patriæ plerisque adhæreat, eo diligentius excutiamus necesse est. Id enim est, quod in Livio præcipuè reprehendit Asinius. Habet scilicet quisque sermo, ut gens, cultum suum, quo ab aliis distingvitur. Et ille quidem cultus in extraneum cum degenerat, Peregrinitatem infert orationi. Peregrinitas verò illa, ut Ludovicus Vives *lib. 2. de Ration. dicendi* docet, non est unius generis. Est enim quædam usitata, grata & tolerabilis, ut quædam phrases Græcæ Latinitati admistæ vel Latinæ Hispano sermoni aut Gallico. Est Peregrinitas barbara & importuna, ut cum pejora melioribus miscentur, vel alienissima conjunguntur, veluti cum latinissat Græcus, vel Hispanissat aut Gallicissat Latinus, aut cum Hebraismus in Latinitatem infertur, vel

vel Germanismus in Hispanitatem. Verùm prima illa Peregrinitatis species ad nos non pertinet, cum illa non ipsa orationis interiora ingrediatur, sed extrinsecus tantum adsumatur, ut si quis peregrini generis & coloris ligulas vesti patriæ adaptat. Etsi illa non ubique & semper, sed certo loco adhibita laudem meretur. Altera illa peregrinitas semper cum vitio est, quæ omnem lingvam adulterino quodam colore & succo tingit. Habent enim regiones omnes nonnullos ut corporis, ita animorum & lingvæ characterismos, quasi gentiles & congenitos, qui ut in nativa habitant, ita in adoptivas immigrare solent.

Res est omnino attentissima speculatione digna, unde illa lingvarum diversitas, tum qua pronunciationem, tum quà naturas vocum & dictionem oriatur. De quâ cum Cardanus *de Subtilitate lib. 12.* Bodinus *in Methodo Historiarum lib. 1. cap. 9.* Besoldus *in discursu de natura populorum cap. 15.* aliqua notarint, sed levia, elegantissimè, & doctissimè, ut solet, de his disseruit ὁ πολυμαθέστατος Borrichius in dissertatione de Causis diversitatis lingvarum. Huic innixum fundamento est illud Verulamii consilium de augmentis scientiarum *lib. 6. cap. 1.* svadentis, Grammaticam aliquam scribendam Philosophicam, quæ notet, quid peculiare cuique nationi sit in lingva, quemadmodum etiam inter se differant illæ. Quò refert Græcorum illam in verborum compositionibus licentiam, à quâ Romana abhorruit severitas, Hebræorumque, qui metaphoris abuti malunt, quam istis uti compositionibus: item quare antiquæ lingvæ plenæ declinationum, casuum, temporum, conjugationum: novissimæ verò plurima per præpositiones & verba auxiliaria segniter expediant: quare Græca lingva diphthongos alat, Latina non item: Lingva Hispanica literas tenues oderit, easque statim vertat in medias: linguæ, quæ ex Gothis fluxere, aspiratis gaudeant. Hinc, sive id naturalibus principiis contingat, sive è consvetudine, vel aliarum gentium commerciis procedat, oritur primum varia illa vocalium pronunciatio: nam aliter pronunciant Sveci, aliter Angli, aliter Galli, consonantes quoque inter se confundunt: quod vel in diversis solius Germaniæ populis observes. E pronunciatione illâ diversâ literarum diversa primum oritur scriptio, hanc diversæ voces, inde phrases, &, si seculorum diuturnitas accesserit, novæ lingvæ, aliaque Eloquentiæ facies. Quam diversitatem cum sentiant homines solertes, causasque varias ejus sibi deprehendere visi sint, eò processerunt, ut è minutis pronunciandi principiis statim de populi genio naturalique dictione quædam conjicerent. Qui in pronunciando vocales extollunt, stylum grandem; qui elevant, stylum tenuem affectare ajunt. Alacritas lingvæ & pronunciationis stylum plerumque circumductum & diffusum gignit, qualis illa Gallorum;

longa vocalium & vocum dilatatio ſtylum tumidum. Orientales populi plerumque rem magno apparatu proloquuntur & multo circuitu, multis pigmentis, quod de Arabum quoque ſtylo Fabricius prodidit in ſpeciminis Arabici appendice. Septentrionales populi plerumque ſtyli æqualem temperiem ſequuntur. Comparatum ſc. eſt cum ſermonibus, quemadmodum cum ſono Muſico, quem non eundem amant omnes Gentes. Hinc nati modi Doricus, Æolicus, Phrygius & ſimiles, quia gentes iſtæ tali ſono delectabantur. Non ineptè eam ob cauſam de Poëtis judicat Maſenius, in Heroicâ ſuâ Poëſi cap. 11. quod inferioris Germaniæ populi non facile Statii iſtam gravitatem aſſequantur, nec contra Bojorum gravitas ad illam Ovidii lenitatem facile inclinet. Patet hujus rei diverſitas vel in linguâ latinâ & græcâ. Habet enim Græca plurima, quæ Latina non ſatis bene imitatur; Latina, quæ Græca nullâ ſatis arte exprimat. Felicior Græca eſt in levioribus, in rebus amorum, ad ipſas uſque ineptias; Latina verò gravis, moderata, parca. Unde voces plurimæ notatæ ſunt à Cicerone & aliis, quas Græca lingua non capit; de quo argumento eleganter diſſerit I. C. Scaliger in præclarâ oratione de voce *Ineptus*, quæ adjungitur epiſtolis ejus poſtumis: fruſtra notatus à *Budæo*, Comm. Græc. Lingvæ, p. m. 65, n. 30. Similis pene obſervatio lingvæ Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, quæ habetur in excerptis Perronianis, quæ edita ſunt è ſchediasmatibus FF. Puteanorum ſub titulo *Langves.* Nam Linguam Gallicam non adeo Comœdiæ aptam dicit, quemadmodum Italicam. Hanc ad amores; Hiſpanicam ad res exaggerandas & amplificandas ab ipſa naturâ factam eſſe: Gallicam ad res civiles & hiſtorias præ cæteris adhiberi poſſe ait, unde & lingua Status vocetur.

Hanc diverſitatem linguarum in variis gentibus cum viderint nonnulli, factum eſt, ut certis quibusdam theorematibus phyſicis vel potius phyſiognomicis illam differentiam definiendam ſibi ſumpſerint, quæ tamen, ut fieri in obſervationibus iſtis ſolet, non ex omni parte ſatis firma ſunt. Camillus Baldus, Bononienſis, in libro ſuo de divinatione epiſtolari, quo de moribus hominum ex epiſtolis, ſtylo, & ſermone judicare docet, operoſus eſt in differentia ſermonis, in ſolâ gente Italicâ, oſtendendâ. *Multi in Italia,* inquit ille cap. 8. *loquuntur labiis & lingua extremitate dentibus innixâ, ut Januenſes, alii gutture, ut Florentini, alii ſunt in locutione tardi & habent dictiones vocalibus plenas, ut Veneti, alii ab ipſis abborrent, & habent verba ut plurimum conſonantibus abundantia non evidentibus, & ferè biſyllaba, ut Bononienſes, alii ſunt hoſtes litera L, ut Senenſes & Lucenſes.* Imo ut alii notant, ſingulis diebus in Italia peregrinantibus lingua aliquâ parte novatur. Et Dantes in lib. de vulgari eloquio in hoc angulo mundi,

ut loquitur, supra millenas ire differentias testatus est, qui in variis istis dialectorum generibus excutiendis mirè illic operosus est. Singulorum Camillus Baldus causas habet vel universales, ut cœlum & climata: nam duobus præcipue locis sub Æquatore & sub quadragesimo quinto gradu Zonarum temperatarum differentiam illam pronunciationis cerni ait: vel particulares, ut situs regionis, commercia, cibus. Et quidem quod ad situm regionis attinet, ob varietatem montium, lacuum, marium, fluminum, sylvarum, ut hominum inclinationes & propensiones variant, ita linguis, moribus discrepare ostendit Italiæ exemplo. Quæ cùm dividatur, ab Apennino monte ab ortu ad occasum, atque ejus extremitates geminis alluantur maribus, magis linguâ & moribus differre Italum ab Italo ait, quam Polonum à Polono, quod illarum regio, licet Italiâ major, æquali planitie constet. Ita noster ille observat, qui latos Italiæ campos colunt à montibus & mari distantes, si respiciant Septentrionem, cum frigidi sint participes, voces abbreviare ac consonantibus uti, ut Ferrarienses & Romandiolæ habitatores. Mediolanenses cùm loco humido habitent, ob vaporum multitudinem, quâdam imbecillitate loqui, & ultimis verborum syllabis multos addere accentus: Etruriæ cultores, qui collibus accedant, uti aspirationibus & gutture loqui more Hebræorum; cum enim montem habitent non minus meridiei expositum, quam Hierosolyma, nec minus quam Sion saxosum, habere etiam accentus Hebraicis similes atque conformes. Idem tamen autor, qui brevitatem vocum & multitudinem consonantium antea frigori, eandem in Germanis calori illorum adscripserat: Quod enim Germanis multa sunt verba monosyllaba & plena consonantibus, quodque liberalius bibant, procedere ille ait à concentrato calore & præternaturali siccitate à multo calore producta. An ergo externo frigori eadem, quæ interno calori potestas est? An fortassis illa conspirat? Sed nec illam esse autoris istius sententiam, ex eo patet, quod Genuenses Germanis similes faciat, quibus eadem linguæ velocitas insit, quia loca calida, sicca & petrosa incolunt. Quid vero de Belgis dixerit Baldus, qui paludoso in solo & humido aëre habitant? at illi voces contractiores habent, quam ipsi Germani. Verum altioribus defixæ radicibus hæ causæ sunt, quam ut superficiariis illis contemplationibus erui possint, neque hoc loco illæ eruendæ. Nos tamen inde observabimus, quam facile sit in tantâ diversitate dialectorum cultiorem linguam aliquid sordium adsciscere. Etsi enim aliâ oriundus patriâ cultiore linguâ fuerit institutus, fieri vix poterit, etiam Camilli Baldi judicio, quin aliquando se prodat, ut in Theophrasto videmus, qui licet per viginti annos educa-

 tus

tus Athenis fuerit, ab Atheniensi tamen vetulâ unius verbi affectatione pro peregrino habitus fuit.

Quoniam ergò hodiè lingva Latina nulli amplius populo familiaris est, sed per varias gentes propagatur, vel ex eo videre licet, quam illa in singulis populis novo & gentili quodam colore tingatur, quem Romanus ille candor aversetur. Non enim advertentibus illa obrepit peregrinitas, cum à consvetudine & autoritate Latinæ lingvæ, significatione, phrasi, inepta junctura discedimus. Eam ob causam Hieronymus *Epist. 7.* ad Lætam de Institutione filiæ, de lingva Latina maturè addiscenda consilium dedit, ne postea idiotismis corrumpatur: *Sequatur*, inquit, *statim & Latina eruditio, quæ si non ab initio os tuum composuerit, in peregrinum sonum lingva corrumpitur, & externis vitiis sermo patrius sordidatur.* Est hoc adeo familiare eruditis è qualibet Gente vitium, ut non deprehendi nisi ab oculatissimis possit. Franciscus Vavassor, delicatus ille latini sermonis censor, *libro de Epigrammate cap. 15.* refert, oblata sibi fuisse quædam epigrammata, in quibus omnia laudem merebantur, non fuisse inania sententiis, nec sine acumine & lepore; versus elatos & canoros, verbis plenis & grandibus: aptam compositionem: naturalem ordinem rerum; neque artem desideratam. *Verumtamen ad dictionem quod attinet, haud scio*, inquit ille, *utrum plus aliquid latine Poëta hic sciat; quam quantum in scholis Philosophorum, aut Theologorum, ubi ista fere dediscuntur, didicerit.* Hujus rationem ut daret, subjungit porrò: *Plerique, nisi caveamus, Græca Latinè, Latina Gallicè scribimus. Cur istud tandem aut quomodo? Dupliciter. Primum quidem cum sint uni lingvæ communia quædam cum lingvis aliis, quiddam proprium & singulare cujusque, certæ elegantiæ, domesticæ nativæq; Veneres; hoc si posterius negligimus, aut si parum callemus, aut si omnino non persequimur, illa retinemus duntaxat: quis prudens lector atq; intelligens divinabit, scire nos Latinè aut Græcè, qui ejus, quod peculiare sit alterutrius lingvæ, nihil in carmine nostro advertat? Deinde cum ex duabus tribusve lingvis unam aliis notiorem, magisq; familiarem habeamus: quid proclivius, quam ad hanc accommodare ceteras & inflectere ac detorquere: ex quo Latinismus, ut ita dicam, in Græcis, Gallicismus in Latinis obrepat? Quid igitur provideri in epigrammate placet, aut quam rationem haberi sermonis? Si quis epigramma scriptor Græcè condidit, deprehendat Lector volo vel ex uno versu alterove Athenas; si Latinè, Latium quodammodo & Romam veterem agnoscat. Nec verò jam puerum esse aut tironem intelligat, qui discat tum primum, sed virum ac veteranum, qui multum diuq; didicerit. Quod si Græcum ex Latino, aut ex Græco Latinum scriptor idem fecerit, juvat ambigere Lectorem, uter scriptor scripserit prius, utrum redditum sit opus atq; ex altero conversum.* Ex illo vitio lingvæ familiaris fit, quod idem notavit ejusdem libri cap. 8. *quod bonitatem & præstantiam Græci Carmi-*

nis

nis non per se pondenant, sed ex Latina interpretatione. Quomodo contigit, id quod ab Hieronymo observatum est, ut ridiculum nonnulli Homerum Latinum judicent: quem si Graecum norint, aut si magis ex suâ illâ lingvâ spectatum, quam ex alienâ norint; meritò ac jure suspiciant atque admirentur. Hanc ob causam Lilius Gyraldus (an satis æqvus judex, critici viderint) *Dialog. 2. de Poëtis nostri temporis*, de Erasmo, illum inter Germanos Latinum, & inter Latinos aliquando Germanum videri censuit. Eadem peregrinitas in Barclaji scriptis deprehenditur, qui perpetuis Gallicismis scatet. Illos enim in ejus Scriptis observavit perpetuus talium insectator Scioppius, teste illo, qui Euphormionem cum notis variorum Lugdun. Batavorum edidit. Nam in Hercule suo Coprophoro hujus cæterorumque virorum doctorum sordes congesserat; sed non protulit in lucem hoc suum sterquilinium. Ille vero in libro de Rhetoricarum Exercitationum generibus circa finem hæc de Barclajo: *Similiter & Johannis Barclaji dictio, (ejus, qui hodiè quoddam quasi juventutis cymbalum est) arguto & venusto hominis ingenio plus, quam Latinitatis genere commendatur. Ut enim de obscuritate dicere prætermittam, in quam sæpius eum necesse fuit incidere, qui nec majorum gentium autores studiosè volutasset, & quomodo alius nemo dicere averet, nec barbarismi & solœcismi apud eum non inveniuntur, νεωτερισμῶν vero iniri vix potest numerus, quos ipse calori indulgens, ac nec suæ, nec amicorum lima patiens, se solo autore invexit.* Præterea & anonymus quidam, sed qui ipsi amicissimus fuit, teste Erythræo Pinacoth. III. imag. 17. ipsi objecit, *quod latinitas ejus Romanas aures peregrinitate radat & veteris puritatis sapore imbutum palatum offendat:* quod tamen ipse Erythræus in medio relinquit, & Böclerus commentario in Taciti Annal. l. 4. 6. vellicare videtur, cum ait: *nolle se esse inter eos, qui eruditissimum elegantis ingenii monimentum, quod tacitè non possunt non mirari, qua tamen possunt, premunt.* Sed ille ingenii potius & inventionis elegantiam, quam omnes & ipsi illi rigidi censores laudant, forsan respexit: nam quod ad latinitatem attinet, illam non usque adeò esse sinceram, negari non potest. Longè certè à populari suo Buchanano abit, cujus tantus in latinitate nitor, & puritas, ut nil in illo præter hæresin, ille inter Grammaticos Momos omnes Argus & Lynceus Scioppius reprehendat.

Est verò ejus peregrinitatis, quæ à lingvis popularibus in Latinam lingvam infertur, quo illa occultior, eò accuratior instituenda observatio. Nam ut in Gallia Gallicismi, ita apud scriptores Italos Italicismi, Hispanos Hispanismi regnant, quorum nunc discrimina deprehendere difficilius est, cum paucis hic esse censoribus datum sit, qui nativum Romanæ lingvæ decus è scriptoribus aureæ ætatis dijudicare norint, & cui gentilia illa vitia non imponant. Quare benè de latinitate mererentur, qui idiotismorum illorum

illorum à Latinismo differentiam diligentissimè notarent, ut laudanda illorum opera est, qui illorum cum Latina lingva convenientiam docuerunt, quod in Gallica lingva fecit Henricus Stephani, libro de Latinitate falsò suspectâ; & in Germanica ejusdem tituli libro Johannes Vorstius, ne illi Gallicismorum & Germanismorum specie imponerent.

CAP. IX.

Peregrinitas Latinæ lingvæ è provinciis, γλῶσσαι, γλωσσήματα. Peregrinæ voces jam olim collectæ & notatæ. Hispanismus in lingva Latina. Hispana lingva an Romanæ originem dederit? Hispani prisci & lingvâ & doctrinis insignes. A recentioribus Hispanis aliqua Latinæ Lingvæ peregrinitas illata videtur. Romanorum Scholæ latinæ in provinciis. Hispani præ cæteris provinciis latinitatis tenaciores. Barthii judicium, qui idiotismum Romanum in illorum lingvâ & pronunciationem vetustam agnoscit. An apud Afros & Hispanos scriptores supersint veteres Romanæ voces & phrases? Dissensus à Barthio. Erasmi de iis rectius judicium. Utrum Hispani an Galli primi peregrinitatem in Romanam lingvam invexerint? Petri Pithœi & Andreæ Schotti lis de prærogativâ utriusque gentis in eloquentiâ latinâ. Vavassoris judicium. Qui in Hispanos paulum videtur iniquior. Ciceronis de peregrinitate in urbem infusa querela. Fastidium purioris sermonis ob affectationem peregrinitatis post Ciceronis tempora. Hispani primi conservatores eloquentiæ Romanæ. Seneca. Quintilianus. In hoc Hispanitas à Philelpho notata. Quintiliani defensio & elogium. Barthius quoque illum vellicat. Poëtæ Cordubenses. De Lucano, Seneca Tragico diversa nonnullorum judicia. Martialis vindicatur ab insanis nonnullorum calumniis. Argutiæ ab Hispanis in latinitatem illatæ non omninò damnandæ. J. Jovianus Pontanus diversitatem in Romanis & Hispanicis argutiis agnoscit. Quod & Ciceroni & ipsi Martiali notatum. Defenditur hâc in re Natio Hispanica adversus obtrectatores. Africitas in latina lingva. Afri Scriptores plerique aliquid inconditi habent. Vivis de Afris & inter illos Augustino judicium. Verdierus notatus. Afrorum defensores Barthius, Fruterius, Lipsius &c. Proprietatem linguæ latinæ in illis laudant aliqui. Voces antiquæ latinæ multæ in illis reperiuntur. Dictio tamen in illis pura Romana non est. De Apuleio & Nemesiano judicia.

MAxima Latinæ lingvæ peregrinitas ut nunc à populis, qui illam adoptarunt; ita olim à provinciis illata est. Nam deductione coloniarum & donatione civitatis peregrinitas successit, cum & qui emi-

emigrarunt, illam alibi hauserint, & qui convenerunt in urbem, illam secum advexerint. Peregrinitas illa consistit vel in verbis, vel in constructione, vel consvetudine. Verba secundum Varronem sunt vel nostra, vel aliena, vel oblivia, *id est*, obsoleta. Aliena τὰ ξενὰ ἑτέροις μὲν ἐπιχώρια τοῖς δὲ ἄλλοις οὐ συνήθη, ut ait Theon Sophista in Progymnasmat. sensibilem nimis peregrinitatem inducunt. Solebant verba illa Græci vocare γλώσσας, cujusmodi fuere Diodori Ἰταλικαὶ, Hermonis Κρητικαὶ, & Philemonis Ἀττικαὶ γλῶσσαι, quarum Athenæus meminit. Vocabant & γλωσσήματα voces minus usitatas. In verbis quoque duo ἁμαρτημάτων genera agnoscit scil. τὴν ἀκυρίαν & παραφθοράν. His ut frequentius peccatur, ita plus inde orationi peregrinitatis est, quam è verbis simplicibus peregrinis. Inter advenas illos è provinciis primæ fortassis Hispanis debentur, quorum contagione primum ille Romanus nitor infringi videbatur. Nam etsi è vicinia, Latio scil. propior peregrinitatis metus, major tamen è remotioribus locis erat. Primum ergò de Hispanismi in lingva Latina peregrinitate agemus, cui illam, quæ à reliquis gentibus est, subjungemus, ultimô loco de ipsius Latii & domesticis, ut ita dicam, peregrinitatibus dicturi. Quod ergo ad Hispanicam gentem attinet, dubitandum primum videbatur, utrum ab illis peregrinitas Romanæ lingvæ illata sit, an vero ex ipsa illa veteri Hispanorum lingva, antiqua illa Romana primum creverit. Ad Romanam civitatem constituendam, (teste Dionysio Halicarnassæo lib. 1. extrem.) *confluxerunt præter Opicos, Marsos, Samnites, Hetruscos, Brutios, Umbros, Ligures Hispanorum Gallorumque multa millia, aliaque gentes innumeræ vel ex Italiâ, vel ex aliis locis, lingvâ & moribus dissonæ.* Unde verosimile videtur è gentium illarum interque illas Hispanorum lingvâ coaluisse illam priscam Romanorum lingvam. Ac fuerunt è gente Hispanâ Historici, qui Romam ab Hispanis fundatam volunt, quod tamen pro dubio & incerto habet Johannes Mariana: impugnat vero Bernard. Aldret. libro 2. del origen de la lenga Castellana. cap. 16. Nam è verbis Dionysii Halicarnassæi patet, illos non sub ipsa initia urbis Romæ, sed multò post accessisse, quod præcipuè ille urget. Poterat vero etiam tum novam Romana lingva ab illis faciem sibi sumere, populo, ut apparet, jam ab antiquissimis temporibus docto & literato. Nam ita de Turdetanis, Hispaniæ populo, memorat Strabo 3. Geogr. *Hi inter Hispaniæ populos sapientiâ putantur excellere & literarum studiis utuntur & memorandæ vetustatis volumina habent: poëmata, leges quoque versibus conscriptas, à sex annorum millibus, ut ajunt. Cæteri etiam Hispani usum habent literarum &c.* Quibus, etsi annorum numerus fabulosus est, antiquitatis tamen multum subesse videtur. Verum, ut illa omnia ita se habeant, nullum tamen pro lingva ex

ex Hispaniâ oriundâ confici argumentum potest. Etsi enim bona Hispanicæ lingvæ pars in Romanam concessit, ut de Armoricâ alibi à nobis dictum est, eam tamen post tot secula mutationem Romana lingva subiit, ut abolitis pristini Hispanismi vestigiis, novo habitu compareret. Dubium itaque nullum est, quin à recentiorum temporum Hispanis, quorum & ipsa successu seculorum lingva mutata, aliqua Romano sermoni inferri peregrinitas potuerit, postquam illi in Civitatem Romanam assumpti, ut apud Hispanos vernacula illa ad genium Romanæ lingvæ successu temporis composita, etsi primis temporibus Latina lingva per Romanos illic propagata. Magnam enim in illo curam posuerunt Romani, ut provincialibus purissimam illam Latinam lingvam traderent, constitutis illic ludis & professoribus: ut fuerunt minicipales illæ Scholæ apud Vesuntionem & Lugdunum, & illa apud Augustodunum in Heduis, cui præfuit Eumenius Rhetor. Imò ipsi illi provinciales, ut Romani viderentur, ultrò Romanam lingvam affectarunt, unde tandem corrupta illa Romana, quæ hodièque apud illos in usu est, nata, cujus apud Hispanos historiam singulari libro Bernardus Aldrete descripsit. Hispanos sanè tenaciores Latinitatis præ cæteris provincialibus fuisse Barthius mirus Hispanorum amator existimat. Nam *Adverf. lib. 10. cap. 19.* dissertarat, alium fuisse vulgarem Latinè loquendi modum apud Romanos, quam illum, quo libros scripserunt, probat illud ex Idiotismis lingvarum ex Latina descendentium, præcipuè Hispanica, cujus pleraque vocabula significanter Latina sint, aliorsum tamen trahantur, quam in libris nos offendimus, quæ è medio usu loquendi petita referunt autores non libarios aut scriptores, sed confabulantes & conversantes Latinos. Addit nonnulla exempla, quibus id confirmat, ac concludit tandem, Barbarismos Latinitati mixtos longè elegantiores esse in populari Castellano sermone, quam ii sint, qui copiosè in posterioris ævi autoribus reperiuntur: usus enim, ut ait, moderabatur lingvam de manu velut in manum locutiones tradens: Idem lib. 47. cap. 13. *Romana lingva titulum sibi vendicant hodieq; Hispani, & certo pato, nulli idiotismum illius propiorem esse, nec ullus magis integra servavit verba: Itaque magnâ nos delectatione cepit Castilianismus hodiernus.* Pronunciationem quoque Latinam in illis suis vocabulis retinuisse ostendit Adversar. lib, 41. cap. 17. ex litera F quæ antiquis latinis pro H accepta est: unde lingva Hispanica plurima, latinis per F. pronunciata, per H nunc quoque exprimat, mordicus retinens, quod à latinâ pronunciatione acceperat. Causam vero ejus rei duplicem esse opinatur, primam, quod Latinismo adhuc vigente Hispaniæ exteris gentibus occupatæ sint: jam verò lapso & ipso senio suo fatiscente, in Italiam & Galliam alienæ lingvæ venerint: alteram, quod Afri scriptores & posterioris

rioris ævi Hiſpani magis proprie locuti ſunt & ſcripſerunt, quam cæteræ omnes nationes. Ita enim Adv. lib. 7. cap. 9. magnâ fiduciâ pronunciat. Accedit in hujus rei fidem Strabonis teſtimonium, qui lib. 3. de Turditanis ait, quod planè Romanos mores aſſumpſerint, ne ſermonis quidem vernaculi memores, ac plerique facti ſint Latini, & colonos acceperint Romanos, parumque abfuerit, quin omnino Romani ſint facti. Quibus addi illa poſſunt, quæ Alphonſus Garſias Matamorus in Apologetica narratione, de Academiis literatisque Viris Hiſpaniæ in gentis ſuæ favorem affert. Quæ ſi vera ſunt, inclementer nonnulli cum Hiſpanis agunt, qui primos illos Latinitatis corruptæ reos faciunt.

Novi equidem quorſum tendat hâc ſuâ ſententiâ Barthius; Putat enim in Afris & Hiſpanis ſcriptoribus multas ſupereſſe latinæ linguæ voces vel phraſes, quas apud cæteros autores fruſtra quæſiveris, ſed quæ tamen Latinæ fuerunt, & in Latio uſitatæ. Quam ſententiam, ut ego non damnem, magnum tamen in ſe onus ſuſcepturum exiſtimo, qui illam Hiſpanorum prærogativam in verborum propriâ acceptione probare idoneis argumentis velit. Fuerint voces & phraſes latinæ, quibus illi uſi fuerint; non corruperint etiam propriam ſignificationem: fuere tamen in illis multa, quæ ſua nollet Romanus ſcriptor & inter plebeja & ſordida, ac à conſvetudine abhorrentia rejeciſſet. Quisquilias potius ſermonis & quæ inter rejicula numerarunt Romani ſcriptores, collegerunt. Nullum enim ab illis delectum adhibitum, qui tamen in Romano ſermone neceſſarius erat, multitudo vocum horridarum, utut latinarum & apud plebem receptarum, ſatis arguit. Quare rectius meâ quidem ſententiâ hic judicat Eraſmus præfatione in Hilarium, quæ eſt inter ejus epiſtolas lib. 2. octava cum ait: *Vix ullos provinciales feliciter reddidiſſe Romani ſermonis ſimplicitatem, præter aliquos, qui Romæ à pueris ſint educati. Nam & Tertulliano & Apulejo*, inquit, *ſuus quidam eſt character, & in decretis Afrorum, quæ multa refert Auguſtinus contra Petilianum & Creſconium, deprehendas anxiam affectationem eloquentiæ, ſed ſic ut Afros agnoſcas. Subobſcurus ac ſubmoleſtus nonnunquam eſt Auguſtinus, nec omninò nil Africum habet Cyprianus, cæteris licet candidior. Nec mirum, ſi Gallus refert Gallicum quiddam, ſi Poenus Punicum, cum in Livio nonnullos offendat Patavinitas. Ferè ſit autem ut major ſit affectatio in his, qui linguæ cujuſpiam municipes ſunt, quam qui Cives, qui advenæ, quam qui indigenæ.*

Quandoquidem ergo è provincialibus primum peregrinitas latinæ lingvæ illata, verſari inter viros doctos illa diſputatio ſolet: Utrum Hiſpani, an Galli primi peregrinitatem intulerint? Franciſcus Vavaſſor *libro*

de Epigrammate cap. 6. quo de origine acuminis in epigrammate agit, producit Petrum Pithœum & Andream Schottum, illum Gallum, hunc Hispanum, utrumque pro gloriâ gentis suæ certantem, in eloquentiæ apud Romanos disciplinâ. Ille enim præfatione in declamationes Quintiliani populares suos: Hic procœmio in Senecæ declamationes Hispanos suos Romanis ad eam dicendi vim, quæ tum in urbe vigebat, autores fuisse contendit. Ridet utrumque Vavassor de prærogativâ corruptæ eloquentiæ disputantes. Omne enim illud declamatorium studium, quod tum frequentabatur, ut frivolum & inane, & Romanæ eloquentiæ judicio parum conveniens damnat ille, vel ipsius Ciceronis testimonio, qui in Bruto, Oratores acutissimos & indoctos & inurbanos & rusticos nominat, unde longè ab nitore Romanæ eloquentiæ hos argutulos abfuisse colligitur. *Quæris quid malim?* inquit Vavassor, *Neque hoc, neque illud: & prope est alios ut malim potiores meo judicio, verèque Romanos, qui ab utrisque nil didicerint; ut Livium & Suetonium in Historicis, Virgilium & Horatium, inter Poëtas, quibus nihil est ejusmodi aut parum argutiarum.* Sollicitè itaque cavet Vavassor, ne in populares suos invidia hæc derivetur, præprimis in illâ, quæ inter Orationes ejus tertia est, pro vetere dicendi genere contra novum, & ut omnem in Hispanos devolvat. Nam mores nationis Gallicæ svavissimi longè ab hâc magniloquentiâ illi abesse videntur. *Unde nobis bellum*, inquit, *inde hoc oris & linguæ vitium erupit, ex hostili videlicet solo. Iberia primis illis temporibus, ut ferè mores sequitur dictio, lentam hanc verborum ac ventosam pompam & peregrinam insolentiam in urbem velut adulterinas & pestilentes merces induxit.* Imò & Gallis suis, qui Hispaniam vicinitate contingunt, vel hodie idem afflari vitium indignatur, qui multum hujus adventitii fastus ac tumoris cum in agendo, tum in Latinè loquendo vel maximè retinent, quod cæterarum Galliæ partium congressu atque consvetudine emendari non possit. Quare amaris etiam facetiis illis illudit, cum multo periculosiorem hanc esse orationis strumam ait, quam corporis, cui cum Galli verbis atque tactu medeantur; hi tamen orationis strumam contrahant, nullâ medicinæ scientiâ sanabilem. Quæ etsi licentius in gentem æmulam, imò tum temporis hostilem, à Viro quidem docto, sed gentis & patriæ suæ studioso dicta videntur, etsi fortè & Gallos hâc notâ non omninò immunes fuisse credibile est; nam & olim cothurnus ille Gallicanus in proverbium abiit, non defuerunt tamen & alii, etiam inter antiquos, qui de corrupto per provinciales sermone querebantur. Ipse Tullius Latinitatem genuinam suo tempore vitiatam dolet: Ita enim in Bruto: *Omnes vero qui nec extra urbem hanc vixerant, nec quos aliqua domestica barbaries infuscaverat, rectè loquebantur, sed hanc certe rem deteriorem*

veter-

vetustas fecit & Romæ, & in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas & in hanc urbem multi inquinatè loquentes, ex diversis locis. Idem lib. IX. cap. 15. *In urbem nostram est infusa peregrinitas nunc verò etiam braccatis & transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat.* Eodem etiam tempore rectum & levem sonum oris, quæ laus erat Romani generis urbisque propria, perverti cœpisse notat Vavassor de ludicra dictione pag. 350. Imò eò processerat peregrinitatis ille morbus, ut statim post Ciceronis tempora, ejus scripta nonnulli ut minus nitida fastidirent. Notat Muretus ad locum Senecæ Epist. 59. ubi in Fabiano Seneca laudat orationem, ad nostrum fastidium nitidam, plerosque tum nonnulla Ciceronis ut parùm nitida, & expolita fastidio habuisse, idque è Dialogo de oratoribus, & è variis Senecæ locis perspici posse. Senec. in Prolog. 1. Declam. *Quicquid habet Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit: omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt, in deterius quotidie data res est, ut ad summum perducta rursus ad infimum velocius, quam ascenderat, relabatur.* Adeò verum est, quod Vavassor in oratione pro veteri Eloquentia observat, quicquid optimum in quacunque arte à præstantissimis ingeniis, sive in literis, sive in alia quacunque arte inventum, vel factum, id singulari fato in exiguum temporis curriculum compingi, quasi tot seculorum collecti sapientiæ & ingenii fructus in modicam quasi hominis ætatem maturuisse videantur. Imò periisse tum pene latinitatis ornamenta videbantur, nisi exteri homines, & illi ipsi Hispani, quos peregrinitatis insimulamus, ea conservassent, ut condonandum illis meritò sit, si quid ab illis Latinitati vernaculi gustus illatum sit. Frequentes sunt de perdita veteris lingvæ gloria, imò ipsis vocibus, Varronis lib. 8. de L. L. Quintiliani lib. 8. cap. 3. Gellii & aliorum querelæ. Seneca Hispanus illa Latinitatis pereuntis cimelia quasi raptim collegit. Imagines eloquentiæ penes Quintilianum remanserunt, in quo tamen & Philelphus Hispanitatem sibi invenisse visus est. Sed injurius profectò in Quintilianum non solùm, sed in omnem Eloquentiam est, qui ita judicat. Ille enim Ciceronis non solùm gloriam, sed & omnem orationis facultatem quasi è cineribus resuscitavit, totique se Italiæ Magistrum præbuit: imò si Campanum audimus, *in Censuris super varios autores*, vel ejus dictio proximô post Ciceronem gradu poni meretur, cujus ego sententiam non omnino damno; propiùs certè à Cicerone abesse profiteor, si priores Augustæi ævi Scriptores exceperis. Popularibus suis sine controversia in latinitate præferri debet, neque plus illi Hispanitas, quam Livio Patavinitas ad bonæ dictionis laudem obest, etsi Livio tamen minor habendus est. Magnificum est Vallæ de eo judicium lib. 1. antidoti in Poggium:

um: *Neminem posse neq; Quintilianum intelligere, nisi Ciceronem optimè teneat, neq; Ciceronem probè sequi, nisi Quintiliano pareat, neque unquam fuisse quenquam eloquentem post Quintilianum, nec esse posse, nisi qui se totum arti ejus formandum, imitationique crediderit.* Etsi sunt, qui hoc Elogium ipsi ex æmulatione adversus Trapezuntium natum existimant, qui perpetuus Quintiliani cavillator fuit, vide & Pogg. Invectiva in Vallam 1. fol. 71. lit. a. Sed tamen in illo, utut imitatore Ciceronis diligentissimo, diversitatem, quæ ab ætate est, notavit Budæus *Comm. Græca Linguæ pag. 1013. Edit. Paris.* & Erasmus in *libro de ratione veræ Theologiæ* judicat, frequenter in Quintiliani sermone hæsurum, qui præter Ciceronem nihil legerit. In censendis tamen Autoribus, præcipuè poëtis, minimè satisfacit Barthio, ut qui Lucretium ad phrasin & corpus eloquentiæ non commendet, cum sit Poëta Latinissimus, Salustium majoris historiæ Autorem faciat, quàm Livium, nusquam etiam corruptior sit, quàm ubi bonos Autores sub censuram vocat, de quibus videatur Barthius adversar. lib. 43. cap. 2. lib. 48. cap. 19.

De Poëtis Hispanis alioquin notum est Ciceronis judicium, qui ajebat, Cordubenses Poëtas pingue quid sonare & peregrinum, in quorum censum ipse Seneca refert popularem suum Sextilium Henam, Poëtam ingeniosum magis, quàm eruditum, qui Ciceronis mortem versibus celebrarit. Quid de Lucano judicent nonnulli, & ipse Quintilianus, notius est, quam ut hic recenseri debeat. De Senecæ tamen Tragœdiis clementius judicandum existimo, quam fecit Lipsius, non immeritò eam ob caussam à Josepho Scaligero notatus. Martialem Bilbilitanum quàm iniquè tractarunt nonnulli! Hunc vilem è trivio scurram præ Catullo vocat Muretus. Ejus Epigrammata asinis placere Lilius Gyraldus, Raphael Volaterranus neque elegantiæ Latinæ, neque moribus prodesse ajebat. Eorum exempla, quot nancisci poterat, quotannis cum exsecratione Vulcano dicabat Andreas Naugerius: peregrinitatis enim maculam svavitati Romanæ intulisse existimabant omnes, quibus omnibus longè sincerius Josephi Scaligeri judicium opponi debet, ut & Fr. Vavassoris *in libro de ludicra dictione pag. 231.* qui ita litem hanc decidit, ut vincere Catullum, & à Martiale vinci judicet. Ille puro ac simplici candore, figuris quoque elegantibus superat Martialem, atque adeo toto corpore epigrammatis; Martialis verò clausula Epigrammatis & acumine, quod proprium tunc latinorum & peculiare fieri cœpit, Catullum vincit. Præterea & Hendecasyllabi & Scazontes, & Jambi Catulliani multò sunt venustiores quàm Martialis, ut Elegiaci Catulliani duriusculi & scabri. Neque contemnendus

dus sanè est in universum ille acuminum loco, & tempore apto, ac modô debito usus. Est enim & illa styli virtus, ac Hispanis quasi gentilis & propria.

Opera itaque potiùs danda, ut hanc virtutem externam etiam Romana civitate donemus, atque ita misceamus sermoni Latino, ut illa minimè peregrina, sed nativa videatur. Hinc gratiæ sunt potiùs Hispanis agendæ, qui ea parte Romanum sermonem ornarunt, quàm illi ob corruptum sermonem conviciis proscindendi. Si quid enim peccarunt orationem contaminando, alia quadam eloquentiæ dote compensârunt. Nisi forte cùm Joviano Pontano sentiendum sit, qui Hispanicis illis argutiis præsertim plebeis aliquid amari ac subacide subesse judicat. Ita enim ille lib. 3. de Sermone cap. 18. de Martiali: *Valerius Martialis artificiosissimus Epigrammatum Scriptor ita in iis quidem jocatus est, ut frequentius carpat, quàm delectet, tametsi è demorsione ipsa delectatio quoque paritur. Adhac dictis ejus partim occultissima quædam insunt spicula, partim verba, quæ non solum à faceto sunt aliena, verùm aut obscœna ipsa admodum scurriliaque, aut maximè ampullosa & acida, QUOD QUIDEM HISPANICUM EST. Nam etsi Hispani cumprimis sint facetiarum studiosi; tamen si populares respexeris an plebejos gentis ejus homines, invenies eorum jocos non tam propendere in lusum ac delicias, quàm in submorsiones, magisque spectare in invectivas & subsannationes, quam in risum voluptatemque è jucunditate conceptum, quæ in facetis viris tenerrima quidem est. Sunt tamen dicta ejus in universum arguta, subtiliterque conquisita, abstrusa sententia, eademque rara, falsa, aculeata, intentio verò maximè acuta, verba autem præcipuè accommodata, quæque non primâ tantùm facie, atque in explicatu lectorem alliciant, atque auditorem, verum quæ in ejus animo relinquunt tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilo tamen minùs in iis non pauca quidem animadvertas, quæ digna prorsus sunt facetis ac temperatis civibus, retineantque decorum.* Quantum itaque è verbis Pontani licet colligere, Hispanicæ genti illos ingenuos jocos & lepores adjudicat, etsi in Martiali illos non negat, ita tamen ut nonnunquam quædam inspergat, quæ gentis suæ genium sapiunt. Et hâc forte formâ distincti fuêre à Romanis adeò celabratis salibus Hispanicæ illæ facetiæ, de quibus Cicero in Bruto loquens Crassum commendat, quod fuerit in illo cum gravitate junctus facetiarum & urbanitatis Oratorius non scurrilis lepos, qui & *lib. 9. epist. 15.* braccatis & transalpinis nationibus veteres lepores corruptos queritur. Quod ipsum etiam Martiali suboluisse nonnemo judicet, qui Hispaniæ Patriæ oblitus ac vetus Romulidarum hospes, municipales Poëtas & municipalia ingenia ubique exagitat, notatus eam ob causam à Balzaco illâ, quam ad Petrum

Costardum scripsit epistolâ, quæ inter selectas ejus habetur. Verum non imputari usque adeò toti genti potest, quod plebis est vitium, non apud Hispanos solum, sed & apud Romanos, qui enim agrestis ingenii sunt, agrestes jocos amant. Imò verò ex ingenio plebis de cœteris institui judicium potest, quod in illa agreste & sylvestre natura produxit, feliciori cultura ab iis emendari, qui sunt optimis disciplinis instituti, ideòque argutiam genti illi nativam esse, & peculiarem aliquam dotem, quæ ab educatione, disciplina perfici, temperarique possit.

Hispanis Afros subjungimus ob peregrinitatem Latinæ lingvæ illatam malè passim audientes. Quoniam enim ex Africa semper aliquid monstri, ut proverbio vulgato dicitur, mirum videri possit, si nec Latinitati aliqua inde monstra subrepserint. Hispanis sanè ingenio quodammodo similes Afri. Sed tamen & Siren illa, victa quam dedit Africa, felicissimum Romani sermonis cultum ostendit, in quo ne oculatissimus quidem Africitatis aliquid invenerit. Verum produxerunt posteriora tempora non paucos, qui & monstrosis verbis, & insolito aliquo, & ineptô dicendi genere puriorem lingvam infamarunt, è quibus vel unum nominâsse Apulejum suffecerit. Sed temperarunt sibi in iis quodammodo Christiani scriptores, Patres, Poëtæ. Nam hæc Genti illi gloria debetur, quod nusquam felicior proventus scriptorum fuerit, qui pro Christiana religione decertarint, omnique scriptorum genere illam excoluerint. Minùs sanè illis sordium in dictione, quàm cœteris adhæret. Sed reperies tamen in illis, quod gentem hanc sapiat. De quibusdam Ludovicus Vives *lib. 3. de tradendis disciplinis*: *Tertullianus perturbatissimè loquitur ut Afer. Cyprianus & Arnobius ejusdem gentis clariùs, sed & ipsi nonnunquam Afrè. Augustinus multum habet Africitatis in contextu dictionis, non perindè in verbis, præsertim in lib. de Civitate DEI.* Quod de Augustino judicium Ludovici Vivi sublegit ineptus ille veterum Autorum Censor, Verdierius, in censione sua *pag. 149.* sed flosculis parum Latinis furtum suum ornans, cum ait; *Augustinus quoad contextum orationis multum Africitatis habet, non perindè in dictionibus.* Verborum, non dictionum, ut ajebat Verdierius, delectum majorem instituit Augustinus, quàm cæteri, qui & in verbis, & in tota dictione, id est, in charactere, stylo, & toto orationis contextu (id enim significat vox dictio) hanc peregrinitatem sequebantur. Scio equidem, esse suos Afris Scriptoribus etiam inter viros doctissimos defensores. Disertè enim Barthius *lib. 41. Advers. cap. 10.* Afros maximè proprietatis studiosos vocat, & Fruterius Verosim. 17. Apulejum vocat doctissimum hominem & Latinæ lingvæ exactissimum censorem, Casaubonus in Apologia Apuleji, cum

explicat ejus vocem invidere pro non videre, ait: *Si quis propter hujusmodi voces, fastidiendam putet hujus eruditissimi Scriptoris orationem, eum quid sit latinè scire prorsus ignorare.* Lipsius quoque *2. epist. quæst. 22.* & *lib. 2. Elect. cap. 22.* stylum ejus adversus istos de Arpinati scholâ investes pueros (quo dicterio Ciceronis cultores ineptè exagitat) asserere non veretur. Etiam Barthius lib. 55. Advers. cap. 2. *proprietatis Latinæ Scriptorem optimum*, & lib. 24. Advers. cap. 1. *Scriptorem verborum & styli eruditissimum*, ac alibi *proprietatis amantissimum veteres verèq; Latinos secutum nominat.* Doctissimus quoque Daumius *lib. de caus. amiss. radic. cap. 27.* verborum farraginem adducit, e. gr. *Oculare, tunicare, Galeare, titubatus, vacuare, acerbare, aëra,* Plur. Neutr. *Alvus* Gener. Mascul. *clienta* pro cliens, *cupienter* pro cupidè, *curatura* pro cura, *repens* pro repente, *cunctare, orditum* ab ordior, *funerare, forare, incerare*, quæ Browerus aliique in Tertulliano, Apulejo ceterisque Afris scriptoribus reprehendunt: cum tamen apud genuinos etiam aureæ ætatis scriptores reperiantur. Quæ etsi non nego: fieri enim potuit, ut Latina verba aliis aureæ ætatis scriptoribus vel parcius, vel plane non usurpata, quorum ego magnam superesse copiam arbitror, ad hos Afros pervenerint; non puto tamen rectè ab illis factum, quod verba insolentiora nimis frequentarint, & quasi in perpetuos usus seposuerint, quæ purioris latinitatis autores, vel ut sordidas & plebejas, vel ut exiles & minus sonoras rejecerunt, vel magnâ modestiâ usurparunt. Unde & illi, qui Afros Scriptores commentariis illustrarunt, vocum inusitatarum adjicere glossaria necessum duxerunt. Quarum fœditas tum demum rectius noscitur, cum ita conglobatæ apparent. Lepidum itaque commentum doctissimi Mariangeli Accursii est, qui in Dialogo suo Oscè ac Volscè conscripto è similibus Apulejanis vocibus in unum sermonem contextis, ita μυκτηρίζει. *Ego pol id sponsaliter, cupienterq; præclariter factitarem, si L. Appuleji multiloquentiæ lineamentationem levigatiusq; veriverbium saturantius ac non nepa-lyris concallerem. Illam inquam suaviloquentiam facundiosam; & Oratorum melos, quo ipsum Asinum cognomento aureum, auratiorem auro fastigavit. Est quippe tanta ejus altiloquentia, ut præ hujus noe non vatracen Arpinatem polylogum, blacteratorem lingulacam, immodenatam suam eloquentiam, pro nostris dixe credam.* Vide in Apulejum & Apulejanos declamantem Andream Schottum *Tullian. quæst. lib. 1. cap. 21.* ubi Apuleji imitatores pueris comparat, qui in pratis locustas potius salientes sectentur, quam flores obvios carpant. Est verò verborum delectus, talium scil. quæ svavia sunt, numerosa, civilis usus, evidentia, quibus Ciceronem aliisque uti videmus, origo eloquentiæ, in quibus ita laborarunt veteres illi aureæ ætatis scriptores, ut obsoleta, sordida, plebeja, exilia, inusitata tanquam scopulos sibi fugiendos

dos exiſtimarint, quæ malè ſedula quorundam induſtria in orationem Latinam reducere conata eſt. Quare Picus Mirandula apud *Crinit. lib. 8. de honeſt. diſc. cap. 3.* ut Hiſpanos ſuâ naturâ ad peregrinum inclinare judicat, quibus Plinium & Svetonium, non rectè tamen, ut puto, addit, quod ſint in ſcribendo ſimiles, figurisque & Græcis vocibus cupidius ac inſolentius utantur, ita Punicos, & Carthaginenſes duros, audaces & improbos in ſcribendo vocat. Ne Nemiſianus quidem Eclogarum ſcriptor, etſi puri ſermonis amans videri velit, & Africanam illam indolem ſuperarit, judice Rapino, à transmarinâ peregrinitate immunis eſt. Ad Apulejum quod attinet, demiror Criticorum noſtrorum indulgentiam, qui plus illi, quam ipſe ſibi, tribuunt. Ac ſolet ſanè Criticorum argutatiunculis, qui ipſas etiam verborum ſordes non averſantur, non usque adeò cum limato Oratorum judicio convenire. Ipſe de ſe primo metamrophoſ. libro: *In Urbe Latia advena ſtudiorum Quiritium indigenum ſermonem ærumnabili labore, nullo magiſtro præeunte aggreſſus, excolui. En ecce præfamur veniam, ſi quid exotici ac forenſis ſermonis rudis locutor offendero.* E quibus ipſis verbis neſcio, quam inconcinnè junctis & malè inter ſe aptis, illa ingrata Romanis auribus *peregrinitas* ſatis elucet, ut quibus iſta ſapiunt, parum in emendatâ loquendi ratione ſapere exiſtimandi ſint. Certè qui Ciceroniana cum Apulejanis contenderit, quod in Muſicis inter *νήτην* & *ὑπάτην* differre videmus, diſcrepare deprehendet. Qui ex utroque ſermonem miſcere ſe poſſe crediderit, is eâdem operâ humano capiti cervicem equinam rectè junxerit.

Cap. X.

Gallicismus in linguâ Latinâ. Cicero ipſe Gallicismi reus habitus. Allobrox à Rufo dictus. Galli eloquentiæ laude olim celebres. L. Plotius ante Ciceronis tempora eloquentiam Romæ docuit. Creſollius notatus. Roſcius Gallus. Posteriores Galli affectatione peccarunt. De Auſonio Gyraldi judicium. Galli argutiarum affectatores. Grandiloquentia illis ſingularis. Hieronymi de Hilario judicium. Cothurnus Gallicanus. Eraſmus de Gallicismis Scriptorum ſacrorum. Ejusdem de Budæi ſtylo judicium. Picus Mirandula de Gallicis Scriptoribus quid judicet. Eloquentiæ ſcholæ recentiores in Galliâ, ſed corrupto jam ſermone Latino. Anglorum veterum & recentiorum in nitore Latinæ linguæ negligentia & affectatio. Hodiernorum Gallorum puriſſima Latinitas laudatur. Italorum faſtidium ergà transalpinos. Poëtevinitas Gallorum ineptè ab Italis Criticis taxata, ut & Lombardiſmi in Bentivoglii ſcriptis.

Sub-

SUbjungimus Hispanis & Afris Gallos ejusdem criminis reos. Nam & ab illis in Latinum sermonem peregrinitas illata est, etsi Hispanos culpæ huic magis affines, quam populares suos Vavassor judicet. Mihi quidem illi nullo vel exiguo discrimine habentur. Nam quod Hispani tumore peccant, hi ventosâ quâdam loquacitate peccarunt. Nisi hoc illi in laude sua reputent, quod ipse eloquentiæ parens Cicero cujusdam quasi Gallicismi reus habitus fuerit, ut quem apud Juvenalem *lib. 3. sat. 7.* Ruffus, Rhetor superbus & ineptus, ejus, ut ex Plinio discimus, æmulus, Allobroga dixit, quod more Allobrogum crassè & fusè loqueretur: nisi forte, ut nonnulli volunt, ideò Allobroga dixit, quod cum Allobrogibus potius, quam cum Romanis senserit. Si ad vitium orationis respexit, tantum abesset, ut peregrinitatis rei habendi Galli, ut potius in Ciceronianæ eloquentiæ virtutes arctius admissi fuerint.

Ac fuerunt sanè Galli jam antiquissimis temporibus ut omnis sapientiæ, ita & eloquentiæ laude celebres. Testantur id commercia cum Græcis, unde & ἄνθρωποι Φιλέλληνες dicti, & Massiliense literarum emporium, in quo tyrocinia sua Romani juvenes posuere, atque Athenis ipsis teste Strabone *lib. 3. pag. 125.* anteposuere, ac Scholæ Heduenses, ubi *nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis operatam* ait Tacitus, tum & Ara illa Lugdunensis virorum illustrium disputationibus celebrata. Ne quid de priscis Druidum scholis dicam. Testis est Tacitus, duabus rebus studuisse veteres Gallos, rei bellicæ & eloquentiæ, & Pomponius Mela *lib. 3. cap. 2.* è Sosipatro de iis. *Pleraque Gallia*, inquit, *duas res industriosissimè persequitur, rem militarem & argutè loqui.* In rei militaris peritia decantandâ multus est Gabriel Naudæus Syntagm. de studio militari *lib. 1. num. 7.* Eloquentiæ affectatio quasi nativa illis semper fuit, atque à plurimis magnopere laudata. Juvenalis testimonio

Gallia Causidicos docuit facunda Britannos.

Eam *fertilem Oratorum* D. Hieronymus nominat, ac alibi *ubertatem Gallici nitoremque sermonis* laudat. Idem ad Hebidiam matronam Gallicam scribens, duos ex ejus familiâ viros laudat, Paterium, qui artem dicendi Romæ docuerat & Delphidium, summum quoque Oratorem & Poëtam. Etiam Symmachus lib. 8. Epist. 68. cum Romæ non deessent Oratores, quos audiret, tamen ipse *Gallicanæ facundiæ haustus* requisivit. Quid? quod ante Ciceronis tempora, cum ipsi Romani vel nulli vel rari essent, eloquentiæ ludos Galli doctores instituerunt, ut de Lucio Plotio Cicero ad Marcum Titinnium refert, quod fragmentum in libro de claris Rhetoribus Sveto-

nius consignavit: *Equidem*, inquit Tullius, *memoriâ teneo, pueris nobis, primum Latinè docere cœpisse Lucium Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum autoritate: qui existimabant, Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.* Quo è loco patet, non displicuisse Ciceroni Galli hujus hominis eloquentiam, etsi illum tamen M. Cælius, ut ordearium Rhetorem, ut inflatum, levem ac sordidum, eodem Svetonio teste, deridet. Ad hunc locum procul dubio errore quodam ductus respexit Cresollius vacationum autumn. lib. 1. cap. 4. cum ait: *Ciceronem homine Gallò ad oratoriam duce & magistro eoque perfecto orandi artifice gloriari:* neque enim memini, quo loco ille de Gallo eloquentiæ magistro glorietur. In mutâ eloquentiâ parem, si non superiorem, Cicero Roscium, eundem Gallum, habuit, per quem novo quasi spiritu eloquentia & Comœdia animari cœperunt, ut Græcos etiam illâ parte vinceret. De Julio Secundo, qui Quintiliani æqualis ac ab ipso familiariter amatus fuit, atque Julio Floro ejus patruo, utroque Gallo nota sunt, quæ Quintilianus lib. 3. cap. 3. commemorat, quorum illum miræ facundiæ virum, sed infinitæ curæ; hunc in Eloquentiâ Galliarum principem atque inter paucos disertum nominat. Strabo jam inde ab Augusti ævo Gallos negat dicendos amplius esse barbaros μετακειμένους τὸ πλέον ἐς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ, *mutatos in Romanorum morem lingva & vitâ, quibusdam & civili gubernatione.* Ausonius quoque ita Mosellam, Galliæ Belgicæ fluvium, compellat:

Æmula Te Latiæ decorat facundia lingvæ.

Non itaque omninò sunt eloquentiæ gloriâ fraudandi Galli, in quâ præ cæteris excelluerunt, qui ætati aureæ propiores, & ab ipsa juventute in urbe Româ educati crebrisque exercitiis firmati fuere. Nam in cæteris, qui primos illos seqvuntur, facile est nativum gentis vitium atque illam lingvæ latinæ notare peregrinitatem. De Ausonio certè, qui & ipse Gallus fuit, Gyraldus in V Dialogo suo, severius judicium tulit. Ita enim de ejus gratiarum actione scribit: *In eâ crebra quidem sententiæ, sed eloquentia quidem Gallicana, nec ea, in qua Julius Florus, ut scribit Fabius, princeps fuit: sed longè posterior, h. e. ut nunc nostri Ciceroniani dicunt, corruptior.* Hæc de illo Gyraldus, cujus hâc quidem in parte sententiam non contemnendam arbitror, licet optimè sciam, Scaligerum ita de Gyraldo judicare, ut neminem ineptius de Poëtis judicasse dicat, quam qui de illis scripserit. Ipse quoque Cicero in Gallis, quid sibi displiceat, invenit. Nam cum in libro de claris Oratoribus Brutus interrogaret: *Qui est iste tandem Urbani-*

banitatis color? Nescio, respondet, *tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, jam intelliges, cum in Galliam veneris, audies tu quidem etiam verba quadam non trita Roma: sed hac mutari dediscique possunt.*

Corruperunt scilicet & illi eadem affectatione Romani sermonis simplicitatem, quâ Hispani. Nam & illi acutum quoddam dicendi genus sectati, ut acris animi atque concitati sunt, sed modo tamen ab Hispanis diverso: nam & majori verborum copiâ illam suam argutiam involvunt, neque ita in abstrusa, & recondita, quemadmodum illi, feruntur. Themistius jam diu Galatas, è Galliâ oriundos, orat. 4. vocat ὀξεῖς καὶ ἀγχίνους *acutos & solertes*, Diodorus Siculus lib. 5. Gallos vocat τοῖς τε διανοίαις ὀξεῖς καὶ πρὸς μάθησιν οὐκ ἀφυεῖς *ingenio acutos, minimè à naturâ ineptos ad disciplinas.* Notavit & ipse Hieronymus *Epist. 4. 13.* Cothurnum Gallicanum. Hinc Barthius Advers. lib. 33. cap. 17. hæc de Gallis: *Ævo à legitimo latinitatis flore jam lapso flumen ingenua & à natura velut manantis eloquentia spernebatur, & in ejus locum succedebat studium immane concisè & argutè loquendi, quo omnis & eruditio & eloquentia absolvi videbatur. Id quod in Gallicanorum aut ab iis oriundorum Episcoporum ingeniis ab altâ majorum atate hasit.*

Erat tamen in Gallico illo dicendi genere argutiæ juncta singularis quædam grandiloquentia, non loco adhibita, ac obscura sæpe & inepta. Quod in Hilario notat Hieronymus, quem Gallicano attolli cothurno ait, cum alioqui Græcorum flosculis ornatus incedat, frustraque legi ab imperitioribus, quod interdum longis periodis involvatur. Multa quoque eo de argumento disserit Erasmus Epistola 8. lib. 28. cujus characterem sermonis ita describit, quod etiamsi res per se dilucidas tractet, tamen sit & intellectu difficilis & depravatu facilis; *Frequenter*, ait ille, *adsurget ad floridam quandam ac theatricam sublimitatem, prasertim cum incidunt loca facile tractata, neque rarò ad schemata usque tragica extollitur, prosopopœias & apostrophas.* Subjungit porrò Erasmus: *Haud scio, an hac grandiloquentia Gallorum ingeniis sit peculiaris. Habet hujusmodi quiddam & Sulpicius Severus, habet & Eucherius hoc etiam elaboratior, sed curâ feliciore.* Procedit inde ad sui seculi ingenia, & quidem ad Guilielmum Budæum, in quo illum eloquentiæ Gallicæ colorem sibi deprehendere visus est. *Non degenerat*, inquit, *ab hâc phrasi Guilielmus Budaus, Vir inter hujus avi scriptores celeberrimus: adeò sublimis, ut tubam sonare credas, non hominem: adeò feliciter elaboratus, ut eruditum lectorem nunquam saturet, trivialiter literatos procul submoveat. Porrò sermonis obscuritas, tametsi partim inde est, quod frequenter orationem diversis è membris contextam, vix tandem longo circuitu absolvit; tamen*

men illud etiam officit orationis perspicuitati, quod in argumento per se subtilitatibus involuto, laudem etiam affectavit argutiæ nonnunquam & copiæ. Huic Erasmi judicio de Budæo ὁμόψηφα Sturmium aliquo in loco scribere memini. Imò Andr. Schottus Quæst. Tullian. lib. 1. cap. 21. ut Apuleizantem non obscurè notat, cum de Beroaldo ait; *laboriosos illum in Asinum Apuleianum commentarios reliquisse, ut flores inde legeret Budæus, quibus Juris Pandectas illustraret.* Picus Mirandula, è relatione Petri Criniti *de honest. discipl. lib. 8. cap. 3.* Gallorum, ut Cassiodori, Apollinaris, Fulgentii, Ennodii & aliorum commentarios aspiciendos, non probandos esse judicabat. Quare etsi perpetuæ apud Gallos Rhetoricæ scholæ fuerint, non exuerunt tamen gentile illud vitium, quo peregrinitas Romano sermoni afflabatur: Sidonius quidem Apollinaris lib. 3. Epist. 3. testis est, in Averniam undique gentium confluxisse studia literarum, *ubi sermonis Celtici squamam depositura Nobilitas nunc oratorio stylo, nunc etiam Camœnalibus modis imbuebatur.* Sed vel ex ipsis hujus Panegyristæ verbis hujus eloquentiæ elegantiam conjeceris. Ut satis quidem appareat gratiæ aliquid datum fuisse ab Hieronymo, cum in libro adversus Vigilantium hæc scribit: *Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit.* Imo vero & Cassiodori illud *lib. 8. cap. 12.* sub Atharici Regis Gothorum personâ dictum, non nisi panegyricis coloribus tingitur, cum ait: *Romanorum eloquium non suis regionibus invenisti, & ibi te Tulliana lectio disertum reddidit, ubi quondam Gallica lingua resonuit: Ubi sunt qui literas latinas Romæ, non etiam alibi asserunt esse disertas.* Hujus vitiati sermonis latini etiam Angli rei sunt, qui nescio quam grandiloquentiam, ut olim, ita nunc sæpe affectant, ut rari admodum sint, qui Romanam illam simplicitatem & nitorem sequantur. Certè superioribus temporibus vocibus ineptè confictis omnia involverunt &, ut *Malmesburiensis in Vitâ S. Althelmi cap. 5.* ait, pompaticè dictare solebant ac verbis abstrusis & è Græco petitis uti. Nostro adeò tempore paucissimos reperias nitoris illius Romani studiosos: inter hos superiori seculo Aschamum tamen quis numeret: à Scotis certè in utraque oratione vincuntur.

Non immerito itaque, ut vidimus, exprobrari olim illa Romano sermoni à Gallis illata peregrinitas potuit. Nunc vero ita in cultissimâ gente mutata sunt omnia, ut nulla magis purum illum Romanæ lingvæ nitorem in scriptis ostendat, quam Gallica. Ut enim illic hodie omnes artes, omnia studia florent: ita eloquentia Romana novâ quasi παλιγγενεσίᾳ intra paucos annos reviviscere cœpit. Testantur pulcherrima ingenii monumenta, quæ magno numero oratione tam solutâ, quam ligatâ eduntur.

Nam

Nam de reliquarum artium ſpeciminibus, quæ innumera ſunt, nunc nihil dicam. Nihil itaque cauſæ eſt, quare Itala gens, latinitatis ſuperiore ſeculo ad ſuperſtitionem ſtudioſa, Gallicas illas Veneres, omnibus Italicis magis urbanas & Romanas faſtidiat. Queritur de illo Italorum faſtu & faſtidio Balzacus in Epiſtola quam ad Petrum Coſtardum ſcripſit, atque inter ejus ſelectas latinas reperitur. *Quanam illa eſt*, inquit, *Naugeriorum & Victoriorum iniquitas? quis ille morbus populi, ut ſibi videtur Romani, ad noſtra quaque etiam optima nauſeantis?* Ægrè itaque fert Pictonis cujusdam Poëtæ carmen, qui, ut ait, quamvis natus in Provinciâ Galliæ, ſuo judicio, Aventino & Quirinali digna ſcribat, Poëtevinitatis accuſari. Quam Poëtevinitatem, vel Poëtavinitatem ſive Pictonismum Gallis nonnullis objectum ſalsè idem feſtivisſimus Autor ridet in libro Gallico, cui titulus: *Les Entretiens. Entretien V. chap. 5.* Ac alio ſermone, *Entretien. XI.* quo de Critice ſpuriâ agit, Italos exagitat, qui in Hiſtoriâ Cardinalis Bentivoglii, cujus ipſe puritatem dictionis & præſtantiam admirari ſatis nequeat, Lombardismos quærant. Adeò ſæpe apud Criticos illud Comici verum eſt:

Ne faciunt homines intelligendo, ut nil intelligant.

Cap. XI.

A Municipalibus Romanæ lingvæ peregrinitas. Urbanum & Oppidanum, Aulicum & urbanum dicendi genus. Oppidana dictio à Cicerone notata. Eadem Atticiſmi ſors. Etiam indocti urbanâ dictione literatos ſuperant. Sonus quoque in Urbanâ dictione ſingularis. Sonus alius verborum, alius oris. Græcæ linguæ major peregrinitas è Dialectorum uſu. Italorum lingvæ antiquiſſimæ. Romana è Græca & Celticâ coaluit. Romani ſollicitè ſuum ſermonem à contagio municipalium cuſtodierunt. Italicæ lingvæ enumerantur. Etruſcæ ſive Tuſcæ Linguæ origo. Romanæ & Italicæ linguæ nulla vel exigua differentia. Oratores Latini recenſentur. Quintiliani judicium laudatur.

PRovincias exteras pervagati in Italiam & Latium revertimur, atque in viciniâ peregrinitates Romanæ linguæ venamur. Nam vel è Latio puriori Romano ſermoni labem aliquam illatam Cicero ipſe in nonnullis locis conqueritur, qui in epiſtolis familiaribus quodam in loco facetias Latio oblitas dicit. Ut enim oblini homines ſolent cum peregrinantur, ita lingva etiam è vicinis peregrinitatis quid adſciſcit. I. L. Vives lib. 2. de ratione dicendi, inter urbanam & ruſticam Orationem, genus quoddam

 medi-

medium Oppidanum agnoscit, nec aliter hæc duo inter se distare putat, Urbanum & Oppidanum, quam nunc urbanum & aulicum, quod modo sit absque deliciis & ineptiis. Non malè sanè: cum quæ in Aristocratico & populari regimine urbana dictio triumphabat, ex nostri seculi genio aulica dici possit, ad quam se conformat oppidana. Hoc itaque quasi municipale quoddam dicendi genus est. Ita Cæpasios fratres eodem in libro, oppidanum quoddam & inconditum dicendi genus sectatos exagitat Cicero, & Tincam Placentinum hominem facetissimum Romæ diu commoratum, Q. Granius, præco, cum quo dicacitate certaverat, obruit tamen sapore vernaculo, svavitate scilicet illâ urbanâ, ut eodem in loco Cicero testatur. Erat vero hæc Urbi & urbanis svavitas adeò insita & ingenita, ut vel eruditissimi Latini ab indoctis etiam Romanis vincerentur. Romani minus studebant artibus iis, quæ literis constant, quam Latini illi, qui Latium colebant, eosque hâc virtute superabant. Testis est idem Cicero lib. 3. de Oratore: *Nostri minus student literis, quam Latini: tamen ex istis, quos nostis, urbanis nemo est, qui literatissimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum levitate vocis atque ipso oris pressu & sono facile vincat.*

Non alia sanè lingvæ Romanæ, quam Atticæ fata fuere, de quâ Cicero libro de claris Oratoribus: *Ut semel è Piræeo eloquentia evecta est, omnes peragravit Insulas, atq; ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemq; illam salubritatem Atticæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui penè dedisceret.* Ac Quintilianus notat, postquam Æschines Rhodum exilio delegerat, eoque studia Athenarum intulerat, illa *saporem Atticum peregrino miscuisse, velut sata quædam cœlo terraq; degenerant.* De Athenarum urbe atque sermone ita Cicero lib. 3. de Oratore scribit: *Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tamen in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis & autoritate: tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam benè, quàm svaviter loquendo facilè superabit.*

Patet ex hoc loco, præter usum vocum nativum, ac subtilitatem, formam scilicet verborum urbanorum & lenium, animis & auribus jucundam, ad urbanam dictionem à Cicerone requiri & sonum, qui exit ex ore: cujus singularis Atticis & Romanis svavitas fuit, aliis non facile imitabilis. Cum enim differente organorum motu voces exprimantur; aliqui ex imis pulmonibus hauriant: aliqui ore cavo; aliqui rotundo, dentibus labiisque pressis forment; aliqui obscuri voce sint; aliqui langveant; ita varios edi sonos necesse est, barbaros alios & inconditos, alios venustos & svaves, qui educatione & consvetudine oriuntur, ac firmari solent. Sonus alius est

est verborum, alius oris. Sonus verborum singularis, Cicerone lib. 3. de Oratore teste, manet apud Plautum & Nævium, unde conjecturam capere licet, quo sono vocis fuerint usi. Oris autem sonus in pronunciatione consistit. Soli itaque in tot Græcorum gentibus Athenienses, soli in tam diversis Italiæ nationibus Romani hunc saporem sonumque lingvæ habebant, quem salubritatem & sanitatem, quem succum & sangvinem incorruptum orationis, eleganti translatione Cicero vocavit.

Est verò Græca lingva ad peregrinitates propensior, quo major in illâ est Dialectorum varietas & licentia. Neque custodire puritatem suam Atticus sermo poterat, cum vicinæ gentes & Respublicæ, æqualis potestatis, leges ab Atheniensibus sibi præscribi non paterentur: ut major erat Romanorum autoritas, qui vicinorum lingvis sub jugum redactis nunquam illam concesserunt autoritatem, quam Græcæ lingvæ Dialecti sibi arrogarunt. Quales in Rebuspublicis & populari regimine maximè vigere notarunt nonnulli. Ubi vero ab unius arbitrio civitatis omnia pendent, facilius est eam coercere licentiam, quæ sibi relicta latius serpit seque puriori sermoni immiscet. Hinc in Græcis Poëtis, in quibus licet una aliqua dicendi ratio regnet, è Dialectis tamen aliis multa admista videas: quam libertatem in lingvam quoque Gallicam, verum sine ullâ, ut ego arbitror, ratione reductam volebat Ronsardus & Mambrunus in doctissimo de Epico Carmine libro *part. 2. quæst. 10. num. 12.*

Ad Italos quod attinet, magna hîc, ut populorum, ita & lingvæ antiquissimis temporibus fuit diversitas. Imò ipsa Roma, si Dionysium audimus, primum Græcâ lingvâ usa est, quæ Celtarum aliorumque vicinorum & advenarum lingvis mista tandem in Latinam coaluit: cujus historiam hâc parte nuper quoque in docto Atlanticorum opere *cap. 3.* Olaus Rudbekius illustravit. Lingva Latina, docente Lipsio de rectâ ejus pronunciatione, exiguis olim finibus contenta circa Romam ferè & finitima inferò Tiberi hæsit. Italiam cæteram adeò non pervasit, ut hinc Tusci Liguresque, inde Magnæ Græciæ incolæ diversissimo usi fuerint sermone, quem diu etiam aucto Imperio tenuerunt. Post Punica bella sub annum ab V. C. IↃ LXXIII. se lingva Latina non multum dilataverat: nisi quod Livio teste, cum agit de bello Tullii Hostilii adversus Fidenates, *magna pars Fidenatium, ut qui coloni Romanis additi essent, Latinè sciebant;* quod certè sub ipsa Reipublicæ initia contigit. Fuit quoque Cumanis-petentibus concessum, *ut publicè Latinè loquerentur, præconibusque Latinè vendendi jus esset.*

Verùm posteà à Coloniis & Civitatis communione illius lingvæ usus inva-

invaluit, adeò ut Plutarchus libro de Quæstionibus Platonicis circa finem dixerit, *suo tempore omnes ferè mortales sermone Romano usos.* Accessit hinc Romanorum autoritas, qui ad honorem suum hoc pertinere rati, lingvæ Romanæ usum publicum esse voluerunt, suosque Cives municipali contagione, quoad fieri potuit, immunes servarunt. Nam in filiis suis Hetruriam aruspicinæ discendæ causâ missis magnam diligentiam adhibuerunt, ne lingvam temerarent, ut Cicero *lib. 2. de LL.* testatur; & teste Svetonio in Claudii Imperatoris Vitâ cap. 16. *Splendidus vir Græciæq; provinciæ Princeps, verum Latini sermonis ignarus, non modo albo Judicum erasus est, sed etiam in peregrinitatem redactus.* Testis est Valerius Maximus *lib. 2. cap. 2.* quanto studio Romani lingvam suam propagarint: *Magistratus*, inquit ille, *quantopere suam populiq; Romani majestatem retinentes, se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cæteram obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magnâ cum perseverantiâ custodiebant, ne Græcis unquam nisi Latinè responsa darent, quin etiam ipsâ lingvæ volubilitate, quâ plurimum valent, excussâ, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia. Quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.*

Lingvas in Italiâ complures olim fuisse, ut dixi, res est notissima. Quemadmodum enim illi originibus, animis, imò & coloribus (nam novem in illis omninò distinctos colores vel hodiè observavit Camillus Baldus commentario in Physiognomica Aristotelis *part. 1. cap. 4.*) diversi fuerunt, ita & lingvas sibi vernaculas domique natas singulæ gentes habuerunt. Fuerunt verò illæ vel Cis-Tiberinæ, ut Latina, cujus Dialecti Tusculana, Lanuvina, Prænestina, Formiana, Marsorum, &c. quæ & ipsæ antiquitus à Latinâ discrepabant, & Græca, cujus species Sicula & Tarentina. Intermediæ quasi erant Sabina, Osca, Volsca, Campana, Brutiorum. Vel Trans-Tiberinæ, ut Etrusca, cujus species Falisca & Rhetica, & Ligurum. Ab his vicinis lingvis primum crevit Latina lingva, quæ inopiam suam externarum vocum accessione sublevavit. Illinc è Græcis voces accepit plurimas; hinc ab Etruscis & Tuscis. Hos è Syriaca lingva oriundas voces habuisse aliqui crediderunt; Rodornus verò Schrieckius è Celtis deductas, quod longè est verosimilius, autumat. Nam Originum Celticarum *lib. 1.* antiqvum illud monumentum, Inscriptionem Etruscam, quæ sibi ab Errico Memmio, præsente Johan. Passeratio data fuit, proponit & examinat. Cujus commatis Inscriptiones plures in Tabulis octo æneis charecteribus Hetruscis repertæ fuerunt Eugubii in Umbria, Perusiæ in Etruria, Florentiæ in Palatio Reipublicæ ad Scalam quandam in dextro pede simulacri cujusdam Chimæræ, quod cum in locum Aretio translatum. Eugubiarum

rum tabularum ſpecimen producit Merula *Cosmogr. Part. 2. lib. 4. cap. 18. pag. 201.* qui planè ſe hîc ignarum profitetur. Schrieckii quidem ego conjecturas audaces non omnino probo, ſed Celticæ veteris veſtigia ſubeſſe eſt veroſimillimum. Rheticam, quæ illi ſubeſt, è Germanica multa traxiſſe credibile eſt, arguitque ipſum Tuſcorum nomen, gentem eſſe Germanam atque è Germanis oriundam.

Poſtquam Romani cum Italiæ populis & vicinioribus Latinis arctiora inſtituerent commercia, factum eſt, ut veteres illæ lingvæ longa conſvetudine paulatim tollerentur, iisque Romana ſuccederet, remanentibus tamen quibusdam apud omnes populos veterum lingvarum reliquiis inter ruſticos ac plebejos homines, ipſaque lingva jam communior facta Latina diceretur. Hinc tot apud Grammaticos antiquos leguntur voces, quas ut minus Latinas & Romanas, vel ſaltem ut plebejas, abjecerunt. Tuſculanæ voces notantur: *Triatrus, Quinquatrus, Sexatrus, &c. Struppus.* Prænestinæ, *Nefrones*, id eſt, Teſticuli, *Tongitio*, id eſt, Notio, *Conia*, id eſt, Ciconia. Græcæ voces innumeræ Latinitate ſunt donatæ. E Sicilia quoque & Tarento quædam ſemigræcæ voces in illam illatæ. Japiges antiquisſimi Italiæ Orientalis incolæ, inter quos principes Salentini, lingvam etiam antiquis temporibus peculiarem literasque habuere, cujus aliquod fragmentum extare Joannes Pontanus, Hermolaus Barbarus, aliique teſtantur. Sabinâ lingvâ *Nerones* fortes dicebantur, Mars *Mamers. Sol* Sabinum eſſe vocabulum, teſtatur Varro. *Talus* prænomen Sabinum, *Catus* pro acutus, *Curis* Haſta, *Auſum* pro Auro, *februum* purgamentum, &c. Oſcum ſermonem à Latino diverſum fuiſſe hic Titinnii verſus teſtatur:

Oſcè & Volſcè *fabulantur: nam Latinè neſciunt.*

Oſca ſunt *Meddix* Magiſtratus, *Sollum* Solidum, *Famel* Servus; unde poſtea *famulus* vox Latina; *Ungulus* Annulus, *Dalivus*, Inſanus, *Petora* Quatuor, *Caſnar* Senex &c. Huic linguæ inſultare ſoliti fuere Romani: nam *Oſca Ludicra*, quæ vocabant, celebrabant, quorum etiam Strabo lib. IV. meminit.

Quando itaque voces ex his gentibus ſuperfuerunt omnino credibile eſt, phraſes quoque inſolitas ad genium vernaculum formatas in Romanam linguam illatas fuiſſe, quas ſtatim ſubolfecerint emunctioris naris homines Romani. Quintilianus de iis diſertè ait: *Verba aut Latina aut peregrina ſunt; Peregrina ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines & inſtituta etiam multa venerunt. Taceo de Thuſcis & Sabinis & Praneſtinis quoque: nam eorum ſermone utentem Vectium Lucilius inſectatur.* Fuerunt tamen etiam inter Romanos, qui ut ſæpe fieri ſolet, etiam cum minime peregrina

 eſſent,

essent, suspecta tamen quâdam censendi prurigine multa habuerunt. Nota sane sunt Urbana erga Provinciales in omni gente fastidia. Coaluerant jam ita Latini & Itali omnes cum Romanis, ut non tam immane inter illos discrimen circa extrema hæc tempora quis deprehenderet. Laudat sanè è Latinis, qui sua tempora præcesserunt, Cicero in lib. de Oratoribus, Q. Vectium Vectianum è Marsis prudentem virum & in dicendo brevem, Q. & D. Valerios Soranos, C. Rusticellum Bononiensem, & omnium eloquentissimum T. Betulium Barrum Asculanum, & apud majores suos disertissimum, ex Latio L. Papirium Fregellanum. Ac fuerunt qui Romæ ab ineunte ætate commorati Scriptores omnes elegantias imbiberunt. Patavinitatem tantum abest, ut in Livio deprehenderit acerrimus Latinitatis Censor Quintilianus, ut potius pronunciatâ decretoriâ quasi sententiâ, omnia Italica suo tempore pro Romanis agnoverit.

CAP. XII.

Urbani fastidiosi erga provinciales. Plures Provinciales eloquentiâ latinâ floruerunt quam Romani. Ciceronis Arpinitas. Terentius Afer. Plautus Umber. De præstantia Plautinæ dictionis adversus Asulanum & Naugerium. Cornelius Nepos non fuit Romanus. Virgilius Mantuanus. In illo à Pollione notata Mantuanitas. Carbilii pictoris Æneidomastix. Catullus Veronensis. Propertius Umber. Ovidius Sulmonensis. Defensus adversus Marullum & alios. Horatius Venusinus: in veteres iniquior. Vitruvius, Manilius non fuere Romani. Salustius Sabinus, Livius Patavinus. Lucretius & Cæsar Romani. Ille malæ latinitatis autor male à Lambino habitus. Cæsaris dictio nitida. Varro alter Romanus, alter Gallus. Curtii, Cornelii Celsi, Velleii Paterculi Patria incerta. De hoc ridiculum Asulani judicium. Phædrus Thrax purissimæ latinitatis scriptor. Marquardi Gudii in illum animadversiones ineditæ laudantur. Barbaries & Thracismus illi objectus discutitur. Intempestivæ Criticorum Censuræ notantur. Columella Gaditanus. Plinius alter Veronensis: alter Novocomensis: Quintilianus Hispanus. Petronius Romanus. Alii scriptores Neapolitani, Campani, Hispani &c. Martialis Bilbilitanus. Ejus uxor urbanam dictionem affectabat. Si in tot Provincialibus nulla peregrinitas adverti potuit, quî Pollio potuit in Livio? I. L. Vivis de Pollione judicium.

Vidimus Romanos tum provinciis exteris, tum Italiæ & Latio litem de peregrinitate linguæ suæ infusâ litem moventes, ut pateret eò clarius, quo jure objici Livio Patavinitas possit; ac deprehendimus

nus Urbanos nostros homines, in intentato illo crimine, si verum fateri ve-
imus, nimis interdum querulos, fastidiosos, superciliosos, addo & invi-
los. Ut enim domestica amare plerumque consvevimus, ita & hic non-
nunquam fit, ut peregrina, licet optima nostrisque meliora, quacunque
etiam specie, contemnamus. Ac sanè si nomina illustrium virorum, quo-
rum fama literarum monumentis celebrata est, conferamus, majorem eo-
rum numerum, qui è Provinciis & Latio oriundi, diuque Romæ commo-
rati vel in ipsis provinciis libros reliquerunt, quam Romanorum hominum
inveniemus. Ipse Cicero Arpinas, homo novus, annon præ tot Romanis
claruit? cum tamen inventi fuerint scioli, qui sermonem ejus è patriâ ali-
quid trahere Arpinitatis calumniarentur. Quis Terentius? Afer. Sed illo
urbanius fieri nil potest. Plautus annon Umber est? Et tamen hunc Gel-
lius, optimus certè censor, vocat verborum Latinorum conservatorem
diligentissimum & linguæ atque elegantiæ in verbis latinæ principem. Et
rectè quidem: Nam si pauca prisca, obsoleta, semigræca, jocosa excepe-
ris, quæ Comœdiæ indulgenda videbantur, reliqua omnia elegantissima
sunt. Contemnendæ enim sunt Asulani in Plautum calumniæ, quas soli-
dè discussit Florid. Sabinus Apologiâ in linguæ latinæ calumniatores. Nisi
forte verus earum autor fuit Naugerius, homo quidem doctus, sed mire
superciliosus & nescio qua Ῥωμαιομανίᾳ laborans, ut qui Martialis quæ-
dam exempla quotannis in Manium Catullianorum honorem Vulcano of-
ferre solebat. Quid vero? plurisne æstimanda est alicujus Naugerii, quam
ipsius Ciceronis autoritas. Is enim lib. 3. de Oratore Plautum in exem-
plum posuit, ad quod sui temporis, quæ minus ipsi placebat, latinitatem
exigeret. *Equidem*, inquit ille, *cum audio socrum meam Læliam, eam sic au-
dio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire.* Addo his magnificum Var-
ronis, at cujus Censoris? judicium, qui, ex sententia Stolonis, Plautino
sermone ipsas Musas locuturas ajebat.

Cornelium Nepotem, quo nil venustius Romanus scribere calamus
potest, Padi accolam Plinius, Catullus Italum, Ausonius Gallum, Merula
Veronensem facit: Romanus certe non fuit. Virgilius, ille Poëtarum La-
tinorum Princeps, Mantuanus fuit, & in hoc Lynceus noster Romanus
Pollio, scilicet ut gratiam Eclogam IVtam inscribenti referret, Mantua-
nitatem, si Diis placet, observasse sibi visus est. Id enim de eo notavit
Scaliger *Poëtic. lib. 4. cap. 17.* quo autore incertum: Fr. Floridus illud
Hieronymo tribuit. Sed superant tamen divina Virgilii Carmina, cum
Pollionis illæ Tragœdiæ, de quibus Horat. *lib. 1. sat. 10.* modicè, ut vide-
tur, sentit, dudum oblivione sepultæ fuerint. Hunc quoque Carbilius

pictor aggressus, à quo Æneidomastix liber in illum scriptus, & Macrobius furti illum arguit, ipse fur plusquam manifestus, qui libros Gellianos compilavit. Catulli, Poëtæ, si quis alius, lepidissimi & latinissimi, patria Verona est. Propertius Umber inter principes aureæ ætatis poëtas omnium suffragiis reponitur. Primus enim Italorum Elegiam Latio donavit. Blanditoris Ovidius illum vocat & jure sodalitii sibi junctum fatetur. Ipse Ovidius omnium deliciarum & elegantiarum pater, annon Sulmonensis fuit? & hunc tamen ineptissimus Marullus non è Poëtarum solum ordine deturbare ausus est, sed & in Latinitate ejus nescio quid desideravit. Dignus certe, ut Floridus Sabinus in Apologiâ suâ ait, quem facto impetu apud inferos Poëtæ excarnificent & in crucem agant. *Tanta omnibus*, ait porrò Floridus, *admirationi semper fuit Ovidius, ut non ingeniosus, sed ipsum ingenium, non Latinus, sed ipsa Latinitas, non Musarum Sacerdos, sed ipsum Musarum numen sit habitus. Quod autem ad Latinam linguam attinet, eruditi omnes uno ore fatentur, si illa funditus periisset, uniusque Ovidii scripta superessent, ex iis facillimè eam restitui posse.* Nolo nunc de iis dicere, qui declamatorias in illo argutias notarunt. Victorium hominem maximè sibi sapientem, qui in oratione & versibus enervatum ausus est dicere, jam alii contuderunt. Romanæ fidicen lyræ Horatius, qui primus lyrico carmine celebratur, an forte is Romæ natus ac illo urbanitatis lacte primum enutritus est? Minimè quidem; sed ut ipse de se Od. 9. lib. 4.

Longè sonantem natus ad Aufidum

& Sat. 1. lib. 2.

——— *Lucanus an Appulus, anceps.*
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Nec fuit, quod ego memini, qui vel levissimum in ipso peregrinitatis vitium notaret, neque hostes habuit, nisi obscuros quosdam homunciones, quos passim in Satyris suis insectatur. Ipse vero in antiquiores, præsertim Comicos & Satyricos acerbior est, ut Plautum & Lucilium, quorum ille tamen omnium judiciis effertur, hic à Quintiliano ita laudatur, ut totus ab Horatiano illo judicio dissentiat. Supersunt in aureæ illâ ætatis classe Vitruvius & Manilius, quorum etsi Patria incerta est, Romanos tamen non esse constat. Et ille quidem barbarè non loquitur, judicio Scaligeri, sed inconditè: Hunc peregrinum esse judicat Gyraldus, quod inquinatè loquatur, reprehensus in eo à Scaligero, qui idiotismos quosdam & incondita agnoscit, non vero sordes, quas ipsi affricare voluit Gyraldus. Subjicimus his Historicos, Salustium & Livium nostrum, quorum ille in agro Sabino natus primam historiæ Romanæ laudem reportavit, cujus oratione

tione atque brevitate Quintilianus judicabat fieri nihil posse perfectius, atque adeo Thucydidi illum è Latinis opponere non dubitabat. Hic noster Patavio oriundus, Salustii virtutes aliis &, ut ego quidem arbitror, majoribus superavit. Uterque hostem & calumniatorem Pollionem habuit: nam ut in Livio Patavinitatem, ita in Salustio singulari libro, nimiam antiquitatis affectationem reprehendit.

Ecquos ergo in tota hâc aureæ ætatis classe, quâ potissimum hæc censeri debebat Urbanitas, Romanos habebimus, præter duos forte, Lucretium & J. Cæsarem, ambos quidem latinissimos, quorum ille tamen, si Quintiliani non spernendum judicium sequimur, legendus quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ faciat: forte quod ex argumento Scholastico civilis dictio formari nequeat. Quò respexit forte Dionysius Lambinus, cum Lucretium malum Latinitatis autorem vocat, quâ tamen cum sententiâ ille minimè audiendus est; potest enim latinitas bona esse in autore, quem necessitas adigit, ut in argumento novo voces & phrases aliquas populo inauditas fingat. Julius Cæsar, etsi ipsi latina, nitida, sine affectatione fluens oratio, lineamenta potius Historiæ duxit, quam corpus concinnavit. Ideoque Livius ipsi in imitatione præferendus. Quam ob causam, ut puto, strigosum ejus stylum vocavit Masenius: Qui eam ob causam reprehendendus omninò est. Licet enim characterismos illos perfectæ historiæ in illo non deprehendas: mira tamen est in illo sermonis castitas, & qualis erat in priscâ Romanâ nobilitate; Quod enim parum diligenter, nec integrâ veritate scripsisse judicavit Pollio, hujus quoque insectator, ad nos nunc non pertinet. M. Terentius Varro & ipse Romanus, cum de Re Rusticâ & linguâ Latina tantum scripserit, non adeo ad Auctores, è quibus phrasis ac eloquentiæ corpus formatur, referri debet. P. Terentii Varronis Atacini è Narbonensi Galliâ oriundi scripta interierunt.

Ubi ad argenteam ætatem processerimus, plures inveniemus peregrinos, quam Romanos. Curtius, Vellejus Paterculus, Cornelius Celsus, patriæ incertæ, sed non mali, quod ad latinitatem attinet, scriptores: ubi de Vellejo hoc ridiculum notandum est; notante Gronovio in præfatione Livii, Asulanum, eum sc. cujus modo mentionem fecimus, insimulare Basilienses, quod historiam rerum Romanarum sub nomine Paterculi ediderint, in quo nihil fere latinum legatur, quod Augusti tempora redoleat, quibus eum floruisse velint. Quo sanè nil dici potest putidius & insulsius. Phædrus Augusti vel Tiberii libertus, gente Thrax. Æsopi fabulas latinis versiculis descripsit adeò nitidis & limatis, ut nil Romanius dici scribique possit. Vavassor *de ludicr. dict. pag. 206.* e-

jus dictionem ab omni peregrinitate & insolentiâ remotam judicat, narratque accepisse se à Jacobo Sirmondo, cum Petrus Pithœus primum misisset Romam hos libros Lutetiæ editos, Romanos, ut emunctæ naris homines, novitate voluminis percussos, non dubitasse, quin ætatem redoleret Augusti, ac summam illam facilitatem styli & scripturæ repræsentaret. Id autem non immeritò miratur Vavassor, quî factum; quod Seneca Æsopios logos intentatum Romanis ingeniis opus dixerit, cum Phædrum hunc haberet, quem opponere possit toti Græciæ. Nec putat tamen ille, quod Petrus Pithœus & Lipsius judicabant, ideò hoc ab ipso dictum: quod Phædrus non genere Romanus, sed Thrax fuerit, ab omni enim malignâ invidiâ alienum fuisse Senecam existimat. Verum quoniam Tiberii, Caligulæ & Neronis tempora non admitterent vel cogitationes liberas, ideoque ob apologos, quibus illius seculi tyrannis notatur, silentio suppressum hunc libellum credit. Quâ de re integrum esto cuique judicium. Id certum est, libellum hunc Urbanum illum & Romanum nitorem servare incorruptum; modò à mendis omnibus repurgatus esset, quæ infinita in eo restare, docebit nos aliquando incomparabilis in his literis MARQUARDUS GUDIUS, si exorari possit, ut suas in illum animadversiones luci publicæ exponat. Ut sit autem in hoc opusculo nitidissima latinitas, non defuerunt tamen inter Criticos etiam magni nominis viri, qui longè aliter judicarint. Scriverius animadvers. in Martial. *lib. 3. Epigr. 20.* nugari ait, qui hunc Phædrum ad tempora Augusti & Tiberii referant, quo ille ævo minimè dignus sit. Causas hujus sententiæ suæ se ostensurum promittit, ubi animus otiumque ista frivola pertractandi fuerit. Neque satis mirari Scioppii indignum in hoc autore supercilium possum, qui in Infamiâ Famiani, hunc scriptorem, *velut domo barbarum & sermone non parum sæpe plebejum* vocat, inque eo nescio quid Thracici subodoratur. Quam ob causam reprehendit illum Cl. Schefferus Phædri commentator, qui tantum abest, ut tale quid in illo invenerit, ut potius in plerisque Virgilium, in cæteris Plautum, Terentium, Ovidium imitatum fuisse judicet, hocque convicium pari jure cum Livianâ illâ Patavinitate censet. Hos quoque tam delicatulos censores meritò vellicat Barthius, cum *Adver. lib. 48. c. 10.* hujus ipsius Phædri quædam emendaturus, præfationis loco invehitur in *genus quoddam hominum miræ*, ut vocat, *ambitionis, quod ut sapere videatur profundius ceteris omnibus, non jam exponere veteres scriptores, sed censere & in ordinem redigere incipit, idque adeò vecordi animo, ut Latinos autores illatinitatis damnare non jam pudori habeat, sed gloriæ loco censeat, barbariæ eos damnare, qui vigente flore linguæ Latialis cumprimis clari fuerunt,*

Nolo

Nolo operosè in cæteros inquirere, qui vel eâdem ætate, vel latinitate jam declinante vixere. Columellam Gaditanum novimus, qui tamen sermonis ſvavitate, politiâ, vi quoque & eruditione principibus latinæ linguæ ſcriptoribus accenſetur, teſte Barthio *lib. 37. cap.* 7. imò Varrone illo Romano terſior eſt. Plinii duo ſunt, alter Veronenſis, qui univerſam rerum naturam, pari linguæ elegantia deſcripſit; alter Novocomenſis, cujus epiſtola & oratio Attici quid ſpirant: & quibusdam præ Ciceronianis, quo tamen falluntur, ſunt in pretio. Quintilianus, quo nemo artem oratoriam inter latinos elegantius adornavit, annon Hiſpanus? Et hunc tamen, ſi Ciceronem exceperis, omnibus præferre non dubitant nonnulli, etſi Philelphus in illo Hiſpanitatem inveniſſe ſibi viſus eſt. In hâc tamen ætate unus præ cæteris laudari meretur eques Romanus, Petronius, purâ quidem latinitate, ſed impuro argumento laudabilis, ne quid de Neroniani temporis phraſi, de quâ ſuprà, hic dicam. Seneca uterque, Lucanus, Mela, Hiſpani, Statius Neapolitanus, Valerius Flaccus Campanus, Juvenalis Aquinas, Claudianus Alexandrinus eâ eloquentiæ laude claruerunt, quam iſta tulerunt ſecula, in quibus tamen alii aliis puriores & elegantiam primæ ætatis propius contingunt. Martialis Bilbilitanus, etſi ob peregrinitatem Hiſpanicam nonnullis, ſed maledicis cenſoribus, vapulat: laude tamen elegantiarum latinarum minimè privandus eſt. Ipſe ſanè affectavit quam maximè, adeò ut & uxorem ſuam ob elegantias Romanas magnopere laudet lib. 12. Epigr. 21.

Municipem rigidi, quis Te, Marcella, Salonis
Et genitam noſtris, quis putet eſſe locis?
Tam rarum tam dulce ſapis, Pallatia, dicent,
Audierint ſi Te vel ſemel eſſe ſuam.
Nulla neque in media certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
Romanam dicat quam magis eſſe nurum
Tu deſiderium dominæ mihi mitius urbis
Eſſe jubes. Romam Tu mihi ſola facis.

Verum ſufficiat, in tot ſcriptoribus enarrandis nos fatigaſſe, quos ideo adduxi, ut demonſtrarem, eloquentiam Romanam plus debere ipſis exteris, quam Romanis. Et eſt ſanè prodigio ſimilis res, tam paucos fuiſſe Romanos, qui literis quid conſignarint, & ſi qui fuerint, unà cum illo ar-

gutulo

gutulo Pollione pessum ivisse: cum contra omnes immortalem illam nominis sui & Romani gloriam, tum Provinciales, tum Itali & Latini tueantur. An hoc ignaviæ tam pauca scribentium, an fato iniquiori imputabimus? Jam tuam itaque fidem testor Pollio! quid est, quod unum inter tot provinciales Livium huic Patavinitatis culpæ affinem facit? cum reliqui nihil hujus gentilis labis contraxerint. An potuerunt cæteri omnes hanc eluere peregrinitatis maculam: solus Livius & tamen Romæ vivens non potuit. Vel itaque leve aliquid & nugatorium, in quo illa Patavinitas consistit, vel quod potius duxerim, mera aliqua calumnia est, à supercilio & invido Pollionis animo profecta. Imo vero, ego Joannis Ludovici Vivis judicium, quod ex his, quæ hactenus dissertavimus, deduci videtur, probaverim: qui lib. 2. de causis corruptarum artium, in municipalibus autoribus majorem interdum eloquentiam, quam in ipsis Romanis agnoscit. De Livio ille: *Livius sermone illo, quem Pollio Patavinitatem, dixit sapere, eloquentior fuit multis Romæ natis, & fortassis illo ipso Pollione.* Et inde tradendis Disciplinis libro 3. idem: *Livii Patavinitatem, quam gustabat Pollio Asinius, nos non gustamus: Scilicet non habemus jam palatum usque adeò eruditum, aut certè morosum.*

Cap. XIII.

Peregrinitatis censura ægrè institui potest. Censuræ recentiorum reprehenduntur. Scaligeri in Erasmum Invectiva, quod Livii Patavinitatem cum Pollione probarit. Ejus de Pollione judicium. Urbanitatis incertum judicium. Cicero ipse in illâ dignoscendâ fluctuans. Feminæ optimæ urbanitatis custodes. Etiam indocti. Facere contumeliam Plautino seculo probatum, Tulliano rejectum. Livius non male à Tanaq. Fabro notatus, quod sensum vocis latinæ Classis *non rectè ceperit. Tilemanni ineptum de Patavinitate & voce majestatis judicium. Urbanitas an ad Ciceronis tempora restringenda. Censuræ nonnullorum in antiquos autores. Solœcismi, Archaismi. Singularia in Cicerone.* Νεωτερισμοὶ *ex Analogia vitandi. Q. Mar. Corrad. notatus. Scioppii audacia in censendis Metelli verbis. Peregrinitates aliæ à Scioppio & Francisco Sanctio notatæ. Non temerè de his judicandum. Pollionis nonnullæ voces à Manutio damnatæ, Palmari. In Cœlio & Cicerone filio duriora notata. Criticorum depravationes generant voces & phrases barbaras. Nizolius è corruptis exemplaribus multas collegit. Exempla earum. Lambinus & Manutius notati.*

Cum plurima hactenus inquisiverimus, ut tandem pateret, quâ in re Patavinitas Livio objecta consisteret, parum tamen isto conatu

tu nostro profecimus: aliæ enim ex aliis oriuntur difficultates, quæ ejus investigationem, si qua illa fuerit, remorentur. Nam etsi quidam Urbanitatis color fuit, etsi & peregrinitas quædam à nonnullis illata, tamen ejus à nobis censura nulla institui potest; præsertim, cum & ipso illo perfectissimæ latinitatis tempore non satis ea diversitas ab ipsis urbanis hominibus dijudicata fuerit, ac provinciales in urbe Româ educati in totam se urbanitatem ita induerint, ut omnis latinæ linguæ gloria penes illos steterit, quemadmodum præcedenti Capite ostendimus.

Quare intolerabiles videntur recentiorum hominum de antiquis autoribus censuræ, qui latinitatis nullam aliam, quam ex lectione & observatione instituere possunt. Meritò itaque Erasmum reprehendit Scaliger in Oratione, quam adversus Ciceronianum ejus scripsit: nam & Erasmus Pollionis illam de Patavinitate calumniam suam fecerat. *Aliud*, inquit, *sonat auribus tuis improbo nunc verbo adsuetis, Erasme, aliud Romano viro, qui tamen Asiniana calumniæ Patavinitatem Livio objectare ausus es, quam tu quo loco, quo tempore cognoscere, quo modulo Batavus metiri potes? Quâ ratione Teutonicus vitium illud conflari, quo judicio dignosci dices? Si omnes voces Romanæ sunt, si universa structura ex veterum cementis lapidibus redivivis, incorruptâ materiâ constat, si candor ille illam felicissimam ætatem etiam superat, si omni invidiâ, omni calumniâ major est, quam in lacteo illo flumine labem labes deprehendas? Cum tamen illius sententia ne his quidem qui objecerat cæteros Romanos habuerit adsertores.* Acris hæc in Erasmum invectiva J. C. Scaligeri est, quam iisdem pene verbis Scaligeri dissimulato nomine Scheurlius *in Stat. Merc. sect. 2. part. 2. cap. 9.* in Erasmum iteravit: sed à tanto viro profecta, cujus judicio & censuræ plus quam sexcentis aliis tribuendum. Nam nec ille hanc in Livio Patavinitatem perspicere potuit, cumque cum Livianis ille Pollionis fragmenta conferret, Poetic. lib. 4. cap. 17. hæc de ipso pronunciare veritus non est: *Quod si Pollio sibi solus Romanè vel loqui vel scribere visus est, cui Livius olet Patavinitatem, Virgilius Mantuanitatem, Ciceronis dictio parum sapit, sanè si iis, quæ illius extant, non dixit meliora: malim profecto cum hisce minus Romanè loqui, quam cum illo eum ad modum, quem legimus ex fragmentis.*

Quid ergo illius Patavinitatis alii notent, quam Scaliger tantus & Censor & Grammaticus deprehendere non potuit? imò quam ipsi Livii tempore Romani dignoscere non potuerunt, cum, notante Strebæo comm. in Cic. librum 3. de Oratore, ante Livium Urbani ab antiquitate longè deviarint. Mira enim est ejus urbanitatis fluctuatio, neque certa ejus tempora constitui possunt. Nam cum ab usu hominum in urbe viventium illa penderet, placuit alio tempore, quod alio displicuit, ut sunt varii ho-

minum animi & in annos mutabiles, ipſaque lingua & pronunciatio quotidie gliſcit. Ciceronem ipſum multa ſui temporis offendebant, magisque priorum temporum dictione capiebatur: nam delectabatur cum audiret ſocrum ſuam Læliam, & eam ſic audiebat, ut Plautum ſibi ac Nævium videretur audire: *Facilius enim*, inquit, *mulieres incorruptam antiquitatem conſervant, quod multorum ſermonis expertes ea tenent ſemper quæ prima didicerunt.* Quo fit etiam, ut homines ſine literis eleganti tamen dictioni adſveſcant, ut Curio ille, qui literarum nihil ſciebat, de quo Cicero in Oratore, *quod ſplendidioribus verbis uteretur uſu aliquo domeſtico: cum magni interſit, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur à puerò, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur.* Quo tacito ſenſu, ſine ulla arte aut ratione, tota theatra olim reclamarunt, ſi quid in ſermone offendiſſet. Rurſus idem Cicero ſui temporis quædam improbat, quæ tamen ante ipſum bonæ notæ habebantur. *Facere contumeliam* Plautino ſeculo rectè dicebatur: nam uſus eſt hâc phraſi Plautus in Aſinaria & Terentius in Eunucho & Phormione. At Ciceronis ſeculo in deſvetudinem hæc loquendi ratio iverat. Cum enim Antonius ita in edicto ſcripſerat: *An ulla contumelia eſt, quam facit dignus?* Cicero Philippic. III. ſic animadvertit: *Quid eſt porrò facere contumeliam? quis ita loquitur?* pro quo nunc fortaſſis rectius afficere contumeliâ diceremus. Exagitat ille alia quoque Antonii verba, qui tamen Romanus, & quem tamen benè Latinè loqui ipſe judicaverat. Quale itaque noſtrum de vocibus Latinis judicium erit, ſi in eo ipſe Cicero fluctuat? Imo Vives in libro de Diſciplinis puritatem linguæ majorem & caſtigatiorem in C. Cæſare, in M. Bruto & aliis Romanis principibus, quam in M. Tullio fuiſſe autumat; nec phraſin ejus omnibus placuiſſe, non Bruto, non Calvo, nec ipſi Pomponio Attico amiciſſimis.

Fuere nonnunquam voces non adeò antiquæ ipſis ſcriptoribus optimis ignoratæ, vel illas ſibi in memoriam non revocarunt. Quod de Livio probat Tanaquil Faber. Obſervavit enim in epiſtolis ſuis; Livium, cum verba hæc in Annalibus, *Claſſibus ad Fidenas pugnatum*, legeret, non intellexiſſe, per claſſes in plurali numero ſignificari equeſtres copias, cum & Virgilius eodem ſenſu hâc voce uſus ſit, immeritò ob hanc cenſuram ab Ephemeridum Gallicarum ſcriptoribus notatus, quibus peculiari libello reſpondit, ſuamque cenſuram defendit: nam non inſolitum eſſe ait, phraſes quasdam ab ipſis autoribus latinis non ſatis intelligi, præcipuè ſi ad artem non omnibus notam referantur. Quemadmodum Cicero *lib. 3. Epiſt. 21. ad Atticum* ingenuè fatetur, ſe diu non intellexiſſe, quid eſſet *inhibere remos*, usque dum ipſe tandem à nautis hoc didicerit. Erudita

hæc

hæc Tanaquilis Fabri censura est: sed inficeta & inepta Tilemanni in Discursu Philologico de Historicorum delectu, cum pag. 219. in Livio reprehendit, quod quia ambitiosus fuerit, sibique magis quam aliis scripserit, (in eo enim Patavinitatem Livii consistere autumat) non uno in loco maluerit terminis politicis abuti atque elegantius scribere, quam integrius, improprius quam verius, cum censoribus, decemviris, consulibus majestatem attribuerit. Nunquam enim majestatis vox politico illo & hodie usitato sensu antiquis accepta, sed recentiorum scholis eo sensu usurpari cœpit. Majestas vero antiquis quemcunque externum splendorem, & magnitudinem, qualis negari Magistratibus Romanis non poterat, denotabat. Patavinitate vero ambitionem ejus notari nescio quomodo putidum est, neque cuiquam ante ipsum in mentem venit.

Videmus itaque in ipsâ urbe discrepasse à se ipsâ urbanitatem, quæ e judicio illorum, qui Ciceronis ætatem secuti sunt, ut Quintiliani ac aliorum ad Tulliana tempora hominesque tum scribentes restringebatur. Quam sententiam etiam nos amplecti ipsa ratio jubet: cum ab hoc quasi puncto & apice nitor ille sensim labi cœperit. Etsi non defuerunt ingenia obstinatiora & morosiora, qui antiquiora tempora præferrent. Quemadmodum Hadrianus Ennium Virgilio, Catonem Ciceroni prætulit, quod antiquum scribendi genus amaret, utque tam præposteri ingenii aliquod urbi monumentum relinqueret, Catacrianos libros obscurissimos composuit. Neque tamen cum in Ciceronis ætatem urbanitatem compingo, illo solo illam censeri volo. Stultus enim est Doletus meritoque à Fr. Florido Sabino exagitatur, qui alios autores omnes præter Ciceronem stercus appellavit. Suæ etiam cæteris Veneres sunt, in quibus si dissimilitudo quædam apparet, ea tamen ita delectat, ut non dissimiles esse nolis. Ut vultuum, ita eloquentiæ varietas est, ita Oratorum & scriptorum, qui tamen suam sibi svavitatem, quamquam in diverso genere servant, & eodem tamen Urbanitatis colore orationem pingunt.

Ut vero non defuernt olim putidi Grammatici, qui Ciceronem, Virgiliumque sub censuram vocarint; ita & hodie, quod mireris, inventi, qui heroibus illis omnem invidiam supergressis malæ latinitatis dicam scribere non verentur. Quo nomine Richardum Pacæum Britannum Fr. Floridus Sabinus in eleganti illâ Apologia suâ reprehendit, ejusque calumnias contundit. Cui addi potuisset stultissimus ille veterum & recentiorum autorum Censor Verdierius, qui ut in omnibus aliqua, ita in Virgilio barbarismos sibi notasse visus est. In Ciceronem nostro quoque tempore ferociter adeò debacchati fuerunt inepti rhetorculi, non digni qui matulam illi porrigerent, imò ad triremes damnandi. Doctissimam

in illos invectivam vide apud Inchoferum Hist. Sacr. latinit. lib. 2. cap. 15. In hoc tamen solœcismos quidam deprehendere sibi visi sunt. Notavit id Erasmus lib. 28. Epist. 8. pag. 1646. lit. F. edit. Londin. Manutius quoque in Cicerone ferendum esse solœcismum ait, si vetera exemplaria consentiant. Sed veros Henricus Stephani in *suo Pseudo-Cicerone* solœcismos Ciceronis non admittit, nisi forte ubi is vehementi dicendi vel scribendi impetu præter opinionem abreptus: imo multis ostendit exemplis, archaismos, solœcismos vel insolentes loquendi modos non inveniri in Cicerone, nisi qui per Criticorum & librariorum negligentiam & audaciam eò irrepserint. Occurrunt tamen apud illum voces minus usitatæ. Jampridem Statilius singularem de singularibus Ciceronis librum conscripserat, & ostendit ille Index Grammaticus, quem Gruterus operi Ciceroniano subjecit, quam multis ille usus fuerit vocibus & phrasibus, quas apud alios non facile invenias, quibus uti nunc non adeò conveniat. Budæus, sed ille mirè ἑλληνομανὴς, & ut omnium Latinorum ita & Ciceronis contemptor, Ciceroni κωπηρεσμὺς objecit in Comm. Gr. Ling. pag. 1019. cujus tamen ipsius ob crebras verborum conversiones minime Romana dictio est, ut jam supra diximus. Non est ingenio in his indulgendum, adeòque quod antiquis non licuit, multò minus licet recentioribus, qui Analogiam secuti licentiam sibi sæpe sumunt nova formandi vocabula. Quâ in re supra modum facilis est Q. Marius Corradus, qui in libro *de Copia latini sermonis lib. 2. pag. 52. & seqq.* indiculum verborum nectit, quibus nos sine vitio uti posse autumat, Vir alioquin puræ satis latinitatis. Verum illius neutiquam probanda est sententia, quam Vir in his literis summus Olaus Borrichius in *cogitat. de Ætat. Latina lingua, in verbo Puritas*, optimis & rationibus & exemplis refutavit. Reperti sunt inter recentiores Grammaticos, qui etiam in Romanis scriptoribus peregrinitates notare voluerunt. Quanta Scioppii audacia est, qui in Scaligero pro solœcismo reprehendit: *Quam à multis jam annis capite & fortunis oppugnant*: neminemque sic locutum ait, præter Q. Metellum Celerem, hominem & arrogantem plus satis, & in sermone non satis neque proprietatis neque elegantiæ studiosum. Sunt vero hæc verba Metelli apud Ciceronem lib. V. familiar. Epist. 1. *Nec Metellum ob dictum capite & fortunis per te oppugnatum iri.* A Scioppio igitur jam discet Metellus homo Romanus, quomodo propriè & Romanè loquatur. Quis ille stupor, imo potius, quis furor est! Vulgatissima enim loquendi ratio est, ut multis exemplis adversus Scioppium ostendit Gronovius *observat. libro 4. cap. 13.* Neque multo felicior ille est in Peregrinitatis Exemplis, quæ judicio de stylo Historico inseruit: in quibus, ut cætera prætercam, Græcismum hunc Casauboni, ut nullo

nullo autore dictum, damnat: *desine querelarum*; cum eadem verba apud Horatium reperiri vel pueri sciant. Recensuit & Franc. Sanctius, longè Scioppio modestior & doctior, sub finem Minervæ suæ, quasdam peregrinitates. *Habere orationem dicimus*, non facere: *verba facere*, non agere: *agere gratias*, non facere: *fer opem dicimus*, da opem *non dicimus: dare verba usitatum est*, tradere, s. præbere verba, *inauditum. Quid dicam de illis qui sibi docti videntur & passim habentur. Quidam enim ex illis scripsit:* Vigilant milites in monte: *pro speculantur de monte:* tentat frangere aciem, *pro conatur aciem perrumpere:* dimisit suos milites, pro dimisit copias seu exercitum; *impedivit* commeatum, *pro interclusit:* victu carebat Cæsar, *pro re frumentariâ:* duxit vineas, *pro egit:* primi in consilio, *pro consilii principes:* reportarunt prædas: *pro egerunt:* milites monuit, *pro hortatus est:* signum facit, *pro signum dedit*, renovavit prælium: *pro restituit vel redintegravit:* aciem ordinavit, *pro instruxit:* redierunt milites, *pro receperunt se:* misit ad succurrendum, *pro misit subsidio:* fecerunt vim *pro impetum fecerunt:* magnis viis contendit, *pro magnis itineribus:* perdidit oportunitatem, *pro amisit occasionem. Sic loquuntur qui lingvam, non stylum exercent.* Bene hæc ab illo notata, sed tamen in iis nonnulla defendi possunt. Etsi enim non negem, in actibus civilibus phrases quasdam occurrere illis planè proprias, quibus eo sensu si non utaris, imperitè & impropriè loqueris: tamen temperandum hic est à decretoriâ sententiâ. Non enim omnia notari ab omnibus possunt.

Illud quoque lepidum est, illum Romanissimum Hypercriticum nostrum Pollionem à nonnullis sub Virgulam Censoriam vocari, & de verbis minus Romanis vel saltem asperis & novis reum peragi. Manutius ille est, qui Pollionis Epistolam, quæ XXXI. est lib. X. famil. interpretans, primum hæc verba: *Nam de legione trigesima tradenda quantas conciones habuerim* (ita enim legitur in antiquissimis Codicibus) *quid ego scribam!* reprehendit. Vox enim Conciones, qua hic utitur, quæque significare deberet vehementes literas, minus illi commoda videtur. Deinde in XXXIII. ejusdem libri epistola, vox PALMARER inaudita apud alios, Manutio reprehenditur. Locus ille est: *Neque ego non videbam, quanto usui Reipublicæ essem futurus, si ad Lepidum venissem: sed scribenti ad me ejusmodi literas, quas leges, & concionibus videlicet, quas Narbone habuisse dicitur, similes PALMARER necesse erat, si vellem commeatum, per ejus provincias iter faciens, habere.* Ita in omnibus antiquis libris scriptum fuit. Putat vero Manutius Palmari hîc idem esse quod Palpari, id est adulari, palmâ enim blandimur, item ut palpo. Henricus Stephani *in Pseudo Cicerone* suo à Pollione potius *palparer*, quam *palmarer* scriptum fuisse autumat, quod verbi *palmare* aliæ sint signi-

ficationes, quæ nihil cum illa verbi *palpari* significatione commune habent: quod vox composita *depalmare* arguit. Ridiculè, itaque ut putat, Φιλόκαινος fuerit Pollio, si cum usitatam vocem *palpari* in promptu haberet, unicâ literâ mutatâ longè petitam vocem afferre maluisset. Ideòque Victorius vocem *palparer* in editione retinuit, eamque suo calculo nuper probavit Cl. Grevius. In Cœlio quoque, cujus epistolæ Tullianis mixtæ, Manutius multa notavit non dura solum, sed durissima, quæ vix pro latino habere videtur, è quibus unum hoc, ut cætera præteream, *objurgatus* est pro *objurgavit*, quem tamen adversus ipsum defendit Henricus Stephani. Idem Manutius de Ciceronis filio judicat, non modo ab elegantiâ & copiâ, sed interdum etiam à proprietate paterni sermonis longè distare, è quibus forte illud est; lib. XVI. fam. *Cum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua.* Nec desunt è Criticis, qui verba illa *mihi successa* audacter tollunt: fortassis eodem modo vox *successa, a, um*, usurpata fuit, quo *defectus, a, um*. Sed cautè iis vocibus utendum est, cum metus de exemplaribus corruptis cohibere nos debeat, neque insolens vocabulum, quod olim tanquam scopulum vitandum judicabant eloquentiæ magistri, etsi Ciceronianum, nos contra tanquam pretiosam gemmam consectabimur.

Accedit etiam, quod multa in Autoribus, ut jam supra monui, corrupit librariorum imperitia ac Grammaticorum & Criticorum audacia; ut non adeò firmum de singulis judicium institui possit. Sæpè in Codicibus occurrunt, è quibus nullus elici sensus possit, vocabula ita depravata, ut quid sibi velint ignores. Hic cum lectiones illæ qualescunque retinendæ essent, illi, ubi occurrit insolitum quid, statim hærere, verba mutare pro libitu, primò margini notare alia, quæ paulatim in sermonem ipsum irrepunt. Quod infinitis Ciceronis locis evenisse, demonstrat Henricus Stephani, ut è Cicerone demum factus sit Pseudo-Cicero. Atque ex his locis eorumque corruptione vocabula quæpiam, ceu vermes ex putredine, nata. Ex his lacunis hausit infelix Nizolius, qui tot barbara & illatina è corruptis Ciceronis exemplaribus collegit, quibus magnâ cum audaciâ Ciceroniani illi usi sunt, ut non exiguam illorum sylvam idem Henricus Stephani in suo Nizolio-Didascalo collegerit. Hujus farinæ sunt; *Facetosius*, *Multissimus*, *Complices*, *Capitulum*. Synonyma, antitheta, phrases ipsi sine judicio colliguntur, ut cum inter Synonyma vocis Magni ponit *Bonus* & *Insanus*, acsi sine discrimine illis uti possim: Ut, cum Cicero dixit insanas substructiones, ego *insanum hominem*, *insanam urbem*, pro magnis dicere me posse credam: Vel cum *bonam partem* pro magna dixerit Cicero, ego similiter in quacunque re magnâ hoc uti epitheto

theto possim. In hâc corrigendi audaciâ non Henrico Stephani tantum, sed & aliis Dionysius Lambinus male audit. Huic idem jungit Manutium ipso Lambino periculosiorem, qui multò plura loca correctionibus suis depravaverit, & minorem in Latinitate diligentiam ipso Manutio adhibuerit, cujus plurima illic adducuntur exempla. E quibus omnibus patet, qam difficile sit, de urbanitate vel peregrinitate alicujus autoris ferre judicium, cum non idem sit Autoribus in delectu verborum judicium, & pulchra nonnullis videantur, quæ aliis minus apta & decora. Ut vanus itaque labor omninò futurus sit, si esset in Liviô quicquam Patavinitatis, illam nunc nostro tempore à nasutissimis Sanctiis & Scioppiis, totâque Grammaticorum & Criticorum tribu, saltem quantum illa à Grammaticis dependet, indagari.

CAP. XIV.

PAtavinitas Livii à recentioribus Latinis deprehendi non potest. Balzaci lusus in Barbonem Patavinitatem demonstraturum. Cl. Sarravio Patavinitas contemta. In urbe interdum plus peregrinitatis, & in provincialibus plus urbanitatis. Urbanitatis inepta affectatio. Theophrastus ex affectatione verbi Attici pro hospite habitus. Græci magni Atticarum vocum affectatores. Sophistæ ob eam causam irrisi. Apud Romanos quoque intempestivi verborum Romanorum antiquorum affectatores. Italorum recentiorum latinè scribentium Ῥωμαιομανία. *Eorum erga Gallos & Italos fastidium. Inde orta illa Ciceronianorum* κακοζηλία. *Illi à viris doctis passim explosi. Itali vulgari linguâ scribentes mirè Florentinitatem affectant. Alberici Gentilis de illa censura.*

CUm adeò difficilis & incerta sit, inprimis si inter veteres autores comparatio instituatur, urbanitatis in verbis & phrasibus indagatio: quid est, quod Patavinitati amplius immoremur? Quæ si nec antiquis, præterquam maledico illi Pollioni, notari potuit, frustra nos erimus eâ de re solliciti, cum certi simus, nodum in scirpo quærere, qui istam in Livio venantur. Quare facetissimus Balzacus, Vir omnium elegantiarum, in lepidissimâ illâ Satyrâ Gallicâ suâ, quam in Rhetorculum & Magistellum Barbonem lusit, cum multos ejus χειμεῤῥοὺς ὀνείρους salse exagitasset, inducit gloriantem: se monstraturum in Livio Patavinitatem illam, quam reprehendebat Pollio; & in quibusdam Senecæ Tragœdiis pingve illud Cordubensium Poëtarum, de quo

olim

olim Cicero, & in Cicerone ipſo vitia illa quæ in eo Brutus animadvertit. Oſtendit & Cl. Sarravus Senator Pariſienſis, Vir ſummus, quam ille hanc Patavinitatem contemnat, in epiſtola qua I. Fr. Gronovio de edito Livio gratulatur, pag. 188. *Præcipuus tibi*, ait, *quanquam non ſolus ſcopus in textu emaculando, quod ſi quid video, ita magnificè præſtitiſti, ut jam Livium legamus. Livium, inquam, non autem inficetorum correctorum bariolationes: adeò penitiſſime omnem ejus, quacunque illa ſit,* Patavinitatem *imbibiſti & exhibuiſti.*

Ut itaque tandem hanc de Patavinitate commentationem abſolvamus, ac porrò declaremus, quam futiliter illa objiciatur Livio, ipſam urbanitatem, quæ in certis vocibus, & phraſibus conſiſtit, ejusque affectationem non eſſe ſine vitio, & olim plus urbanitatis extra urbem atque in provinciis ſæpe fuiſſe, quam in ipſa urbe oſtendemus. Quæ ſi vera ſunt, ut certe veriſſima eſſe probabimus, Pollio cum ſua illa Patavinitate exſibilandus eſt. Eſt hæc urbanitatis affectatio & Urbanis & provincialibus propria. Hi enim cum familiare ſibi & gentile vitium objici ſciant, eò ſollicitiores in exuendo illo ſunt. Quare fit interdum, ut ipſos urbanos elegantia ſuperent, qui melius ſæpe & accuratius velut advenæ characteriſmos illos ſermonis obſervant; ut interdum nimiâ urbanitatis affectatione ſe prodant. Illi urbani, cum provinciales contemnant, ac ſibi in omnibus plaudant, ſuos ſæpe ſenſus ſequuntur, quæcunque etiam plebeja & exilia optimè dicta interpretabuntur: provincialium autem curam & induſtriam nitori ſermonis additam, ut ornatum aliquem peregrinum repudiabunt. Utrique in ipsâ urbanitatis affectatione plus peregrinitatis habent, quam qui ſui ſucci & ſaporis ſermonem formant. Theophraſto id accidiſſe meminimus, qui cum diu vixiſſet Athenis, atque ita loqueretur, ut à divinitate in dicendo nomen inveniſſet, Aniculæ tamen Athenienſi hoſpes viſus eſt, quod ut Quintilianus teſtatur, nimis loqueretur Atticè, etſi Cicero illum minus Atticè locutum dicat. Erat verò apud Græcos magna Atticarum vocum affectatio, quas ideo ſingularibus quibusdam Lexicis colligebant, ut eorum uſus promptior eſſet. Hinc Philoſtr. lib. de vit. Sophiſt. Critiæ ſtylum laudans ait: ὥσπερ ἀκτίνων αὐγαὶ, τὰ Ἀττικὰ ὀνόματα διαφαίνεται τοῦ λόγου. *Sicut radiorum fulgores, ſic Attica verba in oratione relucent.* Platonis eloquentiam laudat Lucianus, cum vocat καλλιφωνίας δεινῶς ἀττικὴν, καὶ τὸ κεχαρισμένον, καὶ πειθοῦς μεστόν. Quoniam vero Sophiſtæ tum demum pulchrè ſe dicere putarent, ſi Atticas voces ſermoni immiſcerent, factum eſt, ut à prudentioribus riderentur. Hinc Plutarchus vocat hoc νόσημα lib. de audit: & Philoſtratus barbarum, intemperanter & nimium uti Atticis. Lucianus vero, ut pro more ſuo

ſannis

sannis quibusdam exagitaret, in Ῥητ. διδασκ. Sophistis suis svadet, ut sibi verba quædam Attica seligant, ac semper in ore habeant: ἔπειτα πέντε καὶ δέκα που ἢ οὐ πλείους γε τῶν εἴκοσιν ἄττικα ὀνόματα συλλέξας, τὸ ἄττα, καὶ κἆττα, καὶ μῶν, καὶ λῷστε, καὶ ἀμηγέπη. Extat elegans Ammiani super hos Atticissantes Rhetorculos Epigramma lib. 2. Epigrammatum Græcorum à Brodæo collectorum pag. 237. ubi illa verba recenset:

Καὶ πευτὶ καὶ μῶν, καὶ τετλεράκοντα, καὶ ἄττα
σκεψάμενος καὶ τοι νὴ δία, καὶ μὰ δία.

& aliud Anthol. lib. 2. cap. 51.

Ὠ γαθὲ, καὶ μῶν οὖν, καὶ ποῖ δὴ, καὶ πόθεν ὦ τᾶν,
καὶ θαμὰ, καὶ φέρε δὴ, καὶ κομιδῆ, καὶ ἴθι,
καὶ σόλιον, μάλιον, πωγώνιον, ὤμιταί ἔξω,
ἐκ τούτων ἡ νῦν εὐδοκιμεῖ σοφία.

Fuisse & apud Romanos intempestivos tales veterum Romanarum vocum ad ipsam usque rusticitatem affectatores, jam supra diximus. Salustium imprimis ideo exagitavit Pollio, quod antiquiores voces seligeret. E M. Catonis commentariis verba excerpsit, & velut breviarium ad usum proprium habuit. Hinc Lenæus Pompeii M. Libertus priscorum & Catonis verborum furem ineruditissimum appellavit. Idem quoque in Antonio Octavius Augustus reprehendit, quem insanientem vocat, quod ea scribere vellet, quæ mirarentur potius homines, quam quæ intelligerent. Ciceronis æquales antiqua omnia laudabant, & Cicero, ut erat æquius, sui temporis eloquentiam anteponebat, ut ait Aut. Dial. de Oratoribus. Idem cum nonnulla reprehenderet in Cicerone, subjicit: *Sola mirantur atque exprimunt hi, qui se antiquos oratores vocant. Versantur vobis ob oculos, qui Lucilium pro Horatio & Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noviani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis, sordet.* Major tamen fuit Italorum literis renascentibus Ῥωμαιομανία. Quippe qui, ubi primi ad literas Latinas resuscitandas manus admovissent, neminem mortalium in hujus gloriæ societatem admittere voluerunt. Tanto enim fastidio omnia transalpina & peregrina exceperunt, ut optima quæque, & Italicis cultiora, ipsis sorderent. Queruntur de illo Italorum fastidio & supercilio passim Galli. Ac Germani quoque iniquè ab illis habiti, de quibus nunc prolixius disserendi locus non est, cum peculiari Dissertationi de Germanorum meritis literariis hæc reservemus. Illud sanè lepidum est, quod Georgio Fabricio Patavii eximiam latine loquendi peritiam in Melanchthone dilaudanti Lazarus Bonamicus respondit: *Profecto*

ille homo incipit loqui : quasi Melanchthon, si cum Italis conferatur, tantum balbutiat, cujus tamen latinitas adeo nitida & pura est, ut majorem, quam illa Italorum dictio, ingenuitatem & ἀφέλειαν spiret. Quare & Galli Italos, ob hunc fastum ridiculos, non raro exagitant, ut Henr. Stephani in suo Pseudo-Cicerone pag. 85. Victorium, qui Turnebi adversaria vellicaverat. Ita enim H. Stephan: *Si fuisset ostentator Turnebus, ut ille, qui eum per contemtum Cisalpinum nescio quem appellat, & aquè verbosus, atque is Variarum Lectionum scriptor, de cujus loquacitate memini te aliquando questum esse, ita suos Adversariorum libros dilatare potuisset, ut quatuor mulos onerarent.*

Atque is ipse Victorius, quod mirere, non in sui tantum temporis scriptores, sed & in vetustos arrogantissimam sibi censuram arrogavit: nam teste Balzaco *Opusculis Gall. diversis Diss. 6. cui titulus, les Passages defendus* in quodam super Aristotelis librum commentario, Virgilium reprehendit, quod proprietatem verborum non observarit, quodque minus purè & Latine scribat, quam Lucretius, de quo tamen Quintilianus judicarat, ex illo formari non posse phrasin seu corpus eloquentiæ. Itaque de illo Balzacus: *Ce commentateur chagrin intente une procés contre un possession de seize cens ans, & ne considere ny la faveur d' Auguste, ny l' amitié de Mecenas, ny les applaudissemens de tous les siecles, ny toutes les voix de la Renommée, qui donnent gaigné à sa partie.* Refert eodem in loco Balzacus alium quendam ejus loci delicatulum, cum existimaret primam linguæ corruptionem incepisse in Ovidio, lib. Metamorphoseon, ut fabulas tamen sciret, in vernaculam linguam convertendos curasse, ne aliquod è latinitate Ovidianâ contagium contraheret filius. Narrat & eandem historiolam Hercules Ciofanius præf. in Metam. Ovid. Fuit & Academicus quidam Romanus, eodem Balzaco teste, qui in Barclaji Argenide ostendere voluit, ut ipse loquitur, *quinze cens Improprietés de conte fait, & je nesçay combien de pechés originels, & de locutions estrangeres.* Ex hâc Italorum superstitione Balzacus adeò se anxium in Gallico sermone factum scribit, ut pene omnia, quæ legeret, Gasconismis infecta crederet. *En François* (inquit) *tout m' estoit suspect. Sur chaque mot d' un Escripain de Province je consultois l' oreille d' un habitant de Paris.*

Ex hâc Ῥωμαιομανίᾳ & fastu Italorum, qui linguam latinam non virili judicio, sed nescio qua puerili imitatione æstimarent, in verbis solis hærentes, at in rebus jejuni, orti sunt illi, qui se Ciceronianos nominabant, & nulla nisi Ciceronis verba, cujus tamen eloquentiæ vim non capiebant, in oratione admittere volebant. Qui cum maximè Urbani haberi cupiebant, facti sunt plusquam oppidani & planè lutulenti. Nam & de Ciceronianis

nianis vocibus & phrasibus non rectum formabant judicium, ut qui corruptis uterentur exemplaribus & lacinias quasdam formularum è Cicerone contexebant, cum Ciceronem illo divinæ eloquentiæ vigore & spiritu exprimere deberent. Hinc menses in unam epistolam scribendam impendebant; nisi cavillantur Erasmus & Scioppius. Commovit illa res Erasmum, ut Ciceronianum suum scriberet, quo nomine præter meritum ille à Scaligero exagitatus. Infinitos eorum errores, ut jam suprà diximus, Henricus Stephani in *Pseudo-Cicerone* suo & *Nizoliodidascalo*, ostendit. Eosdem, ut multos nunc alios prætermittam, Taubmannus in tractatu de linguâ latinâ dignè excepit: inter quos tamen aliqui, non satis idonei judices, ita adversus Ciceronianos pugnant, ut Ciceronis ipsius causam prodant.

Non minus hic in vulgari suâ linguâ insaniunt Itali, in quâ & ipsi Florentinas voces singulari curâ infarcire sermoni suo, atque in iis velut in mustaceo laureolam quærere consveverunt, ut jam supra cap. 7. docuimus. Idem de iis testatur Albericus Gentilis libro de actoribus fabular. cap. 17. eoque nomine eos quam maxime reprehendit. *Tantum abest ut probare Florentinos aliquos nunc possis, qui nolunt Italum loqui, nisi quod Boccacius & Petrarcha, & unus praterea atque alter locuti sunt olim. Stulti! An quia lingua eorum est Attica, cateris nobilior, non propterea aut Umbra, aut Picena, aut alia est Italica? Thuscus, Sabinus, Pranestinus sermo reprehensus, & Patavinitas; ego omnia Italica pro Romanis habeo. Sic Quintilianus, qui sapit aliquantum supra nuperos Florentinos. Sermonis nostri oculos Virgilium & Ciceronem dicit Petrarcha, & nos si cum his oculis cernimus, non ultra Florentinum horizontem cernamus? Etiam in epico carmine (epicum Tassi poëma, cui invident, hos commovit in tam absurdam opinionem) non licet loqui nisi Thuscè, & quemadmodum seniores illi locuti sunt? Diversum Aristoteles de epico habet in poëticis. Et sic igitur Attica nostra lingua Thusca & singulis collata prastet. Sed & Jonica & Dorica & Æolica & alia Graca sunt, quibus uti scriptores optimi possint, & communis itaque ipsique Attica antistet, & Italica communis antistet Thusca.* Hæc de Italis Gentilis. Ac pene Germanos nostros similis aliquando hæresis occupavit, qui vel unius gentis idiotismos sibi exprimendos proposuerunt, vel obsoletas aliquas aut novas voces assumpserunt. De quibus alibi prolixius.

Cap. XV.

Utrum in Urbe, an extra urbem peregrinitati occasio data, quasitum. In urbem confluxerunt omnia peregrina. Ergo & in urbe peregrinitas. Provinciales

ciales sæpe sono magis quam Idiotismo à Romanis discrepabant. Provincialibus etiam cultissimi sermonis usus fuit. Familiæ Romanæ per totum orbem Romanum dispersæ. Galli magno latinitatis studio ducebantur. Hispani Romanam linguam cum oblivione suæ recipiebant. Latinus sermo in Hispanâ etiam plebe publicus. Conciones latinæ ad populum Hispanum habitæ. Inscriptio Emporitana de receptione linguæ latinæ. Quintilianus, Antonius Julianus præclari ex Hispanis eloquentiæ magistri. Juliani lepidem pro Latinitate cum Græculis certamen. Columella, Latro Porcius, Hispani, in linguâ cultissimi. Nostrorum temporum aliqua monumenta cum Romanâ latinitate certare possunt. Luxus, fastidium & ignavia Romanorum inductæ peregrinitatis potiores causæ.

NOn est porro ita intra Romanos carceres ista coërcenda urbanitas, ut nec extra Urbem illa locum invenerit: vel illic solum quâdam velut peste afflata fuerit: extra Romam omnia corrupta & barbara, intra illam omnia sincera, genuina & nitida olim extiterint. Minimè profectò:

Romanos intra muros peccatur & extra,

ac fortassis citius illa intra urbem corruptela orta fuit, quam in provinciis. Cum enim Romam velut ad scopum quendam omnes gentes tenderent, quo frequentior illic omnium populorum confluxus fuit, eò plus sordium intra Romam receptum fuisse credibile est. Quemadmodum cum in unum aliquem alveum multis canalibus impuri latices derivantur, alveum ipsum magis inquinatum esse necesse est, quam cæteri latices. Innuit certè hoc Dionys. lib. 1. Antiq. cum ait: *Mirum videri possit, quomodo ea civitas penitus non barbara fuerit reddita.* Cui consonat illud Isidori lib. 1. Orig. cap. de Barbarism. *Una quæque gens facta Romanorum, cum suis opibus, vitia quoque & verborum & morum Romam transmisit.* Ut itaque hic de illis quodam modo liceat dicere, quod de aliis vitiis Aut. Dial. de Oratoribus. *Hæc mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant.* In urbe primum civitate donata, quæ è provinciis in urbem pervenerant. Nam cum provinciales plerumque id operam dare soleant, ut ad urbanorum linguam & eloquentiam, quoad ejus fieri potest, sua componant, & præterea omnis ille urbis cultus & nitor, illi mores urbani amplâ splendidâque agendi dignitate compositi, aliaque sensim in orationem irrepunt: non illi soli onerandi hoc crimine sunt, cum in partem & fortassis maximam plebs urbana veniat, Patricii verò & homines principes facilè suâ autoritate hospites in ordinem redigant. Neque enim nunc ideo Lutetiæ Parisiorum minus nitidus est sermo Gallicus, quod tot provincialium illic confluxus sit. Voces Oratorum publicæ, & librorum monumenta facile

le illam integritatem conſervant, atque ipſis illis oppidanis exemplo ſunt. Neque adeò ſolet linguæ diverſitate hic, quam vocis ſono peccari, qui cuique genti quaſi à natura inſitus. Et hunc interdum magis formidant delicatæ urbanorum aures, quam voces ipſas inconditas. Atque ita ſono diſcrepaſſe provinciales, Ciceroni aliisque notatum eſt, & nos jam ſupra oſtendimus. Quâ inductus ratione Pignorius Patavinitatem, alicujus ſoni à Ramana diſcrepantiam, definire volebat, Quintiliani quodam loco invitatus, qui è Pediano cognoverat, Livium lit. E pro literâ I uſum. Cujus ſententiæ vanitatem ſatis deduximus. Nam non Patavinis tantum ſed & quibusvis aliis, etiam Romanis, illa literarum mutatio in uſu fuit. Teſtaturque ipſe Cicero 3. de Oratore, Sulpicium Cottam imitatum jota literam tollere, & E plenisſimum dicere.

Quis porrò non crediderit, illo tempore, quo regnabat maximè Romæ urbanitas, provincias omnes etiam ſermone fuiſſe cultisſimas. Propagarunt illum coloniæ. Ludi apud illos plurimi & quidem magnâ cum curâ inſtituti. Gallia, Hiſpania, Græcia, Illyricum, totus Imperii Romani orbis, conſitus fuit gentibus Romanis. Nulla, dicere auſim, gens nominis Latini in toto Romano imperio fuit, quæ non ex urbanis oriunda ſit per clientelas in provincias & exteras nationes propagata. Teſtabitur in Inſcriptionum corpore Index nominum propriorum, ubi multas gentes cum agnominibus ſuis in Galliâ, Hiſpaniâ, Græciâ invenimus. Etſi è tam vaſto numero earum, quæ perierunt, paucarum tantum ſupereſt memoria. Quis neſcit, quam magnus ſaltem in Galliâ & Hiſpania Inſcriptionum numerus ſit, quarum aliquæ in lucem erutæ, longè plures temporum injuriâ periere? Ideòque non omnia ſtatim peregrina, quæ è provinciis, habenda.

De Gallia nemini ſupereſſe dubium poteſt. Nam Ciſalpina, quæ Togatæ nomine venit, & diu Latinâ lingvâ uſa eſt, præclaros Oratores dedit, Italiæ legibus ac inſtitutis formata, ut Dionyſius ſcribit. De Gallis Braccatis, qui Narbonenſes dicuntur, Strabo teſtis eſt libro 4. *non eſſe barbaros, ſed plerosq; jam omnes Romanam formam lingvamq; & vita rationem & civitatem adeptos.* E Gallia comata primores Romanam civitatem aſſecuti, teſte Tacito *Annal. lib.* 11. & ex illo tempore, moribus, artibus, affinitatibus Romanis mixti. Martialis quoque *lib.* 7. *Epigr.* 87. ſibi gratulatur, quod in Vienna, Galliæ Narbonenſis urbe, Romanorum coloniâ, ſua ab omnibus Carmina legantur:

Fertur habere meos, ſi vera eſt fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna ſuas.

Me legit omnis ibi senior juvenisq; puerq;
Et conjux tetrico casta puella Viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea Carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt,
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettus opes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure lingvæ
Decipimur. Credam jam puto, Lause, tibi.

Jam supra etiam ostendimus, fuisse vel ante Ciceronis tempora insignes in Latinitate viros Gallos, qui publicos Romæ ludos aperuerint, è quibus omnibus patet, usum lingvæ Latinæ Gallis æque fuisse vernaculum, ac fuit Romæ, ac plures, viros quidem principes, urbanitatis studiosos, quam peregrinitate vernaculâ oblitos.

Ad Hispanos Latinæ lingvæ usum mature satis propagatum, ex Historia patet, quam adeò illic pervulgatam fuisse Strabo testis est, *ut nec sermonis quidem vernaculi memores fuerint*, illi maximè, qui ad Bætim habitarunt. Non sine causâ Horatius de Hispanis & Gallis Carminum suorum lectoribus gloriatur, cum suo tempore illa non solum Romæ, sed in provinciis cupide legerentur, è quibus monumentis illi lingvam urbanam etiam extra urbem perdiscere poterant. Ita verò ille *lib. 2. Od. 20,*

——— ——— *Me peritus*
Discet Iber, Rhodanique potor:

ubi Hispanos singulari epitheto *peritos* vocat, ut qui præ cæteris provincialibus, Romanis artibus & lingvâ imbuti. Vulgarem Hispanis lingvam, Latinam fuisse vel ex eo patet, quod Cæsar, ut *lib. 2. de bello civili* refert, *habitâ concione Cordubæ omnibus gratias egerit, Civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate studuissent habere: Hispanis, quod præsidia expulissent: Gaditanis, quod conatus adversariorum infregissent seseq; in libertatem vindicassent.* Audita ergò & intellecta Hispanis Cæsaris oratio, qua latinius nil dici poterat. Testatur & Pollio epistolâ ad Ciceronem, quæ est in familiarium libro decimo trigesima prima, se Cordubæ conciones ad populum habuisse; *Illud me Cordubæ pro concione dixisse, nemo vocabit in dubium: Provinciam me nulli, nisi qui à Senatu missus fuisset, traditurum.* Lingvæ Romanæ apud Hispanos receptæ testimonium illustre est in quodam Lapide Emporitano. Urbs enim à Massiliensibus in Hispania condita Emporiæ, cujus meminit Strabo *lib. 3.* quæ partim Græcis, partim Hispanis, partim Romanis constitit. Ita verò habet Inscriptio:

EMPO-

EMPORITANI POPULI GRÆCI
HOC TEMPLUM SUB NOMINE
DIANÆ EPHESIÆ EO SECULO
CONDIDERE, QUO NEC RE-
LICTA GRÆCORUM LINGUA
NEC IDIOMATE PATRIÆ IBE-
RÆ RECEPTO IN MORES IN
LINGUAM IN JURA IN DITIO-
NEM CESSERE ROMANAM
M. CETEGO ET L. APRONIO
COSS.

Novi equidem, non genuinam hanc Inscriptionem haberi: sed ad probandum illud, quod volums, satis autoritatis habet. Licet enim non sit antiquissima, scripta tamen ab iis fuit, qui antiquitatis notitiam habuere, & ad quos rei historia per manus tradita, præsertim cum consonent Historici. Nam Strabo testatur, Emporiis Dianam Ephesiam cultam, & Livius *lib. 34.* satis accuratè describit, *quomodo in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius, postremo Græcis in civitatem Romanam adscitis.* Non fuit porrò ex ulla gente felicior & eloquentior post Ciceronem eloquentiæ Magister, quam ex gente Hispanâ Quintilianus, qui Romæ publico stipendio eam artem professus est: Meminit & Gellius Antonij Juliani, Hispani, qui Rhetor Romæ erat eumque *lib. 1. cap. 4.* ita describit, *quod fuerit honesti atq; amœni ingenii, doctrina quoque ista utiliore ac delectabili, veterumq; elegantiarum cura & memoria multa; scriptaq; omnia antiquiora tam curiosè spectarit, aut virtutes pensitarit, ut judicium factum esse ad amussim diceres.* Hujus ille Hispani certamen eruditum cum Asiatico juvene aliisque Græculis, Latinis & Hispanis illudentibus *lib. 19. cap. 9.* recenset. Postquam ille multa Sapphica & Anacreontica cecinisset, & Græculi Julianum tanquam barbarum & agrestem, qui ortus terrâ Hispaniâ foret, lacesserent, tum, ait Gellius, illum, pro lingvâ patriâ (ita Latinam vocat) tanquam pro aris & focis animo irritato indignabundum ita respondisse: *Ne Nos, id est, nomen Latinum, tanquam profestos quosdam & insubidos ἀναφροδισίας condemnetis; permittite mihi, quæso, operiri pallio caput, quod in parum pudica oratione Socratem fecisse ajunt, & audite ac discite, nostros quoque antiquiores ante eos, quos nominastis Poëtas, amasios ac venereos fuisse.* Tum resupinum capite velato, voce admodum quam svavi versus

ait

ait cecinisse Valerii Æditui veteris Poëtæ; item Porcii Licinii, & Quinti Catulli, quibus mundius, venustius, limatius, pressius Græcum Latinumque nihil quicquam reperiatur. Videre ex illis exemplis licet, domesticam Hispanis & patriam fuisse lingvam Latinam habitam, pro qua in acerrimam illam contentionem venire veritus non est Julianus, dignissimus etiam suo tempore elegantiarum Romanarum præco & defensor: nam urbanitati & nitori illum studuisse ex autoribus illis, quorum carmina recitavit, notat. Annon & ex Hispanis Columella, etsi ætate posterior, purissimam & Romanam Latinitatem sectatur in Rusticis suis, ut præ ipso Varro durus & rusticus videatur? annon multa ille vocabula adducit latina, quibus populares sui res rusticas efferant? quod manifestum est indicium, etiam rusticos Hispanos non aliam, quam lingvam Latinam locutos. Neque Latronis Portii Hispani Eloquentia hic silentio prætermittenda, quam Seneca in Prooemio controversiarum multis laudibus effert.

Denique, an non iis temporibus idem factum esse credi potest, quod nunc nostro seculo contigisse videmus; Sunt Itali, Galli, Hispani, Germani, Scoti, Belgæ, qui adeò exquisitam in monumentis suis Latinitatem ostendunt, ut ipsa Roma antiqua nihil elegantius scribere potuerit, domesticæ peregrinitatis nemo quicquam, licet oculatissimus deprehendat. Ejus perquam multa possent exempla proferri, si eâ de re dubitare quis possit. Quare non sine causa Barthius judicat, esse inter recentiores nostros, qui cum Romanis ipsis certare possint, Romam autem jam declinantem multis parasangis antecedant. Quod si id hodiè fit, cur non idem in Romanis fieri provinciis potuit, ut quos sollicitiores in eo fuisse verosimile est, ut ad fastigium Romanæ eloquentiæ gradu proximo accederent.

Non sola itaque Provincialium peregrinitas causa corruptæ eloquentiæ fuit, sed domestica quædam urbanorum intemperies, & ut in rebus cæteris omnibus, ita & in sermone, luxus & fastidium imò & ignavia. Ea enim ingenii humani indoles est, ut optimarum etiam rerum, si quotidiana sunt, nauseam quandam concipiat, & semper novum aliquid, inauditum, insolitum, admirabile, excelsum quærat. Quare statim post Ciceronis tempora, ejus dictio minus nitida quibusdam visa est, ortique fuerunt, qui sententiarum argutiis se totos dederent. Tunc Cæstii, inepti declamatoris, orationes Ciceronianis, indignante Seneca, prælatæ. Vide Procem. in lib. 3. controv. Multæ sunt Senecæ in Procem I. Controv. ac alibi, Quintiliani in Institutionibus, & in Dialogo de Oratoribus querelæ, de quâ re etiam nos pag. 547. egimus.

Cap. XVI.

Brevis eorum, quæ de Patavinitate Livii dicta sunt, Ανακεφαλαίωσις. De Pollionis moroso ingenio nonnulla interseruntur. An Patavinitas Liviana in quibusdam idiotismis vel singularibus constiterit. Iniqui Livii censores, Erasmus, Joseph. Scaliger, Lipsius notantur. Erasmus maturiore ætate Livio æquior. Scaliger nimium ornatum in Livio reprehendit, atque in illo Patavinitatem consistere autumat. Grande dicendi genus si fuit in Livio, ornari volebat. Cæsaris Commentarii sine ornatu non implent omnia Historiæ requisita. Ciceronis judicium. An Liviani styli sublimitas oratoriam sublimitatem æquet? περιοσολογία ineptè in Livio taxata. Brevitas & Celeritas styli historici. Patavinitas Livii in redundantia verborum nonnullis reponitur. Quintiliani de μακρολογία Livii judicium refellitur. Lipsii in Livium scommata retunduntur. Summa Livii virtus, ubertas. Beniana calumnia à Pignorio refutata. De versibus in Livianâ historiâ observatis judicia. An in Compositione verborum quædam reprehendenda? Censores veterum autorum denuo notati. Modestia illis commendata. Livii gloria Pollione omnibusque Censoribus superior. Finis operis.

UT tandem manum de tabulâ tollamus, atque huic dissertationi nostræ, omni Patavinitatis suspicione discussâ, coronidem imponamus, primum quod à nobis dissertatum est, ad unam summam referemus, deinde si quid de Censuris in Livium audacioribus reliqui est, eâdem operâ discutiemus.

Non itaque vel in Pompeianarum partium studio, vel in Gallicæ nationis odio, vel in Patriarum laudum affectatione, non in Orthographiæ peregrinitate, sed in aliquo dictionis vitio, ista Pollioni Patavinitas consistere visa fuit. Qui cum ita de præstantissimo Historico judicaret, non rei veritate, sed invidia familiarique illa maledicentiâ, quâ erga omnes suos æquales usus est, ductus fuit. Qui enim Ciceroni, Salustio, Cæsari, Virgilio non pepercerat, qui teste Seneca procem. lib. 3. controvers. (illa enim superioribus nunc addimus) eâ ambitione laboravit, ut primus Romanorum advocatis hominibus sua scripta recitarit, qui naturæ adeo contumacis, ut cum fortuna etiam suâ rixaretur, quarto enim post filii obitum die declamaverat: qui Augusti ipsius amicitiam adeò vilipendebat, ut in gravissimo ejus luctu lætitiæ signa ederet: an is cum Livio humanius ageret? aut ejus gloriam æquo animo ferret? Quoniam verò occasionem huic calumniæ dederat illa, quæ inter Romanos & oppidanos notata

tata fuit ſermonis diſcrepantia; in quo Urbanitas & peregrinitas latinæ linguæ conſiſteret, diſquirendum erat. Erat vero urbani & oppidani ſermonis magna antiquis temporibus differentia, quæ cum incremento Romani imperii paulatim deſiit, exiguis remanentibus reliquiis. Urbanæ dictionis virtutes erant, quod perſpicua, morata, ſimplex, ſvavis, arguta. Peregrinitas vel è provinciis, Hiſpaniâ, Galliâ, Africa, in quibus lingua Latina præ cæteris floruit, vel è municipiis Italiæ & Latii in Romanam linguam illata. Quibus accedunt, quæ hodie è vernaculo ſermone à qualibet gente peregrinitates admitti ſolent. Fuerintne jam in Livii dictione, quæ peregrinitate aliqua Patavinâ Latinum ſermonem infuſcarint, id ut antiquis ipſis inquiſitu difficile, ita nobis longè difficillimum, qui non gentilem & domeſticum habemus, ſed lectione ſolâ linguam nobis latinam formamus. Etſi enim in Livio ſint quidam Idiotiſmi, ſcilicet ἴδια quædam, quæ apud alios non inveniantur, ita enim Patavinitatem Livianam doctiſſimus Cellarius in *Prolegomenis Curarum poſteriorum* intelligi voluit: Quo judice iſtos Idiotiſmos, quos non adeo multos eſſe arbitror, ut à purâ latinitate abhorrentes damnabimus? cum multa in ipſo Cicerone ſingularia occurrant, non temerè rejicienda, quod apud alios non legantur: quarum aliqua Andreas Schottus in *Nodis Ciceron. lib. 3. cap. 17.* notavit: quemadmodum & illa, quæ in Hygini Fabulis Munckerus aliique deprehenderunt, etſi primâ ſpecie inſolita videantur, non tamen ſtatim exturbanda, cum non pauca ex iis vindicarit Cl. Schefferus; neque ea ſit MStorum Codicum integritas, ut in illis ſemper acquieſcere poſſimus. Quod ſi ergo Livio aliquid Patavini adhæſit, mirum id videri poterat, quâ in ſolo Livio gentilem hanc labem notarit Pollio; cum cæteri tam aureæ, quam argenteæ ætatis ſcriptores pene omnes non Romæ ſed è provinciis oriundi, nihil hujus vitii contraxerint. Accedit adeò incertum Urbanitatis, ſi voces & phraſes ſpectes, judicium: in quâ cum veteres ipſi fluctuant, multò magis recentiores illi Cenſores fluctuabunt. Quæ urbanitas non ita intra urbem unam compingenda eſt, ut nulla ex ipsâ peregrinitas oriri potuerit: non ita provinciis in univerſum abjudicanda, quin in illis fuerint, qui ipſos urbanos urbanitate vincerent; Cum vel inter recentiores ſint, qui ſola Autorum Lectione eos in latinâ linguâ profectus fecerint, ut vel cum antiquis certare poſſint.

Faceſſat itaque hinc maledicus Pollio, & qui ipſo magis è recentioribus Criticis temerarii judices ſunt, & cenſuram ſuam ſine populi ſuffragio exercent. Equidem Viris ſummis talia nonnunquam excidiſſe doleo; ut Eraſmo, Scaligero, Lipſio. Ac Eraſmus quidem, qui primum in Ciceroniano ſuo in Pollionis partes conceſſerat, maturiore ætate, ut de Cicerone,

ita de Livio, rectius procul dubio sensit. Ita enim in Epistolâ ad Georgium Haloinum, quæ est libr. XII, 26. *Quod hactenus nemo tuo satisfacit animo, nec inter hos, qui scripserunt de ratione parandæ linguæ latinæ, nec ex his, qui nunc complures libris proditis testantur, quantum assecuti sint in Linguâ Latinâ, fortasse nec ipse Cicero satisfaciet animo tuo, ut non defuerunt, quibus Maro visus est solœcus, & barbarus Livius.* Josephus Sacliger suis in Manilium prolegomenis, quam à divini Parentis sui judicio discrepat! Nam cum ille seminus Romanè cum Livio, quam cum Pollione, ut is in fragmentis loquitur, loqui malle diceret; hic Pollionis sententiæ suum adjicere calculum non veretur: *Quemadmodum*, inquit, *aliud est ornatè loqui, alud purè: ita aliud est βαρβαρίζειν, aliud inconditè loqui; quod quidem multis imposuit, qui βαρβαρισμὸν vocant inconditum sermonem. Illa anus, quæ in Theophrasti sermone peregrinitatem notavit, magis Atticè, & minus ornatè, quam Theophrastus loqui potuit. Idem dicas de Livio: cujus dictio ornatior, quam Latinior illi Critico videbatur; qui Patavinitatem in eo animadvertebat.*

Sed quem ornatum hic Scaliger reprehendit, qui Romanum illum nitorem obfuscaret? An quod grande dicendi genus secutus est? hanc enim Patavinitatem interpretabatur Philelphus, *quod sc. Livius plerumque neglexerit sequi vulgare genus orationis, & se communis sensus consvetudini minus accommodaverit.* Quid Philelphus hic suâ censura velit, ipse, credo, non satis explicaret. Sed si grande in Livio dicendi genus est: an hinc ullum Latinæ linguæ vitium? Requirebat certè aliquid augusti argumenti majestas, neque satis ornabat historiam Romanam pura illa simplexque Cæsaris dictio, quæ ut Cicero ait, omni ornatu, quasi veste, detracta. Quæ etiam Fr. Florid. Sabin. lib. 1. Lect. subcisiv. cap. 2. sententia est: *Cum illos Commentariorum libros mundissimos credamus, virtutes tamen, quæ ab historico requiruntur, non exactè docent. Quid enim, si ducem apud milites concionantem exprimere cupias, an Cæsaris iter insistas? non opinor: cum nulla apud eum absoluta legatur oratio, quod est historico, ut si quid aliud, necessarium. Quid si rei difficultatem, horrorem, perturbationem & alia, quæ se scribenti offerunt, verborum structura, seu contextu ob legentis oculos ponere & facta, (ut ait Salustius,) dictis exæquare labores? an in Cæsaris commentarios intueberis? an non potius in duo historiæ Romanæ lumina Livium & Salustium?* Quare Cicero ipse, etsi præ manibus haberet Cæsaris commentarios, tamen hoc scriptionis genus apud Romanos non satis ornatum querebatur. Nam in I. de Legib. hæc ad Ciceronem ex Attici personâ dicta habentur: *Postulatur à te jam diu vel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipse senti-*

sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea, quæ satis per se est, per eundem te sit ornata. Potes autem tu profectò satisfacere in eâ, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc Oratorium maximè. Quod si ergo è Ciceronis sententia Oratorium maximè est, Historiam scribere, & ad orationem ornatus omnino requiratur; non potest à justo Historiæ corpore abesse ornatus. Ipsæ Ciceronis orationes annon sunt ornatissimæ? nihil tamen ille ornatus Latinæ linguæ derogat. Quare ineptè hæc tanquam contraria sibi opponit Scaliger.

Non probaverim tamen illud Andreæ Schotti, *lib. 1. Tullian. quæst. cap. 18.* qui Livium hoc grandi genere uti existimat, quo Cicero in orationibus utitur. Nam etsi Livius præ cæteris plenius rerum & factorum circumstantias recenset, variasque digressiones & descriptiones loci & temporis immiscet: ita tamen se gerit, ut historicum se esse meminerit, qui res gestas dilucidè, & quantâ fieri potest cum delectatione, enarrat; non vero omni amplificandi genere, factâ ubique morâ, exardet. Itaque in Concionibus rerum argumentis est densior, quam rerum ornamentis copiosior; ut rectè de eo judicavit Bucoldianus lib. 2. de Invent. & amplificat. orat. cap. 38. In omnibus ita se gerit Livius, ut de historico stylo præcepit Trapezunt. l. 5. Rhet. pag. 175. *Nullam, quæ ad rem pertinent, circumstantiam historicus relinquet, & cum nihil minutarum rerum etiam prætermittat, modum quoque ad unamquamq; rem adjiciet. Neq; tamen in singulis, ut oratores faciunt, immorabitur, sed singulorum expositione, non amplificatione consequetur, ut & res geri videatur, & affectus moveatur, ex quo fit, ut in hâc quoque minuta descriptione rerum ab historico genere, formâque narrationis non discedat, quam quidem descriptionem tum sc. latissimè occupabit, cum res magna acciderit.* Ita porro hoc grande dicendi genus in Livio circumscribit Trapezuntius, ut nunquam humilitate rerum demitti, nunquam magnitudine ulterius quam oporteat efferri, nunquam denique multitudine confundi judicet.

Inepti itaque sunt & nihil in eloquentiâ sapiunt, qui nescio quam in Livio περισσολογίαν damnant, quod etiam in Cicerone vitium à stultis hominibus reprehensum fuit, qui illam copiosè loquentem sapientiam non capiebant. Quod si quis Salustii historiam cum Livianâ conferre velit, ut erudite contulit Joannes Jovian. Pontanus in Actio Dialogo, satis quantum præ Salustiana brevitate decoris habeat Liviana copia, deprehendet. Argumento sanè differunt. Salustius flumen aliquod decurrit, Livius totum Oceanum pernavigat: Ut credam ego, Quintiliani judicium non vacare aliquo mendo, cum *lib. 2. cap. 5.* Salustium majoris historiæ autorem

torem vocat, quam Livium: ubi tamen Barthii emendatio *Advers. lib. 48. cap. 19.* mihi non satisfacit.

In illâ tamen ubertate quod mireris, non desunt illæ Historici styli virtutes, Brevitas & Celeritas, sed suo dicendi generi accommodatæ. Nam etsi Salustius brevitate superat Livium, tamen Livius in copiosâ oratione intra illos se fines continet, ne ultrà ubertatem historici styli excurrat. Celeritas verò, γοργότης, brevitati quodammodo cognata, (nam in ipsa brevitate copiam quasi continet, & in copia brevitatem præ se ferre videtur, estque brevis & accurata complexio, collectio sive conglutinatio complurium simul rerum ac verborum & quasi partium) adeò in Livio est mirabilis, ut ipsam rem subjicere oculis videatur, ut cum de Annibale: *Inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti; nullus deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* De hâc Celeritate pulchrè Pontanus: *Ut manus ad agendum, pedes ad inambulandum innitendumq; multis pollent juncturis, sic & ipsa celeritas suis articulis indefessa indefatigataq; est.* Quæ sermonis virtus cum mirificè narrationi inserviat, cui à naturâ destinata videtur, cum & varietatem non solum, sed & venustatem orationi conciliet, delirant profectò, qui inutilem hanc verborum coacervationem existimant, easque ob causas περισσολογίας & sermonis redundantiam in Livio reprehendunt.

Sunt, qui in eo Patavinitatem illam consistere autumant. Nam Franciscus Motthæus Vayerus in libro Gallico de antiquis & præcipuis historicis hoc recenset: *Quelques un pense qu' elle consistoit simplement en une repetion, ou plutost multiplicité de plusieurs dictions synonymes dans une mesme periode, contre ce, qui se pratiquoit à Rome; ou l' on n' aimoit pas cette redondance, qui faisoit remarquer les estrangeres.* Nemo non videt, stulta esse hæc & temeraria judicia, pari numero cum illa Caligulæ censura habenda, qui verbosum Livium vocabat, uti Virgilium tanquam nullius ingenii minimæque doctrinæ hominem arguit & de Homeri Carminibus abolendis cogitavit. Synonymorum sanè coacervatio Romanis, Ciceroni imprimis, non inusitata. Reprehendit & Quintilianus *lib. 3. cap. 3.* in ipso μακρολογίας cum ait *lib. 8.* *Legati non impetrata pace retro domum, unde venerant, abierunt;* cui non malè respondet Böclerus in de Eloq. Viri civilis: *longè differre interdum sensum scribentis à legente; atque sicut magistris dicendi solenne est, omnia ad regulas artis usque ad minutias revocare: ita Scriptores de industria à præceptis, cum ratione, ad fiduciam & securitatem quandam sua studia referre, denique ad venustatem orationis totius vix pertinere, si capillus non prorsus ad leges Geometricas sit repositus.*

Quis ergò Lipsium, Virum quidem doctum, sed minimè idoneum

harum rerum judicem ferat? qui *notis ad polit. lib. 1. cap. 9.* Livium supinum & frigidum, imò & ταυτόλογον, sententiis quidem bonum, sed non frequentem agnoscit. Ex Lipsii ingenio si veteres æstimari autores deberent, miram haberemus & nullius boni succi ac coloris eloquentiam. Quæ ille in Livio, ut vitia reprehendit, virtutes sunt. An ille in Livii vitiis tam acutum cernat, ut aquila aut serpens Epidaurius,

Cum sua pervideat oculis mala lippus inunctis.

Nisi enim omnia argutiis & minutis ac abruptis sententiis fracta fuerint, illi frigida erunt & ταυτόλογα: Cum nemo magis in illa brevitate frigidus & ταυτόλογος sit, quam Lipsius, & qui illum seqvuntur. Non est ineptus sententiarum ostentator Livius, sed quæ in illo latitent civilis prudentiæ oracula, abunde ostendit Machiavellus. In Lipsium, frequentiores in Livio sententias requirentem, optimè convenit, quod Cicero in Oratore suo de Thucydideis illis judicat, qui multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur. Quid illi in Livio laudabile videatur, qui etiam in Cæsare, scriptore purissimo, *Elect. 2. cap. 7.* multa otiosa, disjuncta, intricata, interpolata reperit, & in dictione ipsa spirare naribus suis auram illam puræ antiquitatis negat. Cujus culpam etsi in imperitos librarios confert, mirum tamen hic videri possit, adeò obesæ naris præ emunctæ naris Critico Lipsio fuisse cæteros, ut hanc ipsi auram non subolfacerent. Non malè adversus has similesque Lipsii calumnias Livium defendit Facius in Politicorum Livianorum prologo. Tantum ergò abest, ut ἀδολεσχολογίας vitio notari oratio Liviana debeat, ut potius lacteam in illo ubertatem deprædicet Quintilianus, mare tranquillum vocet Cæsar Scaliger. Ubertate Quintilianus orationis amplitudinem commendat, cum lacteam vocat, candorem ac facilitatem ostendit. Mari Scaliger comparat, cum inexhaustam ejus ubertatem respicit: tranquillum appellat, ut demat vitia, quæ copiam haud rarò comitari solent.

Plura restant apud Benium in Livium scommata impune adeò à mordacissimo hoc homine sine pudore & ratione protrusa, ut vix sanæ mentis esse & furiis quibusdam agitatum credas. Quorum stultitiam dignis modis excepit Laurentius Pignorius in *Symb. Epist. epist. 44.* In quibus etiam futile hoc & nugatorium, quod in compositione verborum integris nonnunquam versibus utatur, quasi non infinita talia in omni scriptorum genere notari possint, quæ aliud agentibus exciderunt, neque tamen rectè versus vocantur, etsi pedibus certis constant. Nisi enim adsit numerus & concinnus vocum positus, vel aures accuratissimas effugiet. Eorum farrago colligitur apud *Barth. Adversarior. lib. 8. cap. 21. lib. 32. c. 4. lib. 31. cap. 17. lib. 41. cap. 22. lib. 16. cap. 14. lib. 11. cap. 16.* ac ipse non pauca exempla notavi.

Ac profecto verum est, quod Jol. Lud. Vives lib. 4. de causis corrupt. disc. ait: *Adhibeat quantamcunque operam & diligentiam quis volet, attentissimè se observet ipse custos sui, non poterit tamen versum effugere. Si quis maximorum autorum orationes excutiat, ex versibus, aut magna eorum parte, videbit omnia conflata, etiam notis, etiam sonoris magis, quam sunt trimetri jambici familiares fabulis.* Est verò multus illic in hoc argumento Vives, & plurimis tum rationibus, tum exemplis suam sententiam firmat. Frustra per hæc exempla Livius Poëtismi arguitur. Quousque Poëtæ cum Historico sit convenientia, jam supra diximus, & versus nonnunquam intermisti svavitatem sermoni conciliant, ut Hermog. *de Ideis lib. 2. cap. 4.* probat. Verum, ut ab historica abesse dictione debent, ita hi ne versuum quidem loco habendi sunt.

Exsibilandus itaque cum his suis argutatiunculis omnino est Benius, qui in primis illis Livii verbis, quæ versum Hexametrum nonnullis exprimere videntur: *Facturusne opera pretium sim, si à primordio*, etiam phrasin illam *facere opera pretium*, ut minus latinam reprehendit. In structura sermonis & in compositione verborum nescio quid eidem displicet: etsi enim è verborum non satis aptâ collocatione præcipuè peregrinitas inferri in sermonem possit, ut demonstrare voluit, qui de prærogativa Gallicæ lingvæ præ Latina dissertationem Gallicam ante aliquot annos scripsit: non video tamen, quibus in ordinem redigere rationibus Livium velit Benius, qui totâ suâ dissertatione id operam dat, ut cum ratione insaniat. De Livio quidem Böclerus in Eloq. Viri civilis: *Fortassis delicati oris limatiq; judicii politicus, etiamsi totum probet ametq; Livium, non omnes periodorum structuras mensurasq; interdum suo proposito existimabit conducere.* Verum hæc, ut opinor, Böclerus non ideò dicta vult, ut Livium ob malam verborum collocationem reprehendat, sed ut quædam in ipso non imitanda ostendat.

Valeant iniquissimi illi veterum Autorum censores, quales cum iis hominum monstris comparat Gellius *lib. 17. cap. 1.* qui de diis immortalibus impias opiniones prodiderunt; ac sibi illud Balzaci dictum putent: *speciem esse sacrilegii, non æstimare antiquos.* Cum enim summopere illis gratulari deberemus, quod è tam multis tempestatibus ad nos evaserint, in illos summè injurii & ingrati sumus, cum petulantissimis nostris censuris illos insectamur. Dissimulemus potius, occultemus, quoad fieri potest, errores magnorum hominum, ut Balzacus *sermon. 11. Gallico de spuriâ Criticâ* ait: vel saltem malo exemplo in publicum non proferamus. Tueamur nonnunquam illorum sententias, adversus oculorum nostrorum fidem, adversus Dialectices & Grammatices nostræ dubia, ita ut vel nullos in illis erro-

errores, vel pulchros esse ostendamus, & potius velut virtutes imperfectas veneremur, quam ut vitia damnemus. Vibrabimus in imperitos & acerbos illos censores, ut telum aliquod, Critici non solum clarissimi, sed & Viri eloquentissimi, Mureti *lib. 17. cap. 11. Var. Lect.* censuram: *Quod mihi interdum risum, interdum stomachum movet, obscuri homunciones reperiuntur, qui nobilissimos quosque scriptores, quosque tanquam in cœlo, ut ita dicam, merita collocarunt, in ordinem cogere, & de iis adversus tot seculorum sententiam judicare audeant. Alius Homerum damnat: alius in Virgilio multa reprehendit: alius præcepta Horatii de arte Poëticâ irridet: alius Ovidium ait nescisse latinè loqui: quasi nos hodie, quid sit latinè loqui, sciamus: alius alia, quorum me pudet pigetque. Miseri, quanto melius facerent, si ad res intelligendas, & ad virtutes eorum penitus cognoscendas, & quantum cujusque vires ferunt, imitando studium conferrent, quam nunc, cum canum lunam allatrantium more, ad quos aspicere non possunt, eorum famam lacerare contendunt. Neque negaverim, esse & in veteribus, quæ culpari possunt, homines enim fuerunt: sed, ut in formosis corporibus nævos notamus, non propterea totam formam despicimus: sic & in illis, si qua non placent, modestè notanda, non ipsos tribu movendos censeo. Modesta judicia fero: impudentiam & arrogantiam non fero.* Inculco denuò & repetens iterumque iterumque monebo, quod supra *cap. 2.* è Quint. *l. 10. c. 1.* adduximus: *Modestè & circumspecto judicio de magnis autoribus pronunciandum est: ne, quod plerumque accidit, damnent, quod non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam displicere maluerim.*

Hæc in omnes Veterum autorum immodestos Censores dicta, merito insidere omnium animis debent. Quibus enim non objurgationibus, quâ non procellâ verborum impia hæc capita obrui merentur? Nos Livii causam hâc dissertatione pro virili adversus Pollionem defendendam suscepimus. Qui etsi vivum Livium è Roma in Patavium relegare voluit; hic tamen etiam post fata perenni Romanæ Civitatis jure donatus immortales in orbe literato triumphos agit, cum Pollio, ex illa sua Roma in perpetuum pulsus exilium, inanem nominis sui & illaudatam tantum memoriam nobis reliquerit. Et hic quidem suos jamdudum passus est manes. Illustribus seculi nostri viris, si quid in Livium acerbius dixerint, condonandum arbitror. Reliquos illos Deos patellarios ac Criticastros, hesternos Livii nostri censores, cum Demetriis & Tigelliis Horatianis

Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

FINIS.


APPEN-

APPENDIX

Dissertationum aliquot, quæ ab amicis, ut ederentur, ad nos pervenerunt.

AD LECTOREM.

Quas postremo hoc loco tecum communicamus, benevole Lector, Dissertatiunculas, & stylus, & rerum tractatio, & testimonia denique bonorum ac doctorum virorum, in quoram manibus hæ erant, Morhofio sine dubio asserunt. De Fragmento vero Dissert. de Merit. Germanor. ne dubitet quidem aliquis temerè, superstitibus tot ejus auditoribus: â quibus nisi, ut querebatur sæpius, fuisset, nescio quam ob rem, desertus, integram haberemus hanc Dissertationem. Plura de hac re dicere, nunc nihil attinet. Bibliopolæ hæc jam edenti, ne foliola ea perirent, subjici ista sic placuit. Laudabis, L. ejus minimum voluntatem, & hoc, quicquid est, cum reliquis boni consules. Vale.



DISSERTATIO DE QUINTA ESSENTIA CATHOLICO MORBORUM REMEDIO.

Cap. I.

Quod Morbi in Spiritibus consistant.

QUanquam disputatum toties probatumque à sagacioribus naturæ consultis sit, ad morbos rectè curandos egere nos spiritalibus quibusdam remediis, per artem chemicam, vel ex mineralium, vel vegetabilium ordine ad summam usq; & æthaream quasi puritatem præparatis: Nihilominus surdo hactenus orbi narratur fabula, antiqvum obtinente Schola Galenica, ejusque sectatoribus, frustra reclamantibus iis, qui meliora docti sublimioribus præsidiis ad morbos profligandos utuntur. Adeò enim nullus vulgò remediorum delectus est, nulla puri ab impuro separatio, propinantur sexcenta inter se commista, cruda, impura, non fermentata, debili stomacho, cum tot cruditatibus infeliciter luctanti, inde citius sæpè ad mortem, quam sanitatem, via est. Meminisse verò boni illi viri debebant, morbos nostros, ut in spiritibus consistunt, ita spiritalibus egere remediis, quas QUINTAS Philosophi ESSENTIAS dixerunt: Cum illud demum, quod purum est & æthereum, in specie aliqua aptum natum sit operari in spiritus, eorumque affectiones; Impediat verò operationes illas crassa materiæ saburra, efficiatque, ut natura debilis, in extrahendo puro illo sibique applicando, occupata succumbat, quo sublevare labore eam artifex potuisset & debuisset. Huic communi pervulgatoque morbo, ut & nos ali-

quam paremus medicinam, constituimus de Quinta Essentia quædam commentari. Quod antequam facimus, demonstrandum nobis est, *in spiritibus nostris omne morborum genus consistere*, & ab eorum prava dispositione, debilitate, agitatione inordinata, corporis infirmitates, & ipsum naturæ senium, dependere.

Ac primum quidem ventriculus, illa concoctionis officina, vasque, ut ita loquar, corporis nostri distillatorium, naturali suo fermento cibos ingestos digerit, purum ab impuro & fecibus separat, & Chylum primo conficit, unde sanguis paratur; In ipso sangvine maxime volatiles & spiritales partes alimento nostro, ipsique vitæ calidique innati augmento impenduntur, unde omnes operationes nostræ naturales dependent. Hinc educuntur Spiritus, qui præcipua instrumenta corporis, & facultatum sedes, & vinculum ad obeundas actiones, & in cordis sinubus, & arteriis, & ventriculis cerebri continentur, totumque adeo corpus pervadunt, movent, impellunt, vivificant. Spiritus sunt qui nutriunt, qui homogenea attrahunt, heterogenea expellunt, qui purgant, corroborant; quoque potentiores sunt, eò felicius expeditiusque ministeria sua absoluunt. Quare quamdiu illi bene se habent, omnes corporis partes officium faciunt, justaque totius corporis temperies & sanitas est: simul ac vero digestio debilis aut nimia est, cibi etiam in sveti, crassi, pingves, salsi, insulsi, dulces, acidi, frigidi, calidi, flatulenti, nimii etiam & inordinati; humores generantur, putredines colliguntur, unde fætor afflat spiritus, & fuligine sua luciditatem eorum tingit, quibus proin multum accedit impuri, quod secernere alias natura ordinariæ digestioni relicta consveverat. Hinc convulsiones nervorum, dolores partium, tumores, stupores, torpores, somnolentiæ, febres, omneque morborum genus: qui eo sunt atrociores & pertinaciores, quo illa intemperies spirituum per tempus aliquod continuata, novisque peccantis materiæ incrementis aucta in pejorem semper statum deducitur. Hinc ipsæ animæ facultates impediuntur, quæ adeo connexæ sunt spirituum operationibus, ut absque eorum ministerio bonaque constitutione salvæ esse non possint, unde Melancholia, furor, aliaque gravissima animi pathemata sæpe oriuntur. A caloris & spirituum debilitate senectus quoque, quæ ipsa morbus est, corpori accidit, pili canescunt, cutis corrugatur. Cum enim longo temporis cursu illa ætas ad frigiditatem & siccitatem inclinet, nutrimentum corrumpitur, sangvis exiguus & phlegmaticus generatur, aggregantur humores multi, unde debilitantur spiritus. Et hæc quidem ab internis causis. Videmus & Spiritus ab externis causis affici gravissimosque contrahere morbos, quales sunt, qui ab afflatu venenati odoris

in

in aëre corrupto, vel alia re infectâ contenti subito atque extempore nobis obveniunt. Nihil enim magis, quam fætor & putridæ exhalationes, adversatur spiritibus, aut vitalem illam flammam inficit. Ut enim bonus odor cibus est animæ, & nutrimentum quoddam & pabulum spirituum, cum quibus magnetismum quendam servat: ita fætor omnis summè ab iis alienus, hostisque eorum juratus; de quo eleganter disserentem vide *Campanellam de sensu rerum lib. 6. cap. 6.* Hinc vel solo malignorum effluviorum odore vidimus aliquos lipothymiâ correptos, dolores capitis obortos, nauseam, vomitus, tusses, singultus, vertiginem, epilepsiam, apoplexiam, dysenteriam; quæ omnia sexcentis confirmari exemplis possent, si instituti nostri ratio pateretur. Sunt odores suffocantes, sunt convulsivi, sunt qui infatuant, ut in uteri affectibus sæpe occurrit. Referre hic quoque possis animi pathemata: iram, invidiam, tristitiam, metum, amorem, desiderium, curas; quæ proverbio etiam cor edere, id est, spiritus vitales absumere dicuntur; meditationes profundas, intensas, continuas, item quæ sensibus externis adversantur, quæ aspectu horribilia. Sic ovem aliquando ob continuum ex lupi adspectu metum, largè quamvis administrato pabulo, adeò emaciatam fuisse legimus, ut vix ossibus hæreret. Spectant & huc labores & motus corporis continui & insueti. Quæ omnia cum spiritus sibi non sufficientes exhauriant, vel inordinate moveant, necesse est, sequi inde morbos & accelerari senectutem.

Nonnunquam è nimiâ spirituum copia, & eorum vehementi agitatione, ipse furor provenit. Videmus etiam, à morsu canis rabidi, spirituum in cane inordinatos motus spiritibus corporis humani communicari, ut, nisi sistatur frigidâ suffusâ furibundus ille motus, rabies ipsa sequatur. Deinde quanta vis spirituum in morbis contrahendis sit, abundè patet, si persvasionis vires consideremus, de quibus omnibus fusius nunc non dissercmus, cum voluminis potius, quam dissertationis res esset, si per singula morborum genera vagaremur, eaque instituto nostro accommodaremus.

CAP. II.

Quod Spiritalia remedia, quas Quintas Essentias dicimus, morbis adhibenda.

QUandoquidem ergo, ut in superiori capite diximus, morbi corporum consistunt in sola spirituum dispositione, videndum est.

eſt, ut talia illis remedia opponantur, quæ ſpiritalem habent potentiam & influxum, ut ita dicam, æthereum. De ſeminibus præclarè & ad rem appoſitè *Ariſtoteles de generatione animalium lib. 2. cap. 3.* Ineſt in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Atque hæc illa natura eſt, quæ operatur, quæ in nobis *Calidum innatum*, dicitur, in herbis aliisque rebus puriſſima quædam eſſentia, per divinam chemiæ artem elicienda, ut remotis ſordibus & fecibus terreſtribus ſulphureque impuro, & purior ſit, & in operatione potentior. Cum enim nihil creet perfectum natura, ne quidem illa, quæ in nutrimentum cedere debent homini, niſi artis adjumento ad perfectionem deducantur, qualia ſunt panis, vinum, mel, & alia plura: ſimiliter facit & in medicamentis, quæ nobis cruda, indigeſta atque impura producit, à nobis ita elaboranda & ſubtilianda, ut, remotis corticibus & inutili ſaburra, purior illa & lucida pars, τὸ θεῖον, quod in unaquaque re inveſtigari debet, pro morborum curatione eliciatur. Facilè enim quivis intelligit, remedia, quo magis ad naturam ſpirituum, in quibus morbus eſt, accedunt, fortiora eſſe in operando, & eo magis morbo reſiſtere. Nam cum ex impuris ciborum elementis morbi ortum trahant, parum naturæ laboranti ſubſidii accedit, ſi impura relinquantur medicamenta, morbum potius auctura, quam ſpiritus in morbos armatura. Alchimia ſcilicet quaſi ventriculi vice fungitur, quæ corpora ſpecierum ſolvit, impura ſeparat, pura extrahit, atque adeo ad deſtinatam à natura perfectionem facillimè deducit. Quod ſi in cibis, qui ægro præparantur, illos præferimus, qui liquidi ſunt & ſpirituoſi, ne moleſta craſſiorum alimentorum concoctio ſit, cur idem in medicamentis non facimus, ut ſpirituoſas tantum partes, reliquis abjectis, propinemus? Ac videmus ſane in vulgatis etiam remediis, quæ extrinſecus corpori applicantur, ſanationem odoribus, id eſt, ſpiritalibus effluviis fieri. Videmus uteri affectus, dolores colicos, ſolis ungventis aliquando ſuperari, cum tamen non ungventum, ſed tantum ejus odor perſpiret atque intus agat. Ita quamvis Epilepticus nihil ſentiat, ſi vel ignis adhibeatur, ubi ſolis tamen odoribus cerebrum inunctum, morbus vel mitigatur, vel exaſperatur. Quin & ipſa medicamenta cruda in os adſumpta non niſi per odorem tenuiſſimosque ſpiritus operantur. Quos ſi præparatos & perfectos quis propinet ægro, gaudebit natura, ſe multo compendio reperiſſe illum liquorem, unde ſpiritus ſibi vitales roboret, & contra impuri-

tates

tates circumfusas muniat. Habere ergò penè in instanti effectum medicina potest, cum alias non nisi longa mora, & sæpè frustra, ob ventriculi debilitatem cruditates admixtas non superantis, felix aliquis eventus sperari possit. Est præterea inter spiritus nostros & Quintam Essentiam, tantus magnetismus tantaque similitudo, ut major esse non possit. Spiritus enim nostri sua quidem natura ætherei, puri, quanquam è putredine humorum orti fætores nebulam illis offundunt, unde morbi in corpore oriuntur, rebus incorruptibilibus, tanquam sui similibus, qualis Quinta Essentia est, servari debent, unde confirmati atque aucti majus contra morbos robur acquirant. Etenim, quoniam *mors & morbus nihil aliud est, quam corruptio vel transitus ad corruptionem*, ea præcaveri non potest, nisi per rem incorruptibilem, quæ & vitam servat & producit, & ratione similitudinis, quam habet cum spiritibus ac calore nostro, omnibus morbis contraria est. Præterea cum hæc medicina, quam describimus, sit separata ab omni materia elementali, & quasi anima è corpore suo sejuncta, facile sine impedimento vires suas exeret. Quare propter summam istam subtilitatem *Cœlum Philosophorum* à Philosophis dicta est. Quemadmodum enim cœlum & corpora cœlestia, quibus analogum vocabat spiritum *Aristoteles*, qui in seminibus rerum habitat, ut universalis causa influit in res omnes, ita hæc, ut *medicina universalis*, omnes alias incurabiles morbos sanat, & spiritibus nostris, quæ ejusdem naturæ ætheree sunt, aggregatur. Quemadmodum etiam cœlum se habet ad quatuor elementa; ita & *hoc Cœlum Philosophorum* ad quatuor corporis humani, quod ex elementis compositum est, qualitates, *unde & Essentia Quinta dicitur:* Cujus appellationis rationes affert *Carolus à Petra Alba, lib. de Quinta essentia*.

CAP. III.

Quid sit illa Essentia, & quomodo præparetur.

AD Caput rei accedimus, quid sit QUINTA ESSENTIA, & quomodo præparetur dicturi. Malumus autem *Venerabilis Lullii*, summi in arte divina artificis, verbis, quàm nostris, ista describere. Ita vero ille, libro *de Conservatione vitæ & Quinta Essentia:* Quintam Essentam scito esse quintum rei cujuslibet, habentis formam & speciem,

& animam subtilissimam extractam à corpore suo, tanquam à materia crassiori, & superfluitate quatuor elementorum, subtilissimam & supremam distillationem, quæ mundo non innotuit. Quibus ultimis verbis præparandi modum innuit: nam in subtilissima & lentissima distillatione magna medicinæ pars posita est. *Carolus à Petra Alba lib. de Quinta Essentia* ita describit: Est cujusque alimenti & medicamenti cœlestis vis, arte chemica ab elementis, quantum fieri potest, depurata, ad virium conservationem, humanæ vitæ propagationem morborumque perniciosorum profligationem faciens. Atque ille alimentum jungit medicamento, ut demonstret similitudinem inter spiritus nostros & Quintam Essentiam. Rursus ille: Superioribus propositionibus probavimus, in omni mixto separationem fieri posse, & cum partes mixti tres sint, diximus facultatem specificam contineri in parte media, seu oleaginosa: quod si datur hæc separatio (ut verè datur) ut partes subtiliores separentur à crassioribus, ea pars, quæ prius extracta fuerit tenuis, poterit etiam magis attenuari per sublimationem, adeò fere, ut ad extremam tenuitatem & puritatem deveniat, & ulterius progredi non possit, nec magis ab arte attenuari & purior reddi, & hæc erit Quinta Essentia.

Extrahi Quinta Essentia ex omnibus vegetabilibus, imò & mineralibus potest, mediante alia Quinta Essentia, quæ *Mercurii vegetabilis* nomine quoque appellatur. Atque hic est pretiosissimus ille liquor, magna arte, subtilitate, industria præparatus, svavis, sine horribili & acuto vel sulphureo sapore, aut odore, ex se solo constans, nulla peregrina re admista, qui *cæli* nomine ob summam illam puritatem honoratus est à Philosophis. Is, cuicunque rei applicetur, per horarum aliquot spacium omnem adeò vim extrahit, ut fatuam terram, aut fœtores & impura sulphura post se relinquat, solamque purissimam æthercam & limpidissimam substantiam sibi associet. Cristallinæ enim puritatis omnes, quacunque ex re paraveris, essentiæ sunt, quod certissimum est verarum essentiarum argumentum. Namque cum color externus rei sit, & in sulphure impuro plerumque sedem suam habeat, remanet, nec à nobilissimo menstruo arripitur. Quid magis tingit, quam crocus: & Essentia tamen ejus cristallina est, perfectissimum habens & odorem & saporem croci, quod demonstrari à nobis ad oculum potest: Similiter se res habet cum cæteris rebus coloratis, à quibus Essentiæ parantur, ad splendorem usque perspicuæ & candidæ, & in omne ævum incorruptibiles, si benè tantum custodiantur, ne exspirent: Sunt enim summè volatiles. Lubet audire ea de re dissertantem *Lullium:* Porrò. Quinta Essentia rei mixtæ cum Quinta Essentia nostra convertitur in talem naturam, sicut res est, quæ sibi immittitur.

Si sit calida, si frigida, si humida, si sicca, si laxativa, si styptica, vel cujusvis alterius complexionis, & odoris fuerit, & saporis, talis naturæ sit, quia appetitum habet ad hanc complexionem, vel illam. Talem igitur Quintam Essentiam habebis, sicut res, quam sibi intromiseris, talis odoris & saporis, complexionis, virtutis & operationis; & sic cum una & eadem medicina diversas operationes facies; ad quam non perveniet operator duræ cervicis: & sic cum cœlo nostro, seu mercurio vegetabili, cum stellis suis, quæ sunt plantæ, lapides, & metalla, & cum omnibus istis in nobis vitam & salutem tuemur & procuramus per artem & naturam, quod reputabitur ad miraculum. Quæ omnia vera esse, nostra nos docuit experientia; & gratias agimus DEO, quod tanto thesauro nos dignatus fuerit.

Cap. IV.

De Viribus & Usu hujus medicinæ.

Quanquam è priori capite facilè intelligat prudens medicus, quid promittere sibi ab ætherea hac medicina debeat, non tamen ab re erit, si plenius quædam de ejus viribus dicamus, atque ex *Lullio* eas præcipuè ostendamus. Hæc Quinta Essentia, inquit ille, est valdè pretiosa super omnes res pretiosas, & est valdè subtilis & penetrativa, supra omne, quodque subtile & penetrativum, quia ex nobili virtute & potestate ipsius valde penetrat, sine læsione corporis, sed potius cum confortatione ipsius eam suscipientis, sicut radii solis penetrant vitrum sine fractione ipsius: ita ejus virtus penetrat totum corpus sine læsione corporis, & cum est composita, est perfectior in qualitate & proprietate complexionis illius compositi, ex quo est composita: Quod si est composita ex composito calido & humido, habet virtutem & complexionem calidam & humidam; Si ex composito calido & sicco, habet virtutem & complexionem calidam & siccam; & sic de singulis qualitatibus elementorum. Hæc Quinta Essentia expellit omne nocivum à corde statim, non solum à corde, sed & à corpore, & cerebro, hepate, splene, & universaliter toto corpore humano, à planta pedis, usque ad verticem capitis: ipsa refrigerat, & calefacit, humectat & desiccat, aperit & claudit, mundat & incarnat, consolidat & conservat omne quodque ab omni corruptione, & non sinit ibi aliquod putridum generari, ubi

applicata fuerit: confortat intellectum, ad investigandum res difficiles, & dat audaciam. Et alibi: DEus talem contulit virtutem generalitatis nostræ Quintæ Essentiæ, ut nec intellectus humanus possit capere, nec lingua narrare miraculosas virtutes, quas DEus posuit in nostra Quinta Essentiâ, & inter omnes alias Quintas Essentias præcipuè valet ad ægros, de quorum vita ultimatè desparatur, ita quod à medicis & vitæ actibus sint derelicti in tantum, quod sensibus non utantur; his in tali casu desperato subvenimus, ut loquantur & vivant, nisi sit ille terminus à DEo constitutus, & mysterium hujus secreti est, ut adhibeas ei Quintam Essentiam nostram per se solam, & statim intra modicum tempus resurget vivus, dum in stomacho transglutiens influet cordi radium vitæ naturalis caloris, & in futuro videbis naturam reparatam. Hæc ille magnificè quidem, sed verissimè de Quinta Essentia sua. Quod si quis jam ergo naturam morbi habeat cognitam, & simplicia illa, quæ ad curationem faciunt, facile parabit sibi Quintas Essentias ex iis, quæ ad miraculum usque sanabunt ægros. Adhiberi autem tam intus quam exterius potest, etiam in iis, quæ chirurgi manum requirunt. Novimus experientiâ nostrâ, quod erysipelas, & sphacelus, morbi teterrimi, statim curati sint Quintâ hac Essentia, postquam certi alicujus mineralis tincturam extraxerat: Ea leniter loco affecto illita id efficit, ut visibili pene fumo materia peccans abiret, & tumor recederet. Quod siquis speciatim scire cupiat, quomodo in singulis procedendum, is adeat *Lullium*, qui *in libro secretorum, distinctione secunda*, prolixè & distinctè ea de re agit.

CAP. V.

De Antiquitate & dignitate hujus Medicinæ.

NE quis vero hanc ut novam & antiquis inusitatam criminetur medicinam, atque adeo titulo magis speciosam, quam re ipsa perfectam putet, sciat aliquis, demonstrare probabilibus nos argumentis posse, fuisse hanc jam tum ab omni ævo in usu, & priscis philosophis Hermeticis notissimam: quanquam fabularum & ænigmatum involucris eam æquè, ut *magni Elixiris philosophici* præparationem, absconderint; Neque enim, ab illa si discesseris, ulla in tota rerum natura potentior medicina est: ne quid dicam de insigni ejus in metalla etiam perfectissima efficacia, quæ major est, quam credere quis possit: Quare non

non exiguum se thesaurum adeptum esse credat, qui ad hujus medicinæ sacra propius admissus est. Ut prætereamus ea, quæ *ex Ægyptiorum schola hieroglyphica* adferri poterant, sunt enim aliquantò remotiora, & accuratam rei ipsius explanationem postulant, jam inter antiquos philosophos & medicos *Athenæum* & *Archigenem* invenimus, quorum hæc fuit doctrina, spiritu solo omnia penetrante, tum naturalia consistere ac gubernari, tum morbos universos hoc prius offenso creari. Unde *pneumatici*, id est, spirituales, veluti qui spiritibus omnia tribuebant, nuncupati fuerunt. Novimus etiam secundum platonicorum doctrinam in rebus inveniri spiritum quendam medium, elementis præstantiorem quodammodo ac cœlestem, qui vivificandi & conversandi vim admirabilem habeat: qui spiritus, quanto puriori & subtiliori materiæ insit, tantò efficacior atque admirabilior sit. Vidimus etiam supra ex *Aristotele*, de spiritu, qui omnium rerum seminibus insit, qui proportione respondeat elemento stellarum. Et prodiit primum, si verum fateri velimus, è *Peripateticorum* schola Quintæ Essentiæ nomen: unde in chemicorum philosophiam transsumptum; quòd aptius & commodius nomen non invenerint, quod subtili & ætherex substantiæ imponerent. Deprehendit inter alios amicum hunc chemicorum & peripateticorum consensum, genere non minus, quam ingenii sublimitate illustris *Johannes Picus, Comes de Mirandula, lib. 2. de auro cap. 9.* Multi ex Peripateticis Quintæ fecere nomen Essentiæ, ut generalem causam tenerent, quemadmodum cœlum est causa, producere quoque moliti sunt terrosam materiam in pulverem calcis instar excoctam, diversaque subinde salis & olei paravere genera validæ potestatis, & fluxiorem materiam cogere in aquam sint adnixi, subtiliorem vero tenuissimos in vapores, & aëris & ignis æmulantes potestatem. *Zuvingerus, Commentario in lib. Hippocratis, Convenientissimam* vocat *Alchimiam.* Convenientissima, inquit ille, est Alchimia ipsis præceptis *Hippocratis*, cum illius beneficio facultatum potentiæ, remediorum nimirum, quæ solæ & unicæ in abigendis illis morborum potentiis insignem præstant operam, extrahuntur puræ atque integræ, ut medicus, juxta medendi, quam præscribit idem *Hippocrates*, methodum, tuto, efficaciter, atque jucunde possit mederi hominibus. Convenientiam cum præceptis *Hippocratis* tantum agnoscit *Zuvingerus*, quanquam non desint, qui *Hippocratem* chimicam calluisse artem, integris libris docere voluerunt. Clarissimus *Hieronymus Mercurialis, libro 3. de Composit. medicam:* quanquam veteres medicos, *Hippocratem* & *Galenum* arte hac atque præparatione caruisse credat, unam tamen ex iis artibus esse putat, quas significat *Aristoteles 1. Rhetoricorum*, quando dixit: multas superesse artes inveniendas & nondum inventas, quamque, si reviviscerent anti-

antiqui, invidere nobis deberent. Uterque vero, tam *Zwingerus*, quam *Mercurialis*, graphicè & vivis plane coloribus iisdem in locis Essentiarum chemicarum rationem describunt, ut mereantur hic audiri. Ille, nulla ex iis, inquit, quæ nos habemus alimenta & medicamenta, absolutè calida sunt, aut frigida, sed simul dulcia, amara, acria, salsa, austera, insipida: sapores profectò, ut etiam colores &c. corpori simulari insunt per omnia, in substantia tamen peculiari videntur consistere: quæ tamen cum à reliquo corpore etiam per artem extrahi queat, tantopere laudatas illas eccrises chymicas constituit naturalium separationum, quæ in corporibus animalium quotidie fiunt, æmulas: ut proinde cum optima concoctio in corpore à calore fiat valido, purum ab impuro subtiliter separante, optimus sit coquus, qui *chylum elementarem, naturæ humanæ inimicum*, ignis & aquæ beneficio auferre, vel saltem attemperare novit, & optimus Jatrochemista, qui χυμὸν medicamentorum purum elicere, vim ejusdem impedientia removere, hebetantia & infrigidantia citra molem admiscere potest. Sic *vini spiritus mole exiguus est*, qui inebriat, à reliquo avulsus corpore, ut in ventriculo naturali, sic etiam artificiali. Sic scammonio vis ignea, opio vis narcotica, in impuriore corpore utraque posita, demitur. Hactenus *Zwingerus*. *Mercurialis* hæc habet: Vidi fornacem fabrefactam cum multis vasis vitreis, in qua per cineres, & calore modico, variæ herbæ distillabantur, & aquæ illæ mirificè retinebant odorem & saporem & omnes qualitates herbarum: Si liceat tales habere, planè melius esset; ratio est, quia in decoctis licet habeamus facultates medicamentorum, adest tamen & alienum corpus, scilicet aqua, & aqua alterius quidem generis; in aquâ distillatâ non est aqua externa, sed solum aqua illius corporis, suis qualitatibus, adeo ut clarum sit, multo meliores & integriores servari vires in distillatis, quàm in decoctis. Hæc ille non parum ad Quintæ Essentiæ nostræ dilucidationem facientia. Hanc antiquissimam diximus, priscisque Philosophis notissimam; cujus rei illustre argumentum est, quod apud Ægyptios, *apud quos antiquissima Chemiæ schola aperta fuit*, eam in usu fuisse legimus, à quibus *cæli* appellatio primum ad recentiores Philosophos devenit. Ita enim disertis verbis *Kircherus, diligentissimus rerum Ægyptiacarum scrutator, Oedipo Tomo 2. cap. 7. classe 10. de Alchimiâ Hieroglyphica*, ex Ægyptiorum & Arabum monumentis tradit: Diximus in præcedentibus, inquit, Ægyptios *Elixir* quoddam ex præstantissimis materiis extrahendi rationem quandam calluisse, quod & *Cælum appellarunt*, ob summam subtilitatem & perfectionem, reperio. Hoc *Elixir* sive *Quinta Essentia* tam eminentis virtutis erat, ut, cuicunque distillatæ ex quibusvis herbis aquæ affunderetur, virtutem

tutem ejusdem, quæ certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret, verbi gratia: Si aquæ ex Hepatica extractæ apponeretur, illa aqua decuplo validiorem in hepatis cura effectum præberet; eratque hæc aqua ad eam temperiem per continuas circulationes deducta, ut frigidis apposita decuplo ea frigidiora, calidis addita decuplo calidiora, siccis juncta decuplo sicciora, humidis denique admista decuplo ea humidiora efficeret. Quæ omnia fuse ex mente Ægyptiorum prosequitur *Balsan Arabs, in libro de Elixiris vitæ compositione.* Erat enim eximia hæc quædam panacea, & præstantissima corporis à qualicunque infirmitate immune conservandi, non medicina illa metallica auri multiplicativa: Atque hanc ego arbitror fuisse illam aquam admirabilem & plane cælestem, omnibus morbis profligandis aptam, quam & *Lapidem* dicebant, eo quod ex lapidibus pretiosissimis & miræ virtutis fuisset extracta, quam & *aquam vitæ, vegetabile naturæ semen, animam solarem*, similibusque Lapidi Hermetico impositis denominationibus, nuncupabant.

Quid potest addi tam luculento testimonio? quis non omnia illa accuratè convenire cum Lulliana descriptione videt? adeo, ut verba ipsa atque nomen Quintæ Essentiæ, quæ *cælum* apud Ægyptios vocabatur, respondeat, easdem præterea vires ab Ægyptiis attributas videas, ut nec ovum esse ovo similius possit, quam hoc Ægyptiorum Elixir Quintæ Essentiæ nostræ. In hoc tamen fallitur *Kircherus* à transmutationis metallicæ doctrina alienior, quod arbitretur, Elixiri huic lapidis nomen datum fuisse, extra vero illud nulla in metallicis habuisse arcana Ægyptios arbitretur. Atque hæc de Quinta Essentia nostra dixisse sufficiat, quam res ipsa etiam loquitur. Nihil enim nimium diximus de facultatibus ejus mirabilibus; quanquam si dixissemus, mores imitati fuissemus veterum, qui vel *uni Theriacæ* tot tantasque dotes tribuerunt. Nihil præterea vulgaribus medicis scripsimus, sed peritis naturæ indagatoribus, qui facile de viribus hujus medicinæ judicabunt: cæteros enim procul abesse ab his sacris jubemus.

FINIS.





EPISTOLA

quædam

MORHOFII,

Quâ Juvenem in Academia viventem hortatur abruptionem Disputationis de LATINITATE in DIGESTIS, de quâ ipsi lis erat cum Professoribus suis.

CUm aliquoties me monueris, ut schedulam, nisi fallor, disputationi oppositam, quæ tibi cum Dominis Professoribus de Latinitate Digestorum intercedebat, ostenderem; fecissem id lubens quidem, nisi dubia mihi suborta tecum prius communicanda duxerim. Quo ipso honori tuo consulere volui, ne, si hac in re erratum abs te fuerit, illi sinisterius de eruditione tua judicare, vel modestiam in te desiderare possent: Quod viris in re literaria haud paulo te, nisi fallor, versatioribus, & ipsi quidem Eloquentiæ Professori, genuinæ Latinitatis ignorantiam objecisse videaris. Disserebatur: *An Digesta, quæ ex JCtorum antiquorum libris congesta*, genuinæ Latinitatis sint? ajebant id Domini Professores, nec ullus hactenus negavit, qui quidem in re literaria non hospes est. Negabas tu, vocato in testimonium Calvino, qui voces quasdam & phrases illatinas congesserit. Respondebatur tibi variè, interdùm depravatos fuisse textus, variasque lectiones probè considerandas, antequam de voce vel phrasi feratur judicium. Hinc syllabum vocum solœcarum, ut putas, submittis, quomodo sententiam tuam is stabilitum. Inscriptio hæc est: In Digestis multa reperiuntur contra Grammaticam. Quid si hoc tibi Domini Professores utraque manu largiantur, & tamen vincant? Quid si de Cicerone, aliisque optimis auctoribus, hæc asserere non vereantur? Quid si ex Quintiliano, ipsisque Grammaticis, tibi ostendant, aliud esse grammaticè, aliud latinè scribere, optimosque Grammaticos pessimos sæpè esse Oratores & Poëtas? Grammaticorum plerorumque, ne quid nescias, mi G. ineptum est & jejunum ingenium, quorum vita & spiritus omnis in regulis vertitur; ita non attendunt sæpè, quæ ab optimis

mis Auctoribus, & quomodo dicantur, dummodo isti axiomata forment, & pædagogiam suam exerceant. Malè profectò cum bonis Auctoribus ageretur, si sub eorum ferulas revocandi. Latiùs patet Latinitas, quàm ut exiguis includi queat præceptis. Minutis illa satrapis, pueris & pædagogis scribuntur, non eruditis, qui quotidiè quædam observant singularia in Auctoribus, nec Grammaticorum regulis communibus censenda, quorum justum, si opus esset, tibi indiculum texere liceret. In solo Cicerone olim tot singularia notavit Statilius, ut justum illi volumen conficerent. Censeri boni auctores non ex Grammaticis, sed hi ex illis, debent: quorum cum quatuor classes fecerint Philologi, JCti veteres si non primam omnes, ad secundam tamen plerique spectent. Et quis adeò est insanus, ut eos ex classe genuinorum scriptorum Latinorum proscriberet: tantùm abest, ut pauculæ hæ voces, quarum tamen dubia adhuc lectio est, & similia sexcenta, id efficiant, ut potius sinceræ antiquitatis argumentum præbeant rei literariæ peritis, omnibus licet sciolis & pædagogis reclamantibus, quibus statim in Barbarismos, & solæcismos reponitur, si quid à regulis suis alienum vident. Sunt tamen sæpè libri, describentium culpâ sæpè depravati, integræ voces & sensus mutati; quod uti omnes Auctores falcem, ita hi quoque libri experiuntur, ut demonstrarunt viri eruditissimi, & ipsa codicum exempla loqvuntur, quæ omnia probè sunt perpendenda. Neque enim aliquis dictatoria ista voce, ut tu facis, pronunciare statim potest: *non variat lectio;* quod nec in ipsis criticorum principibus feram. Nec ullus temerè, te omnia perreptasse, quæ in omnibus Bibliothecis Manuscripta servantur, facilè tibi credet: præsertim, si in iis, quæ allegasti, mala fide versatum te intelligat. De voce *præstavit*, quæ leg. 36. §. 1. de Hered. petit. & de Voce, *fluerunt*, quæ l. 56. §. 1. de Adquir. rer. domin. legitur, tu magnâ audaciâ dicis: *non variat lectio!* & tamen variare notat illam *Charondas*. Nam hic alii legunt *fluebat*, alii *fluxerunt;* illic *præbuit*. Similiter pro *insidiaverint*, alii Codices legunt *insidiati erunt;* pro *tollisse*, *tulisse;* pro *fodiri*, *fodi*, quæ omnia si non ignorasse; vafre saltem te dissimulasse, quis suspicetur.

Excutiamus tamen singulas voces, & videamus, quo jure à te inter solæcas referantur: quamvis enim in pluribus variet lectio, demonstrabimus tamen, & ipsas dubias satis rectè se habere, & aliorum etiam auctoritate, quamvis sua illis suffecerit, probari posse.

Adjuvaverunt leg. 5. §. 10. D. de his, quæ ut indignis aufer. legitur, nec male; quamvis vulgatius sit *adjuverunt*. Fuisse enim antiquis præteritum *juvavi* in usu, vel inde apparet, quod *adjuvaturus* dixerint, pro *adjuturus*.

turus. Petron. in Satyr. pag. m. 63. adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo nostro.

Insidiaverint leg. 28. §. 11. D. de Pœnis legitur. Hic quamvis alia exemplaria legant, *insidiati erant*, (facilè enim minutæ literæ (ti) in (v) potuerunt coalescere) sunt tamen Grammatici, in illis Servius, P. Danielis, qui in loco illo Virgilii, *Inscia Dido insideat quantus misera Deus*, legunt, *insidiat*, i. e. insidias faciat, atque adeò vel te invito bona vox esset, ut quæ Grammaticis placeat, quanquam ego corruptam dicere malim.

Præstavit leg. 36. §. 1. de Hered. petit. legitur. Quamvis hic alii legant *præbuit*, ostendam tamen, omnia illa à *sto* composita in præterito, supino, & participio apud antiquos habuisse, a. Ita Propertius pro restiterit habet *restaverit*, lib. 2. eleg. 34.

Nec si post stygias aliquid restaverit *undas,*

Apud Lucan. lib. 2. est *Constatura* fides, pro constitura. Plin. lib. 12. 22. *Exstatura* etiam duabus gemmis, pro exstitura. Quintil. lib. 2. c. 12. Video in ipso statim limine quosdam ostaturos mihi, pro obstituros. Brut. in epistolâ apud Priscum lib 9. Occiso Cajo Cæsare *præstatum* est, pro præstitum est, Cic. epist. 19. lib 14. Puta, *præstaturum* eum, pro *præstiturum* apud Veget. lib. 1. cap. 1. cum vulgò legatur: Hispanos non tantum numero, sed etiam viribus nostris præstitisse, Petrus Scriverius, Animadversionibus in hunc locum, addit: Mei manuscripti Codices legunt *præstasse*, & Palatini quoque. Quis ex his allatis dubitet, *præstavi* præteritum in usu fuisse antiquis.

Tollisse leg. 13. §. 4. D. de acceptil. legitur, quanquàm & hic variet lectio, & alii Codices *tulisse* legant. Illud tamen probat Scaliger in *Varron. de R. R.* lib. 1. extrem. ubi demonstrat, antiquos formasse ad analogiam præsentis præterita. Verba ejus sunt: *Discedimus*, hic est pro *discessimus*. Ita sæpè apud Plautum *accedimus* pro *accessimus*. Præterita à præsenti, ut diximus. Sic Ulpianus dixit *tollisse* à tollo. Tibullus *atteruisse* pro *attrivisse*. Salustius; *occanuere* ab *occano*. Vides igitur, antiquitatis hanc notam esse, idque auctore summo Grammatico Scaligero, vel centum magistellis & pædagogis opponendo.

Fodiri legitur leg. 72. pr. D. de V. O. Alii tamen legunt *fodi*: sed nec illud malè. *Columella* lib. 11. cap. 2. Uncari & adhuc fodiri possunt. Et lib. de Arboribus cap. ult. Sed omnibus annis ante Calendas Martias fodiri oportet.

Fluerit leg 56. §. 1. D. de adquir. domin. legitur, ubi alii *fluebat*, alii *fluxerat*. At ego genuinam existimo scripturam *fluerit*, tum ob rationem

Scali-

Scaligeri de præteritorum apud antiquos cum præsenti conformitate, tum quod & *Vossius* in Lexico Etymologico, antiquos supinum *flutum* formasse dicat: ut, quemadmodum *ruo, rui, rutum*; ita *fluo, flui, flutum*, formatum fuerit.

Strixerit leg. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de Sicar. legitur pro *strinxerit*. Quamvis hìc facilè mendum concedi possit, (quàm facilè enim litera una vel transversa virgula omittitur) defendi tamen scriptura potest. Antiquis enim non stringo, sed *strigo* dicebatur, unde descendunt voces strigæ, strigamenta, strigosus, strigit, de quibus lege Antiquarium Laurembergii, & Vossii Etymolog. Hinc formatum præteritum *strixi*. Et habetur in supplemento Antiquarii Laurembergii: strixit ensem, *ἐσπάσατο ξίφος*, strinxit.

Tueri passivè dicitur leg. 18. pr. D. de Pign. Act. Tuam fidem, quid audio? adeóne te rerum grammaticarum imperitum, ut nescias, participia futura in *dus* deponentium passivè accipi posse, imò debere. Quis vel in pueris hanc ferat ignorantiam? Legitur ibi: Tuenda est à prætore hæc conventio. Quis posset rectius, magisque Grammaticè, loqui? Audi Vossium, lib. 4. de Anal. cap. 11. Futura in *dus* passivè accipe solere, planè est pervulgatum. Hujusmodi sunt, Ulciscendus, obsequendus, adipiscendus, precandus & plurima id genus, quibus præterea non insistam. Apud Ciceronem plurima exempla in una voce *tuendus* invenias. Ita is epist. ad Fam. 9. lib. 1. nunc ab iis, *à quibus tuendus* fuerat, derelictus. Rectius allegasses leg. 7. pr. D. de Curat. fur. dando, ubi verè passive accipitur: Consilio & opera Curatoris *tueri debet* non solum *patrimonium*, sed & corpus ac salus furiosi. Sed ne hoc quidem malè. En Varronis de R. R. lib. 3. cap. 1. auctoritatem: Quod & in pace à Rusticis Romani alebantur, & in bello *ab his tuebantur*. Vitruv. præf. lib. 8. res omnes non ali sine eorum potestate, nec crescere, nec tueri.

Exequi leg. 19. D. de Jurisd. passive ponitur, rectè. En Justini auctoritatem lib. 7. cap. 3. Brevi tempore *exsecuto* Regis *imperio* legatis, ad Amyntam missis, obsides dari sibi postulabat.

Oblivisci leg. 60. §. 6. D. de Rit. nupt. legitur. Non variat lectio, inquis, nec opus est. An tibi oblitum est, (pace tamen tua dixerim) in Virgilii Bucolicis:

Nunc oblita mihi tot carmina.

Hæc è Digestis adduxeras, ad infringendam eorum Latinitatem, quæ stabiliendæ potiùs inserviunt, quemadmodum etiam omnia illa, quæ è Brissonio, & aliis, collegit compilator *Calvinus* singularia, quibus similia infini-

finita apud optimos auctores leguntur; quos si legisses, nunquam de Digestorum Latinitate ita sensisses. Possem, si opus, magnam testimoniorum è JCtis, & Philologis, adducere farraginem, unanimi te suffragio damnantium. Nunc unum tantùm audi Vossium lib. 4. cap. 1. sect. 9. Vallæ censuram approbantem: In Digestis est tanta sermonis puritas ac elegantia, ut optimus lingvæ Latinæ censor, *Laurentius Vallensis*, dicere non dubitarit, si lingva periisset Latina, ex solis eam instaurari posse Pandectis. Quis nescit, è JCtis Roman. potissimum Brissonium præclarum illud formularum opus concinnasse, cujus maximum in tota Romana antiquitate usum statuit *Böclerus* lib. de comparanda lingvæ Latinæ facultate, quodque peculiariter illuc collimet, ut ad observandum lingvæ Latinæ facultatem, puritatem, proprietatem, auctoritatem, studiosi eloquentiæ ritè imbuantur. Hisce congrua docentem vide etiam *Mauritium* nostrum, Programm. in Pandectas, sub auspiciis Academiæ publicato.

Quæ porrò ex Institutionibus, Codice, & Novellis à te allegantur, frustra quidem hic adducuntur; cum non satis sinceram Latinitatem in illis concesserint nuper Domini Professores, cum scripti sint libri eâ ætate, cum sermo jam contagium à barbarie traxerat. Dissimulare tamen nequeo, & hic exercuisse te infeliciter Criticam. Quod in Institut. & Cod. *Liberos* singulari numero tantum dici putas, vehementer falleris. Nam & Quintilianus declam. Cæc. eô utitur: Liberi ac Parentis non alius mihi videtur affectus. Sextus Aurelius Victor in Nerva: Trajanum in liberi locum, & partem imperii, adoptavit. Vide Vall. lib 3. cap. 8. Similiter & in Digestis reperias loca, quæ laudat Martini in Lexic. Etymol. ubi pluribus exemplis probare contendit, quod Veteres liberum singulari numero dixerint. Hinc Bacchus Latinis liber dicitur, quasi filius Jovis. Quod pulcre contra nugas Grammaticorum, qui à libertate deducunt, demonstrat Vossius de Anal. lib. 1. cap. 42. De voce *Contendor*, ais, passivè usurpari; activè voluisti dicere, nam *contendor* passivæ significationis est. Ita verò l. 3. C. de delatoribus lib. 10. legitur: Qui cum officialibus fundum possidere *contenderetur*, pro contenderet. Hic quamvis etiam mendum statui posset, opus tamen eâ excusatione non est, cum frequentissimum quoque sit apud auctores, passiva active usurpari & accipi, quod ignorasse videris. Cicero lib. 2. de Invent. Demonstandum est, quid juratus sit, pro juraverit. Plaut. Aulul. 1, 2. copulantur dexteros, pro copulant. Liv. 4. l. cap. 24. Spem integram communicati non sunt, pro communicaverunt. Cicer. ad Attic. 7, 16. eam epistolam, quam eram elucubratus, pro elucubraveram. Vellejus: peragratus est regionem, pro peragravit. Varro: Spectatus

ctatus est suem, pro spectavit. Cic. lib. 14. epist. 21. De Palulciano nomine, quod mihi suppeditatus es, pro suppeditasti. Varro lib. 2. de R. R. cap. 8. Ipsi pro se sacrificantur, pro sacrificant. Cicer. in Tusc. Quæst. Multi inimicos etiam mortuos puniuntur, pro puniunt. Liv. lib. 6. Vix exagitata furor erumpitur, pro erumpit. Virgil. lib. 1. Æneid.

Hic jam ter centum totos regnabitur annos,


pro regnabit. Cicero in Pisonem, Secum ipse caput sinistrâ manu perfricans commurmuratus sit, pro commurmuraverit. Si plura vis exempla, adi Vossium lib. 3. de Anal. cap. 5. Emundum Richerium de Arte figurarum lib. 1. pag. 207. Quid dicis ad hæc? Equidem non dubito, si tibi daretur imperium, ad Grammaticorum etiam ferulas hos rejiceres.


Sed benè est, quod censoribus istis tempus non egeat. Quid verò vult sibi lex *si quis* D. de V. S. adscripta? An eam putas alicui nostrûm incognitam? An eâ vis probare, rectè dici *aliquis femina?* Quod ut planè ridiculum, ita responsione non indiget; regereretque aliquis tibi ista Virgiliana:

——— ——— *Si quis tamen hæc quoque, si quis*
Risu digna legat. ——— ———

Quod reliqvum est, rogatum tamen Te velim, ut diligenter perpendas, an tanti jam putes dubia tua, cum Dominis Professoribus ut illa communicentur, qui fortassis aliud habent, quod agant, neque valde nugatorias istas liticulas curabunt. Vale! &

——— ——— *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imperti, si non, his utere mecum!





DISSERTATIONIS
DE
MERITIS GERMANORUM LITERARIIS FRAGMENTUM.

SOlent animi hominum ita esse comparati, ut vel se solos æstiment, sua omnia unicè ament ceterisque præferant, vel aliorum inventa & res gestas, quod speciem fortè digniorem ostendant, majori veneratione prosequantur. Quorum alterum certissimum fastus & invidiæ argumentum est, alterum nativam aliquam bonitatem, candidos mores, generosam honestatem, & præclaræ virtutis indolem testatur. Præcipue si non quadam μεμψιμοιρία, & rerum domesticarum fastidio, vel rerum novarum inani studio, fiat, sed à modestia hominis minimè ambitiosi proficiscatur. Quod singulis itaque hominibus accidere solet, id in integr s etiam populis evenire constat. Nam & in illis quos unicos rerum suarum admiratores videmus, qui alios ab omni bonæ mentis bonarumque artium commercio excludant, se solos sapere, reliquos volitare sicut umbras, existiment, vel ut degeneres pullos, & infelicibus viris natos, alto supercilio despiciant. Sunt, qui, ne quid majoribus suis debere videantur, natales à primis mundi natalibus, atque ultra illos à cœlo & astris, diisque ipsis, arcessunt. Fuerunt, qui se ante lunam natos jactabant, vel ultra omnium seculorum temporumque memoriam origines suas producebant. Aliqui se solos oculatos, reliquos terrarum orbis incolas vel cæcos, vel luscos insanâ & temerariâ arrogantiâ habuere. Ægyptii olim Hebræos præ se aspernabantur, illos Græci, quibus tamen omnem debuere sapientiam, mirifici in prædicandis doctrinis suis ostentatores, ut nulla esset gens, quam non domestico & familiari convitio inter barbaros numerarent. Romani, serò in societatem literarum & studiorum admissi, ægrè tandem ab illis impetrarunt, ut aliquo loco haberentur, quibus nil ad palatum, nisi quod erat Atticum, & veneres Græcas vel vernilitatem

atem etiam ſpirabat. Ac fuit ſæpe maxima inter utriusque gentis homines e literarum & ſtudiorum præſtantia contentio, in quâ modeſtia Romanorum plerumque illis, velut magiſtris ſuis, ceſſit, etiam cum illis ſuperiores ingenii palmam ab æquis cenſoribus merebantur.

Non defuerunt gentis ſuæ gloriæ amplificandæ, qui hoc officii ſui eſſe arbitrabantur, ut philopatriam ſuam, qua poſſent ratione, teſtarentur, neque civis ſe boni numeros abſolviſſe credebant, niſi omni in re illam ſignificarent. Quemadmodum illi, quos Theophraſtus in Characteribus Cap. XXIV. περὶ ἀλαζονείας, deſcribit, qui, Aſiaticos artifices Europæis eſſe præſtantiores, diſſentientibus aliis, contendunt. Usque adeo apud pleroſque

vincit amor patriæ, laudumque immenſa cupido,

ut in πατριδομανίαν deſinerent. Quo morbo, ut pleriſque in gentibus multi, ita apud Græcos & Romanos plurimi laborarunt.

Ex adverſo ſunt, qui omnia ſua etiam præſtantisſima neglectim habent, ſolaque externa magnifaciunt, vel quadam animi ἀδιαφορίᾳ, vel judicii ſublimitate. Nam cum exiguâ ingenii vi præditi ſunt, facileque intelligunt, quantum ad parandam rerum divinarum humanarumque cognitionem laboris requiratur, cumque eâ bonitate animi ſunt, ut vel tenuiter vel modeſtè de ſe ſentiant, magnificè de aliis, quos ſe ſapientiores doctioresque eſſe lubenter patiuntur; tantum abeſt, ut illis invideant, ut potius novis illorum commentis & repertis ſine fuco & fallacia applaudant, ac ſibi de ſapientiæ progresſibus, tanquam communi aliqua poſſesſione, in quam κοσμοπολῖται immisſi ſumus, gratulentur. Illam bonitati nativæ, quam doctrinæ æmulam conſtituit in ſuis *Sermonibus fidelibus Verulamius*, quis non immerito indolem accenſeat? Quâ ſi præ ceteris gentibus Germanos noſtros excelluiſſe ſemper dixero, citra jactantiam & oſtentationem a me affirmabitur: Nam cum ſummas res, ut armis, ita & literis geſſerint, quod tota hâc commentatione demonſtrabitur, ſuo illi ſilentio animi honeſtate contenti nil unquam præ aliis ſibi arrogaſſe viſi ſunt, adeo ut & cavillatores & contemptores ſuos, quos plurimos ſemper habuere, ne acerbiori quidem voculâ ulciſcerentur, aliæ vero gentes illorum ſpoliis impunè uterentur. Hanc tamen & natalibus antiquisſimam & ingenio laudatisſimam gentem, à Græcis & Romanis inter barbaros recenſeri quis ferat? quæ plus forte genuinæ illius ac primavæ ſapientiæ, etiam in illâ barbarie ſua, reconditum habuit, quam fabulatores illi Græci, qui comparatis ad fucum & ornatum literis, priſcam illam Celtarum ſapientiam vanis primum opinionibus incruſtarunt:

runt: cujus corruptelæ non veteres tantum Ægyptii, sed & Romani reos illos faciunt. Quæ verò insania est, gentem totam, & quidem antiquissimam, adeò omni ingenii gloriâ exuere, ut nullius elegantioris disciplinæ capaces videantur, quæ non nullorum sciolorum improba & audacissima est sententia, & quidem ex illis gentibus, quæ Germanis suos ut parentibus natales debent. Testatur Plato, in lib. de Republica, Deum, cum homines formaret, aurum illis, qui essent honoratissimi, & ad imperandum apti, ac ingenio præditi, admiscuisse, aliis argentum, ferrum denique & æs rudioris ingenii hominibus, agricolis & opificibus. Ex ferro itaque vel plumbo conflati fortè illis videmur Germani, qui nihil in nobis λειψάνων χρυσοῦ γένους, se verò totos aureos esse existimant. Sed tamen & asinos interdum aureos fuisse, è fabulis accepimus. Nimirum & singulorum ita populorum quædam machinationes & insidiæ sunt, artes quædam non laudabiles, quibus omnem ingenii & eruditionis opinionem ad se rapiant, & quemadmodum imperii principatum, ita etiam sapientiæ & literarum affectent, ceteris ab omni famæ aditu exclusis.

Germani, quorum famam hâc dissertatione vindicandam mihi sumsi, cum inter principes referri populos debeant, immeritò ingenii hebetioris notam sustinent; quasi illis solis obsistat circum præcordia sangvis, quorum ingenium & sapientiam tot inventa, tot librorum monumenta docent, ut numerô non solùm, sed & pondere aliorum labores vincere possint. Quam rem cum tota hac dissertatione acturus sim, nunc in ipso primordio vel ex antiquitate & origine hanc genti nostræ prærogativam assertum ibo. Germanicæ gentis origines etsi multis sunt difficultatibus impeditæ, tamen vel ipsa illa obscuritate suam antiquitatem loqvuntur: quotquot enim hic sunt sententiarum divortia, ad abstrusam tantùm & vetustissimam originem tendunt. Conservavit nobis Tacitus memorabilia pristinæ *famæ* fragmenta, è quibus insigne illud est, quod Germani *carminibus celebrarint antiquis TUISCONEM* sive Tuitonem, ut alii legunt, *dum terrâ editum, & filium MANNUM, originem gentis conditoresque.* Quod si, ut Cluvero aliisque placuit, per Tuisconem Deus O. M. per Mannum Adamus intelligendus est, quæ spectabilior digniorque origo fingi potest? nam si illorum interpretatione nitimur, primatum inter omnes vindicare poteramus. Quod si ad Noachi filios ibo, vel Japhetum gentis nostræ autorem faciunt; & tum aliquo etiam primogenituræ, quam Japheto nonnulli tribuunt, jure frueremur: vel ad Tuisconem quendam Noachi filium, post diluvium ab illo genitum, originem nostram referunt, Annii Viterbiensis Beroson secuti: quod & Aventino placuisse videmus, qui illud

llud ipſum nomen Germanicæ originis facit, à voce Tütſchen/ interpre-
tari, ortum. Verum cum Beroſiana illa ὑποβολιμαῖα viris doctis habe-
antur (quamquam inter illos non deſint, qui peculiaribus in libris illa
vindicent) & è ſacris tantum tres Noachi filii numerentur, hæc ut in-
certa dimittenda ſunt. Præterea vox illa Germanica nova eſt, & ex no-
mine populi conficta, ut ab illo nominari Tuiſco non poſſit. Et ſi, Tu-
iſconem aliquem fuiſſe, quicunque demum is fuerit, gentis conditorem,
e Tacito certum eſt; Germanicæ ſanè linguæ etiam iſto tempore uſum, ſi
hæc vera eſſent, conjeceris: & voluit Stierenhelmius, ſingulari libro de
Roma Svecica, hunc vetuſtum Scythicæ linguæ, quæ Germanica eſt, u-
ſum probare, quod ſuo nunc loco relinquo. Quod ad Japhetum attinet,
prolixè Sheringhamus demonſtrat, nunquam illum veniſſe in Europam.
Sunt qui à Gomero, ſunt qui à Thogarma Germanos, vana nominum
allusione moti, deducunt, cum tamen ipſum Germanicum nomen recens
ſit, & illi Bochartus Phrygiam, huic Armeniam, alii alia loca asſignent,
ſuis quoque rationibus inſtructi. Aſchanazum aliqui, moti locorum
quorundam in Germania nominibus, Germanorum parentem conſtitu-
ant, quem ad Phrygiam minorem idem refert Bochartus. Rabbinos, hu-
jus ſententiæ patronos, jam tum refutavit Grotius & Bochartus: quibus
accedit Kriegsmannus in Conjectaneis ſuis de Germanicæ gentis origine.
Quicquid vero hujus, non temere deſerenda eſt Taciti autoritas, qui
Tuiſconem & Mannum ex ipſis gentis antiquis carminibus commemo-
rat. Qui ſi non extaret apud autorem locus, pro fabulis dudum illa
exſibilaſſent Hiſtorici, quibus illa carminum fides ſuſpecta forſan fuiſ-
ſet: ſed illa nunc à Tacito memorantur, quæ non illo primùm tempore
nata, ſed ipſis Græcorum & Romanorum annalibus multo ſunt antiqui-
ora: ac literis etiam antiquitus fuiſſe conſignata, nullum eſt dubium. Nam
quæ Tacitus literarum ſecreta Germanis ignorata ſcribit, de ſtudiis po-
tius, quàm de ſcripturâ intelligendum, ut Goldaſtus quoque in not. ad Pa-
ræneticos veteres pag. 346. judicat. At Carolus Magnus ſuo tempore con-
ſcribi curavit: non ille primum à ſe inventis literis ſcribenda curavit, ſed
in unum volumen collegit, ne iſte antiquitatis periret theſaurus. Hæc
cum ſupereſſe in Germaniæ Bibliothecis teſtis ſit Aventinus, non ſunt
illa, quæ de primis Germaniæ Regibus apud Aventinum leguntur, omnia
pro fabulis habenda: ac magna eſt ſuſpicio, fuiſſe in illis quædam pri-
ſtinæ Hiſtoriæ λείψανα aliis hiſtoricis vel non viſa, vel etiam intacta.

Qui gentis ſuæ Svecicæ antiquitates Atlanticæ libro demonſtrare
voluit Olaus Rudbekius, quicquid de Germanorum origine recenſet Taci-
tus,

tus, ad Svecos suos omne applicat, tam operoso conatu, totque huic rei quæsitis coloribus, ut penè extorquere à lectoribus fidem videri possit. A Japheto hunc ille Tuisconem, vel potius Tuissonem, deducit c. XIX. qui Tys sive Dis dictus, Jupiter vel Diespiter fuerit, & hujus nominis etymologiæ verbis Taciti fidem facit. Nam cum Tys terram, vel limum significet, & *Son* filium, Tuisconem ait esse illum à Tacito memoratum Deum terrâ editum. Probat præterea quædam loca Edda, vetusto quodam septentrionalium scripto, quod Mythologiam hujus gentis continet, ubi Tuissones dicti fuerunt homines, qui primum ex terra prodierunt: ex eo nomine Græcorum quoque Θεός, & Latinorum DEUS prodiisse arbitratur. Hujus Tuissonis filium Mannum, unde Sveciam Manheim, & Bannonianam dictam c. XIIX. multis argumentis probat. Quæ cum omnia à viro doctissimo fidenter adstruantur, nunc quidem illorum fidem non sollicitabo. Neque Germanorum antiquitas his imminuitur; imò potius stabilitur, cum Scythicæ propaginis maxima Germanorum pars sit: sub quo nomine solos ille Svecos suos (an rectè alii judicent) comprehendit; de omnibus enim temerè hoc non asseverabis, cum vastissima gens, tot populis distincta, procul dubiò non ab una origine omnis defluxerit. Germanicam lingvam Scythicæ sobolem Grotius in Prolegomenis Historiæ Gothicæ statuit. Sed nil vetat, Scythicam & Germanicam unam eandemque esse lingvam.

Cetera desiderantur.



INDEX PRIMUS
AUTORUM,
Qui in his Dissertationibus allegantur.


A.

B.

C.

Lucia-

FINIS INDEX PRIMI.



INDEX SECUNDUS
RERUM ET VERBORUM
LOCUPLETISSIMUS

Prior Numerus paginam, alter paragraphum denotat; nisi unus modo numerus allegatus sit, qui paginam indicat.

An-

Bene-

Car-

Con-

Expe-

Fla-

Hiſpa-

Mor-

Pas-

Phan-

Radii.

Sen-

Spi-

Stur-

FINIS.

D. G. MORHOFII
VITA,

QUA,

Præter alia, labores ejus Academici, & Scripta præcipuè, tùm edita, tùm edenda; & affecta hæc quidem partim, partim animo tantùm concepta, enumerantur: quam item in Polyhiſtore edendo rationem ſecutus ſit, indicatur.

ACCEDUNT

ELOGIA

à

CLARISSIMO

quodam

VIRO

COLLECTA;

&

CARMINA,

Maximam partem à Summis Viris MORHOFIANO honori conſecrata, atque adeò Elogiorum ferè loco habenda.



I. N. D.

SI verum eſt, magni ſemper interfuiſſe tùm literariæ rei, tùm, quæ operam illi navant, ingeniorum, nomen & memoriam clarorum in literis hominum ſollicitè conſervari: non eſt infitiandum, quæ vitas eorundem & curas, quantum licet, exponunt ſcri-ſta, tantò præſtare cæteros hiſtoricæ rei libellos, quanto eru-litio, hujusque accuratior cultus, reliqua hominum ſtudia lignitate antecedit. Nam quotiescunque animus rectè com-ooſitus, aut ſaltem non omninò remiſſus, in cognoſcendis llis occupatur, ſpeculi profectò loco eadem habet; & do-tior non modo, ſed melior etiam, ac veræ virtutis multò mantior, inde diſcedit, quippè cui tam illuſtria exempla d ſtrenuam imitationem calcar utique addunt immenſum. Quæ cauſa plures eruditorum omni tempore moviſſe vide-ur, ut in hanc curam ſedulò incumberent, &, alio licet abore ſatis impediti, ſummo tamen ſtudio conquirerent el expoſitas pridem ab aliis Eruditorum vitas; vel ad deſcri-endas eas amplisſimam colligerent materiam: nonnullos uoque ſuas ut res conſignarent ipſi, & in juſtos commen-arios vivi valentesque digererent. Idem procul dubio fa-turus, ſi DEO viſum, MORHOFIUS, XX circiter nte exceſſum annos, de vitâ ſuâ notare nonnulla cœpit; ec ipſo quis alius telam iſtam accuratius pertexere poterat; Viro ſiquidem eo tum calamo promto, tùm ſumma judicii cie inſtructo: ſed ejus in literis labores infiniti; lectio asſi-ua; curæ librariæ, publicæ, privatæ, domeſticæ; valeludo ambi-

ambigua primùm, poſt adverſa; mors denique minus matura, & inopina fere, optimos iſtos conatus interceperunt. Hinc non ita nulla inquiſitione opus erat ad ea, quæ ignorabantur, perveſtiganda; & hâc factâ exſpectanda occaſio, quâ ſtudioſè collecta publicè legenda proponerentur. Quæ quidem nunc nudè proferimus, & ſine ornatu; cujus & Virum neutiquam indigere conſtat; & nos eundem illi afferre dignè non poſſe, ingenuè fatemur. Quare lectorem optimum hanc veniam, & ut, quæ forte minùs placentia hic occurrerint, boni conſulat, omni obſervantia rogatum volumus. Summa tamen fide cum eo communicabimus annotata; & ut ad propoſitum veniamus, primò audiemus de ſe ipſo Virum Clariſſimum.

Natus ſum *DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS* anno M. DC. XXXIX, die 6. Februarii, qui, Æliano Hiſtor. Var. lib. 2. cap. 25. teſte, memorabilis olim fuit Græcis, parentibus honeſtis. Pater fuit *JOACHIMUS MORHOF*, Secretarius Judicii apud Wismarienſes, Vir doctus & probus. Nam in Juris ſcientia ſpecimina multa dederat, cauſas agendo inter optimos tùm temporis Juris Doctores atque Advocatos in patriâ. Et niſi modeſtia ejus obſtitiſſet, aut ille modicâ aliquâ ambitione, vel potiùs ſtudiorum ſuorum fiduciâ honeſtâ, ductus fuiſſet, majoribus cum laude functionibus admoveri potuiſſet. Sed ille per aſperrima iniquioris fortunæ initia ductus (nam parentes ejus tenuioris ſortis è Marchiâ oriundi parùm ipſi vel conſilio, vel ope ſua adeſſe poterant) ſuo potiſſimum remigio utens eò in ſtudiis, ingenii ſui felicitate & induſtria, pervenit, quo alii fortunæ iſtis adminiculis deſtituti non facile pervenirent. Ego verò lætor, DEOque gratias ago, me iſto parente ortum, cui bonam indolem & educationem debeo: cujus curâ, conſiliis & informatione ſolidâ, variorum ſtudiorum fundamenta jeci. Nam ut vir ille, cum à negotiis forenſibus liber eſſet, omni ſe & ſacrorum, & amœniorum ſtudiorum genere delecta-

lectabat; ita & ad omnia mihi autor fuit, impellendo, hortando, monendo, explicando, libros idoneos suppeditando. Nihil denique omisit paterni officii & curæ; pro quibus beneficiis æternùm me ipsi obstrictum profiteor.

Mater fuit *Agneta* Hintzen / Danielis Hintzen / mercatoris, filia; quæ altero puerperio una cum prole sublata à me nunquam cognita fuit. Ejus frater, *Joachimus* Hintze / nunc, cum hæc scribo, in Senatoria dignitate constitutus est Wismariæ. Alteram uxorem postea duxit pater *Annam* Tabberts / Friderici Petersen viduam; quæ in matris locum succedens verius matrem, quàm novercam, testata est, dum parente bonorum suorum herede instituto, ad me illa pervenire voluit.

Prima parentis cura fuit, ut pietati ab ipsis ungviculis adsvescerem: nam quotidiana Bibliorum lectio tàm matutina, quàm vespertina, injungebatur: Examina hinc instituebat Pater, & religionis Christianæ prima lineamenta ducebat. Ut historiæ cognitionem maturè haberem, etiam ante lingvæ Latinæ usum, quotidie aliquam portionem Chronici Carionis, in Germanicam lingvam conversi, legendam præcipiebat. Maximam etiam puer ἀναλφάβητος è Musica oblectationem cepi, singulari ad illam excolendam genio impulsus. Cantantibus, cum nulla essent ejus artis rudimenta, adstiti isti sonorum hamoniæ intentus, & in illa defixus hærens in organis Musicis sonorum differentias explorabam, tentaturus, an hymnorum Ecclesiasticorum modos imitari sonis possim. Accedente posteà levi aliqua informatione, magnos faciebam in arte istâ profectus, quorum ne nunc quidem pœnitet: Quos nisi utiliora studia maturè interrupissent, promittere illam mihi potuissem omnibus numeris absolutam.

Latinitatis prima fundamenta à patre jacta sunt. Nam cum in primo illo ludo literario in orbilium aliquem incidissem, qui indignis me modis tractaverat, fuste caput percu-

tiens, unde primum tubera orta; quæ à me neglecta, & per pudorem dissimulata, in periculosam febrim me conjecerant: doceri me tamen statuebat pater; cujus ego præceptis, domesticaq; disciplina imbutus plus triennio profeci, quàm integro sexennio profecissem, si in ludo illo literario relictus fuissem. De hinc in scholâ patriâ *Johannem Poltzium*, ejus Rectorem, posteaq; scholæ Lubecensis Sub-Rectorem & Con-Rectorem, unicum ad bonos autores, & selectiorem Latinitatem, ductorem habui. Hujus auspiciis classicos autores evolvi, ex illis excerpsi, ejus impulsu & censurâ in utraque lingvâ, tàm prosâ, quàm ligatâ oratione me exercui, illaque specimina dedi, quæ in XIV. annorum adolescente ultra ætatem à præceptoribus ipsis extollebantur. Primum in Mathematicis præceptorem habui *Andream Pauli*, scholæ Wismariensis Sub-Rectorem, qui ista studia multa cum cura percoluerat. Arithmeticæ, Sphæricæ, Geometriæ, & Geographiæ principia ab illo hausi.

1655. Anno ætatis XVII. ad illustre *Stetinense Pædagogium* me
7. Martii. contuli, & præceptores illic habui Viros Clarissimos, *Johannem Micrælium*, SS. Theologiæ Doctorem, ejusque Gymnasii Rectorem; & *Henricum Schævium*, Medic. Doctorem, elegantioris literaturæ & Poëseos Professorem. Illum Philosophiam prælegentem audivi; Hujus familiari institutione usus sum. Vir ille erat ad omnes elegantias factus, Poëta, Musicus, Mathematicus, Mechanicus, Philosophus; sed Cartesii potissimum partibus addictus. Sub ejus auspiciis universæ Matheseos curriculum absolvi; Physicam doctrinam ingressus fui; in Poëticis me exercui. Et quoniam vir ille *Statium* imitandum sibi unicè proposuerat, ingenio olim suo plus justo indulgens, solam tum scribendi carminis vim sequebar: à qua tandem me ipsum revocabam judicio maturiore, & Poëtarum antiquorum lectione monitus. Nam ut impetus ad Poëticam facultatem illius viri exemplo magis, quàm præceptis, excitati sunt; ita postea felicior carminis

minis cultura ab ingenio, exercitatione, & lectione succrevit. Scribebam XVI. annorum adolescens alicui carmen de dignitate consulari gratulatorium, justæ magnitudinis, cujus dictio Statii, & aliorum arduorum Poëtarum, flosculis tota erat concinnata. Mirificè id placebat nonnullis; verum ipse & conatus meos postea ridebam, & illos, qui tantopere carmen illud celebraverant. Centonem ex Virgilio, Statio & Claudiano in Natalitia CHRISTI eodem anno scripseram, qui postea Rostochii excusus, cum illic operam studiis darem, atque *Andreæ Tscherningio*, Poëseos Professori, inscriptus. Multum viro illi debeo, qui amore me singulari prosequebatur. Testantur literæ ejus Rostochio ad me datæ; in quibus hæc verba loqvuntur: *Exosculantur ingenii tui Veneres magistri, admirantur coætanei; studium virtutis, ad quam adspiras, commendant omnes boni.* Ebræam lingvam sub *Joachimo Frabricio*, SS. Theol. D. & Superintendente; sub *Johanne Sithmanno*, Juris Professore, verò Juris studium, cujus, sicut & dictæ lingvæ, fundamenta ductu patris jeceram, continuavi: & hujus quidem Lectionibus, quà publicis quà privatis, disputationibusque sedulò interfui.

E Gymnasio Stetinensi in *Academiam Rostochiensem* concessi, ætatis XIX. anno, ubi studium Juris sub celebrioribus ejus Professoribus, *Henrico Rahnen*, & *Henrico Rudolpho Redeckero*, continuavi. Sub utroque Pandectarum Collegia Institutionumque habui: quas etiam *Johannem Sabastianum Laurembergium* explicantem audivi. Usus præterea sum *Lemkenio* manuductore ad Judicialia, Collegio Practico, ut vocabant, Processuali habito. Post elapsum primum annum Academicum, Disputationem, sub præsidio *Henrici Rahnii*, habui Juridicam *de Morbis*, meo studio elaboratam, in qua ne apicem immutaverat Præses. Cujus plenior tractatio, sub justi voluminis magnitudine, inter schedas meas delitescit. Ita tum immersus eram Juris studio, ut, nisi me occasiones nonnullæ aliquando abduxissent, parum curæ in elegantiora stu-

1657. 29. Maji.

studia impendissem. Sed sæpè ad carmina scribenda sollicitatus sum ab amicis, qui ejus rei aliquam promptitudinem in me sibi deprehendere videbantur: præcipuè Germanica, quorum plurima à me sunt conscripta, quæ vel deperdita sunt, vel aliorum nomina præscripta habent. Triennium circiter Rostochii commoratus eram, cum Clarissimus Vir *Andreas Tscherningius*, Poëtices Professor, meus cum viveret fautor singularis, editis Carminibus Germanicis & Latinis, præcipuè verò Germanicis, celebris, diem suum obiret.
1659. in fine Octobris. Scripseram ego circa id tempus Epicedion joculare in Ciconiam, cum convivium in ædibus Decani Bodockii celebrarent novi magistri, à quopiam interfectam. Illud nonnullis ita tum placuit, ut tacitis multorum votis ad locum vacantem designarer. Ego verò, qui XX. ætatis annum vix impleveram, & quem pater forensi palæstræ destinaverat, cum nec deessent, qui dissvaderent, magnæ autoritatis Viri, inter quos Magnificus Vir, *David Mevius*, Tribunalis Wismariensis Vice-Præses; prætereaque Vir Excellentissimus *Martinus Bökelius*, tum temporis Reipublicæ Lubecensis Syndicus, filio suo natu majori in Academias mittendo comitem me destinasset; & deterrere potuissent sterilia professionum illic salaria; permotus tamen amicorum impulsu, & meo quoque ductus ingenio, ambivi spartam; quæ à Serenissimo Principe Güstroviensi promptè data est. Honores interim à Collegio Philosophorum petii; & dati illi sunt, titulos conferente Viro Celeberrimo, *Augusto Varenio*, Hebræarum tum literarum Professore; die 26. Julii, 1660. Professoriæ spartæ admotus sum die 16. Octobris ejusdem anni, solenni habita oratione. Quandoquidem verò unum itineri annum indulgendum exceperam, iter Batavo-Anglicum ingressus fui. In Batavis salutavi viros Celeberrimos, atque inter illos Lugduni *Gronovium*. Angliam adii solennia inaugurationis Regiæ visurus. Vidi illic pompam omnem, & carmine encomiastico celebravi. Visa mihi Academia Oxonien-

nienſis, præſtantisſima Bibliotheca, & nummorum Gazophylacium, omniaque, quæ memoratu digna ſunt. Ex Anglia rediens in celeberrima Friſiorum Academia, quæ Franeckeræ eſt, à *Wiſſenbachio*, JCto itidem celeberrimo, Honores in Jure Doctorales adeptus ſum, poſt habitam in templo Academico ſine præſide, *de Jure Silentii* Diſputationem, die 26. Septembris, anni 1661. Hinc Roſtochium redii ſpartam profeſſoriam aggreſſurus. Qualem me illic gesſerim, malim ab aliis, quàm à me ipſo, dici: Diſputationes illic *de Divinitate Principum*, & *de Principe Medico* publicas habui; Carmina varii generis ſcripſi, quæ poſteà Kilonii aliquot Faſciculis edita. Nemini collegarum, quod ſciam, gravis fui. Hoſpitio *Dn. D. Rabnii* uſus ejus funeri publicâ oratione parentavi. Publicè privatimque Auditores docui, variis tam in Eloquentiâ, quàm Poëſi, quin & Jure, inſtitutis Collegiis.

Anno LXV. in *Academiam* novam *Kilonienſem* vocatus ſum à Reverendisſimo atque Serenisſimo Holſatiæ Principe, *CHRISTIANO ALBERTO:* Cujus inaugurationi die 5. Octobris ejus anni interfui, & panegyricâ illam Oratione celebravi. Utebar tum menſa *Caſparis Marchii*, Medicinæ Profeſſoris, quo & in Roſtochienſi Academia hoſpite uſus fueram. Profesſio Eloquentiæ & Poëſeos mihi demandata fuit, quas pro virili ornandas duxi. Nam Lectiones, quà publicas qua privatas, in utraque habui, quæ editione non indignæ, ſi ultima illis manus acceſſerit. Carmina varia elaboravi, quæ ſuo tempore in lucem edentur. Magiſtratum Academicum primum ſuſcepi anno 1669. die 5. Aprilis. Orationem inauguralem *de Intemperantia in literis* habui.

Anno LXX. circa dies caniculares, cum Serenisſimi Principis veniâ, iter Batavo-Anglicum alterum inſtitui, maximo meo fructu: Nam familiaritatem cum viris doctisſimis & celeberrimis contraxi. Ultrajecti ſalutavi jam tum per literas mihi cognitum, & ab ipſis elegantiis gratiisq;

factum *Joannem Georgium Grævium*, alterum à Gronovio Belgii decus, qui jam ante occasione carminis, quod in *Vincentii Fabricii* manes scripseram, ad simile officium, *Thomæ Reinesio* exhibendum, me invitaverat, ac *Commentarium in Hesiodum* transmiserat. Erat mihi svavissima cum illo conversatio, variaque de literis colloquia. Amstelodami in *Swammerdammi* notitiam incidi, cujus instructissimo musæo & naturali gazophylacio, quod mihi tum etiam patebat, perlustrando, integrum triduum impenderat Magnus Etruriæ Dux in Batavis hospes. Offerebat mihi vir τῶν ἐν ἁγίοις quem de Insectis Belgicâ lingvâ ediderat librum. Qua in cognitione unus ille omnes sui temporis naturæ scrutatores superavit: ut dolendum sit, cum ipso interiisse tam præclaram scientiam. Incredibilis fuit ejus viri in omnium generum insectis, ex omnibus terrarum angulis congerendis, & singulari quodam liquore à corruptione conservandis, *industria*. Dixitque ipse mihi vivus, si centum haberet in istare adjutores, & centum sibi anni ad vitam superessent, sibi nunquam defuturam operam in hoc Insectorum studio. Prolixa etiam fuerunt *Matthæi Sladi*, & *Schraderi* in me officia. *Kerckringii* quoque specimina anatomica inspexi, corporaque succino condita. Lugduni à *Gronovio* mirâ humanitate exceptus fui, qui tum à morbo suo diuturno ægrè restitutus Magistratum ejus Academiæ tenebat. Monstrabat mihi Bibliothecam suam, variaque, quæ affecta habebat, in re literaria.

Hagæ-Comitis *Constantinum Hugenium*, Celsissimo Arausionis Principi à Consiliis sanctioribus, salutavi: qui vir summus inter tanta sua negocia Musis tamen aliquando vacabat supremâ illâ senectute, & argutissima, tàm Latinâ quàm Belgicâ lingvâ, scribebat poëmata; Communis literatorum per Bataviam Fautor. Multa ejus in me favoris erant documenta; quibus motus partem meorum Poëmatum, *Horas subsecivas Poëticas*, ipsi inscripsi. Nihil verò toto itinere

re mihi accidere gratius potuit, quàm arctior illa cum *Marquardo Gudio*, qui tum in prædio cum *Sebastio* suo vivebat, inita familiaritas. Ostendit ille libros suos, & illum manuscriptorum Codicum thesaurum incomparabilem; illud item, quod præ manibus habebat, Inscriptionum opus, cæteraque sua, quæ affecta habebat, opera: quem in patria postea Serenissimi Principis consilio admotum vidimus. Salutavi ibidem Senem octogenarium, *Franciscum Junium*, qui sub manibus tum habebat vastum de Pictoribus opus; ostendebatque Isaaci Vossii, tum in Anglia viventis, bibliothecam manuscriptis Codicibus pluribus refertam.

E Batavis Londinum navigans cum Illustri Viro *Roberto Boileo* conversatus fui. Varia cum illo institui de rebus naturalibus colloquia. Vir tum ille totus his studiis immersus accuratissimas nostro seculo naturæ instituebat contemplationes. Innotuit etiam mihi *Oldenburgius*, Societatis Regiæ Secretarius, qui in Societatis Regiæ consessum me quoque perduxit. In quo tum proposui Experimentum vitri per certum vocis humanæ sonum rupti, quod Amstelodami factum videram: de quo argumento posteà dissertatio à me conscripta est, *Kirchero* in Phonurgia sua; & *Frommanno*, in libro de Fascinatione, laudata, ac paulò post ab anonymo mihi incognito in Belgicam lingvam conversa. Salutavi Londini *Isaacum Vossium*, variosque cum illo sermones miscui: cujus beneficio bibliothecam mihi Regiam inspicere licuit, ejusque manuscripta, interque illa, Versionem LXX. Interpretum manu Theclæ scriptam.

In reditu præsentissimo naufragii periculo prope Brielum, ereptus salvus tum incolumisque, cum rebus meis, in Belgium perveni. Invaluerat tamen de meo per naufragium interitu per Holsatiam fama; qua commoti amici funeralibus carminibus mortuum falsò creditum prosecuti sunt: *Christianus* von *Stæcken*, Reverendissimo atque Serenissimo Episcopo Eutynensi à Concionibus, & Superintendens, Germani-

manicâ inscriptione: *Johannes Georgius Pellicerus*, Capituli Lubecensis Secretarius, Latinâ: pro quâ pietate vivus jam salvusque ipsis gratias ago. In Belgio conveni veteres amicos. Hagæ-Comitis tunc temporis militem moderabatur Generosissimus Dominus *Würtzius*: cujus ego favorem singularem expertus sum, mensæ me suæ colloquiisque subinde admoventis. Amstelodami certissimæ mortis periculo per divinam benignitatem liberatus sum. Cum enim in officinâ librariâ Elzevirianâ starem perlustrandis libris intentus, magna librorum & chartarum moles, quæ trochleis in suprema tabulata attrahebatur, in aream cecidit, adeò ut tergum mihi concuteretur librorum illâ mole. Hic vix digitos quatuor à morte meâ remotus fui. Si enim vertici incidisset, quod tergum laterali motu quatiebat, actum de vitâ fuisset.

Hactenus MORHOFIUS ipse, postquam DEO duce Kilonium suum, gratulantibus Musis & bonis omnibus, repetierat. Cui per integrum post hæc vicennium superstiti quæ obtigerint; quæ publicè privatimque docuerit; quibus scriptis elaborandis, partim etiam edendis, insudaverit, ac tantum non immortuus sit, reliqvum est, ut paucis persequamur.

Perfecto ita ergò in Belgium atque Angliam altero itinere, vitæ sociam quærit, eamque opportunè & feliciter invenit Margaretam Degingkiam, Domini Casparis de Degingk, tum Senatoris, postea Consulis Reipublicæ Lubecensis, filiam, die 23. Octobris, anno 1671. sibi solenniter junctam. Hæc quatuor eum fecit patrem filiorum, enixa Casparum Danielem, Georgium-Marquardum, Fridericum, & Ericum Georgium: quorum secundus & quartus in pueritiâ mortalitatem expleverunt: Major verò natu, dum hæc scribuntur, in Academiis Saxonicis Musarum castra sequitur, & Fridericum fratrem multæ spei adolescentem, è Lubecensi celeberrimo Lycæo, ubi Clarissimo Svantenio

Re-

Rectore atque magiſtro, literis huc usque ſtrenuam dedit operam, ad ſe invitat. Neque verò conjuge ita auctus MORHOFIUS in literis quicquam remiſit; ſed ſicut juvenis alacriter cœperat, ita vir factus & maritus, tum legendo ac meditando, tum docendo & ſcribendo, non minus erat occupatus. Et lectionem quidem ejus asſiduam, omnisque generis librorum pervolutationem, non eſt, ut verbulo attingamus; quandoquidem & ſcripta viri, & qui vivum eum norant & colebant, ſatis rem loqvuntur: quæ autem in Academia Kilonienſi publicè ac privatim diſcere volentibus propoſuerit, non niſi ex Lectionum ejus Catalogis, quos ſtatis anni temporibus, die 5. ſcil. Aprilis & 5. Octobris edidit, quique adeò commodè hic etiam exhibentur, perſpici rectius poſſunt. Nam quæ Roſtochii omnes illos, quos habitavit, annos ſibi penſa ſumſerit, ordine nunc enumerare non licet, deficientibus nimirum Catalogis Lectionum iſtius Academiæ, & aliis quoque ſubſidiis, unde ea quadantenus poterant colligi. Id tamen in aperto eſt, præmisſis elegiaco Programmate, quod nunc inter Miſcellanea in Operibus Poëticis pag. 710. comparet; & Diſſertatione de Enthuſiaſmo ſeu Furore Poëtico, hoc ipſo Diſſertationum volumine non inutiliter fortè repetitâ; Claudiani de Raptu Proſerpinæ libros primis publicis Lectionibus; privatis verò differentiam ſermonis Oratorii & Poëtici, eundem expoſuiſſe.

CATALOGUS LECTIONUM MORHOFIANARUM.

I. 1665. à 25. Novembris, quo die primus novæ Kilonienſis Academiæ Catalogus publicatus, usque ad Feſtum Paſchatis 1666.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS, D. Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſor Ordinarius, prò duplici munere horas partietur, ita ut die Lunæ & Martis *Oratoriam Civilem* ſuo ductu adornatam, ſelectisque ex hiſtoriâ exemplis illuſtratam

tradat; die Jovis & Veneris *Artem Epigrammatum*, perpetuo exemplorum apparatu deductam, proponat. Privatim quoque varia in oratoriis, ut & in Poësi, tàm Latina, quàm Germanica, Collegia aperiet, quæ seorsim significabit. Docebit horâ II.

II. 1666. à Festo Paschatis ad Autumnale tempus.

D. G. M. U. J. D. Eloq. & Poës. Prof. Lectiones tàm Oratorias, quàm Poëticas, prout cœpit, ad finem perducet. Quæ privatim habiturus est Collegia, de tabulâ publicâ significabit.

III. ——— à Fest. Michael. ad Fest. Paschatis 1667.

D. G. M. Philos. & Juris Doctor, h. t. Fac. Decanus, die Lunæ & Martis in Eloquentiâ Civili perget, & *Orationum Ideas* suppeditabit Eloquentiæ cultoribus, pro publico exercitio, die Jovis & Veneris *P. Statii Thebaida* explicabit, & ab iniquissimâ Criticorum quorundam censurâ vindicabit. Docet hora III.

IV. 1667. à Fest. Paschat. ad Autumn.

——— ——— ——— Absolutis iis, quæ restant in Praxi Oratoriæ Civilis, die Lunæ & Martis Ideas variarum Orationum, & Actuum integrorum, unâ cum subsidiis ad orationem necessariis, suppeditabit, ut semper habeant, quo se & privatim, & publicè exercere Eloquentiæ cultores possint. Die Jovis & Veneris Lectiones Statianas, quas hactenus suspendit, quoniam oratorias magis ex usu & voto Auditorum esse intellexerat, assumet.

V. ——— à Festo Michael. ad Fest. Paschat. 1668.

——— ——— ——— Absolutâ Oratoriâ Civili lectiones in Statii Thebaida, quâ incepit, eâ methodo continuabit, ut brevi, sed sufficienti Commentario verba explicet, & Artificia inventionis, aliaque πολύχρηστα Poëtica ostendat. Privatim quoque Collegia, *Oratorium Practicum*, & *Poëticarum Inventionum*, habiturus est.

VI. 1668. à Festo Paschatis ad Autumn.

——— ——— ——— Perget in explicatione Thebaidos Statianæ. Privatim quoque absolutis duobus Collegiis, Oratorio Practico, & Poëticarum Inventionum, operam suam desiderantibus non deerit. Docet hora III. pomeridiana.

VII. ——— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1669.

——— ——— ——— In explicanda Thebaide Statiana perget. Ne verò & muneri suo in Facultate Oratoriâ desit, diebus

Jovis

Jovis & Veneris Ideas Orationum Consultationumque variarum, quarum in Republica usus est, Auditoribus ad solennia exercitia proponet.

VIII. 1669. à Festo Paschatis ad Autumn.

DAN. GEORG. MORH. Eloquent. & Poëseos Professor, h. t. Academiæ Pro-Rector, & Facultatis suæ Decanus, hactenus in exercitiis Oratoriis Civilibus occupatus fuit, & in materia de Rege Poloniæ eligendo, ejusque argumenti Idea nona etiamnum hæret. Semestri hoc æstivo eandem Exercitiorum Oratoriorum telam, quantum per occupationes publicas licebit, pertexet.

IX. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1670.

—— —— —— Hactenus Magistratus negotiis impeditus majori imposterum diligentia muneris sui partes exequetur. Diebus Lunæ & Martis selectissima *de Stylo omniq; characterum genere* præcepta, in usum ea præsentem simul deducturus, proponet. Diebus Jovis & Veneris *Lexicon Latinitatis Poëticæ*, magni in scribendo carmine usus, ad calamum dictitabit, quo nativa, & vulgo non animadversa sermonis Poëtici elegantia demonstrabitur, & quasi compendio quodam omnes Poëtæ explicabuntur. Cæterum scholas menstruas publicas Exercitiorum Oratoriorum, si auditorum responderit diligentia, instituet, privatis quoque collegiis, quæ seorsim significabuntur, eorum studiis non defuturus.

X. 1670. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Quam semestri hiberno incepit tractationem de Stylo, æstivo hoc, diebus Lunæ & Martis, continuabit, plenissimè expositurus omnia, quæ ad varia dictionis genera pertinent, & exemplis illustraturus. Diebus Jovis & Veneris de Latinitate Poëticâ, absolutâ utilissimâ operâ de Oratoriæ & Poëticæ dictionis differentiâ, porrò commentabitur.

XI. —— à Festo Michalis ad Festum Paschatis 1671.

—— —— —— Post absolutam suam de Stylo & Dictionis Poëticæ & Oratoriæ differentiâ Commentationem, *Claudiani Panegyricos* & *Aristotelis Libros Rhetoricorum*, per vices prælegет.

XII. 1671. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Ad finem perductâ Commentatione de Stylo & Dissertatione de Differentia dictionis Oratoriæ & Poëticæ, Aristotelis Libros Rhetoricorum & Claudiani Panegyricos per vices expli-

explicabit. Privatim quoque, ubi absolverit *Lectiones de Eligendis optimis autoribus, cumq; fructu legendis*, quibus præcipua Historiæ literariæ Veteris & Novæ est complexus, alios in utraque Eloquentiâ labores suscipiet, quos de Tabulâ publicâ significabit.

XIII. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1672.

—— —— —— Facultat. Philos. Decanus, Publicis Lectionibus Aristotelis libros Rhetoricorum & Claudiani Poëmata, per vices explicabit. Privatis hactenus Historiam literariam proposuit: quam cùm ob vastitatem argumenti ad finem nondum perducere potuerit, continuabit. Eâ verò absolutâ lectiones perpetuas in Autores Classicos, Oratores, Historicos, Poëtas instituet: eâ methodo, ut non tantùm singularia Latinæ lingvæ observet, sed &, quæ ad res ipsas spectant, brevissimè attingat, moniturus, ubi notanda ac excerpenda quædam occurrent. Modo non desit par operoso labori sustinendo frequentia. Nec Eloquentiæ Exercitia omittet.

XIV. 1672. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Absolutis, quæ in Historiâ literaria percensenda restant, lectiones de Periodo Oratoriâ & Poëticâ ordietur: quibus absolutis, *de Elegantiis Carminis* quædam præleget. Privatim scholas Oratorias ac *Epistoliographicas* instituet.

XV. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1673.

—— —— —— Lectiones *de Periodo Oratoriâ & Poëticâ*, quâ incepit diligentiâ, continuabit.

XVI. 1673. à Festo Paschatis ad Michael.

DAN. GEORG. MORH. D. Eloquentiæ & Historiarum Profess. in Lectionibus Oratoriis tractationem de Periodo Oratoriâ & Poëticâ ad finem perducet, singularia ejus doctrinæ propositurus. Quibus absolutis librum Rhetoricum Aristotelis publicè interpretabitur. Privatis Lectionibus utilissimam Eloquentiæ partem, quæ in Epistolis consistit, proponet. Professionem Historiarum à Serenissimo Principe Dominô suô Clementissimô, non ita pridem sibi demandatam, auspicatus est Lectionibus de Historia, & Scriptoribus Historicis. Quas ubi absolverit, *Vitam Agricolæ* prælegere publicè constituit. Ea enim, quæ ad usum potissimum civilem sunt, argumenta seliget. Sacræ Historiæ specimen, Dissertationem *de Christianismo veteri, quid ille è gentilium Philosophorum docendi modo, moribus, ac dogmatibus traxerit*, typis, quam primum id fieri poterit, publicabit. Historicas Lectiones habet horâ primâ; Oratorias III. pomeridianâ.

XVII. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1674.

—— —— —— Eloquentiæ & Historiarum Profess. hodiè Colleg. Philos. Decanus, semestri æstivo Lectiones de Historiâ ac Historiæ Scriptoribus, Oratorias item de Periodo, ad finem perduxit. Hiberno hoc in Historicis vitam Agricolæ præleget; in Oratoriis libros Rhetoricorum Aristotelis interpretabitur. Privatim, absolutis, quæ è scholis Epistolaribus restant, *de Argutâ Dictione*, desideria nonnullorum impleturus, quædam commentabitur. Juris quoque universi Historiam operam suam desideraturis proponet.

XVIII. 1674. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Perductis ad finem Lectionibus suis, tùm Oratoriis, tùm Historicis, hoc semestri æstivo horâ I. vitam Agricolæ præleget; Hora III. Aristotelis librum Rhetoricorum III. de Elocutione interpretabitur. Privatis lectionibus quædam de argutâ dictione commentari incepit.

XIX. —— à Festo Michaelis ad Paschatis Festum 1675.

—— —— —— In Historicis vitam Agricolæ ad medium perduxit, ac perpetuis Dissertationibus illustravit: quam telam hac hieme pertexet. In Rhetoricis Aristotelis ad Caput ultimum lib. III. pervenit: reliqua etiam adjuncturus. Privatim Lectiones de arguta Dictione absolvit.

XX. 1675. à Festo Paschatis ad Michaelis Festum.

—— —— —— *De Autoribus Latinæ Linguæ* Lectiones habiturus est. In Historiâ *Taciti Libros Annalium* interpretabitur, perpetuisque Dissertationibus illustrabit. Privatim lectiones in Jurisprudentiâ & Philosophiâ Naturali Historicas, quas incepit, continuabit.

XXI. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1676.

—— —— —— Eloquentiæ & Historiæ Prof. ac Facult. suæ per proximum semestre Decanus, hora I. pomeridianâ Dissertationes suas de Autoribus Linguæ Latinæ continuabit; hora III. in Taciti Annalibus prælegendis perget. Quas privatim instituit Lectiones, Juris & Philosophiæ naturalis Historicas, ad finem perducet. Iis absolutis alios labores aggredietur, quos Dominis Auditoribus placituros intelliget.

XXII. 1676. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Pro duplici, quo fungitur, munere, de Autoribus Latinæ linguæ prælegit, & *ad Sleidanum de IV. Imperiis* commentari perpetuis Dissertationibus cœpit. Habuit

item, ut Collegii sui Decanus, Disputationem inauguralem *de Paradoxis Sensuum* & V. viris tam Reverenda dignitate, quam eruditione conspicuis, honores supremos Philosophicos contulit. Nunc hoc semestri æstivo in *Oratoriis* doctrinam *de Affectibus*, Oratori tàm Civili, quàm Sacro utilissimam, & hactenus negligentius, quam argumenti præstantia efflagitabat, tractatam, enucleatè proponet. In *Historicis* telam suam pertexet, utilissimis Dissertationibus Autorem suum illustraturus. Privatim quoque lectiones suas continuaturus est, & in gratiam eorum, qui bonas literas, lingvam Latinam, Eloquentiam tàm solutam, quàm ligatam, majori studio exculturi sunt, *Palestram humanitatis* instituet, quod institutum suum singulari programmate * prolixius expositurus est.

* Hoc Programma non extat, sed vel scriptum tantum manu, vel amissum.

XXIII. —— à Festo Michaelis ad Pasch. 1677.

—— —— —— In Oratoriis hoc Semestri æstivo Pathologiam Oratoriam prælegit: qua absoluta Orationem Ciceronis unam & alteram explicandam suscipiet, artificium in iis Oratiorum aliaque πολύχρηστα & singularia Latinæ lingvæ ostensurus, idque diebus Lunæ & Martis. Diebus Jovis & Veneris Poëticis quoque operam impendet, & altero quidem die *Elegiam* vel *ex Ovidii libris Tristium*; vel *ex Epistolis Heroidum* interpretabitur, indicato ubique artificio Poëtico; altero die *Epigrammata Martialis insigniora* explicabit, simul moniturus, in quibus Epigrammatis virtus & Elegantia consistat, quidve hic imitari debeamus. Privatim Collegium Oratorium Practicum, & Inventionum Poëticarum habiturus est. In Historicis Sleidani librum primum absolvit. Quæ seqvuntur in Imperatorum Romanorum historiâ, ac recentiora illa, majore curâ explicaturus est, præcipuè quæ ad Sacram & Germanicam Historiam pertinent. Privatim quoque Lectiones *de Scriptoribus Historicis*, quorum ad Prudentiam civilem usus est, pollicetur.

XXIV. 1677. Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— Eloqu. & Histor. Professor, h. t. Academiæ Pro-Rector, quantum per Magistratus negotia licebit, *in Oratoriis*, *Orationem Ciceronis pro L. Manilia* publicè eâ, quâ cœpit, methodo explicare perget, *in Historicis* Secula, quæ secundum à CHRISTO nato sequuntur, recensebit. Nuper elapso semestri tria absolvit privata, ut vocant, Collegia, & hoc æstivo *Logicam Oratoriam*, ad Orationes tàm Sacras, quàm Civiles, poëticas inventiones, epistolarem

larem

larem scriptionem magno usui futurum, singulari methodo privatis lectionibus proponet. Exercitia item privata Oratoria ac Epistolica, si justus Auditorum se offerret numerus, pollicetur.

XXV. —— à Festo Michaelis ad Pasch. 1678.

—— —— —— Deposito Magistratu ad Labores suos Ordinarios rediturus est. In Oratoriis itaque hora IX. antem. aureum *Dionysii Longini περὶ ὕψους*, sive de Sublimi Orationis genere librum, perpetuis Dissertationibus illustrabit, & quidem diebus Lunæ & Martis; Die Jovis eâdem horâ Libros Tristium Ovidii interpretabitur, & Die Veneris Epigrammata selecta è Martiali proponet, artificium Poëticum in omnibus ostensurus. In Historicis hora secunda pomeridanâ de Historiâ ejusque scriptoribus, rogatus à nonnullis, aliqua commentabitur.

XXVI. 1678. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

—— —— —— Absolutis Oratoriis, quas in Dion. Longinum περὶ ὕψους librum habuit lectionibus, unam alteramve *Ciceronis Orationem* explanandam suscipiet. Poëticas Lectiones, prout hactenus instituit, continuabit. In Historicis *Historiam à Carolo Magno ad nostra tempora deductam*, Germanicam præcipuè, Rerum civilium cultoribus scitu necessariam enarrabit.

XXVII. —— à Festo Michaelis ad Pasch. 1679.

—— —— —— Elapso semestri æstivo in Oratoriis Longini librum περὶ ὕψους prælegit; in Historicis eam, quæ à Carolo Magno incipit, Historiam enarrare incepit. Eam hoc semestri hiberno continuabit, & in Oratoriis prælegeet illustres aliquot *Ciceronis Epistolas*, artificium in iis Oratorium, & Latinæ lingvæ singularia ostensurus. Privatim Collegium *Historiæ universalis*, ut & Epistolare habiturus est.

XXIIX. 1679. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

—— —— —— Hactenus illustres Ciceronis Epistolas, & Germanicorum Cæsarum historiam explicuit publicè. Hoc semestri æstivo *in Oratoriis Enthymematum* ex Aristotele *doctrinam*, omnesque adeò Inventionis Dialecticæ & Oratoriæ locos, quorum maximus in Eloquentiâ, tàm Sacra, quàm Civili, usus est, compendiô proponet; privatis lectionibus eorum usum ipso exercitio ostensurus. *In Historicis* Vitam Agricolæ à Tacito descriptam explicabit, ac perpetuis Dissertationibus illustrabit.

XXIX. ——— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1680.

——— ——— ——— Cum Lectiones Semestri æstivo inchoatas ad finem, morbo pertinaci implicitus, perducere non potuerit, easdem hoc semestri hiberno continuabit.

XXX. 1680. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

——— ——— ——— Quas in Historiâ literariâ inchoavit, lectiones continuabit. Oratoriæ eam partem, quæ Enthymematum inventionem docet, hoc semestri absolvet.

XXXI. ——— à Festo Michaelis ad Paschat. 1681.

——— ——— ——— Postquam semestri æstivo doctrinam de Enthymematibus in arte Oratoriâ proposuerat, *de Periodo* Lectiones incepit, quarum ille telam semestri hoc hiberno pertexet. Oratio *de Cultura Populorum* ipso dirigente habita est. In Historica Professione partem insignem Historiæ literariæ, quæ *de Re Bibliothecaria* agit, Dissertationibus perpetuis illustravit. Privatas *de Notitia Autorum* scholas ante duos circiter menses instituit, quas per solidum annum, DEO ita volente, continuaturus est. Publicè Historiam civilem iterum auspicabitur.

XXXII. 1681. à Festo Paschatis ad Michael.

——— ——— ——— Publicè *de Historia Institutione* legit, & *de Periodo Oratoriâ* & *Poëticâ*. Privatim Lectiones de Notitâ Autorum tribus de die horis habuit, porroque continuaturus est. Hoc semestri æstivo *Historiam Civilem* de integro auspicabitur, & *de Characteribus Dictionum* variis quædam commentabitur hora octava & secunda.

XXXIII. ——— à Festo Michaelis ad Paschatis 1682.

——— ——— ——— Publicis lectionibus Historiam universalem proposuit, eamque hoc semestri hiberno continuabit. Lectiones de Stylo oratorias ad finem quoque perducet. Privatim Lectiones de Notitia Autorum, & de Argutâ Dictione absolvit. Si quos novos suscipiet labores, maturè de tabulâ publicâ significabit.

XXXIV. 1682. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

——— ——— ——— Quam à Caroli Magni imperio Historiam exorsus est, usque ad nostra tempora porrò ducet. In Oratoriis *de Differentiâ Oratoria & Poëtica Dictionis* quædam commentabitur.

XXXV. ——— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1683.

——— ——— ——— In Historiâ recentiori usque ad Maximiliani I. tempora pervenit, ea, quæ restant, eadem methodo con-

continuaturus. In Oratoriis prælectiones de Differentia Dictionis Oratoriæ & Poëticæ penè ad finem perduxit. His absolutis *Pathologiam Oratoriam* publicè proponet. Edidit & *Germanica sua Poëmata* una cum libro *de Ortu & Progressu Poëseos Germanicæ*.

XXXVI. 1683. à Festo Paschatis ad Michaelis.

——— ——— ——— Publicis Lectionibus Historiam à Carolo Magno ad nostra tempora absolvit: privatis Historiam à condito Mundo ad Carolum Magnum hoc semestri iterum propositurus. Publicè Lectiones *de Historicis Scriptoribus* auspicabitur. In Oratoriis absolutâ Pathologiâ Oratoriâ, Enthymematum Oratoriorum Doctrinam ex Aristotele compendiosa methodo proponet, privatis Lectionibus praxin perpetuis exemplis ostensurus. Lectiones de Notitia Autorum privatim absolvit. Quid porrò suscepturus sit, in tabulâ publicâ significabit.

XXXVII. ——— à Festo Michaelis ad Paschatis 1684.

——— ——— ——— Elapso semestri æstivo in Oratoriis Pathologiam absolvit: in Historicis Isagogicas Lectiones incepit. Lectiones rarioris argumenti Acroamaticas, quas vocat, quas singulis hebdomadis, die Martis, hora nonâ *de Patavinitate Liviana* instituit, continuabit. His absolutis nova dissertandi argumenta subjunget, plenius & majore apparatu tractanda, ut in lucem aliquando edi possint. Habita quoque est illo moderante Oratio *de Difficultatibus & fructibus studiorum*, quæ & typis impressa est. Hoc semestri hiberno in Oratoriis nova *Rhetorices Elementa*, quibus omnia illa orationis formandæ & ornandæ præcepta ita contrahentur, ut, quod ad Enthymematum doctrinam, varia styli genera, orationis ideas, figurasque spectat, & à compendiariis non solum Scriptoribus, sed & pleniorum Institutionum concinnatoribus vel præteritur, vel segniter tractatur, ad utriusque tàm civilis, quàm Sacræ Orationis usum Dominis Auditoribus distinctè & ordinatè, ut cœpit, proponet. Privatim in eo est, ut Lectiones *de Amplificatione Oratoriâ* absolvat. His vel Oratoriam Praxin, vel Historiam Universalem, aut si quæ alia Dominis Auditoribus grata fore cognoverit, subjunget.

XXXIIX. 1684. à Festo Paschatis ad Michaelis Festum.

——— ——— ——— In doctrinâ de Inventione Oratoriâ, in quâ nunc versatur, perget, & Orationum selectarum è Cicerone analysin nonnunquam illustrationis gratiâ interseret. In Historicis Lectiones Isagogicas continuabit. Lectiones Acroamaticas de rebus

rariorihus semel singulis hebdomadis proponere incepit, ita adornatas, ut in lucem edi possint: è quibus primum selegit *de Patavinitate Livianâ* argumentum, de quo dissertatio jam sub prælo est, & propediem lucem exspectat. Subjicientur illi ἱστορούμενα quædam *Juridica* Lectionibus acroamaticis hoc semestri proponenda. Disputationem *de Eloquentia in tacendo* publicè habuit. Collegium Oratorium Theoretico-Practicum privatum instituit. Quod ubi pensum absolverit, quæ suscepturus porrò sit, maturè significabit.

XXXIX. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1685.

—— —— —— Hoc semestri æstivo quas promiserat uberiores Eloquentiæ Institutiones, privatis lectionibus in compendium traxit, additis exemplis. Dissertationem Isagogicam in Historias nondum absolvit. Edidit librum de Patavinitate Livianâ. Hoc semestri hiberno cum per Magistratum, quem gesturus est, publicis Lectionibus vacare non possit, Lectiones tamen acroamaticas, si fieri poterit, continuabit. Privatim quoque *de legendis, excerpendis, & imitandis autoribus* lectiones promisit.

XL. 1685. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

—— —— —— Deposito Magistratu ad Lectiones publicas revertetur. Historiam ab orbe condito iterum auspicabitur, observationibus utilissimis eam illustraturus. Selectas item *Ciceronis Orationes* præleget, inque iis artificium Oratorium præcipuè ostendet. Privatim, postquam Lectiones de legendis, excerpendis, & imitandis bonis autoribus absolvit, Collegium perpetuum super bonos autores habiturus est, atque ita ipsa praxi ostendet, quomodo ex orationibus, epistolis, poëmatibus, Satyris, omnis generis collectanea in Eloquentiæ usum institui debeant. Acroamaticas quoque lectiones de argumento aliquo rariore non omittet.

XLI. —— à Festo Michaelis ad Paschatis 1686.

—— —— —— In *Oratoriis* Ciceronis Orationem pro M. Marcello duabus de die horis publicè proposuit, & ad omnes artis leges excussit. Quam telam hoc quoque semestri continuabit in aliis Ciceronis Orationibus. Nam Historiam Universalem & Poësim privatis collegiis tradet.

XLII. 1686. à Festo Paschatis ad Michaelis.

—— —— —— Quam semestri hoc hiberno in Oratoriis Periodologiam incepit, pertexet. In Historicis ex re literariâ illustre argumentum, *de Germanorum meritis literariis* proponet. Acroamati-

maticas quoque lectiones *de re Bibliothecaria* per intervalla instituet. Privatim Lectiones Poëticas ad finem perduxit, & cursum Historiæ à Carolo M. ad nostra tempora incipiet.

XLIII. —— à Festo Michaelis ad Paschatis 1687.

—— —— —— In *Oratoriis*, doctrinâ de Periodo ad finem perductâ, *Institutiones Rhetoricas* ordietur. In *Historicis*, universali Historiâ privatim absolutâ, *Vitam Agricolæ* à Tacito scriptam præleget, perpetuisque dissertationibus illustrabit; & quoniam argumentum *de Meritis Germanorum in re literariâ* publicè enarrandum suscepit, duabus per hebdomadem horis, si auditoribus ita visum fuerit, continuabit. Etiam de Re Bibliothecariâ Lectiones aliquas immiscebit, plenius illa omnia *in Polyhistore suo*, sive *de Notitiâ Autorum & rerum* libro, jam typis promulgando, expositurus.

XLIV. 1687. à Festo Paschatis ad Michael.

—— —— —— In Rhetoricis prælectionibus ad genus Demonstrativum pervenit, ac imposterum eam telam pertexet. In altera professione eam, quæ à Carolo Magno ad nostra tempora ducitur, Historiam proponet. Elapso semestri Orationes duæ habitæ sunt. *I. de Eo, quod in honestate optima sit prudentia. II. de Magnificentia Rerumpublicarum.*

XLV. —— à Michaelis ad Festum Paschatis 1688.

—— —— —— *Institutiones Rhetoricas* iterum auspicabitur; & in Historiâ literaria aliquas lectiones habebit. Cæterum in Polyhistore suo edendo totus nunc versatur. *Oratio Panegyrica* in memorabilem Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI victoriam à Turcis reportatam habita est.

XLVI. 1688. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

—— —— —— *In Oratoriis Ciceronis Orationem post reditum in senatu habitam* enarrabit, ostenso in singulis periodis artificio Rhetorico ad ductum Aristotelis. Analysin enim Enthymematum, Amplificationum, Figurarum, Periodici artificii accuratam instituet. Eâ absolutâ vel aliam Ciceronis Orationem interpretabitur, vel *de pura dictione*, prout commodum videbitur, aliquid commentabitur. *In Historicis* publicè à condito mundo ad Caroli Magni tempora, *ductu Boxhornii*, Lectiones instituet; privatis Lectionibus reliquam Historiam recentiorem ad nostra tempora continuabit. *De Polyhistore suo* Partem I. Tom. I. edidit. Cæteræ, si DEUS vitam valetudinemque largitus fuerit, suo tempore sequentur.

XLVII. —— à Festo Michalis ad Festum Paschatis 1689.

—— —— —— Semestri æstivo Orationem Ciceronis post reditum in Senatu habitam prælegit: nunc autem Rhetoricam proponet, idque operam dabit, ut præcepta ipsa breviter enucleateque, citra ambages prolixæ commentationis, proponat, ad Aristotelem, ejus commentatores, aliosque Rhetores veteres & recentiores, Dominos Auditores semper remissurus. *In Historiâ* publicè antiquam illam ad Romanam Monarchiam deduxit; nunc Romanam usque ad Carolum Magnum persequetur: Privatim recentiorem illam à Carolo Magno ad nostra tempora proposuit.

XLIIX. 1689. à Festo Paschat. ad Fest. Michaelis.

—— —— —— Semestri hiberno Aristotelis libros Rhetoricorum explicare cœpit, in quibus ad cap 10. lib. 1. pervenit. In Historicis usque ad Alexandri Severi tempora processit: Eas lectiones hoc semestri æstivo, inprimis historicas, quantùm per impedimenta Magistratus Academici, quem nunc gerit, licuerit, continuabit.

XLIX. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1690.

—— —— —— Semestri hoc æstivo Magistratu Academico impeditus vacare lectionibus publicis, ut voluit, non potuit. Historiam tamen usque ad Constantini Magni tempora perduxit; quam telam hoc semestri hiberno continuabit. *In Oratoriis* publicè quasi in compendio proponet artem eloquentiæ, præcipuè partem illam, quæ in Inventione argumentorum consistit, omnia exemplis, quâ fieri poterit, brevitate illustraturus.

L. 1690. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

—— —— —— Elapso semestri hiberno Institutiones Rhetoricas usque ad Enthymemata generis deliberativi perduxit, quam telam hoc semestri æstivo pertexet: Ubi absolverit, *de purâ dictione* lectiones auspicabitur. *In Historicis* ad Seculum X. pervenit; quæ restant, eadem methodo continuabit. Tres Orationes publicè habitæ sunt: *1. de Justitia. 2. de Divinatione Civili. 3. de Temperantia.*

LI. —— à Festo Michaelis ad Festum Paschatis 1691.

—— —— —— In Oratoriis Institutionum Doctrinam absolvit, ac Exemplum illustre encomiasticæ Orationis in Oratione Majoragii *de Laudibus Auri*, quam recudi fecit, Auditoribus proposuit, ipseque alteram Orationem encomiasticam *de Auro* publicè habuit, quæ nunc editur. Hoc semestri hiberno doctrinam de

pura

pura dictione Latina publicis lectionibus propositurus est. Privatim Collegium Oratorium Theoretico-Practicum *de Eloquentia Civili* aperuit, quod continuabit. *In Historicis*, Lectiones à Carolo Magno ad nostra tempora propediem absolvet, quas eâ methodo tractavit, ut *1. Characterem & elogia Imperatoris*, *2. Statum Civilem*, *3. Res gestas*, *4. Statum Ecclesiasticum*, *5. Memorabilia* proponeret, singulisque seculis integram *Historiam literariam* subjiceret. Quibus ad finem perductis eandem telam, rogatu Nobilissimorum Dominorum Auditorum, iterum ordietur.

LII. 1691. à Festo Paschatis ad Festum Michaelis.

——— ——— ——— Elapso semestri hiberno Historiam à Caroli Magni tempore iterum inchoavit, eam hoc semestri absoluturus. In Oratoriis lectiones de Purâ dictione usque ad doctrinam de Particulis perduxit. Quibus ubi colophonem imposuerit, Lectiones *de copiosâ Dictione* eadem methodo instituet. Privatim scholas Practicas Oratoriæ Civilis Latinæ & Germanicæ instituit. Edidit quoque *Dekenii Observationes Poëticas*, in Poëseos cultorum gratiam. Quos porrò privatim labores suscepturus sit, de Tabula publica significabit.

Publicarum Operarum Indicem adhuc retulimus; sequitur, ut *Scripta* MORHOFIO Auctore in lucem *edita*, & quorum ipse partim jam tùm supra fecit mentionem, ordine, quantum licet, enumeremus. Prodiit autem

Dissertatio de Morbis & eorum remediis, anno 1658. multis dein accessionibus ad justi tractatus modum aucta: sed cum propter minutum ac fugientem sæpè characterem, intricatam item scribendi rationem, oleum & opera in recensendis illis peritura videbatur, Dissertationum volumine nihil ejus nunc quidem aliud extat, quam quod editione prima legabatur.

Epigrammatum centuria popularibus dicata, anno 1659. de quâ, & aliis carminum fasciculis, post paulo dicendi erit locus.

Dissertatio de Jure Silentii, anno 1661. quæ integri tractatus aliquando edendi minutissima ferè pars erat. Reperta sunt enim in schedis multa, quæ in hunc finem collegerat auctor, sed excussa ferè volumine suo, ac disjecta misere. Num igitur illa, sicut & multa tùm tractatuum singularium materies, tum ad Dissertationes nonnullas, olim editas studiosè facta collectanea, in ordinem aliquando cogi, & cum doctis communicari possint, de eo Filii viderint.

Dissertatio de Theologia Gentium Politica, sive de Divinitate Principum, prima 1662. Secundæ enim non nisi fragmentum suo loco superest.

Dissertatio de Principe Medico 1665.

Epistola de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum ruptô, ad V. Clar. Joh. Danielem Majorem, Professorem Medicum, ac Rever. & Sereniss. Episcopi Lubecensis Archiatrum, Collegam honoratissimum anno 1671. Quod enim titulus scripti annum 1672. præ se fert, id à Typographorum more factum est.

Dissertatio de Sole igneo, quam pro consequendis honoribus Philosophicis defendit *Martinus Bützer*, Kiloniensis: qui verbi divini ministerio hodiè in patriâ fungitur 1672.

De Metallorum transmutatione, ad Virum Nobilissimum & Amplissimum, Joëlem Langelottum, Serenissimi Principis Cimbrici Archiatrum celeberrimum, *Epistola*, Hamburgi 1673. in 12.

Dissertatio de Paradoxis sensuum 1676.

Unterricht von der Teutschen Sprache. Item

Teutsche Gedichte / in 8. 1682.

Stentor ὑαλοκλάστης, seu Epistolæ, de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum rupto, altera editio 1682. 4to.

Dissertatio de Eloquentia in tacendo 1684.

De Patavinitate Liviana Dissertatio eod.

Nicasii Baxii Medulla Eloquentiæ ex Cicerone, *cum Præfatione Morhofii*, qua de omni in Eloquentiâ excerpendi ratione agitur, Kiloni 1685. 8.

Polyhistoris Pars prima, Bibliothecarium & Methodicum, libros exhibens, Lubecæ 1688.

Joh. Dekeni Observationes Poëticæ, cum *Præfatione Morhofii*, Kil. 1691.

Polyhistoris Pars secunda, librum φιλοσοφικὸν complexa, cui Auctor immortuus est, Lubec. 1692.

Postuma sunt:

Commentatio *de Disciplina Argutiarum*, incertum, quâ obstetrice, edita 1693.

Collegium Epistolicum, furtim primò atque ineptissimè typis exscriptum; post à *Joanne Burchardo Majo*, Viro Clarissimo, MORHOFII in Eloquentiæ & Historiæ Professione successore, repurgatum, supple-

pletum, indicibus instructum, *de Ratione conscribendarum Epistolarum libelli* titulo, *cum Præfatione ejus* editum Lubecæ 1694. in 8.

Opera Poëtica, cum Præfatione Henrici Muhlii, hodiè Superintendentis Generalis in Ducatibus Sleswicensi & Holsatico; Concionatoris Aulici Supremi, & Præpositi; itemque Theologiæ Professoris in Academia Kiloniensi Ordinarii, & Celeberrimi, Lubecæ 1697. In hunc librum collata sunt omnia ea carmina MORHOFII, quæ reperiri potuerunt: Abesse enim inde nonnulla, & elegantissima fortè, quis est, qui nesciat? Sunt autem reperta tùm præter alia, & luci hic denuo exposita, quæ distinctis olim annis per fasciculos, ipso sic volente Poëtâ, hoc ferè ordine prodierant.

Epigrammatum Centuria Popularibus dicata; Rostoch. 1659. Quæ quidem in Operibus his Poëticis non extat integra, abolita quippe ab Auctore, postquam, quæ videbantur, inde in mox dicenda Epigrammata selecta transtulerat. Quod ideò hic attingere lubuit, ne, quorum in manibus aut bibliothecis forsan adhuc est ista centuria, vel se deceptos, vel vanos putent istorum Carminum collectores: quos in hoc negotio candidè fuisse versatos, neque temere quid, quod prelum præsertim typographicum pridem exercuerat, omisisse, satis habemus exploratum.

Miscellanea Poëtica, & *Epigrammata selecta*. Kil. 1666. *τὸ Miscellanea* barbaram vocem notaverat hoc loco MORHOFIUS in Carminum suorum libro, qui erat in bibliotheca; & quo tempore ipse ea conjunctim edere posset, aliam substituendam censuerat: Sed quia hoc nomine notus dudum libellus, nec res magni erat momenti, nihil etiam hic est mutatum.

Primitiæ Parnassi Kiloniensis, ibidem 1666.

Venerum & *Funerum liber*, ib. 1667.

Veneres Novæ, ib. 1675. vel 1676.

Epigrammatum liber I.

Epigrammatum liber II.

Quorum neuter annum editionis adscriptum habet.

Horæ subsecivæ Poëticæ ad Constantinum Hugenium, 1671. Kal. Octobris.

Αὐτοσχεδιάσματα Poëtica ad Kielmannum, editionis anno non addito.

Otia divina anno 1685. Lubecæ edita.

In isto verò Carminum suorum libro haud pauca emendaverat auctor; quæ quin impunè sequeretur quodvis exemplum, & illud

præcipuè, quod Novorum omnium fons quasi esset futurus, nemo facilè dubitaverit. Hinc & sublata sollicitè sunt in eo omnia ista menda, &, quæ is litura digna judicaverat, inducta. Id quod in curiosi Lectoris, & editionum collationem nonnunquam tentantis, gratiam hic indicasse sufficiat.

Quarto nunc inter postuma loco sunt

Orationes & Programmata anno 1698. publicata. De quibus Lectores, æquos, quod in Præfatione sua rogabant tùm Filii, dextrè judicaturos confidimus.

Dissertationes tùm *Academicæ*, tùm aliæ quoque, hoc tempore lucem iterùm, & tertium etiam nonnullæ, adspiciunt. Faxit DEUS, ut id fiat feliciter!

Satis autem feliciter id factum fuerit, ubi tot votis expetitæ Polyhistoris vel partes, vel pars etiam quantacunque, post non multò has ipsas Dissertationes sequentur. Et spes sanè hujus rei non est nulla, sed optima ea est ac firmissima: Dirigente nimirum Opus Viro Magno, & de literaria re dudum meritissimo. Cujus adeò pace, quod antè complures annos ipsi fuit notissimum, Lectoris ignari ergò breviter delineabimus; qua via scil. in elaborando isthoc opere MORHOFIUS partim incesserit, partim incedere voluerit. Neque inutile fuerit, aut Doctis ingratum, repeti hoc loco, & præmitti sermoni nostro, *Programma* ejusdem, quo ad Lectiones acroamaticas Auditores annô 1683. invitabat: apparebit enim inde, quantum materiei Polyhistori postremo demum consilio ferè exædificando jam tum ista scribens congesserit non modò, sed & præparaverit. Et de Re Bibliothecaria quidem Lectiones publicæ, (quarum hoc Program. mentio fit,) primi libri Polyhistoris partem non contemnendam procul dubio constituunt. In schedis profectò, quarum vix minima hos oculos, integrum ferè mensem in eas unicè intentos, effugit, nec vola hujus argumenti, nec vestigium restabat. Sed age, legatur nun ipsum Programma:

Magna Eloquentiæ & Historiæ affinitas est; mutuas enim operas jungunt, & civili prudentiæ quasi alæ geminæ adsistunt, quarum illa remigio feliciter orbem suum decurrit. Historia eventuum exemplis, velut telis quibusdam, Oratorem armat, & Oratoris vim omnem in subsidium vocat, cum res gestas ornatè describit, & ex ipsius prudentiæ penu depromtas operi suo conciones immiscet. Historia rerum aliquam sylvam subministrat Oratori fabro, quam ille in varios

usus

usus fingat, atque refingat. Cum itaque Eloquentiæ & Historiæ geminæ atque sororiæ, ut ita dicam, partes mihi sint injunctæ, id semper operam dedi, ut earum disciplinarum interiora pro virili excuterem, eaque Auditoribus meis inculcarem. Publicis enim privatisque lectionibus, toto hoc, quo docui, tempore, Eloquentiæ tàm solutæ, quàm ligatæ, partes ita explicui, ut, quæ ab aliis omissa, vel leviter tractata, mihi præ cæteris excolenda sumerem. Nam vel *Oratorem Civilem* præceptis exemplisque lectissimis exhibui, vel totam *Characterographiam*, sive *de Stylo doctrinam*, vel *Pathologiam Oratoriam*, vel *de Arguta dictione, de Excerpendi ratione, de Argutis Thematibus sacris eruendis, de Epistolis scribendis, de Inventionibus Poëticis, de omni, tàm Latina, quàm Germanicâ Poësi*, ea proposui, quæ publicam aliquando lucem, si ultima illis lima accesserit, non spernendo, ut puto, juventutis fructu, videbunt, modò DEUS vitam valetudinemque firmam concesserit; & bonis conatibus non intercesserint horum temporum difficultates. Quæ *ad Germanicam Poësin* spectant, jam tùm à me in antecessum data sunt, eaque *Latinorum Carminum* plenior editio sequetur. In HISTORIA, ex quo Eloquentiæ Professioni illa juncta fuit, ea præ cæteris spectavi, quæ & civilis usus essent, & ab horum temporum Viris doctissimis non observata, vel etiam prætermissa, aut meâ industriâ, ut se interdum aliqua obtulerunt, notata. Historiam itaque vel universam proposui, vel eam, quæ à Caroli Magni Imperio ad nostra se tempora extendit, vel Taciti quædam commentationibus illustravi: unde nonnulla suo quoque tempore ad editionem seligentur. Neque literariam historiam prætermisimus, cujus bonam partem lectionibus publicis *de Re Bibliothecariâ*, privatis, *de Notitiâ Autorum*, expedivimus. Et hunc campum, vastum sanè & diffusum, intra tres annos proximos, operoso labore bis decurrimus. *Naturalem* quoque *Historiam*, ut hodiè illa tot observationum fœcundâ messe ditata est, tentavimus. Quæ omnia, ubi paulò diligentius tractata, & continuis accessionibus perculta fuerint, prælo, DEO ita volente, subjicientur, præsertim, cum non desint, qui ad editionem eorum maturandam impellunt, Viri doctissimi. Hic laborum Academicorum cursus hactenus nobis fuit, à quo non deflectemus, quam diu vel valetudo, vel temporum iniquitas, consilia nostra non destituet. Quoniam verò inter schedas nostras non pauca sunt privatâ industriâ nobis congesta & notata, quæ ordinariis nostris destinari lectionibus non possunt, versantur enim in argumentis remotioribus; id nunc consilium arripui, ut, quia & illa in usum

tùm juventutis nostræ, tùm publicum, cedere possunt, illorum autem prælectionibus à viâ λεωφόρῳ, quam igredi in publicâ informatione debemus, abducimur, singulis hebdomadis *lectionem*, quam *Acroamaticam* vocare licet, habeamus. Proponemus iis argumenta selecta, è quibus illud *de Patavinitate Liviana*, quod ad utramque nostram spartam ex æquo spectat, primum nunc producemus. Ejus prima lectio proximo Martis die, horâ nonâ antemeridianâ habebitur, quam reliquæ suis singulæ hebdomadis sequentur. Ubi hoc argumentum exhausimus, vel *de Meritis Germanorum in re literariâ* dissertatio, vel ἱστορέμβια *Jurisprudentiæ Romanæ*, vel *de eo, quod in disciplinis divinum est, tractatio*, & plura alia, illud excipient, quæ hic enumerare ambitiosum fortè videri queat. Si denique continua ista & per plures lectiones deducenda argumenta defecerint, nunquam nos destituent singularia, ex Historia Civili, naturali, literaria, & omni Philologia deprompta: quorum elaborationi ut majorem operam impendimus, ita ad editionem aliquando procurandam seponemus. Vos modo, honoratissimi Domini Auditores, quorum ego commoda unicè respicio; id operam date, ut novos usque diligentiæ nostræ stimulos subjiciatis. Quod ad ordinarios nostros labores attinet, & quidem historiços, proximo die Jovis, horâ nonâ, publicè *Introductionem in Historiam* calamo excipiendam dabimus; privatis lectionibus, ad historiam universalem, si Domini Auditores ita velint, reversuri. In Oratoriis nova *Rhetorices Elementa* in tyronum non solum, sed & adultiorum, gratiam concinnabimus. Nam cum libelli compendiarii, quos hactenus quidem vidimus, præcipuâ Rhetorices parte, enthymematum scil. inventione, manci sint & mutili; & verò diffusi tùm Aristotelis, tùm Cl. ejus interpretis *Schraderi*, qui præ cæteris diligentius in hâc doctrinâ versatus est, commentarii pro usu juventutis prolixiores videantur, in compendium rem omnem contrahemus, ut hæc velut lineamenta habeant eloquentiæ tàm civilis, quàm sacræ cultores, ad quorum ductum orationis corpus efforment. Denique & figuras, & quicquid ad ornatum orationis spectat, in concinniorem ordinem redigemus. His lectionibus pomeridiana secunda destinata est, quarum initium proximo die Jovis fiet. Privatim, ubi lectiones *de Amplificanda oratione* absolverimus, *Scholas oratorias Practicas* instituemus. Verum de his ipsi, quod visum fuerit, statuetis. De me omnia, quæ commodis vestris, vel vestro, vel meo judicio, inservire poterunt, exspectare vos jubeo. Id saltem strenuè laborabo, ut vobis fidem operamque meam, quam maximè fieri pot-

potest, probem, & orbi literato nostrum hoc, qualecunque etiam fuerit, rem & vestram & communem juvandi studium innotescat. Dabam è Museo meo, die 2. Septembris, Anno clↄ Iↄc LXXXIII.

Ut primum igitur Polyhistorem, hoc est, omnium suarum à multis annis lectionum, librorum item, quos legerat magno numero, nucleum, & quintam quasi essentiam, cum Eruditis communicare in animum induxerat MORHOFIUS, Schema Operis aliquod circa nundinas vernas Lipsienses anni 1686. typis exscribebatur in hanc sententiam:

D. G. MORHOFII

POLYHISTOR,

sive

De Notitia Scriptorum & Rerum

LIBRI XII.

QUORUM

I. *Bibliothecarius*, in quo de re Bibliothecariâ in universum, de Subsidiis ad notitiam Auctorum & Historiæ literariæ parandam, Epistolarum, Vitarum, Locorum communium scriptoribus, &c.

II. *Methodicus*, in quo de Pædagogiâ, Regiâ, vulgari, variis parandarum scientiarum methodis tùm legitimis, tùm illegitimis, variis item compendiis ac subsidiis, Mnemonicis, excerptis instituendis, &c.

III. *Grammaticus*, in quo de Græcâ, Latinâ, aliisque lingvis, Grammaticis Scriptoribus, antiquis, recentioribus.

IV. *Criticus*, in quo de Critice in genere, autoribus Græcæ & Latinæ Lingvæ, Criticis Scriptoribus.

V. *Rhetoricus*, in quo de Rhetoricis scriptoribus, Oratoribus antiquis, novis, de Rhetoricâ Sacrâ & Civili, de purâ, argutâ dictione, periodo, Epistolis, varioque ad omnem Eloquentiam apparatu agitur.

VI. *Poëticus*, in quo de Poëtis Græcis & Latinis, varia ad Poësin adminicula, Latinitatis Poëticæ & Inventionum Poëticarum Lexica, ac plurima alia novâ quâdam ratione proponuntur.

VII. *Philosophicus*, in quo de Scriptoribus Philosophis antiquis & recentioribus, scholasticis inprimis, pro sectarum varietate, Metaphysicis, Logicis.

IIX. Phy-

IIX. Physicus, in quo primum de Sectis Physicorum antiquis & recentioribus, deinde de specialium argumentorum scriptoribus agitur, additis, ubi occasio datur, nostrorum temporum inventis.

IX. Ματαιότεχνος, in quo de vanis, superstitiosis, dæmoniacis artibus, earumque propagatoribus & scriptoribus.

X. Mathematicus, in quo de Scriptoribus ad Matheseos disciplinas pertinentibus, præcipuè illis, qui post *Vossii* & *Riccioli* tempora innotuerunt, variisque nostrorum temporum inventis.

XI. Practicus, in quo de Philosophiæ Moralis, Civilis, Oeconomicæ Scriptoribus variisque ad Societatem Civilem felicius tuendam adminiculis.

XII. Historicus, in quo de Historicis Scriptoribus, illisque cum fructu tractandis, instituitur dissertatio.

Opus è xx. annorum laboribus Academicis collectum, & ad omnes artes ac disciplinas accuratius noscendas & tractandas utilissimum.

Appendicis loco additur

De Germanorum in rem literariam meritis Dissertatio.

Positum hoc schema hic omni jure integrum; facit enim huc quam maximè, & in Morhofianis chartis plura ejus exempla se offerebant, quorum quædam in hos usus asservata sunt. Ne quis igitur ex Elogiorum, quæ nostra hæc sequitur, collectione mutuò illud sumtum, & auctore non laudato descriptum arbitretur, hæc ita monenda duximus. Idem verò multis movit salivam, hinc & facilè repertus bibliopola, qui sumtus ad opus edendum subministraret, seque certâ contractûs formula ad id obstrictum redderet. Cujus capita nihil huc ferè faciunt, si exceperis unicum illud, quo promittebat Noster, se Polyhistoris sui, sive de Notitia autorum & rerum summo labore scripti libri memorialis, plagulam ad typographeum Lubecam Kilonio mittendam augere identidem velle. Ex quo manifestum fit, præcipuum Polyhistoris tùm edendi fundum fuisse istum de Notitia autorum & rerum librum, quem Collegium vulgò vocabant auditores. Sed augendum tamen per partes, ac ita refingendum, ut Polyhistoris nomine dignum opus evaderet. Facta sunt etiam, dum licuit, illa promissa adeò operosè, ut quantum nunc publicè prostat operis, non ferè nisi octo capitibus prioribus dicti

dicti de Notitia Autor. & rer. libri sit superstructum, quemadmodum ex abscisis inde, & inter rejectanea habitis foliis cuivis ad oculum patebat. Sed nec reliquorum istius manuscripti libri capitum argumenta afferre pigrabimur.

CAP. IX. De Philosophia in genere, & quidem de Historiæ Philosoph. scriptoribus. Pythagoricæ, Socraticæ, Epicureæ, Platonicæ, Peripateticæ. De Interpretibus Aristotelis Græcis, Arabibus, Latinis. Aristotelis impugnatoribus. De Doctoribus Scholasticis, quorum multi recensentur; it. Cartesio, Hobbes, &c. De Encyclopædiarum scriptoribus, & Methodi novatoribus; Mnemonicis item scriptoribus.

CAP. X. De Lingvarum Scriptoribus.
XI. — Lexicographis Hebr. Græcis, Latinis.
XII. — Grammaticis Scriptoribus, Latinis, Græc.
XIII. — Scriptoribus Latinæ Lingvæ.
XIV. — Criticis.
XV. — Scriptoribus Antiquariis.
XVI. — Oratoribus & Rhetoribus.
XVII. — Rhetoribus & Oratoribus Sacris.
XVIII. — Poëtis.
XIX. — Scriptoribus Physicis.
XX. — Scriptor. Mathematicis.
XXI. — —— Philosophiæ Moralis.
XXII. — —— Politicis.
XXIII. — —— Historiæ.
XXIV. — Logicæ & Metaphysicæ Scriptoribus.
XXV. — Theologicis Scriptoribus.
XXVI. — Scriptoribus Jurisprudentiæ.

SECT. I. De Jurisprudentiæ Universalis Scriptoribus.
—— II. — Scriptoribus Juris specialibus, & quidem certarum gentium.
—— III. — Libris & Scriptoribus Juris Romani, & quidem illis, qui in veterem Jurisprudentiam sunt commentati.
—— IV. — Scriptoribus ad Historiam Juris pertinentibus.

SECT. V. De Commentatoribus Juris Justinianei.
——— VI. — Libris ad Protheoriam Juris facientibus.
——— VII. — Interpretibus Juris secundum libros singulos.
——— IIX. — Controversiarum & materiarum specialium Scriptoribus.
——— IX. — Juris publici Scriptoribus.
——— X. — Juris statutarii Scriptoribus.
——— XI. — Scriptoribus Practicis.

CAP. XXVII. De Scriptoribus Medicis.

Et quamvis inter manuscripta Morhofiana repertus quoque sit alius liber in folii, quam vocant, formâ, cum inscriptione *Polyhistoris*, idem argumentum tranctans, & circa annum 1670. conscriptus, ut ex allegatis ibi auctoribus haud difficulter videre erat, & in Præfatione in Polyhistorem diserte affirmat autor: non tamen est dubium, teste cumprimis eadem ista præfatione, *præcipua* ejus, ac tantum non omnia, partim in jam tum editis Polyhistoris libris, partim in hoc de Notitia autorum volumine locum suum invenisse.

Neque hujus tantum Polyhistoris, sed præter illa, quorum adductum Programma meminit, in primis Historiæ Naturalis Collegii nucleum in Polyhistore per partes edendo exhibere volebat MORHOFIUS. Quæ istô volumine sint tractata, hæc fere illius docent Capita.

Collegii Histor. Natural.

PARTIS I.

CAP. I. Quomodo Historia naturalis instituenda ex Mente Baconis Verulamii, ac eorum, qui ejus vestigia seqvuntur.
II. De Locorum Communium Scriptoribus in Philosophia naturali.
III. — Physicâ Mosaicâ, ejusque interpretibus vetereribus & recentioribus.
IV. — Philosophia naturali Ægyptiorum. —
V. — Philosophia naturali Chinensium, ejusque principiis.

CAP. VI.

PARTIS II.

Sunt præterea Collegia quædam manuscripta, nescio, an multum huc facientia, ut:

Collegium Historiæ universalis à cond. mundo ad nostra tempora.

Colleg. de Dilatatione Orationis.

——— Pathologicum Oratorium.

Tract. de Periodo Oratoria & Poëtica.

Prælectiones publ. Oratoriæ anno 1669.

Manuductio ad Eloquentiam Civilem.

Collegium Inventionum Poëticarum.

Collegium Oratorio-Ecclesiasticum.

De Differentia Sermonis Poëtici & Oratorii.

Quantum verò ex libris suis, ad Polyhistoris opus perficiendum, haurire voluerit Morhofius, indicio erant notæ ac signa in illis infinita, quæ librum evolventi lecta facilè in memoriam revocare poterant. Nam Excerptis quidem, quibus vulgò multum tribuitur, parum insudaverat. Id quod & ipse affirmat Polyhistoris lib. 3. cap. 1. pag. 5. *Ego certè Excerptis congerendis non multum operæ me impendisse fateor, etsi aliorum diligentiam laudo, meæque in his negligentiæ succenseo, magno tamen in lucro reputaturus, si aliorum mibi operâ uti concessum fuerit. Nunc ego memoriâ promicondâ contentus scribo multa; quæ fallat quidem nonnunquam, & res suas repetenti rarò respondeat; plerunque tamen, cum argumenti occasio sollicitat, ultro offerat, & quasi ex capsula depromat.*

Cum igitur confectos hac ratione duos priores Polyhistoris libros ederet autor, à schemate supra proposito recedere non nihil visus est, his suæ præfationis verbis: *Totum opus à me in tres Tomos tribuetur: quorum primus Polyhistoris literarii, secundus Philosophici, tertius Practici titulo appellabitur. Nunc prima Pars Tomi primi, atque adeò duo libri Biblioth. & Method. in lucem prodeunt, quos cæteri suo ordine & tempore sequentur. Et quidem in Polyhistore literario liber Grammaticus, Criticus, Oratorius & Poëticus, in cæteris Tomis reliquæ Philosophiæ partes.* Sed salva res est, & novæ tantùm schematis factæ sectiones, accedentibus

præcipuè multis, quæ isto non erant quidem designata, Practico tamen Tomo accedere rectè poterant. Quod si enim Tomo *literario* Bibliothecarius, Methodicus, Parasceuasticus, Grammatico-Criticus, Rhetorico-Poëticus libri concludendi: *Philosophico* verò Philosophicus, Physicus generalis, Physicus specialis, Mathematicus, Mataeotechnus, & quinque adeò, ut in superiori tomo libri: quid obstabat, quo minus in *Practico* Tomo quinque itidem, Practicus scil. Historicus, Theologicus, Juridicus, Medicus, exhiberentur! Verùm hæc doctis censenda relinquimus; &, ut manifestum fiat, quæ animo scripta conceperit Morhofius, (quorum quidem etiam pars lucem adspexit,) Catalogum eorum ab ejus manu profectum cum erudito lectore hoc loco communicamus.

CATALOGUS
Tractatuum & Dissertationum,
quæ editurus σὺν Θεῷ est D. G. M.

De Ortu & progressu Enthusiasmi.
De imagine divinâ ex gentilium doctrinâ.
De Enthusiasmo Poëtico.
Exercitationes Physicæ.
Dissertatio de Viro Bono.
Dissertatio de Novo Anno.
Dissertatio de Divinitate Principum.
Polyhistor Civilis, sive de Singulis Disciplinis, quatenus ex viro civili addiscendæ.
Commentatio de Stylo.
Orator Civilis cum perpetuis exemplis adornatus.
Commentatio Πολυίστωρ de Ungve.
Princeps Medicus, sive de curatione strumarum, quæ fit à Regibus Galliæ & Angliæ Dissert.
Observationes Digbæi in Librum, *Religio Medici*, ex Anglico in Latinam lingvam versæ, & notis illustratæ.
Satyra: *Vervecum Patria.*
Dissertatio παράδοξος de Aquæ potu Poëtis præscribendo.
De Fato Politico.
Volumen variarum Orationum Panegyricarum à Viris Clarissimis sparsim antehac editarum.

Disser-

Dissertatio de Vestitu Civili.

Hermathena Poëtica, sive de Inventionibus Poëticis liber.

Liber Epitaphiorum jocularium.

Lexicon Latinitatis Poëticæ.

Observationes de Poësi Germanicâ.

Teutsche Gedichte.

Die nothwendige Thorheit. Satyra in ineptos Amantium mores.

Henry Moore Tract. of the immortality of the soul, in Latin. Lingvam versus, cum Dissertatione præliminari.

Vindiciæ Statii contra Rosæum.

Vestiarium Epigrammaticum.

De Jure Morbosorum tractatus.

De Jure Silentii tractatus.

De Arte Epigrammatica & Epigraphica, cum Exemplis.

Politica Lipsii cum annotationibus Herculis Catti, ex Italicâ in Latinam Lingvam versis.

De Pileo Syntagma.

De Mannis Germanorum Dissertatio.

Specimen Philologiæ Teutonicæ.

Originum Germanicarum liber.

De Hydrolatriâ.

De Poculo Syntagma.

De Patavinitate Liviana Dissertatio.

De Arcanis Dominationis in Re literaria.

De Pœnâ furti ex Jure Naturæ & Gentium.

De Arresto Cadaverum.

Philosophia Alphabetaria.

Dissertatio de Lingva universali.

De Virtutibus & Vitii Carminis Germanici.

Oratio de morbis ex intemperantia in studiis ortis.

Bibliotheca, seu de libris autorum elogia Politica.

Aristarchus librarius, seu de titulis librorum.

In Lection. Catalog. anno 1673. facta quoque mentio Dissertationis *de Christianismo veteri, quid ille è gentilium Philosophorum docendi modo, moribus ac dogmatibus traxerit*, typis tùm publicandæ: sed nihil hujus, neque in manuscripto, neque publicè extat; in obscuro etiam est causa, quæ, quo minus solutum sit illud promissum, impediverit.

Reper-

Repertum est autem aliud etiam foliolum, cui Morhofii itidem manu hæc erant inscripta:

Opera & dissertationes, quæ prælo destinantur.

Encyclopædia Bibliothecaria, in qua de re Bibliothecariâ in universum agitur, & de præstantissimis in omni doctrina autoribus judicatur, 4. circiter alphab.

Polyhistor Physicus, opus, in quo veterum & recentiorum sectarum placita proponuntur & conferuntur, vetera novaque inventa per omnes corporum naturalium species recensentur, 4 itidem alphab.

De Germanorum meritis in re literaria lib. 1, alphab.

Vox ὑαλοκλάστης, seu de Vitro per vocem humanam rupto, Epistolica Dissertatio, altera editio auctior; in qua de judiciis, quæ Kircherus & Dan. Bartoli de hoc experimento & Epistola habent.

De Transmutatione Metallorum Epistolica Dissertatio, altera editio, auctior.

Tr. Physicus de Paradoxis Sensuum.

Dissertatio, Princeps medicus, seu de Curatione Regum Galliæ & Angliæ. Editio altera, altero tanto auctior.

Tr. de Ungve Physico-Philologicus.

Tr. de eo, quod divinum est in Disciplinis.

Dissertatio de Patavinitate Liviana.

De Enthusiasmo Poëtico.

Prolusiones Juridicæ, Tr. in quo de Studio Juris ejusque Principiis differitur.

Hermathena Poëtica, in qua de Inventione carminis agitur.

Tr. de Dictione arguta, ligata & soluta.

Tr. de Dictione pura.

Orator Civilis.

De Eloquentia Epistolari.

Poëmata Latina.

Meditationes Sacræ in dies Dominicos, cum Dissertatione de Eloquentiâ Ecclesiastica.

Erant præterea aliæ duæ schedæ, in quas conjecta legebantur partim jam relata, partim plura alia olim edenda, ut:

De Septentrione Dissertatio Theologica, Physica, & Politica.

De Magiâ Politica.

De Religione Politici.

De

De Heroibus.
De Triumpho ante Victoriam.
De Fascino Oculorum.
De Falsationibus Relationum, & de celatione mortis Differt.
De Characteribus Lingvarum.
De Circulatione omnium Rerum.
De Consensu Gentium.
De Solœcismis Juridicis.
De Physiognomiæ usu in Jurisprudentia.
De Varia Poëtarum fortuna.
De Arte oblivionis.
Thesaurus Politicus universalis.
Thesaurus Adagiorum universalis.
Dissertationes variæ Philologicæ Germanicæ.

His cogitationibus, atque operibus dictis immersus, Morhofius Academiam quater rexit, idemque tunc Comes Palatinus Cæsareus & legitimos esse jussit nonnullos, nonnullasve, & ultimo Pro-Rectoratu æstivo, anno 1689 Emanuelem Gammium, Sleswicensem, Notarium creavit. Gessit & primum in Philosophica Facultate Pro-Decanatum loco *Mich. Watsonii*, Theol. Doctoris, Histor. Sacr. & Profan. Professoris ordinarii, primique dictæ Facult. Decani, qui statim post inaugurationem Academiæ, Novembri mense anno 1665. vitam cum morte commutavit. Quos ergò primâ Promotione, anno 1666. die 22. Januarii, honoribus Philosophicis mactaverit, non est, ut ex Inaugurationis Historia huc transscribamus. Neque etiam opus fuerit, tædiosè hic adnumerare Lectori, quoties Decani munere sit functus, cum & Lectionum indices id satis doceant, & literariæ rei in hoc parum fortasse sit situm. Historias docendi spartam nactus est anno 1673, & spes erat certissima, ut Ducalis Historiographi nomine præterea insigniretur, quemadmodum Kielmannianæ literæ, die 13. Novembris, 1673. apud Sleswicum scriptæ, clarissimè docent: quæ verò res ista consilia interverterit, juxta cum ignarissimis ignoramus. Bibliothecæ Academicæ post Samuelem Rachelium, ad Serenissimi Principis aulam evocatum, præfuit ab anno circiter 1680, eandemque multis bonis libris auxit. Totus enim erat vir iste in literis & libris, sicque deditus lectioni continuæ, ut sæpè ne cibum quidem

dem caperet, quin librum aliquem ſimul vel legeret, vel evolutum minimùm penes ſe haberet. Quodque ipſi non domi tantùm, ſed foris etiam in itinere, in hoſpitio erat ferè in more poſitum. Sanè ut librum ſibi aliquando profuturum compararet, nullis neque ſumtibus, neque perveſtigandis variis catalogis impendendo labori parcebat. Minutioribus vero libris coëmendis, & in Bibliotheca locandis, præcipuè erat intentus, eam interſerens cauſam, quod parvi libri & facilius, & ita ſæpè divendantur, ut nullo deinceps pretio ſint redimendi; majores haud facilè bibliopolarum forulos planè deſerere dicebat. Hinc & librorum ejus numerus in tantum excreverat, ut Catalogus eorum, ſecundum repoſitoriorum ſeriem, poſt obitum ejus uſitato charactere conſignatus, centum & amplius plagulis vix abſolveretur. Ipſe verò, dum viveret, Indicem autorum, quorum ſcripta erant in Bibliotheca, ſecundum cognomina eorum, ordine alphabetico, ſua manu conſcripſerat; qui, quo loco & volumine qvodvis inveniendum erat, nullo negotio monſtrabat. Materiarum, quem vocant, Index præter memoriam Viri nullus erat alius.

Literarum commercia habuit cum Gronovio, Scheffero, Grævio, Nicol. Heinſio, Henrico Oldenburgio, Nicolao Witten à Lilienau, Menkenio, Rappolto, Boſio, ac multis aliis in & extra Germaniam. Et erat etiam inter ſchedas integer faſciculus epiſtolarum à doctis viris ſcriptarum, quas filii fortaſſe aliquando producent in lucem.

Ceterum anno 1675. die 8. Aprilis patrem ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno (natus enim is erat die 12. Novembris 1597.) Wismariæ extulit; eodemque die filius ipſi natus eſt primogenitus. Cujus, ceterorumque matrem, conjugem cariſſimam, anno 1687. menſe Junio morte amiſit. Qui caſus & viri animum labefactavit vehementer & ſanitatem afflictam non multo poſt afflictiorem reddidit. Accedebant tùm pertinax literarum ſtudium, tùm librariæ curæ, quæ corpus adeò frangebant, ut annus ſeculi nonageſimus ipſi ferè fatalis eſſet. Sed ſuperato tamen iſto morbo ſanitatis priſtinæ ſpes omnis in Pyrmontanis acidulis erat, ad quas ille ſequente anno remis veliſque contendebat. Disſvadebant tùm plurimi illud iter, & non multum boni tacitè ominabantur; quin & B. nunc itidem Johan. Dan. Major, Medicus & Profeſſor celeberrimus, indignabundus & lacry-

mis

mis penè prosequebatur abiturientem MORHOFIUM. Quid multis? ibat is æger, & redibat fere mortuus. Sanè cum Hamburgum redux, Andreæ Leseri sui, mercatoris literati ac nominatissimi, pulsaret fores, hæc ejus erant postrema verba: Unde alii vitam, ego mortem hausi; ibo igitur Lubecam ad socrum ocyus, ut moriar domi ejus. Valete ô mei! nunquam enim huc redire dabitur! sicque properavit, quo dixerat, & doctissimorum Virorum morbo, hoc est, totius corporis cachexiâ, ætatis anni LIII. mense sexto exeunte, placidè decessit, die 30. Julii, 1691, horâ ferè secundâ pomeridianâ, amplissimo funere sepultus ibidem die 5. Augusti in æde div. Catharinæ, ante chorum, in monumento Margaretæ Degingkiæ, socrus suæ. Accidit penè MORHOFIO, quod magno suo tempore Salmasio, ut moreretur eo loci, ubi minimè putarat. *Nam (Adolphi Vorstii ex Oratione in excessum Salmasii verba sunt,) qui Lugduni in Batavis sedem stabilem ac certum habebat domicilium, in Eburonibus, Spardanos propter fontes, vitam finivit, Trajecti ad Mosam sepultus jacet, nobis solâ jucunda utilisq; præsentia sua relictâ memoriâ.* At sicut parùm refert, ubi terrarum gentiumve moriaris; ita, ut moriaris benè, maximè refert. Benè autem, imò optimè moritur, qui vivus erat in magna existimatione, & sui post mortem aliquod in hominum animis relinquit desiderium. Utrumque sanè contigit MORHOFIO, & hoc quidem ita, ut nulla res indigeat probatione. Quanti verò is fuerit in orbe literato, id & Clarissimi atque Consultissimi Viri congesta Elogia Morhofiana, & quæ hic exhibemus testimonia docent. Tanti certè eum faciebat reipublicæ literariæ illud columen, & Belgii decus, Grævius, ut, cum esset in Germania, Kilonii illum inviseret. Cujus rei locupletes testes has literas producimus:

DANIELI GEORGIO MORHOFIO, V. CL.
S. P. D.
JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

INcredibilem illam vestram singularemque comitatem & benignitatem, qua me accepistis liberalissimè, ne cogitanda quidem gratia possum assequi. Non modò boni erant vultus patris matrisque familias, & prolixa voluntas, sed & apparatus lautissimus, sermones pleni salium, svavitatis & eruditionis, quibus omnes itineris molestias diluistis. Dî dignas vobis referant grates: Nam

nostræ non est opis. Memorem tamen animum, quamdiu superstes fuero, cognoscetis. Aurigam vestratem expugnavimus tandem argenteis armis, ut iter accelerarct, & sequente die lunæ nos Hamburgum perferret. Sed crumenimulgarum pejus genus vix sol adspicit. Malebamus tamen nos ab aurigis ferocissimis, quam à cauponibus insulsissimis & valdè superbis, quamvis omnium bonarum rerum essent inanes, emungi. Hujus viæ tædia minuit svavissima consvetudo Viri præstantissimi & eruditissimi Axenii, quem dudum suspicio, nunc in oculis fero. CL. Pechlinum spero nunc rectè valere. Sin minus, jube ipsum remis velisque contendere ad sponsam. Illa uno osculo plus conferet ad omnes dolorum & infirmitatis reliquias exhauriendas, quam quicquid in vestris myrotheciis aut ex Galeni, aut ex Theophrasti Germanici præceptis reconditum servatur. Vale, Vir Excellentissime, & celeberrimis Viris, Majori & Pechlino, nec non Sperlingio politissimo salutem dic plurimam. Salute quoque hac non defraudarem CL. Wasmuthum & Opitium, nisi crederem, illos valde miraturos esse, me literis salutare, quos coram non salutarim. Uxori quoque tuæ nobilissimæ salutem dico. Iterum vale, & præcipiti scriptioni ignosce. Hamburgi ὡς τάχιστα, cum modò appulissem, a. d. XXII. Jul. CIↃ IↃC LXXVIII. Dionys.

CL. quoque Hulstio salutem adscribo. Si mihi reduci voluerit credere suum Commentarium in Celsum, ad Batavos mecum illum feram, & operam dabo, ut edatur. Nunquam visis libris nolunt manus admovere nostri typographi.

Quid in Svecia de MORHOFIO senserint eruditi, Clarissimo tunc, nunc Reverendo admodum Normanno interprete discimus, cujus ex literis ad Dn. D. Reyherum, JCtum, & Mathematicum celeberrimum, die 14. Aprilis, anni 1683. Kilonium scriptis, ecce excerptum memorabile:

NEque sane aliud nunc scribendi argumentum erat: Nisi quod simul cognoscere avebam, verus ne, an, quod vellem, falsus inanisque rumor esset, qui de excessu summi Viri, D. MORHOFII, nuper apud nos jactatus fuit, quamquam is casus homini ipsi non admodum immaturus, aut dolendus, fortasse acciderit. Cujus fama celebritasque, pulcherrimis elegantissimi ingenii mo-

numen-

numentis, maximè Poëticis, dudum parta, quo in posterum assurgeret, vix habebat. Pridem enim jam solida certâque nominis sui immortalitate, quod paucissimis ævo omni datum fuit, vivus valensque fruebatur MORHOFIUS. Nobis is, omnibusque Musarum amœniorum cultoribus, lugendus obiit, quibus fatorum invidia tot, tamque exquisitis ac vivacibus ductas coloribus politissimi ingenii imagines, quas indies expectabamus, inter præcipua seculi decora censendas, subduxit, intercepit. Jam à te, Vir Magne, peto quæsoque, ut mecum communices lectiora eorum programmatum carminumque, quæ ab anno 1680. quo & hic eram, edidit ὁ μακαρίτης. Quidnam autem illius non lectum eximiumque est? adjectis iis, quibus nunc supremos Viri honores Musæ vestræ concelebrarunt.

Quo animo B. FELLERUS in MORHOFIUM fuerit, quoque loco habuerit ejus lucubrationes, clarè docet hæc Inscriptio:

D. G. MORHOFII
Carmina Sacra IV,
in
Natalitiorum
CHRISTI
Sanctam memoriam
ad Juventutem Academicam
ex
OTIIS DIVINIS
Celeberrimi ejusdem Autoris
Lubecæ 1686. impressis,
recusa Lipsiæ;
Et mense Decembri anno 1689.
discursibus publicis illustrata
à
L. J. F. P. P. P.

Cognosce hæc, Lector optime; ac mirare; in antiqua Lipsiensi Academia, doctorum hominum illa matre, in cathedra Virgilio,

Horatio, & id genus luminibus ſacra; à Viro gravisſimo, & Poëtâ itidem ſummo, MORHOFII carmina diſcentium coronæ publicè propoſita, & diſcurſibus eruditis illuſtrata!

Neque Celeberrimi RECHENBERGII minor in Noſtrum erat affectus, expreſſus, ni fallor, ſatis luculenter in carmine, quo Viro tunc Clarisſimo, nunc ſummè Reverendo atque Excellentisſimo, DN. HENRICO MUHLIO, Philoſophicam Lauream ſolenniter collatam felicem eſſe jubebat.

Ad
SUMMUM POLYHISTOREM,
D. G. MORHOFIUM.

SAlve, eruditæ, quæ ſub axe Cimbrico
Hodièque floret, gentis illuſtre ô Decus,
MORHOFI, & ingens hujus ardor pectoris:
Salve, immò ſalve millies! En MUHLIUM,
Tua Muſa quem Cannâ Indicâ dulcis mage
Huc ire juſſit teſtimonio incluto
Mactatum, eoque ſplendide incluſo metris
Naſonianis; quemque MENCKENIO & mihi
Vatique noſtro fellis ac fuci inſcio
Carum eſſe voluit, Daphnide exornavimus
Sophies ſuprema, jam diu hâc dignisſimum.
Non invidebis hunc amicis candidis,
Confido, amorem in MUHLII dotes Tui,
Et eruditas, quas habet multas, opes,
Vel ipſe, quod non lauream meritisſimam
Capiti huicce docto contuliſſe quiveris.
Jungamus ergò vota nunc communia,
Vir digne Cedro, ſpes ut omnes impleat,
Superetque longum, quas fovemus, MUHLIUS,
Fiatque docti grande Parnasſi jubar,
Grande & Sionis, univerſæ ac Patriæ!

deproperab. Lipſiæ
L. A. RECHENBERG, P. P.
& Academiæ Lipſienſis
h. t. RECTOR.

Illu-

Illustris Rachelius, Collega quondam, post fautor, dum viveret, MORHOFII perpetuus, in Otio Noviomagensi pag. 94. & 95. ita inter alia scribit:

MUltum præ ceteris hujus rei (de lingva Gothica loquitur,) ostendit Boxhornius, in originibus suis Gallicis, ut tamen longè plura enucleanda reliquerit. Quod si MORHOFIUS noster, eximium Holsatiæ Academiæ decus, de Græcæ & Latinæ Lingvæ novitate, & originibus Germanicis, scribendi consilium persecutus fuisset, reconditæ eruditionis opus ab illo expectandum fuisset: nunc cum amico hanc operam se commendasse nunciet, eumque procul dubio ope & consilio juvet, vel sic etiam benè merebitur.

Succedat, qui Aprili mense anno 1689. innotescebat, personatus Judicii ex Pernasso de Triga scriptorum recentiorum autor, quantum ad hoc facit institutum; Veritati enim, quæ in Judicio ejus occurrebant, parum consona, & duriora etiam nonnulla, jure optimo sustulimus.

DANIEL GEORG. MORHOFIUS.

HUnc ego Germanorum Decus, singulare hujus seculi ornamentum & Reipubl. literariæ præsidium jure optimo nominarim. Quicquid enim in Eloquentia exquisiti, vel in rerum naturalium scientia absconditi, vel in antiquitatum & Legum Romanarum peritia solidi, vel ulla in arte rerum omnium digni occurrit, eruditionis suæ sinu unus complectitur, alter Elæus Hippias. Scientias ferè omnes non attigit, sed exhausit, ut verum esse intelligas illud Tullii: *Artes scientiasq; omnes sororio vinculo connecti.* Prodidit ejus Polyhistor nuper editus, quantus ipse sit habendus Polyhistor, quem universam sapientiæ hæreditatem ad se rapuisse, in aprico est. Bibliothecas in Anglia & Belgio vidit, nec oculo fugitivo, sed labore assiduo perlustravit, ut ipse nunc Bibliotheca vocari animata queat. Par est tanto ingenio industria & indefessus labor. Meretur sanè encomium, quod Theodoro Metochitæ tribuit Nicephorus: Βιβλιοθήκη εἶ ἔμψυχος, καὶ τῶν ζητουμένων πρόχειρος εὐπορία. *Bibliotheca es viva, & prompta rerum quæsitarum copia.* Adeò suo exemplo probavit, quod alicubi asserit Tullius: *Non interdi-*

terdictum esse aut à rerum naturâ, aut à Lege aliquâ, atq; more, ut singulis hominibus ne amplius, quam singulas artes nosse liceat. Poësin ultra genium gentis suæ & doctrinam seculi excoluit. Quam scitè eleganterque scribit! Venusta sunt omnia, sive Veneres edat, sive Funera. Elegantias omnes, quas in sua quisque lingva habet, in Poësin quoque Germanicam transtulit, & elegantiores reddidit. Verbo: Quis habet salem, qui in ipso est? Non potest reprehendi, nisi ab indoctis, sed & laudare MORHOFIUM nemo digne potest, nisi ipse MORHOFIUS.

Non est, ut plura nunc addamus, subjunctis præcipuè memoratis supra Elogiis, & Carminibus multis honori Morhofiano dicatis, in quibus maximam partem Clarissimi Viri prolixum suum in MORHOFIUM affectum largiter testati laudes ejus nusquam non dignissime deprædicant. Quæ ut æquo Lectori, sicut & nostrum eidem inserviendi studium, valdè placeant; idemque, si quid hic fuerit erratum, nobis benevolentissimè ignoscat, eâ qua par est observantia, iterùm rogantes perpetuo illius favori nosmet commendamus.

FINIS.



ELO-

ELOGIA MORHOFIANA,

ATQUE

SCRIPTA,

&

ſuper iisdem

Variorum Eruditorum Judicia.


COLLECTORE

CASP. TH. J. C.

TACITUS II. Annal. Libr. XVI.

Detur hoc Illuſtrium VIRORUM Poſteritati, ut, quomodo *Exequiis* à promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur, ita *in traditione ſupremorum* accipiant, habeantque *propriam Memoriam*.

MORHOFIANI NOMINIS
CANDIDIS CULTORIBUS
AC
JUSTIS ÆSTIMATORIBUS
HOC,
QUICQUID EST,
SACRUM ESTO.



ELOGIA MORHOFIANA.

Latinè.

VIR *Incomparabilis*, & Polyhistor Celeberrimus,
D. Mayer *in Musæo Ministri Eccl. in Præfat.*

Polyhistor Admirabilis,
D. Fecht *Præfat. Hist. Univ. Bœcleri pag. 10.*

Curiosæ, raræque Doctrinæ plenissimus Polyhistor,
L. Placc. *Invitat. Amic. &c. pag. 8.*

Eruditorum facilè Princeps,
M. Gœz *Diss. de Script. Cic. Lect.* §. 3.

Immortalis etiam post Fata,
Juncker *de Ephemerid. Erudit. Præf.*

Vir, meritô suô longè mihi charissimus, & æstimatissimus, *in Quo habet Germania, quô Genti Nostræ gloriam omnigenæ, & exquisitæ Eruditionis*, quà ingenii viribus, & indefesso studio eniti licet, asserat,
B. Dn. Seckendorff *in Histor. Lutheran. lib. 3. fol. 342.*

Orator facundissimus, *Poëta* elegantissimus, *Germaniæ* Delicium, *Polyhistor* per totam Europam Celeberrimus, & de hac Academiâ (Kilon.) non solùm, sed & Universâ Republ. Literariâ summè meritus.
D. Henr. Opitius *in Programm. Panegyr. Burchardi.*

JCtus Excellentissimus, inque Perillustri Christiano-Albertina Eloq. & Poët. Prof. Vir, Virtute, Prudentiâ, Pietate, Mysteriorum Naturæ maximorum penitiori scientiâ perquam inclytus, Seculi Ornamentum, Poëtarum Princeps; Svavissimum omnis Eruditionis Delicium, Amœnarum Literarum Assertor ac Vindex Strenuus.
M. Herm. Witte, *in Dedicat. Decad. III. Memor. Philosophorum, &c. 1677. in 8.*

Summæ *Doctrinæ*, summique *Judicii*, & immortalis *Memoriæ* Vir,
D. Joh. Burch: Majus, *Præfat. ad Lect. Polyhist. Morhof.*

Qualis, quantusque Vir fuerit MORHOFIUS, Scripta Ejus, immensô studiô, curaque elaborata, ac variâ, multiplicique Eruditione referta, abundè testantur.

Idem D. Majus *Præfat. Libelli de Rat. conscrib. Epistol:*

Celeberrimus Vir, DN. D. G. MORHOFIUS, *Seculi Verum Ornamentum*, in suo elegantiss: Polyhistore, &c.

Joh. Bilberg. Math. Prof. in Acad. Upsal. Aphorism. Miscell. Anno 1688. Aphor. 4.

Inter ævi hujus *Panepistemonas* referendus vel maximè venit D. G. MORHOFIUS, Profess. Acad. Kilon. celeberrimè jam dudum florens. Neque enim intra *Themidis*, cujus summa axiomata jamdudum obtinuit, sese continere potest cancellos, quin libero, & excelso animô per latissimos *Scientiarum*, *Lingvarumq;* omnium campos fertur, *Poëseos* quippè, & *Eloquentiæ*, quas publicè profitetur, *Antiquitatis* item omnis, atque, uti *Philosophiæ Universæ*, ita *Naturæ* imprimis arcanorum, & olim, & recens inventorum Consultissimus.

Collect. Actor. Lipsiens. *1683. pag. 194.*

Doctissimus MORHOFIUS, Germanicorum & Latinorum etiam, Græcorumque Carminum venustate nulli Poëtarum secundus.

Iidem *Anno 1682. pag. 271.*

Hanc Eruditionis Partem, quæ omnes omnium Scientiarum, ac Artium Scriptores scrutatur, & explorat, monstrare satagit *Doctissimus, & in omni Literarum, ac Disciplinarum Genere probè versatus Autor:* Qui, cùm nihil fermè ignoret, infinitos Libros legerit, & res omnes mente complexus, de iisdem eleganter, & ornatè scribere valeat, uni quasi Systemati universæ Eruditionis apparatum includere, & sub *Polyhistoris* Elegio omnem Scientiarum complexum, aut Polymathiam exhibere instituit.

Iidem Collect. Actor. Lips. *1688. pag. 565.*

Hunc & *Eloquentiæ*, & *Poëseos*, & elegantioris omnis *Literaturæ Magistrum* meritò appellaverim: Quæ *Laus* Ipsi adeò propria est, ut cum Naturalis Scientiæ exquisitâ cognitione, accuratâque Juris Scientiâ sit communis; Gratulamur Patriæ nostræ, quòd in hoc Viro invenerit, *quem Exteris opponere queat*, *Ejus Polyhistore nihil nostrâ memoriâ prodiit eruditius*, quem ut ad umbilicum perduci DEUS concedat, omnes vovemus. *Agnoscent Batavi, Angli, Galli, Itali*, Germanis quoque Deos suos, quos colant,

lant, non deesse. Agnoscent, & rubore suffundentur, quando Commentarium, quem pollicitus est, *de Meritis Germanorum Literariis* vulgaverit.

Joh. Alb. Fabritius, *in Decade Scriptorum Recentiorum, Hamburgi, 1688. in 4. num. 1.*

De Cujus VIRI, propter inusitatam ingenii vim, & insignem Eruditionem, domi, forisque noti, *Virtutibus*, nihil tàm magnificè dici potest, quod ad Meritorum sublimitatem assurgat.)

D. PFENNIGK *in Epistolâ ad D. Thurmannum scriptâ, Rostochi, 1692.*

Conf. Matth. Henr. (Georg. Henr. F.) BURCHARDI Laurus Cimbrica Arescens ad Busta τοῦ πάνυ MORHOFII, Solenni Panegyri in ipsis Vertumnalibus Kiloniensibus, 14. Cal. Febr. 1692. sparsa,

Lubecæ, ap. B. Bockmannum, 1695. 4.

Habetur etiam in Polyhist. MORHOF. *Edit. II. 1695. 4.*

Item DN. HENR. MUHLII Elegantissimum MORHOFII Manibus dicatum *Epicedium, Lipsiæ, 1691. fol.*

Vid. Autor. Dial. Menstr. (Monatl. Unterred.) *1691. pag. 801. seqq.*

Quod & præmissum Parti II. Polyhistor. 1692. & 1698. in 4.

Posteritas agnosce Virum, &c.

Celeberr. MUHLIUS in suis super B. MORHOFIUM Elegiis, in fine:

Utrumque hic allegatum scriptum extat infra suo loco.

ELOGIA MORHOFIANA

Germanicè.

Der Hoch- und Welt-berühmte belesene Herr Morhof/

Diffenbach von Pflichten Christl. *Præcept. pag. 309. & 395.*

Der in seinen Schrifften unvergleichliche Morhof.

Autor monatl. Unterred. *1692. pag. 207.*

Die Zierde der heutigen Gelehrten in Teutschland/

Diffenbach *d. l. pag. 365.*

Welchen gelehrten Mann ie öfters ich citire / ie mehr suche ich einen Schul-Lehrer zu bewegen / daß er dessen Schrifften fleißig lesen / und noch fleißiger die darinn befindliche Vermahnungen beobachten solle /

Idem *d. l. pag. 489.*

Ein Mann / dessen gleichen an unbeschreiblicher Belesenheit und scharffen Judicio die Welt nicht viele mehr hat /

Autor des Herbst-*Parnass. 1692. in 8. pag. 83.*

Der vortrefliche Mann / den nicht allein die Teutschen / sondern auch die Frantzosen / Engeländer / Italiäner / und Holländer certatim veneriren /

Literatiss. Dialogorum Menstruorum, (Monatl. Unterred.) Editor, WILH. ERN. TENZELIUS, *1689. pag. 1278.*

Wäre zu wünschen / daß derselbe mehr Zeit und Gelegenheit hätte / seinen Polyhist. und anders Schrifften / vollends zu elaboriren /

Idem *d. l.*

Es ist zu bedauren / daß sein *Polyhistor* (davon jüngst der andere Theil / und zwar *Liber Excerptorius*, heraus kommen ist /) bey seinem Leben nicht sollen ediret werden / zu geschweigen der andern herrlichen Schrifften / die er noch unter der Feder gehabt /

Autor des Herbst-*Parnass. 1692.* in 8. *pag. 5.*

Conf. D. THOMASIUS monatl. Gedancken / *Mens. Nov. 1688.*

BIBLIOTHECA MORHOFIANA.

Es hat die BIBLIOTHECA MORHOFIANA den Ruhm / daß sie an Selectu Librorum wenig ihres gleichen habe.

Autor der monatl. Unterred. *1692. pag. 63.*

VITA MORHOFIANA.

Unter den Lebens-Beschreibungen wäre des MORHOFII VITA mit allem Rechte voranzusetzen /

Autor der monatl. Unterred. *1692. pag. 63.*

Vid. BURCHARDI *Laurus Cimbrica Arescens, &c. in 4.*

Et DN. MUHLIUS *in suis super* B. MORHOFIUM *Elegiis, &c.*

SCRI-

SCRIPTA MORHOFIANA,

ET SUPER IIS

VARIORUM ERUDITORUM JUDICIA.

POLYHISTOR, sive *de Notitiâ Autorum & Rerum* Commentarii; Quibus præterea *Varia* ad omnes Disciplinas Consilia, & Subsidia proponuntur.

Editio II. Auctior

Lubecæ, apud Petrum Böckmannum, 1695. pag. 41.

Vid. COLLET. ACTOR. LIPSIENS.

Mens. Octobr. 1688. pag. 564. seqq.

BASNAGE *Histoire des Ouvrages des Sçavans*, *Mens. Jun. 1688. pag. 158. seqq.*

OPUS INCOMPARABILE,

Vid. BURCHARDI *Laurus Cimbrica, &c. pag. 10. & 11.*

Scriptum Eruditum, quod ab Eruditis hactenus, (ut meretur) *Magnificis* celebratum est *laudibus*,

M. Gœz, *Diss. de Script. Ciceron. Lect.* §. 3.

Vid. & Autor des Frühlings-*Parnass 1696. pag. 173. seqq.*

TENZELIUS monatl. Unterred. *1689.* Ubi *Summam totius Libri I.* in Compendio exhibet.

Pag. 4. & seqq.

Et *pag. 153.* ibi; daß dis Buch von solcher importanz sey/ daß man NB. unter tausenden nicht eines finden werde/ daß demselben gleich komme/ rc.

Vid. *d. pag. 153.* & *NB. pag. 192.* & *pag. 197. in f.* & *pag. 198.*

LIBRI II. COMPENDIUM, vide *pag. 261.* & *seqq.*

NB. Post editam hactenus *Partem I. & II. Polyhistoris* Celebert. Viri, DAN. GEORG. MORHOFII, (quarum Posterior denuò hoc Anno (1698.) prodiit,) P. Bockmannus, Bibliop. Lübecensis seriò id agit, ut *Partes reliquæ* ad posthumos hosce de Notitiâ Autorum, & Rerum Commentarios pertinentes, obstetricantibus Eruditis nonnullis Lipsiensibus *propediem typis exscribantur.*

Ita in Novis Literariis Maris Balthici, & Septentr. pag. 47.

Conf. Collect. Act. Lips. *d. l. in fine* & *1693. pag. 401.*

DISPU-

DISPUTATIONES ACADEMICÆ.

Disp. Juridica de MORBIS, & eorum Remediis, *Rostochi*, *1658. in 4.*
Inaug. de Jure SILENTII, *Franekkera*, *1661. in 4.*
THELOGIA GENTIUM POLITICA, exhibens Cultum Principum Idololatricum, & Genuinum, Dissertat. I. *de Divinitate Principum*, *Rostochi*, *1662. in 4.*
(Confer MORHOF. *Opera Poët. pag. 706.*)
PRINCEPS MEDICUS, seu Dissertatio de STRUMARUM CURATIONE, quæ instituitur à Regibus *Galliæ* & *Angliæ*, *Rostochi*, *1665. in 4.*
(Conf. MORHOFII *Opera Poët. pag. 611.*)
De PARADOXIS SENSUUM, *Kiloni 1676. in 4.*
ELOQUENTIA in TACENDO, *Kiloni*, *1684. in 4.*
De DISPUTATIONIBUS HIS ACADEMICIS
Vid. M. Tenzel monatl. Unterred. *1692. pag. 604.*
STENTOR ὑαλοκλάστης, seu de SCYPHO VITREO, per certum humanæ Vocis sonum fracto,
(Wie man ein Glas entzwey schreyen könne/) Dissert. quâ *Soni* Narura non parùm illustratur, *Kiloni*, *1672. & 1683. in 4.*
Vid. COLLECT. ACTOR. LIPS. *1683. pag. 194. seqq.*
M. Tenzel monatl. Unterred. *1689. pag. 969.* & *seq.* Et NB. *pag. 1276.* & *seq.*
Erasmus BARTOLINI *de Problemat. Geometr. 1672. in 4. Coroll. V.*
BURCHARDI *Laurus Cimbrica*, *pag. 9.*
Athanas. KIRCHERUS in *Phonurgiâ.*
Et Dan. BARTOLI *in Libro Italico del Suono* Tract. 5. cap. 8. *ubi vocat Opus plenum Eruditione & ingenio.*
De TRANSMUTATIONE METALLORUM Dissert. Epistol. *Hamb. 1673. in 8.*
Dissert. de SOLE IGNEO, *Kiloni*, *1672. in 4.*
De PATAVINITATE LIVIANA Liber, Ubi de Urbanitate, & Peregrinitate Sermonis Latini universè agitur, *Kiloni*, *1684. in 4.*
Vid. Collect. Act. Lips. *1684. pag. 57.* & *seqq.*
Ubi *nitidum planè, ac profundioris plenum Doctrinæ Opus* vocant.
Et in Act. de Anno 1685. pag. 343. Tractatum Elegantissimum.
Conf. & B. Autoris *Programmata sub num. 93.*
Et Burchardi *Laurus Cimbrica pag. 9. & 10.*

De Ra-

De Ratione Conſcribendarum EPISTOLARUM Libellus, cum Præfatione Dn. Joh. Burch. *May*, *Lubecæ*, *1694. in 8.*

Vid. Collect. Actorum Lipſ. *menſ. April. 1693. pag. 164.*

Philochryſus, ſive de LAUDIBUS AURI, Orationes II. omnis generis *Hominum*, præcipuè *Eccleſiaſticorum*, *Vitia*, ſalsè traducentes, &c. *Lubecæ*, *1691. in 8.*

Et inter Orationes, &c. Hamburgi, 1698. in 8. num. 9. & 10.

De GERMANORUM LINGVA, & POESI, Unterricht von der Teutſchen Sprache und *Poëſi*, deren Urſprung/ Fortgang und Lehr-Sätzen/ wobey auch von der reimenden Poeterey der Ausländer mit mehren gehandelt wird/ Kiel/ 1682. in 8.

Vid. Collect. Act. Lipſ. *1682. pag. 271. & ſeqq.*

Diſſert. de ENTHUSIASMO, ſeu FURORE POETICO, *Roſtochi*, *1661. in 4.*

OPERA POETICA, cum Præfatione Dn. Henr. MUHLII, *Lubecæ*, *1697. in 8.*

Conf. *Burchardi Laurus Cimbrica*, *pag. 9.*

Teutſche Gedichte/ Kiel/ 1682. in 8.

ORATIONES & PROGRAMMATA, in celeberrimâ Hoſat. Academ. Kilon. propoſita. *Hamburg. 1698. in 8.*

Conf. *Burchard. d. l. pag. 9.*

Commentatio de DISCIPLINA ARGUTIARUM. *1693. in 12.*

Conf. *Collect. Actor. Lipſ. menſ. Sept. 1693. pag. 399. ſeqq.*

Joh. Gvil. *Laurembergii Satyræ*, Elegantisſima, quâ *Rerum Bonarum Abuſus & Vitia quædam ſeculi* perſtringuntur, recuſa ſtudiò DAN. GEORG. MORHOFII, Ejuſdemque Præfatione *Kiloni*, *1684. in 4to.*

Confer B. Dn. Autoris Unterricht von der Teutſchen *Poëſi*, *&c. p. 749.*

DISSERTATIONES ET DISPUTATIONES ACADEMICÆ,

Varii, & rarioris Argumenti, *Unò Volumine* comprehenſæ, *Hamburgi*, *ap. Libernickel. 1699. in 4.*

Scil.

1. De *Morbis*, & eorum Remediis.
2. De Jure *Silentii*.
3. De *Enthuſiaſmo*, ſeu *Furore Poëtico*.

4. De *Divinitate Principum*.
5. *Princeps Medicus*, &c.
6. De *Sole Igneo*.
7. De *Metallorum Transmutatione*, &c.
8. *Paradoxa Sensuum*.
9. De *Vitro*, per *Vocis sonum rupto*.
10. *Eloquentia in Tacendo*.
11. De *Patavinitate Livianâ*, &c. &c. &c.

PROMISSA ET DESTINATA
à
B. MORHOFIO,

In Scriniis AUTORIS delitescentia.

Collegium manuscr. de NOTITIA AUTORUM in Acad. Kilon. Anno 1682. & seq. habitum.

POLYHISTOR, sive de Notitiâ SCRIPTORUM & RERUM Libri XII. Quorum

I. *BIBLIOTHECARIUS*, in quô de *Re Bibliothecariâ in Universum*, de *Subsidiis*, ad Notitiam Autorum, & Historiæ Literariæ parandam, *Epistolarum*, *Vitarum*, *Locorum Communium Scriptoribus*, &c.

II. *METHODICUS*, in quô de *Pædagogiâ* Regiâ, Vulgari, variis parandarum *Scientiarum* Methodis, tùm legitimis, tùm illegitimis, variis item *Compendiis*, ac *Subsidiis Mnemonicis*, *Excerptis* instituendis, &c.

III. *GRAMMATICUS*, in quô de Græca, Latinâque, aliisque *Linguis*, *Grammaticis* Scriptoribus, Antiquis, Recentioribus.

IV. *CRITICUS*, in quô de *Critice* in genere, *Autoribus* Græcæ, & Latinæ Lingvæ, *Criticis* Scriptoribus.

V. *RHETORICUS*, in quô de *Rhetoricis* Scriptoribus, *Oratoribus* Antiquis, Novis, de *Rhetoricâ* sacrâ, & Civili, de purâ, argutâ *Dictione*, *Periodo*, *Epistolis*, Varioque ad omnem *Eloquentiam* apparatu agitur.

VI. *POETICUS*, in quô de *Poëtis* Græcis, & Latinis; Varia ad *Poësin* adminicula, Latinitatis Poëticæ & Inventionum Poëticarum Lexica ac plurima alia novâ quadam ratione proponuntur.

VII. *PHI-*

VII. *PHILOSOPHICUS*, in quô de Scriptoribus *Philosophis*, Antiquis, & Recentioribus, *Scholasticis* inprimis, pro *Sectarum* Varietate, *Metaphysicis*, *Logicis*.

IIX. *PHYSICUS*, in quô primùm de *Sectis Physicorum*, Antiquis, & Recentioribus, deinde de ſpecialium Argumentorum Scriptoribus agitur, additis, ubi occaſio datur, *noſtrorum Temporum Inventis*.

IX. ΜΑΤΑΙΟΤΕΧΝΟΣ, in quo de Variis, Superſtitioſis, Dæmoniacis *Artibus*, earumque Propagatoribus, & *Scriptoribus*.

X. *MATHEMATICUS*, in quo de Scriptoribus, ad *Matheſeos* Diſciplinas pertinentibus, præcipuè *Illis*, qui poſt *Voſſii*, & *Riccioli* tempora innotuerunt, Variisque noſtrorum temporum *Inventis*.

XI. *Practicus*, in quô de *Philoſophiæ Moralis*, *Civilis*, *Oeconomicæ* Scriptoribus, variisque ad *Societatem Civilem* feliciùs tuendam adminiculis.

XII. *HISTORICUS*, in quo de *Hiſtoricis* Scriptoribus, illisque cum Fructu tractandis, inſtituitur Diſſertatio.

OPUS,

E XX. Annorum LABORIBUS ACADEMICIS collectum,

Et ad omnes *Artes*, ac *Diſciplinas*, accurratiùs noſcendas & tractandas, utiliſſimum.

Appendicis Loco additur

De Germanorum in Rem Literariam Meritis Diſſertatio.

Conſpectum hunc Polyhiſtoris, typis olim exſcriptum, à paucis hactenus viſum, & à B. MORHOFIO cum Amico ſuo, *Detl. Qu.* communicatum, ejusdem beneficiô accepi heîc Hamburgi, *menſ. Octobris, 1698.*

Conf. & B. MORHOFIUS *in Præfat. ad Lect. Libri I. Polyhiſt. & Bibliopola in Præfat. Part. II.*

De Meritis Germanorum in Rempubl. Literariam Diſſertationem ſingularem meditabatur, cujus publicè etiam ſpem fecit *in Polyhiſtore pag. 209.*

Daß die Ausländer / ohne die Teutſchen / in Re Literariâ nicht ſo weit kommen wären / hat Herr D. Morhof in dieſer Diſſertation darthun wollen.

Daß andere Länder ein grosses in den freyen Künsten unserm Teutschlande zu dancken haben/auf dessen Ausführung hat uns der in seinen Schrifften unvergleichliche Morhof vertröstet/

Vid. *M. Tenzel.* monatl. Unterred. *1692. pag. 207. & 603.*

De Ortu & Progressu THEOLOGIÆ ENTHUSIASTICÆ plenum Opus promisit in Dissertatione de Divinitate Principum in fine.

MYSTERIUM SEPTENTRIONIS.

In Epistolâ ad Olaum *Rudbeckium*, *Atlantica* Parti secundæ præfixâ, *pag. 5.* ita: Ego jam in Juventute meâ non absimilis Argumenti colligere quædam cœpi, Librum aliquando concinnaturus, cujus iste Titulus: *Mysterium Septentrionis, &c.*

De Eo, quod *in Scientiis Divinum* est, von dem Θεῖον *in Disciplinis*, göttlichen Mahlzeichen in allen Künsten und Wissenschafften/

Vid. etiam B. MORHOF. *Polyhist. lib. 1. cap. 12.*

Et *M. Tenzel.* monatl. Unterred. *1689. pag. 53. seqq. & pag. 259. seq.*

JURIS PRUDENTIÆ ROMANÆ ἱστορήματα.

De MANNIS GERMANORUM

De PILEO, De UNGVE

Allegat BURCHARDI *in Laur. Cimbric. in fine.*

De OPERIBUS MORHOFIANIS ADHUC EDENDIS.

Non possumus non monere hac occasione, in eo nunc esse HÆREDES MORHOFIANOS, *ut omnia Beatissimi Viri Opera* eousque elaborata, ut luci publicæ sisti possint, inprimis verò *Polyhistorem*, Curâ Viri alicujus Eruditi, munus hoc in se suscepturi, quàm primùm fieri poterit, Orbi Erudito typis accuratè exscripta repræsentent.

Ita COLLECTORES ACTORUM LIPSIENSIUM, *mense Septembri 1693. pag. 401.*

Vid. et. NOVA LITERARIA *Maris Balthici, & Septentr. pag. 47.*



In Disputationem de Morbis.

THeiologia docet morbos, Medicinaque morbos:
Sed curare tamen, non generare docet:
O si Theiologi, Medici si denique morbos
Curarent tantum, non generentque simul!
Mentibus omnino benè corporibusquè futurum!
Vespillo locuples nec Satan ipse foret.
Tandem etiam morbos Jurisprudentia monstrat,
Publica queîs malè se res, domus omnis habet.
O si monstrarent tantum, non atque pararent
Jurisprudentes, quos simul orbis habet!
Non parat, at monstrat sanans Academia morbos.
RHANIUS eximia prosperitate valet.
Morhofi, qua mente vales, obnoxia morbis
Non est. Sanatis publica, priva, sagax.

gratulabundus
scrib.
Joh. Georg. Dorscheus, D.

DE Morbis ex Jure theses proponis, Amice:
Juris amans, amens quæ ferat æqua, doces.
O utinam posses morbos depellere juris,
Justitiæque suum restituisse decus.
Hoc opus, hic labor est. Serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Unica tàm graviùm DEUS est medicina malorum.
Interea pereat jura perire volens.
Ast tibi, qui tradis morbos ex corpore Juris,
Corporis ac animi cor animumque precor.
Cor anmumque precor sano sub corpore sanum,
Sanus ut ad summum culmen honoris eas.

scrib. Præses
Henr. Rahne, D.

CArmen requiris? quâ negem tibi fronte,
Quod vel minutis ſæpè Satrapis velle
Negare, ſummum quis piaculum ducat?
Ætate noſtrâ (nam fatebimur verum)
Sunt νευρόσπαςα, ſvaviludii, mimi,
Et moriones filii Poëtarum.
Os ferreum & impudens habere me dicas,
Et jure dicas, ſi negem tibi verſus
Curtumque metrum, quod modeſtus exoptas,
Ephebe præſtans. Inſitum ſedet menti,
Nec non ſedebit, quamdiu traham lucem,
Quàm pertinace & vix ſolubili nexu
Tuis Camænis, & poëticæ venæ,
Solduriorum ad inſtar hæream obſtrictus.
Probè recordor, atque gratus agnoſco,
Quo me favoris proſecutus es cultu,
Neque enim cuculus pipulo levis vulgi
Feror per urbem, non, potentius Numen,
Vel ſiderum vis rectius dedit pectus,
Benè quod merenti continenter inſvevit
Referre grates, neſcium doli & fraudis.
Ecquid proindè commovere Parnaſſum
Vultu recuſem, ſcilicet tuâ causâ?
Vix (crede) cuiquam plenioribus Muſis,
Phœboque pronipre, quàm tibi, ſcribo.
Et ſic mereris. Optimo tibi pectus
Luto Prometheus temperavit ac finxit,
Ab innocentis mox pueritiæ vere
Eluxit illa mentis indoles celſæ,
Et literarum fervor, & fames famæ.
Ætatem, amice, adhuc puer triumphaſti,
Nihil moratus illa probra Muſarum,
Non aſſis, aut unius æſtimans flocci
Illiteratam nil agentium turbam,
Natos Vacunæ, literarias feles,
Ex quo Lycéum hoc Varnicum ſalutaſti,
Nihil remittis de labore, ſed ſanæ
Furore mentis ad ſacella doctrinæ
Gradu citato paſſibusque graſſaris.

Per

Per disciplinas, per scientias omnes
Cum laude ferris, cumque laude versaris,
Ita ardor ille, fervor ille discendi,
Cordis perussit igneum penetrale,
Non gloriaris fortis helluo dici,
Non mentis ignem flore Liberi frangis:
Sed es sititor acer omnium rerum,
Quas jura lethi temporisque non tangunt.
Hæc cura versat non domabilis sensus,
Somnosque rumpit, hic apex tui voti.
Hæc te cathedræ causa sistit in præsens,
Quâ sanctiores disputator illustras
Legum recessus, Juris Imperatorum
Vindex severus. Impetus tuos Numen,
Precor, secundet! tuque, flos juventutis,
Famæ theatrum gloriosus adscendas,
In sensa juris mentis explices robur,
Plaudentiumque justa colligas vota.
Vox omnium una hæc, erudite MORHOFI:
ASTRÆA VIRGO JAM TIBI INFULAS NECTIT.

Andr. Tscerningius, P. P.

Serenissimi ac Celsissimi Principis & Domini,

DOMINI CHRISTIANI,

Ducis Mecklenburgici, Principis Vandalorum, Swerini, Ratzeburgi, Comitis Swerinensis, terrarum Rostochii & Stargardiæ Dynastæ, Magnificentissimi Academiæ hujus Cancellarii,

Consiliarius, Acad. Orat. Phil. Colleg. Senior,

LAURENTIUS BODOCK, J. U. D.

L. B. S.

ADvenit hodiernus, Mensis hujus Februarii vigesimus sextus, faustissimusque dies, qui *Serenissimum ac Celsissimum Principem & Dominum*, DN. GUSTAVUM ADOLPHUM, Ducem Mecklenburgicum, Principem Vandalorum, Swerini, Ratzeburgi; Comi-

Comitem Swerinensem, terrarum Rostochii & Stargardiæ Dynastam, Dominum Clementissimum, in hanc communem vitæ produxit lucem. Quem cum summa animi voluptate, publicaque hilaritate, ACADEMIA hæc celebrare exoptaverat, nisi insperatus proh dolor! & acerbissimus luctus, (quô *Celsissimus* hic & *Gloriosissimus Princeps*, ob præmaturum primogeniti ac exoptatissimi olim filioli, excelsissimi Spiritus, animique integerrimi *Principis*, DN. JOHANNIS, è rebus morlalium secessum, conficitur,) Eandem ipsam, ab illa solenni, quam paraverat, festivitate, ad suspiria ac gemitus abstraxisset; Condolere quippe tot beneficiis obstrictissima, mœstissimo *Principi*, & vel mutuis lachrymis, in hoc funesto casu, gratissimam suam erga eundem luculenter contestari mentem debuit; ne videlicet eorum, & qui haud digni sunt, quos terra alat, numero censeretur, qui subito & impudenter aliorum erga se merita ac benefacta ad sempiternam condemnant oblivionem. Sed quid tandem, hoc Virtutum & scientiarum, ingeniorumque immortalitati consecratorum *Delubrum* faciet? annè ob hanc præsentem tristitiam & ægritudinem *Celsissimi Principis* DN. GUSTAVI ADOLPHI, Patroni sui munificentissimi, quæ officii & pietatis paternæ promeretur gloriam, natalem illiusmet felicissimum horrendô mœstissimoque supprimet silentio? Absit tàm vilem & abjectam, de hac Virtutum, Sapientiæ, & Eruditionis Officinâ concipere opinionem; cujus animum non anceps & vacillans quædam de immortalitate, post obitum, animarum sententia, sed vera CHRISTI JESU fides illustravit, & quæ ex scripturâ divinitus inspirata pro certo semper habuit, eandemque aliis instillavit semper certitudinem, nempè non cum corporibus ipsis statim interire mortalium, multò magis Heroum animas, ac *Celsissimum Principem*, DN. JOHANNEM, post tàm celerem vitæ hujus miserrimæ finem, æternam illam ac intellectu pusillô incomprehensibilem felicitatem auspicatum esse; qui jam pro pauculâ hâc terrâ cœlum universum, pro terrenis cœlestia, pro transitoriis permanentia, pro seipso DEUM ipsum immensæ Majestatis ac bonitatis possedit. Quocirca Academia hæc præceptis ac institutis sapientiæ Christianæ communita, consternatum recollectura animum, indolemque magnanimæ virtutis illustri documento exprompturа, non vult diem hodiernum, *Celsissimoq; Principi*, DN. GUSTAVO ADOLPHO, Nutritio suo benignissimo natalem, taciturnitate aliquâ (uti infami ingratissimæ mentis testimoniô) præterire. Quæ *Proximè sequenti Die Martis, in majori Auditorio, horâ nona antemeridiana*, admissura est insignis indolis

lis, egregiæque eruditionis, magnæ ſpei Juvenem, gloriam Virorum, qui monumenta ingenii & doctrinæ, per Orbem literarum diſſeminarunt, DEO auſpice æquaturum, nempè DANIELEM GEORGIUM MORHOFIUM, Viſmarienſem. Qui cum ſummô Academiæ prolubiô, *Carmine heroico*, inventionis acumine, verborum ſplendore, ſententiarum gravitate fragrantisſimô, natalem *Celſisſimi Principis & Ducis* DN. GUSTAVI ADOLPHI diem, ſubmisſisſimè honorabit, *Divineq;* ſupplicabit *Bonitati*, ut intra confirmatam plurimorum annorum felicitatem tàm expetitum tàmque ſalutare Academiæ Provinciæque tempus auſpicatò ſæpisſimèque per hanc vitam reducere velit. Ad hunc itaque laudatisſimum atque ſolennem Actum, Ego, ratione muneris & Provinciæ meæ Academicæ, *Magnificum* inprimis *Rectorem*; *Reverendos* plurimùm, *Excellentisſimos, Amplisſimos, Experientisſimos, Clarisſimos Dominos Profeſſores, Omnium Facultatum Doctores, Licentiatos, Verbi DEI Miniſtros, Philoſ. & Art. Magiſtros, Nobilisſimam denique Studioſæ Juventutis Coronam* decentisſimè, & peramanter invito ac obſecro; ut laudabili huic, exaggeratæque virtutis ac doctrinæ Juvenis hujus conatui; neque ſolùm ingenii ac eloquentiæ ſpecimini, ſed potiùs ſupremo pietatis muneri, *Celſisſimo ſuo Principi*, & à quô clementisſimum Muſarum ſuarum Patrocinium experitur, devoto ac conſecrato, ſuam celebritatem ac frequentiam impertire non dedignentur; ſimulque conjunctis cum Academia ſuſpiriis, pro *Optimorum Principum*, *Celſisſimi* ſcilicet DN. CHRISTIANI, ac *Celſisſimi* DN. GUSTAVI ADOLPHI, incolumi ac diuturnâ felicitate; (in quâ unicâ, & Provinciæ & Academiæ fulcitur felicitas) vota religioſisſima, ad ſupremum omnium bonorum Largitorem, DEUM præpotentisſimum, facere non morentur; Optimè edocti, inæſtimabile hoc eſſe DEI clementisſimi munus; quod videlicet Provinciæ, Academiæ, & urbi huic, *Principes Virtuoſisſimos* benignisſimè conceſſerit; qui ſubditos ſuos propriâ vitâ chariores habent, & qui, inter tàm horrendas novi proh dolor! belli tempeſtates, omni conatu ſemper nituntur, ut imperium ſuum non modò ſalvum, ſed etiam longè florentisſimum conſervent. Dab. ex Ædibus AQUILÆ, die 26. Februarii, Anno DOMINI M. DC. LX.

Ad Clarissimum VIRUM

DN. DANIEL. GEORG. MORHOFIUM,

POETAM EXCELLENTEM,

SERENISS. DOMINI GUSTAVI ADOLPHI,

DUCIS MECLENBURGICI,

DOMINI CLEMENTISSMI,

Cum anno cIↄ Iↄc LX. die 26. Februarii, vigesimum septimum ætatis illustrissimæ annum, inter planctus, quos Celsissimi Primogeniti JOHANNIS, excell. record. funus & fundi Mecleburgici præsens calamitas expressit, absolveret, & vicesimum octavum bona spe futuræ propediem viridioris & masculæ suppullulationis, ac Ementationis temporum, inchoaret,

Natalibus Celsissimis Heroico carmine applaudentem.

ILlustre sidus, splendor Orbis Arctoi,
Et BURDEVINI sangvinis decus summum,
Spectaculum & compendium tot Heroum,
Tremenda quorum bellicosa Majestas
Magno Nepoti celsa jura transscripsit,
GUSTAV-ADOLPHUS, cujus inclutum pectus
Fibrasque Pietas occupavit excelsas,
Dum tertium post quina lustra Natalem
Princeps celebrat, nuncupavimus vota
Pro gloriosa faustitate GUSTAVI,
Inter tonitrua bellicosque terrores
Domusque celsæ funerale lamentum
Sonuere voces publicè triumfales:
Gustav-Adolphus, Principum decus, vivat!
Cælo salus, Pax fida, Sangvis augescat!
Fluant sereno secla læta GUSTAVO!
Tu Balticæ devotionis interpres
Solemne Carmen, vota, vanus haut Vates,
Pro *Principis* nostri *Salute* dixisti.
Quod noster ordo, Varnus omnis audivit.
Et nunc quod humile pectus & pium voto
Dedit modesto, dedicas sacro ritu
Doctumque munus, *Principum optimo*, chartas

Arram

Aram clientis, mentis obſides gratæ,
Caſtum Poëtæ candidumque libamen,
Offers: quod ille, Mecleburgicas terras
Roſamque noſtram, quo ſolet, ſerenatus
Dignabitur vultu videre clementi,
Tuisque plectris Cenſor æqvus applaudet.
Fruſtra, MORHOFI, carmen expetis noſtrum.
Nunquam, Poëta peſſimus, Poëtarum
Ungves momordi, pulpitumve cæcidi.
Jam *Charta prima veſtra* poſſidet pondus.
Dedit *Cupreſſus* illa nobiles palmas.
Nos voce juncta gratulemur Heroi:
Soſpes ſuperſit cura noſtra GUSTAVUS,
Decusq́; grande! nulla tàm ſanctum nomen
Violet procella, fœda nulla tempeſtas:
Sed fluctus omnis, æquor omne miteſcat!
Qui funeralis *Principi juventutis*
Fuit JOHANNI, ſit diu triumfalis
GUSTAV-ADOLPHO *Februarius menſis!*
Superque tractus fornicesque flammantes,
Super ſuperûm theatra celſà, ubi cœlo
Præmiſit amplum ſplendidæ decus famæ,
Seros ADOLPHOS ætheri ſuo reddat!
Sed occùpabit vota, credo, *Quintilis,*
Plauſus novellos & *Genethlios cantus*
Nos poſcet INFANS. *Mas ſit is! Sic* Auguſtus!
Facundiæ tunc non theatra lugebunt.

A. Varenius.

HErcum decora alta & ſceptra ſuperba regentûm,
Et faſces Sexti non niſi Varro canat.
Non ſcandat Macedûm, magnique trophæa Philippi
Chœrilus. Oceanum non capit unda brevis.
Ilias excelſos rapit usque ad ſidera reges,
Atteritur parvâ laus generoſâ lyrâ.
Tu cane Pompejos, dic magno carmine Pyrrhos,
Et quicquid vaſto ſubrigit orbe caput;
Te cedri patulæque decent trans fulmina lauri,
Attenuat Muſam preſſa myrica Tuam.

Quà patet æther, abi! jubet hac DEUS ire MORHOFIUM,
Ingenio minor est tantula terra Tuo!

L. M. Q. scribebam
Josua Arndius

IN HONORES PHILOSOPHICOS.

VIrtutis veteris, politiorum
Lingvarum Sophiæque Candidate,
Post hæc gloria magna Wandalorum
Virtus elevat, ecce, te gradatim
Miscet te superis tuumque nomen
Tollit tergeminis ad astra votis!
Sit felix! Sophiæ teneto pondus!
Parnassus Tibi, Amice, plaudit omnis
Gratat urque Helicon suo Poëtæ
Felix conjugium Sophi & Poëtæ.

Celerr. Amicissimo suo
A. Varenius

UNde aliis cursus, laus hìc Tibi constat arenæ;
Nec quò plaudentes progrediantur, habent;
Ipsa Tuis annis quæ nunc sese orbita versat,
Virtutum spatiis vincitur ampla Tuis.
Disseris & fundis, meditaris, scribis & ornas,
Quicquid agis, pariant Pallas & alba Venus.
Nam quantum gravitatis habes dominante Minervâ,
Ingenio tantum luxuriante places.
Sederunt caveæ, missa est prætoria mappa,
MORHOFIUS studii singula puncta tulit.
Certarunt Nymphæ, certârunt carmine Musæ,
Præconem sese Solus Apollo dedit.
Nam post quæsitas HEINSI GROTIIque Camœnas,
Dignior ingenio non erat urna Tuo.
HUGO quod ad laurum Geinandi dixerat, & quod
HEINSIUS in lauros scripserat ipse Suas,
(Major enim deerat) Tibi nunc imponit Apollo,
Cumque Lyra famam tradit utrique Tuam.

Sis

Sis felix! tantasque inter tibi serpere lauros
Æternæ palmam sedulitatis ama!

Josua Arndius.

ASpice surgentem MORHOFI ad maxima mentem,
Qui tuus à pueris, Optio, Phœbe fuit.
Hunc nunc Augusti doctissima puncta Roseti
Ad laurum voto commeliore vocant,
Hic ubi tantorum miracula magna Virorum
Semper, adorandô sic Jove dante, vigent.
Ergò tui æternâ mactus mercede laboris,
MORHOFI, Clariâ condecorande coma!
Accipe victrices, victorum præmia, Laurus,
Accipe conjunctum, jure jubente, decus,
Et tibi fama suis famuletur nobilis alis,
Et laus, & genio Gloria digna tuo.
Hæc spes est studii, spes est en sola laboris;
Cœlestes genios non nisi summa decent.

Laurentius Bodock, Ph. J. U. D.

HENRICI SCHÆVII,
CHILONIO CIMBRI,
CASTOR ET POLLUX,
SIVE
EPIPHONEMA
AD DOCTISSIMOS DUUMVIROS
JOHANNEM RÖLINGIUM,
CIVEM SUUM,
ET
DANIEL-GEORGIUM MORHOFIUM,
WISMARIENSEM,
UTRUMque POESEOS PROFESSORES
DESIGNATOS,
Jam etiam MAGISTRALI LAUREA insigniendos.

PHœbei Juvenes, par admirabile fati
Unius, æquali quos æqua sorte ligavit,
Quæ Fortuna poli diverso sydere cretos?
Quis similis vos ardor agit? quo numine corda

Concita tam parilis ſectantur præmia palmæ?
O pulcra invidia! ô ſuperis contentio grata!
Merſerat in dulcem declivia lumina ſomnum,
Penè puer noſtro ceſſus RÖLINGIUS olim,
A bimari patria & Codanæ à Thety, Viadro,
Vix admiſſa quies, cum protinus ardua Clio
Et ſoror Uranie reliquæque ex ordine ſeptem,
Qualiter Aonia redimitæ in ſede locantur,
Affulſere; Chelyn ferit altera & altera buxum
Excitat, illa lyrâ vocem confundit opertam:
Admovet ingenium quæque, & vult prima teneri:
Dum modò quæ in bivio vidit juvenilibus annis
Amphitryoniades; modò quæ Chironis in antro
Vaſtator Phrygiæ, quæque illi junctus ibidem
Forte Menœciades tulit à doctore bimembri,
Concinuere pares intacti carminis œſtro.
Ille, ubi decuſſus ſopor entheus, omnia corde,
Omnia adhuc certis circumfert auribus, ac ſi
Sumſiſſet modulos vera de voce ſororum.
Redditus inde ſibi, cùm dulci errore quietis
Eſſe habitum fruſtra ſe ſenſit, plurimus ardor,
Indè magis propiùs divinas noſcere nymphas,
Et mirari oculis, ipſisque amplectier ulnis
Crevit ei: veluti ludentis imagine formæ
Liriope genitus magis eſt accenſus, ubi illa
Non capitur falſasque manus & brachia vexat.
Quid faceret Juvenis? nec quas vidiſſet amicas,
Nec patriam, fontesquè ſacros, quos turba biberunt,
Montibus an ſylvisque magis, magis urbibus an ſint
Commodæ, an in ſuperis Ganymedis pocula ſumant,
Noverat: inde animo multum confunditur ægro,
Detraxitque cibis, & parvâ victitat undâ;
Solus amor Nymphas liquido ſpectare ſonoras,
Et ſociare manum, & molles verſare choreas.
Forte ſuos inter mœrores omnia late
Penſiculans, quæ nocte ſuâ conſpexerat, olim
Colligit & ſacris me viſum cœtibus illis,
Pauca miniſtrando detritaque plectra novantem,
Et laceras chordas renovantem & laſſa gerentem

Bar-

Barbita, cum melicæ cessarent carmine Divæ.
Ergò venit, poscitque viam, & me scire Dearum
Lustra, ait, haut temere me intercurrisse furori
Felicis somni, vultque ut vestigia monstrem.
Illi ego: quid facilis credis ludentibus umbris,
Fili, Persephones non omnis cornea porta est;
Est & ebur, per quod falsissima spectra feruntur.
Non tamen, en! deero: toto sectabimur orbe,
Si qua forte novis resonent concentibus, omni
Rimemur sylva & cunctas fugiamus ad undas.
Sunt faciles, promptæque Deæ quærentibus adstant,
Prostituuntque suas avidis cultoribus artes.
Audiit illa meus pangi MORHOFIUS, atque hoc,
Inquit: ego veni. Per te tua numina Musas
Perque caput Phœbi, per te tua carmina, Schævi,
Ascaniumque tuum, vestras quoque scandere bigas
Concede & socium sine me contendere callem!
Sunt mihi non aliis furiati visibus atra
Nocte graves sensus, & eadem in sorte laboro.
Ergò venite, boni, dixi: cum Pegasus ultro
(Nescio quis divûm dederit) cupientibus adstat.
Scandimus: ille volat super ardua, nubibus infra
Relictis vehimur: resonantia mœnia passim
Despicimus, cupidasque aures advertimus umbris
Cantatis memorum, montesque moramur opertos.
Jamque super stamus collis, quà Ævandrius arces
Æternas fulsit: cum se miracula nobis
Mille dabant veteris Romæ: rediere theatra,
Balnea, festa, domus, altaria, funera, ludi,
Hippodromi, fasces, & cum Prætore Senatus.
Tunc tuba se prodit, quæ non imitabile carmen
Evehit: hoc viridis sibi Mincius, hoc sibi felix
Mantua, Mecænas, Divusque Octavius aptant.
Par sonus à muris Sirenum nomine dictis
Papinius quà grande tonat vincitque cothurno.
Imus in occidui porrò indè cubilia solis,
Corduba ubi emeritos Hyperionis excipit axes
Hic Senecam & juvenis Lucani plectra refingit
Corpore Diva carens, quæ nil nisi ludicra vox est.

Hinc retro frenum torquentes tecta Canopi
Affectamus, ùbi Stygii raptoris amores
Rufini, Eutropii & Stiliconis fata canuntur.
Inde patrem septem per terras quærimus alti
Carminis: hunc dum Smyrna sibi & Rhodos aspera raptant,
Hunc sibi dum Colophon, Salamin, Chios, Argos, & ipsæ
Munychiæ sedes hunc dum voluistis alumnum,
Carpimus interea Thebana ad mœnia gressus
Pindaricos audire modos: cum proximus ipse
Se nobis aperit mons, qui petit astra duobus
Verticibus mediaque hæret vertigine mundi
Parnassus. Tunc turba meis ter terna videndam
Se præbet mystis, repetitque incendia noctis
Illiùs, & sacris ardorem è fontibus explet,
Infligitque labris non centum basia; & ore
Carminis ætherei vires insculpit anhelo.
Ergò ubi eos docta ad Varnum cepêre Roseta,
Ingenii mirantur opes, quas tenuior ætas
Exerit, ut multis dubiam fecere palæstram.
Principibus sed & inde viris placuere: jubentur
Jam monstrare aliis modo, quas vìdere novenas.
Nec satis ad cultum mentis, quæ Thespia vidit
Atria: continuis magis, ac magis undique curis
Conquirunt sibi quæ passim vel terra, vel æther
Humano patuere volunt scirique labori:
Eusebien vocat ille suam, Themin ille pudicis
Devincit sacris sibi: nam cunabula rerum
Occasusque vicesque, ingens Natura, tuarum,
Astrorumque vias, & quo se Svada tuetur
Liberior, quicquid tota dedit arte Cleanthes,
Oraque Grajugenum & quid pulcris moribus aptum
Ambo sciunt æquisque rotis super ardua currunt.
Jamque illis properè cedit diadema secundum,
Quod docti proceres meritis modò frontibus aptant.
Quàm non invideo vobis, mea cura: manete
Laudibus insignes! durate per ora virorum!
Usque quoad nostrum prodat par tale Lyceum,
Quos geminâ pariter mactet Polyhymnia lauru;
Quorum alter Preglam divino carmine stringat,
Alter Varniacas effascinet ore Camœnas.

S. P.

S. P.

QUanquam planè ſcias, *Eruditiſſime* MORHOFI, quantoperè tuâ cauſâ læter & exultem, dum gemino bearis honore, voluiſti tamen, ut publicè gratulantium quoque interſim turbæ, quamque domi & in ſinu de te foveo ſententiam, eam inter omnes porrò carmine votivo teſter. Quare, cum negare quicquam familiaritati noſtræ religio ſit, ut te tamen in aliquo fallam, ſtylum muto, animoque meo obſequor hoc libentius, quo magis tibi, in quibus regnas, numeros largiri, foret

Sylva ligna, vago mari addere undas.

Neque tamen cauſaberis, non conformem libello ferri à me ſententiam, qui pro carmine obtrudam non carmen; ſiquidem non omnis ad numeros quaſi damnata Poëſis eſt, nec viciſſim penè aſſeverem, quicunque comminiſcuntur quicquam, & velut Arachnæ ſuboles telas ex ſe nectunt, quique tanquam equi Hiſpanici Auſtro ſpirante concipiunt, eos Poëtas eſſe, quorum hodièque natio numeroſa ſatis eſt, veniuntque ſub iis, cum mendaces alii, tùm ex parte Novellarum publicarum conſarcinatores, quatenus nec viſa, nec audita fingunt, famâque traduce in gentes propagant ſuam Poëſin: rurſùm, *Amice*, recta monet ratio, ut huic accenſeam generi omne Scriptorum & Commentatorum vulgus; cum namque veritas una ſit & ſimplex, & nuda, qui fieri poterit, ut in tot millena codicum millia excreſcat? Cumque porrò res maneant eædem, & de iiſdem idem perpetuò verum ſit, unde tot difformes ſententiæ, niſi ex difformi parturientium phantaſiâ, Poëſeos matre vel ſede? Quò apertè collimaſſe videtur argutiſſimus veſter *Owenus*, cum epigrammate *in Polydorum Virgilium* ſic ludit:

Virgilii duo ſunt; alter Maro, tu Polydore
Alter. Tu mendax, ille Poëta fuit.

Verùm, ſi benignè minus de divinâ tuâ Arte locutus, & vocis fallaciâ impoſuiſſe Tibi videbor, aut indulge id craſſiculo Poëtæ, aut parata erunt paradoxa pluſcula alia, quibus Te fatigabo: verſo namque velo dicam, non omne carmen eſſe Poëſin, cenſente ſic equidem Socrate; ſive, non omnem Poëtam fingere, cum & vera narratio verſibus offerri queat, veluti non omnis qui fingit, Poëta eſt. Certum in-

interim hoc remanet, quicquid illius sit, maximam veræ Poëseos partem & stetisse olim, & stare nunc extra numeros & carmen, quod testabuntur fabularum illa delectamenta, sub quibus prisci, tanquam pampinis & palmitum quibusdam gratissimis umbris, pulcherrimas occultarunt uvas, & velut sub involucris ingentes sapientiæ Thesauros reconderunt, quibusve, si mavis, tanquam auro gemmas quasque pretiosissimas incluserunt; testabitur idem elegantissimus Poëta *Æsopus* Apologis suis prudentissimis, & nostris seculis, quotquot Historias Poëticas, sive sub Amadisi, sive Arcadiæ, Arianæ, Dianæ, aut alio quocunque Pastorali nomine luci donarunt & usuræ publicæ, quæ modò castæ sint, eò minùs vapulabunt, cum & nuper Theologi ejusmodi Poëses sese non esse indignas editis scriptis demonstrarint. Cæterùm, quid hæc, ais, ad Dionysum? Fateor, parùm, nisi quod familiaris, quasi cum præsente, lusus longius penè abduxit, quo me quoque dum hæc fingo, Poëtam asserere studeo. Veruntamen, *Amice*, nec tua, nec Poëseos tuæ magnoperè requirit causa, ut quicquam fingam, aut veritatis transcendam carceres. Cui non dictus Hylas? In confesso namque pridem fuit, Poësin quidem primariam quandam esse Philosophiam, quæ nos cum voluptate doceat, sive, prout *Maximus Tyrius Platonicus* eam appellavit, esse Philosophiam tempore vetustissimam, compositionem autem numeris concinnam, atque sententiam fabularum involucris tectam: sive, *cum Erasmo*, esse ex electissimis quibusque flosculis constipatum mellificium, atque ex deliciis medullisque cunctarum disciplinarum conditam placentam, sive, *cum Fr. Bacono*, Poësin meritò divinitatis cujuspiam participem videri, quia animum erigit & in sublime rapit, rerum simulachra ad animi desideria accommodandò, non animum rebus (quod ratio facit & Historia) submmittendo. Poëtas verò, quos Græci vel solos sapientes perhibuerunt, *cum Platone*, & Virtutum esse genitores, & Duces, & Patres sapientiæ, & Deorum interpretes, sive cum aliis, Musarum aves, quis denegaret? quorum effigiem, cum mirâ vi carminum in mediâ barbarie, si quis ad vivum expressam cognoscere studeat, is vel solam Orphei & Amphionis consulat vitam, per quos

Et honor, & nomen divinis Vatibus, atque
Carminibus venit.

Jam si quis Te laudandum sumeret, is profectò vino Optimi cujusque palato dudum approbato hederam suspenderet; præstitit id autem

(præ-

(præter quod tua te magis magisque commendat cottidiè virtus) antehac, cujus nunc designatus successor cluis, *unicum elegantioris literaturæ decus, Vir fide antiquâ, Andreas Tscherningius b.m.* in Epæneticco ob *sanum illum Morbum*, qui tibi ex Jure tùm temporis nascebatur. Judicavit itidem sagacissimè de te *Serenissimus ac laudatissimus Princeps, DN. DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, Populi sui verè Trajanus, Musarum deliciæ, meliori ævo dignissimus, quique præ reliquis bisce in oris bonas literas æstimare videtur*, dum Tibi præcipuè ex tot procis petitam principali clementiâ addixit sponsam, non sine amplissimâ in posterum conceptâ spe, quam velle fallere, nefas foret. Ut namque Poëtarum Aquila de Italiæ suæ ditissimâ terrâ,

Quam gravidæ fruges & Bacchi Massicus humor
Implevere,

multâ cum laude canit, quod ibi sint *Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor*; sic à feracissimo, ac felicissimo ingenii tui agro, tanquam inexhausto quodam ubere, indies novæ, nec tantum Poëticæ, sed & Juridicæ, imò omnigenæ literaturæ, expectantur opes, præsertim cum messis ejus in herbescente adhuc & adolescente ætate jam maturuerit. Nec aliâ de causâ *Augusti nominis Dn. D. Varenius, profundæ Vir insolentisq; doctrinæ, defæcati planè judicii & stupendæ memoriæ, quem debitâ cum reverentiâ nomino*, tibi, æterno suo honore, Brabeutes existere, prudentissimâque manu palmam largiri, & glorioso Philosophorum, quorum liber universa hæc rerum natura est, choro associare voluit, quod quidem nunc felix, faustum, fortunatumque esse jubeat alma cælitus Trias, & te porrò ad famæ Virtutisque theatrum pleno grassantem passu clementissimè adjuvet, gratiæ suæ rore riget, atque annare perennareque concedat. Vale. Perscripsi Wismariæ, 22. Julii, 1660.

Casparus Voigt.

Quod TRIUNUS DEUS BENEDICTUS in ſecula ſeculorum
Benevertat, ac Academiæ huic, imprimis Poëſios Studioſis,
utile ac ſalutare eſſe jubeat,
Programmate hoc publico ſignifico
à
SERENISSIMO CELSISSIMOq; PRINCIPE ac DOMINO,
DN. GUSTAVO ADOLPHO,
DUCE Mechlenburgico, Principe vetuſtæ Gentis
Henetæ, Swerini & Ratzeburgi, COMITE Swerinenſi,
Terrarum, Roſtochii & Stargardiæ
Dynaſta,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,
Ad
PROFESSIONEM POESIOS,
In locum
Clariſſimi & Excellentiſſimi
DN. M. ANDREÆ TSCHERNINGII, POES. PROF.
dum vivebat, celeberrimi
Surrogatum & vocatum eſſe,
Virum Præſtantiſſimum & Eximium
DN. M. DANIELEM GEORGIUM MORHOFIUM,
WISMARIENSEM,
Qui cum cras hora 9. antemeridiana pro more recepto officii ſui
Profeſſorii partes oratione publica,
DE GENIO ET SPIRITU POETICO
auſpicaturus ſit,
Ideò
Reverendos, Conſultisſimos, Experientisſimos, Clarisſimos
DN. PROFESSORES, DOCTORES, LICENTIATOS, Verbi divini MINISTROS,
liberalium artium MAGISTROS, Nobilisſimam STUDIOSÆ juventutis
coronam, omnesque adeò CIVES Academicos, item alios
literarum literatorumque FAUTORES,
Ad talem ACTUM publicum Introductionis,
Eâ, qua par eſt diligentia invito
EGO
ALBERTUS WILLEBRANDT, U. J. D.
Cod. Juſtin. Profeſſor & p. t. Academiæ RECTOR,
P. P. ſub Sigillo Rectoratus die 16. Octobris, Anno M DC. LX.

Feli-

FElici auspicio, MORHOFI, munus obito,
Quod Princeps defert, prospera quæque precor.
Sis Tibi, sisque aliis, sis omnibus unus & idem,
Orna, quam Spartam nactus es, intrepide;
Amphibiis ne te socia: sed prospice semper,
Ut constans uno corde animoque sies.

Albertus Willebrandt/ J. U. D.
Cod. Profess. Consist. Duc. Assessor
& p. t. Acad. Rector.

SIc Tibi, MORHOFI, vati pro fortibus ausis
Egregiæ merces maxima laudis adest.
Alcidæ ut quondam Herois post magna laborum,
Et vel Abantiadæ gloria summa fuit.
Isthmius, ut clarat pugilem labor: omnia vincis,
Tu vatum nemus & fertile Tibur habes.

Celerrimè cum votis & precibus appl.

Augustus Varenius, D.

PRæludit Tua Musa foro, quantumque Poëtam
Exhibet in Cathedrâ, tantum mox sistet HUBERTUM
POLLETO. Non una tuam satiabit arenam
Vena fluens leni mixto torrente cachinno.
Laudem carmen habet, picto Lex accubat ostro,
Et majestatem parili sub jure tuetur.
Quantum instar GOTHOFREDUS agit, quæ fama GIFANI!
Quàm nitidum FABER alte micas! quo Numine jactat
CUJACII se docta Themis! quis scrinia CONTI
RÆVARDIque neget magnis certare Catullis?
Pauperis est numerare suas ex ordine dotes
Ingenii, Te plura jubent dare vela per altum,
MORHOFI; Non ista manet Te laurea tantùm
Egregii versus; sedet hæc juvenantibus annis
Incingitque caput mansura in secula laurus.
Mox ubi Te tetigêre sinus, atque alta Batavûm
Rura habuêre suis svetum decurrere campis,
Jam Varno SCOTANUS eris. Pete pulpita NASO,

Et LABEO, magnique redi pars magna FABROTI.
At Vos, ô Superi, quaqua ducetis amores
Hos nostros, servate Decus, servate Poëtam,
Ut canat æternis clementia Numina seclis.

Josua Arndius.

TSCHERNINGI vivit virtus post fata Poëtæ.
Succedis tanto, docte Poëta, Viro,
Nec Tua, MORHOFI, virtus contenta Magistri
Nomine; Quin titulus non satis unus erat.
Altius alta novi surgit sapientia Vatis,
Atque PROFESSORIS munus onusque subit.
Gratulor. Haud Virtus, Sapientia, casta Poësis
Permittunt, dignum laude perire virum.

Henricus Rahne, J. D. & Prof.

EJa age, rumpe moras, MORHOFI, scande cathedram,
Ad quam Te admittit grandior ordo Sophum.
Aggredere Spartam (sic Princeps mandat) honoram:
In Te TSCHERNINGUS dehinc redivivus erit.
Grates pende DEO, qui tanto temet honore
Mactat, uti Phœbum nunc imitere Patrem.
Doctas tange lyras, & epos modulare sonorum,
GUSTAVO-ADOLFO, cui placuêre tua.
Hic tuum ut adspexit GUSTAVO anagramma sacratum,
Et quæ solvis avi ludicra justa piæ,
Ingenium mirans juvenis geniumque poëtæ,
Te mox TSCHERNINGI jussit obire vices.
Donec fulgebunt GUSTAVIA nomina seclis,
Nec tua delebit nomina livor edax.
Hæcce juventa tulit: feret at quid serior ætas,
Tempora cum fuerint judicio aucta magis?
Ut nunc evexit temet suum Apollo clientem,
Olim ita, crede, Themis evehet alma suum.

Joan Bernhard Zinzerling/
A. M.

Mira-

MIramur, Juvenis quod totum pectore Phœbum
Geſtas, atque ubivis illum promtisſimus effers;
Nec tamen iſtud agis, ſed per civilia verſas
Jura animum ſolers, & per decreta Latini
Væjovis, & quicquid divinæ circulus ambit
Panſophiæ, nondum primâ lanugine malas
Veſtitus, ſacraque comâ non tonſus Ephebus.
Jamque etiam dulces tentas duxiſſe Camœnas,
Caſtaliosque aliis penitus recludere fontes
Incipis, & ſacri non portio parva ſenatûs
Eſſe, dature brevi, modò fata benigniter adſint,
Clarum Juſtitiæ Myſtam, Jurisque Patronum.
Jamque capis ſponſam Tibi, *florentisſime*, laurum
Ex merito, *Vates*, quam non injuria ſecli
Nimborumque poteſt, nec dens abolere malignus.
Usque adeò Phœbi es ſimilis, quem priſca notavit
Ætas intonſum juvenem, Sophiesq; Parentem,
Præſidiumq; chori, lauru Parnasſide cinctum!
Accipe, & æternis divina Poëmata ſigna
In foliis, Pater ipſe Tibi quæ dictat Apollo,
Queis non ulla mihi mage complacuere Novorum,
Nec Veterum meliora tuis, ſeu viribus altis
Verborum, rebus, vel acumine, ſive modorum
Concentu & numero, per quos diffunderis unus
Omnes arte pari, quod competiſſe priorum
Cuiquam, vix memini, certè & ſors eſt ea rara.
Miramur, meritoque hilari tibi plaudimus ore,
Noſtræ gratamur patriæ, ſuperosque rogamus,
Ut doctum ſupereſſe velint caput, utque MORHOFI,
Te non invideant Nobis, ſeròque repoſcant.

Wismariæ 29. Sept.
Anno 1660.

Clarisſimo & Excellenti Poëtæ, Amico non vulgari, DN. MORHOFIO, Philoſ. M. ſpartam Profeſſoriam gratulor, felicitatem voveo

Caſparus Voigt.

EPI-

EPIGRAMMA

Famæ & Honori

VIRI Clarissimi & Consultissimi,

DN. DANIELIS GEORGII MORHOFII,

Artium Liberal. & Philosoph. Magistri,

Ac in celeberrima Academia Rostochiensi Poëseos Profess. publ. & ordinarii, hospitis sui honoratissimi; cum publicè pro summis in utroque Jure Honoribus consequendis *Jus Silentii* defenderet,

Amicissimè dicatum.

CRedita cœca Tuis quondam est Astræa Poëtis,
Ast eadem in scenam nunc Tibi muta venit
Harpocrates oret cœco sub judice causas,
Nec tantâ streperum lite tribunal erit.
Miramur lingvæ facunda silentia vestræ,
Et juvenem genium fama loquetur anus.
Gratamur, MORHOFE, Tibi, Frisonumque Lycæum
Sic Cathedram vellet sæpè silere suam.

à

L. Banck / Norcop. Gotho,
Phil. & J. U. D. ac Prof. Publ.

VOTA

IN *DISPUTATIONEM INAUGURALEM,*

DE JURE SILENTII

&

LAUREAM JURIDICAM,

Ab AMICIS *dicta.*

SIc rectè anticipas juveniles mente senili
Annos, & tangis, quod Tibi constat, ebur.
Vesticipum non auspiciis præludere, laus est:
Laus est, ante annos quod meditaris opus.
Magnum opus; his quondam, credas, pro fortibus ausis
Egregiæ merces maxima laudis erit.
Hæc fuit Alcidæ post tot sperata labores,
Hæc & Abantiadæ gloria summa fuit.

Post

Post visos Batavos & cinctos fluctibus Anglos,
Nunc titulo nobis fulgidiore redis.
Gratamur. Themis applaudit, Parnassus & omnis
Lætus agit festos, sole nitente, dies.

Celerr. Amico & Collegæ

Augustus Varenius, SS. Th. & Phil. D.
Hebraicis & Catech. Christ. Prof. Publ.

DOctorem Juris nunquam benedictio CHRISTI
Linquit, si ipse tamen justitiam sequitur.
Es Doctor Themidos, sequitor justumque piumque:
Sic Tecum CHRISTI Gratia semper erit!

Cum voto amplissimæ benedictionis
scrib.

Henricus Müller/ Theol. D. Pr. P.
& ad Div. Mariæ Archi-Diaconus.

MUlti loqvuntur, qui tacerent rectius.
Nam disserendo nil parumve disserunt,
Aguntve, quàm suam quod ignorantiam
Linguamque prodant absque garrulam sale.
At Te, MORHOFI, literis & artibus
Bonis Vir erudite, JUS SILENTII,
Ars, æquitas, amor scientiæ loqui
Et *disputare de SILENTIO* jubent.
Rectè. Laborem suscipis laudabilem
Ac utilem tibi probisque plurimis.
Silentium præstare rebus optima.
Virtus ut est; sic est opus pulcherrimum,
Quæ jura sint silentii, non tradere
Silentio. Merces Tibi vel præmium
Contingat, opto, dulce. DE SILENTIO
Doctè loquentem Te loquantur sidera,
Te culta nesciant tacere pulpita.
Stat interim mercede tutâ præditum,
Dotesque multas continet SILENTIUM.

Rostochii scrib.

Henricus Rahne/ J. D. & Prof.

CArmen MORHOFI, quod Tuis honoribus
Debere memet confiteor, jure exigis:
Sed annè nummos dives quæso pauperem
Benè rogavit; aut aquam Oceanus parens,
Qui cuncta nutrit flumina, stagnum breve?
Qvum carmen ergò non queam & Musa abneget,
Animum capessas & vetus FELICITER.

Honoribus meritis Consultissimi Eruditissimiq; VIRI
ita animitus applaudit
Christianus Klein/ D.

MORHOFI Vates, non Tecum carmine certo,
Carmine quis valeat Te superare suo!
Nec cantare tuas annitor Carmine laudes,
Quæ poscunt sacrum Virgilii Ingenium.
Votum pro doctis ardens Tu suscipe metris,
Delicium Varni, Deliciumque meum.
Gratulor ex animo, rediens quod salvus, honore
Doctoris summo condecoratus oves.
Gratia Te Cœli porrò comitetur ubique,
Ex voto ut quævis prosperiore fluant!
Possidet omne bonum, JOVÆ cui gratia præsens,
Præsens hæc Tibi sit, Teque salute beet.

Theodorus Suter,
Reip. Rost. Consul.

DUm benè, MORHOFI, scribis de JURE SILENDI,
Hæc vult sancta suo Te Themis ore loqui.
Jus est fida suis præstare silentia rebus:
Non tantum leges lingva diserta colit.
En sequitur Te Fama, Tuis æquissima dictis
Gaudet, ut in multis jura silentis amet:
In Te non unquam. Dumque audit JURA SILENDI,
Materiem, quæ sit semper in ore, capit.

L. M. Q. Hamburg.
Mich. Kirstenius, Ph. & Med. D.
& Gymnas. Prof. P.

Quan-

QUando siles, vel jura refers nodosa silenti,
De quo etiam tenus-hac plurima pars siluit;
Nil Tibi me debere reor, vel pauca, MORHOFI
Optime, nam tacitum parca loquela decet
Aut si plura voles, velut est affectio, ubique
Consensu tacito me Tibi finge loqui.

Wismariæ 21. Nov. 1661.

E silentio circa ipsum conticinium expergefactus & paucula hæc doctissimo Tuo Silentio Lauream utique merenti, meditatus, manè consignavi, de quo testor ipsas Mentes umbras & tacita conscientiam Luna

Casparus Voigt.

THOMÆ BARTHOLINI, Medici & Polyhistoris summi Epigrammata de Carmine MORHOFII in tract. Ejus De NIVE conscripto, quod est inter Miscellanea quartum.

DUm Floccos scribo, lustrat Tua pectora Phœbus,
Et calet in niveo carmine nudus amor.
Frigus amicitias peperit, calor auxit amores,
Atque ex diversis concilianda fides.
Sic firma ex variis coëunt Elementa figuris,
Sic amor æterno tempore noster erit.

Aliud.

Hæc Tibi pro meritis, quæ mitto Epigrammata, MORHOF.
Candoris nivei sint documenta mei.

FRIDER. RAPPOLTI, Prof. in Acad. Lips. celeberr. Epigrammata in quadam à MORHOFIO illi transmissa Poëmatia.

IN MISSIONEM IPSAM.

PRimitias, strenas, selecta Epigrammata mittis,
MORHOFI, Nostræ quid Tibi mitto rei?
Possem aliquid: nisi, ne nihil hoc sit, Amice, vererer.
Sit nihil. In Strenis das nihil ipse Tibi.

IN MISCELLANEA.

Singula quæ condis, cur Miscellanea ponis?
Lauta an congestis secla imitare cibis? Seneca Ep. 95.
Visa meo certè est olla hæc miscella palato;
Cœnari solis digna sed olla Diis.

IN EPIGRAMMATA SELECTA.

Quæ selecta tibi, mihi sunt Epigrammata lecta,
Et jucunda bonis, & piperata malis.
Nempè Epigrammaticos ætas non una lepores,
Nec vendit mordax Bilbilis una piper.

IN PRIMITIAS PARNASSI.

Principis auspiciis Parnassus in æthera surgit:
Carmine MORHOFI personat ille gravi.
Pace Tua liceat mihi dicere, Maxime Princeps:
Parnassi Vates alter Apollo Tui est.

IN CICONIAM.

MORHOFIO tristi sic dicta Ciconia lessu;
Ut passer vati, Lesbia pulchra, Tuo.
Augurор, hoc major mansura est gloria nostrum,
Passere quo melior est avis illa levi.

In Veneres
VIRI
Amplissimi & Consultissimi

DN. DANIELIS GEORGII MORHOFII,

J. U. D. & in Academia Kiloniensi Eloq. Professoris celeberrimi,
Poëtæ ingeniosissimi,
Amici conjunctissimi.

DUm Tibi Castaliis Veneres nascuntur in undis,
Dum Tibi Amor chartas imbuit ipse Tuas.
Quam Tibi scribo libens illectus amoribus illis
Et Veneres recolo, dulcis Amice, tuas!
Nam licet invitâ scribat mihi Musa Minervâ,
Non tamen invita scriptitat hæc Venere.
Hinc stimulant vestri; nostri hinc hortantur amores.
Et mea me docuit pangere metra Venus.

Unam,

Unam, nec totam Venerem pingebat Apelles:
Tot Veneres Tibi, tot fingit Apollo Deas:
Tot Veneres aliis fingis, tot pingis amores:
Nec Tibi vera tamen parta, nec una Venus.
Tu Venerem (quis non Veneris jam nomen adorat?)
O venerare lubens! ô reverenter habe!
Hujus ad arbitrium fortuna volubilis errat,
Omniaque hac solâ Judice puncta feres.
Quid Musas, quid Junonem, quid Pallada cures?
Sola dat ingenium & nomina summa Venus.
Ne Venerem jam finge Tibi, fac ipse Poëta.
Fortunæ & Veneris sis faber ipse Tuæ.

Ericus Mauritius, J. U. D.
ejusdemque Prof. Primarius.

HOlsaticis Helicona novum sacraverat oris,
Intuleratque omnes noster Apollo Deas.
Vidit, & ingenuo succensus ab igne Poëta,
Dulcisonas struxit Carminis insidias.
Mox ita virgineos in se convertit amores,
Musarum castos insiliitque toros.
Nascuntur Veneres, Pater est MORHOFIUS, almæ
Pierides nomen sed genitricis habent.
MORHOFII ad *Venerem* reliquorum cedite versus.
Hesperus hæc vobis, *Phosphorus* illa Patri.

A. Tribbechovius,
Sacr. & Civ. Hist. Prof.

In Funerum libellum.

FUnera post Veneres! quænam illa Tragœdia? Quale
Auspicium nato Funeris ara dabit?
Sic placuit Libitina Venus? dum cœlibe lecto
Ceu cippo Veneres pingis alisque tuas.
Fingis eas nobis Veneres, ni feceris ipse,
Vix nomen retines, Docte Poëta, tuum.
Ut nubas Musis, Veneri num Funera ducis,
Impendisque tuas Funeribus Charites?

Audiit hos lessus proles Cythereia, quando
Natalem venit concelebrare tuum.
Tristis & exstincta face, projectaque pharetra,
Multa querens Paphias aufugit inde domos.
Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Funeribusque illis quas dabis inferias?
Omen at in facto est, deducta superstite Vate
Natali lucem Funera luce vident.
Funera vita dat ingenii, mox Funera vitam
Reddunt, stantque uno vitaque morsque loco.
Atropos invidit, & cum sua Funera vati
Cerneret æternos continuare dies,
Deseruit furibunda colos, accedis ad illos,
Funeraque hæc vates texis amica Tibi.
Haud secus ipse suos accendit Funeris ignes,
Vincit & ambusti fata suprema rogi
Assyrius Phœnix carmen natale canentes
Argutas volucres post sua terga trahens.
Tu nostri es Phœnix secli, Vir inclite, vitam
Funera cui reddunt, quam rapiunt aliis,

L. M$\overline{q}$ f.

A. Tribbechovius,
Sacr. & Civil. Hist. Prof.

In Adventum
Morhofi,
Carm.
David. van der Brügge.
Schol. Lub. Sub-Rect.
Anno 1668. die 12. Novembris.

I.

Cum me conveniret.

Quis novus hic Hospes? nonnè hunc comitantur Euntem
Diva Themis, Pallas, Tresque Novemque Deæ?
Quis novus hic Hospes? non est mortalis. Apollo?
Quem sese ore ferens! Sidera luce premit.

Maxi-

Maxime MORHOFI, Sol auree & unice Vatum;
(Ingenio cujus Numen inesse puto)
Maxime cur minimum non aspernare Poëtam?
MORHOFIO Brüggl vilia tecta placent?
Attonitus me extra rapior, quem maximus Orbis
Non claudat, claudo limine MORHOFIUM!
Ut Sol exoriens nitidô scintillat in Auro:
Auree sic Vatum Sol & Apollo micas.
Aurea Tu quoties spargis per climata mundi
Lumina, luminibus gaudia mille facis.
Haud parvum reputo, quod maxima Gloria Phœbi
Dignaris nostræ tecta subire domus.
Nostra domus tantò cantanda superbiet Astrô,
Atque Poëtarum Regia Solis erit.

II.

Cum modicô apparatu exceptus mecum cœnaret.

MORHOFIUM ad Cœnam tenuem, Tectumque vocabam;
Ad Cœnam, ad tecti limina parva venit.
Convivæ appono Cerealia munera, Carnes,
Squamigeros Pisces, vilia pocla meri:
Hospes at apponis mihi doctæ munera lingvæ,
MORHOFI illustris, fisque vocate vocans.
Tunc ego sic mecum: Conchylia, liba valete,
Musta valete, vale nobile Nectar Apis.
Hîc mihi sordescit, dederit quod Terra, quod Aër,
Quod dederit Nereî Regia vasta Patris;
Hîc, quas Phasis Aves, quas jactat Mysia messes;
Et qui Laurenti nascitur Orbe liquor:
Me Tua Cœlestis satiabunt fercula Vates;
Fercula Nectareis anteferenda favis.
Res nova! dum pectus relevant Tua flumina nostrum,
Colligo majorem, quò mage poto, sitim.
Cœnula qualis erat, quæris? tibi finge Platonis
Divini cœnam: Cœnula talis erat.

III.

Cum libellos meos perlustraret.

QUid libros lustrare meos, divine Poëta,
Quid viles Chartas pervolitare juvat?

Inge-

Ingenii Monumenta Tui Teque ipſe revolvas;
Quem Themis & Phœbus, quemque Minerva ſtupet.
Extra Te noli, Vir Maxime, quærere quicquam:
Et Muſis, Mundo, es Bibliotheca Tibi.

IN PRIMOS ACADEMICOS FASCES,
die 5. Aprilis, Anno 1669.

QUi nobis toties canis, ô Divine Poëta,
Æternâ meritò Carmina digna Cedro,
Poſcere Muſeo dulci contincta lepore,
A nobis hodiè carmina jure potes;
Dum Tibi traduntur Faſces, & Sceptra Lycéi,
Purpureusque humeros pectoraque ambit honos.
Sed quid enim argutos Paſſer ſtrepat inter Olores?
(Extremum Cycni ſit niſi fortè melos)
Quem de Ponte Senem juxta ac de Monte minantur
Trudere, queis medio eſt nunc Helicone locus.
Nec ceſſabo tamen pannis annisque obſitus, algens,
Tardus, iners, caſcus, ſolvere vota Tibi.
Scilicet egelidi quoque vota calentia Vates
Ex animi penitus fundere mente queunt.
Ergò ſubito humeris Onus, Atlas, inter Honores,
Durum; ſed levius rite regendo geres.
Fallor, an Ordo Patrum, atque adplaudit uterque Senatus?
Concordes animos debeat Ille Tibi.
Fallor, an adſurgit florens Academica Pubes?
Et facili gaudet ſubdere colla jugo.
Sic Tibi Ver lætum, formoſa & rideat Æſtas,
Fructusque optati centupla dona ferat.
Nulla Tibi ſpirent, niſi Eteſia mitia flabra,
Eſte procul, procul ô! Turbo, Procella, Typhon.

Ita ſeriò gratul.

Paulus P. F. Sperling / SS. Theol. D.
& Prof. Ordinarius,
per Holſatiam Ducalem Præpoſitus.

Quis

QUis fragor ex adytis? Quæ ſurgunt jubila cœlo?
Dulcia plaudentum quid ſibi verba volunt?
Et quis is eſt, ſummo qui ſtat modo colle? MORHOFI
Cerno ora, & ſertis tempora compta ſuis.
O ſalve! Eoo, quo fulges, pulchrior, auro,
Candidior ſceptris, quæ Tua dextra gerit.
Salve! Pieridum cura, & prænobile pignus,
Nec minus in memori pectore noſter amor.
Quam vellem plenis Tibi carmina dicere buccis!
Quam vellem aſſiduâ tangere fila manu!
At minus hæc noſtro reſpondent carmina voto,
Nec fidibus canitur pectoris iſta fides.
Ergò utinam noſtro vulſis è pectore fibris
Vocalem poſſem nunc animare chelyn!
Atque utinam penitis erumpens flammula cordis
Pectoribus, primis viveret in labiis!
O mihi ſi cunctæ fluerent in carmina venæ,
Atque omnes nervos colligat una manus!
Tunc exorta dies, tunc clauſo veſper Olympo,
Nox ipſa Aonium continuaret Epos.
At modò cum nequeam parili præcordia chorda
Explicuiſſe, piam pectine laſſo manum.
Et fateor, deſveta fere eſt mihi chorda, chelysque
Cum tineis bellum pulverulenta gerit;
Et gemmis ſpoliata ſuis, auroque refixo,
Imbibit horrentem non benè terſa ſitum.
Quin mihi jamdudum, nec viſa Heliconia rupes,
Nec mea Pegaſeis planta rigata vadis:
Dum prærupta Tzion, atque Acroceraunia Sinæ,
Culmina præ molli vertice dura placent.
Floriferos fugio ſaltus, & Theſſala Tempe,
Nunc ubi Gethſemane ſangvinolenta patet.
Caſtalidum rivos & flumina quærere ſperno,
Cum Clario nequeam fonte levare ſitim.
Et quamvis nigram referat mihi Kidron arenam,
Et cineres volvat, me tamen ille juvat.
Phœbejas temno laurus; quia Rhamnus honori eſt,
Et pariunt lætum ſpinea ſerta decus.

Nec curo valles, gelidasque in vallibus umbras,
In Golgatheo vertice molle cubans.
Hîc mihi lætiſonum pandit Calvaria templum,
Fœnerat hic titulos Crux inhonora meos.
Sic, O Amice! mihi, Clariis qui ſedibus exul
Divagor, antiqua non licet ire via.
Semita trita Tibi eſt, quia Tu veſtigia noſti.
Ungula Gorgonei quæ nova fecit equi.
Tu niveos puro latices in gurgite miſces,
Atque iterum patulo fonte recludis opes.
Da, precor, inde? Negas. Tua nec præconia paſſus,
Siſtis aquas, iſto ſævior imperio.
Ergo cum nequeam meritas Tibi dicere laudes.
Et nolim vanis perdere verba modis:
Verba prece, & ſolo conteſtor gaudia nutu,
Atque Tuis animis nunc quoque condo meos.

L. M. Q. gratulatur
A. Tribbechovius

EUGE. BONUM. FACTUM.

RECTOR. Salutatur. Academiæ. Qui. Rector. Fuerat. Muſarum.
DANIEL. GEORGIUS. MORHOFIUS.
Occupaverat. Ille. Pridem. Utrumque. Parnasſi. Collem. Cyrrham.
Et. Niſam.
Illum. Quidem. Ut. Poeta. Hunc. Ut. Orator.
Vnde. Nunc. Muſæ. Dant. Illi. Se. In. Clientelam. Et. Charites.
Illæ. Vt. Sorores. Hæ. Vt. Sociæ.
Veſtram. Itaque. Fidem. Ingenuæ. Virgines. Nonne. Bene. Conveniunt
Plectra. Et. Sceptra.
Tonus. Et. Thronus.
Scilicet. Optima. Sunt. Imperia. In. Quibus. Agitur. Harmonice.
Vbi. Non. Minis. Cogitur. Populus. Sed. Allicitur. Cantu.
Nec. Terretur. Sed. Demulcetur.
Lingua. Certe. Lingula.
Imperiorum.
Illa. Qui. Recte. Vtitur. Momenta. Bene. Librat. Et. Lances.
Diſpenſat. Juſte.

Felix

Felix. Itaque. Rectore. Hoc. Senatus. Populusque. Eruditorum.
Quandoquidem. Optime. Agitur. Cum. Aut. Philosophi. Imperant.
Aut. Qui. Regnant. Philosophantur.
Imperat. Autem. Nobis. Philosophus. Et. Imperat. Philosophice.
Orat. Causam. Vt. Orator. In. Aula. Facit. In. Academia. Vt. Poeta.
Quî. Causa. Itaque. Cadere. Possit.
Quemadmodum. Regi. Apum. Deest. Aculeus. Sic. Et. Rectori.
Nostro. Philosopho.
Id. Quod. Cogit. Suada. Est. Quod, Terret. Cantus. Et. Quod.
Pungit. Acumen. Est.
Idque. Non. Gladii. Sed. Ingenii. Quodque. Imperat. Merum.
Mel. Est.
Et. Construendi. In. Vsus. Nostros. Favi.
Omni. Itaque. Temporis. Puncto. Illi. Inserviendum. A. Quo.
Minime. Pungimur.
Illi. Obediendum. A. Quo. Juvamur.

Nam. Prodesse. Volunt. Et. Delectare. Poetæ.

Ego. Nunc. Romanos. Imitabor. Qui. Proæresio. Ut. Regi.
Eloquentiæ.
Statuam. Erigebant.
Tibique. Rectori. Musarum. Et. Eloquentiæ. Regi. Consecrabo.
Statuam. Non. Phidiacam. Sed. Memnoniam. i. e. Vocalem.

Me. Ipsum. Scilicet.

Frid. Joach. Langelott.

In Obitum (falso creditum) Illustris & incomparabilis

N. DANIELIS GEORGII MORHOFII, J. U. D.
Prof. Eloquent. & Poëseos celeberrimi.

SIgnetur grandi hæc scylla cupresso, Viator,
penes quam Virtutes naufragantur,
& in letum ruunt æterna.
Jacent in littore hoc obliteratæ literæ omnes,
Gemmæ arenâ, Musæ museo tumulantur.
Dabo statuam hanc Testem,
& defuncti æternitati dicabo.
In portu Britannico, Numine implorato,

duplici cum Bibliotheca, ſeipſo & coëmpta,
navigium intraverat,
Princeps poëtarum & poëta Principum
MORHOFIUS.
Otiabatur ab initio Oceanus
& virgineo pudore meretricia ſua munera depaſci patiebantur Ocea-
ut Orpheo ſuo parcerent (nitides
parcis poſtea minus parcæ.
Nitidum inter nubes & nimbos coruſcabat phœbus,
Ne tantam mundi ſpem ſpumæ interverterent.
Quaſſatis cannis, ſtipuliſque adſtipulabatur Thetys,
Ne latrantes Scyllas audirent Muſæ.
Crederes ridente malacia, ineptire Neptunum,
dum odium benevolentia exorſus
Ludendo ſæviebat, blandiebatur lædendo,
formoſus magis in irâ, quam formidandus,
ſed ſecuritati huic ſua erant pericula.
Nam ſubito, mutata ſcena, de nube cadens reſurgensque procella,
duplici caligine noctis & mortis
pelago inhorruit,
decimoque revoluta fluctu
mugientibus immugit roſtris.
Regebatur jam à clavo proreta, qui clavum fruſtra rexerat,
dum jacta tridente intonans Nereus
proſternit nagivantes, ut erigeret; erigit Nau-
fragos, ut proſternet,
Alliſoque in puppim Euro, & Euro ſæviore Aquilone,
Improviſa Navi ſe infundit Nais.
Actum jam & conclamatum.
Natant disjectæ cum MORHOFIO Muſæ,
donec innocuus nocentibus abmerſus undis,
generoſo efflatô halitu, fatis olorum conſonante,
Limpidisſimam divinus Vates aganippidem exhalavit,
O nubila fatorum inclementia!
Bona ſacrilegis datur Navigatio, turbulenta ſanctis,
phaſelum Boreas præterit, claſſes ſternit;
Cujus gloria æthere incanduit, interit æquore.
Sol Muſarum ſalô,
Cimbriæ Maro mari extinguitur.

O le-

O letum immortali indignum!
Quo funere involventur homines, si semidei pereunt undis?
Quid diuturnum, si à fulmine tuti flumine absorbentur?
O! omnium quondam voluptas, nunc dolor omnium.
Luget Apollo tumuloque adstratus, MORHOFII interitum deplorat,
deplorandus ipse,
Lauru, cythara, pharetraque exutus.
Quid enim, silente MORHOFIO, Phæbi lyra, nisi delira!
Lugent Musæ, Tibique parenti parentant suo,
in quo renatæ antea, nunc denatæ.
Singulæ enim aut in Te spirabant uno, aut Tu unus in singulis.
Non Musæ amplius appellandæ, sed Mutæ:
Non Camœnæ, sed inamœnæ.
Quæ si cantent, dubites, cantentne Bubones,
an ululent philomelæ.
Quid enim Pieris, nisi piaculum,
Cui Urania similis, nisi Ironiæ?
Ipsi jam tardius fluvii ambulant,
& Leucothoë muscosis abdita cubilibus
pellucidos tenebris inumbrat thoros
& primo garritu ultimum Vale conchis insusurrat.
Tu verò, Mens ætherea,
quæ & Tibi moriens & CHRISTO occurrere ausa
non maris fluctus enatasti, sed mortis.
Ultima hæc frigora, primi Tui calores fuerunt,
Funeris hæc lympha, Nympha Tua Nuptialis est,
quæ annuli loco æternitatem, loco dotis cœlum offert,
& illuc Te perducit,
Ubi quam faciem mare sumpserat, sumptam deponit,
& beatissimæ, infelici hac relictâ, Insulæ Te sistit.
Batavia igitur & Britannia, altero in Oceano orbe perlustratâ
Orbem universum deseris,
& Septentrionem repetens, Orientem invenis
etiam in occasu.
A Batavis ad Atavos redux,
Non Anglis amplius junctus, sed Angelis.
Nectatur Vati Tuo Corona,
dulcissime JESU!
Et qui hactenus sibi, posteritati, & DEO laboravit,

æternâ ſolationum dulcedine imbuatur.
Nos Tumulum hunc linquimus
Tumulo noſtro propiores,
brevi poſt tumulandi,
certi interea,
Multos ſalvos, qui merguntur; plures mergi,
qui ſalvantur.

f.
Joh. Georg. Pellicerus, L.

NOſter Amor, noſtri, Morhofi, gloria ſecli,
Quæ ſcribam tædis carmina fauſta tuis?
Illa quidem fido debebat Amicus Amico,
Si thalamis poſſet ſcribere digna Tuis.
Quæ deſunt, ſupplet nobis amor omnia: digna
Morhofio ſcribit non niſi Morhofius.

Ex animo gratulatur
Ericus Mauritius, JCtus,
Cam. Spir. Aſſeſſ.

ALme Travi, Oceani Nymphis gratisſimus hoſpes,
Sic tandem calidis laberis auctus aquis,
Jam cornu majore Tuas inſurgere ripas,
Jam decet Arctoas disſimulare nives.
Ille Poëtarum decus & Vis tota Morhofus
Sponſus, & ætherio Numine plenus adeſt.
Has tardas lege blande nuces! Da ſerta Poëtæ,
Candidaqne in croceis Lilia mixta roſis.
Da Laurus Hederæ, Da myrtum Virginis Umbræ,
Ut deceat caſtos illa vel illa choros.
Da virides oleas, Studioſæ præmia Noctis,
Aonias artes Palladis arbor amat,
Ille Poëtarum decus & Vis tota Morhofus,
Jam tuus attonitas ſurgere fecit aquas.
Ille ſolet Tiberis quiddam teſtudine majus,
Et canere ad Grajos carmina docta ſonos.
Ille movet quicquid Germania posſidet artis,
Et palmam Batavis reddidit ambiguam.

Si quis aquas ignis, si Cimbrica quis focus arva
 Incitat; Huc molem collige, CHILA, Tuam!
At Tu, Sponse, meas præconia desine Musas,
 Nec tua per versus nomina quære meos.
Plus tibi debetur, quàm quod persolvimus ulli,
 Sufficiant aliis carmina, Nulla Tibi.
Sordescent Musæ, si tu Tibi carmina poscis,
 Cùm par officio est ipse Poëta suo.
Optatus toties, & tot dilatus in annos
 Sic sua jam tandem tempora carpit Hymen!
Et qui sæpè soles alienas pingere flammas,
 Ardendo melius jam canis ipse Tuam!
NON POTUERE NOVEM MORHOFUM VINCERE MUSÆ,
 AT TOTUM POSTHAC UNA LUBECA TENET.

H. M. P.
Josua Arndius.

CUjus Principibus, cujus placuere Tonanti
 Carmina, cum castis conderet illa modis,
Gaudia cunctantem thalami, nimiumque morantem
 Vidit ut in Roseis Chiloniisque choris,
Risit Amor: Vates, inquit, ridere severos
 Fas, qui nullius Virginis igne calent.
Quid Paphos? Idaliæ qui stabunt celsa Cythera?
 Quid Pæstana Rosæ jugera pulchra canit,
Qui licet ingenio superet, cantuque Maronem
 In nostra tamen est ceu rudis arte puer?
Sensit, & insolitos mox hausit virginis ignes,
 In vultus rapitur, quos sibi finxit, amor,
Incusat nunc flamma moras, noctemque jugalem
 Poscit, jam soli displicuere lares.
Jam sordent moduli, jam docti lustra Lycei,
 Infecit niveas flamma pudorque genas.
Offensas inter Rosides Cimbrasque puellas
 Eligitur medio virgo venusta solo.
Scilicet arbitrium sibi sumit jure LUBECA,
 Subscribit placidus, qui Tibi plaudit, Amor.

A. Varenius.

In

IN TE quid laudem magis, haud scio, Clare MORHOFI?
Lauriger es Vates, & Themidi arte litas.
Sermone excellis Grajo simul atque Latino,
Et vario potis es, cùm placet, ore loqui.
Si sociam jungas, pugnam non credo futuram:
Dant Pallas, gratas, & Venus alma vices.
Altera TE miscet doctis, beat altera gnatis:
Utrumque ut faustum sit, precor, istud opus.

Gratulabundus depropera bat

Petrus Musæus, S. Theol. D.
& Prof. Prim. Pro-Cancell. p. t. & Facultatis suæ Decanus, hodiè Pro-Rector.

CArmina Carminifex me poscis tante, MORHOFI,
Carmina, queis tædis grater, amice, Tuis?
Gratificarer ego Tibi, nî MORHOFIUS esses.
Nunc nomen terret, magne Poëta, tuum.
Scribimus indocti doctique poëmata passim,
Censorum si non sit metuenda crisis.
Sed Tibi quis versus ausit procudere, Vati,
Qualem non ullum Doctior orbis habet?
En igitur votum pro carmine: Cedere Cœli
Ex voto vobis omnia faxit amor!

Christianus Kortholt / S. Theol. D.
ejusdemque Prof. Ordin.

MAURUS ambit MARGARITAM, *fuscus* ille candidam,
Pellicit doloque in *Aulam* comparem, non-pellicem:
Imò *Maurus* ille pectus candidum est magis nive.
Par amantum rite junctum, parque florens dotibus,
Ambo amantes, & calentes ambo flammâ fervidâ,
Ambo vultu, mente, verbis, ambo factis candidi.
Maurus arcu cum sagittis conficit Puellulam,
Aut idem molitur arte, marte, technis omnibus;
Imò amoris jam sagittis ipse sese conficit:
Illa se defendit *ense* non-retuso masculè,
Quem rotando, quem premendo, & hostis ictus excipit,
Et rebellis semper infert mutuum vulnusculum.

Mau-

Maure, ſemper Tu pharetrâ tela amoris promito,
Parte quintâ imbuta ſvavis melleique nectaris,
Vulnerando dulcè Nympham quæ tamen magis juvent.
Enſe cæſim, & enſe punctim, Nympha pulcra occurrito,
Hæreat mucrone mucro, néve arenam deſere,
Sauciata ſauciatum mutuò complectere.
Par amantum, à præliis in gratiam tandem redi,
Sed jocoſis, ſed pudicis, ſed minùs lethalibus.
Porrò ludum inite caſtum, jurgiis, rixis procul,
Et perennis inter ambos floreat concordia.
Par amantum vive longùm, vive nomine, omine,
Procreato uterque *Mauras*, atque *Mauros* candidos.

Serio gratulab.

Paulus P. F. Sperling / S. Theol. D.
& Prof. Ordinarius, Eccleſiar. in Præfecturis
Holſat. Ducal. Præpoſitus.

O D E.

QUid Tibi cultum ſatis exhibebit,
Paſta Phœbéo minimè liquore,
Quid canet SPONSO, celebri Poëtæ,
Noſtra Camæna?
Invocem Baldi, vel opem Roſati?
Non aquam pumex dabit. Ergò, SPONSE,
Te Tuos poſco Veneres, Tuamque
Provoco Muſam.
Hæc Tuam SPONSAM, thalamum, domumque,
Exprimet docto joca penicillo,
Et torum, menſam, lepidos amores,
Baſia, murmur.
Sint licet tali ſtudio occupati,
Atque rimentur Veneris latebras,
Vena queîs dives data, queîs Apollo
Proluit ora.
Abnuit tales Themis alma ludos;
Cœlibes, orbos tamen haut inultos
Eſſe vult, & lex repetit vigorem
Papia priſcum.

Ille qui quondam tumidis procellis
Vota commisi, bene vectus olim,
Jam quidem SPONSIS meliora quæque
Naufragus opto.

Ito felici, *Neonymphe*, vento,
Sit comes fausti *Neonympha* cursus.
Tu tene clavum, medio ut pererret
Gurgite lembus.

Si mihi forsan tabulam natanti
Porriges, nutu Tibi, SPONSE, Cypris,
Castor & Pollux etiam favebunt,
Sidere læto.

Non mihi posco tabulam, periclum
Quò novum ponti redeat, sed opto
Cum suis pannis requiescat udo
Littore corpus.

Finis est cuncti requies laboris.
In vado versor. Tibi, SPONSE, portum,
Et Tuæ SPONSÆ teneros amores,
Grator honores.

L. m.

Accinebat

Samuel Rachelius, J. U. D.
Jur. Nat. & Gent. PP. & h. t. Collegii Juridici Decanus.

EXpetis applausus nostros & mollia cogis
Pangere me tædis carmina, Sponse, Tuis.
Verùm surda Tibi pulsantur limina; namque
Nescia sunt Paphiæ barbita nostra Deæ.
Dulces amplexus & mellea basia lecti
Innuptæ renuunt plectra sonare lyræ:
Nec nôrunt vidui calami cantare maritos,
Aut celebrare pii commoda mille tori.
Sunt mage (ni fallor) Tibi talia cognita, sponse,
Dictasti nuptis sæpius ista novis.
Ergò lude Tuâ, si quid potes, ipsus avenâ,
Nec residem doctam nunc patiâre chelyn.

Quæ

Quæ toties aliis dixti Dithyrambica Sponsis
Carmina, quos elegos, denuo prome Tibi.
Prome Tibi rursus, quæ vota precatus es olim,
Tot thalamis, *& sint irrita nulla Tuo.*
L. M. scrib.

Magnus Wedderkop/ D.
& Cod. Prof.

SI mihi nunc faciles fluerent in carmina venæ,
Sedaretque meam Castalis unda sitim;
Non meus ille tuos amor exhauriret amores
Proque Tuis meritis haud mea vota forent.
Forsitan exirent versus moduli que ligati?
Cum tamen in justo non sit amore modus.
Et numeros legeres, velut hi sunt, lege coactos,
Innumero dignus qui celebrere metro.
Immò ego si innumeros numeros Tibi, Maxime Vatum,
Et canerem justos absque modò modulos:
Laurigerum viridi Phœbum redimire corolla,
Inque mare humentes ferre viderer aquas.
Ergò meos lusus, tenerorum lusor amorum,
Et joca præ longo carmine pauca cape.
Dic age; num veras Veneres depinxeris, & quæ
Det tibi præ pictis commoda viva Venus.
Pinxisti Veneres, finxisti; fac modo; nomen,
Sic demum implebis, magne Poëta, Tuum.
Quotque Orbi Veneres peperisti, tot tibi rursus
Sed vivas pariat viva Venus Veneres.
Finxisti Veneres admorsis ungvibus illas;
Utque Jovis cerebro excisa Minerva fuit:
Sic tua sic scalpendo caput feriendoque scamna,
Exsculpsit Veneres mens pariterque manus;
Nunc pigeat mordere ungves, Rhododactylos uxor,
Non morsu at lingva labra terenda dabit.
Neve caput scalpes, subjectaque pulpita tundes;
Mollis in amplexus En ruit illa Venus.
Desino. Te absentem Venerum quia cuncta seqvuta est
Turba, mihi non sunt à pedibus Veneres.

A. Tribbecho, Collega.

NUCES SPARSÆ AMICOR. HAMBURGENS.

I.

ET MORHOFUS HABET. Cypria gladiator arena,
Concidit: exclamat victor, amator habet.
O habeat! nil inde mali, nil inde pericli:
Imò cum fructu lætus amator habet.

II.

Et quid amator habet? non tantum in pectore vulnus:
Sed quod amat retinens, & quod amabit habet.
Res habet ille suas etiam, virgoque faventi
Sic favet, & pariter res habet illa suas.
Res habeas, MORHOFE, Tuas, habeatque vicissim
MARGARIS, & vobis mutua dona date.
Perpetuoque usu res permutate volentes:
Sic, quæ conveniunt, gaudia rebus erunt.

III.

Semper dicite: res tuas habeto
O conjux tibi. Dicitote nunquam:
Conjux, res Tibi Tu tuas habeto.
Pugnant, conveniunt, ut explicantur.
Et prudens Amor explicat, Themisque,
Et MORHOFIUS explicata novit,
Novit callidus, & sciens amandi,
Et juris, decus utriusque Divæ.

IIII.

Conjungit pedibus pedes poëta,
Conjungit pedibus pedes amator.
Et mirabimur, optimus poëta
Quod nunc optimus est amator idem?
Quod jungat pedibus pedes amator,
Ut junxit pedibus pedes poëta?
Et feliciter, ut poëta junxit,
Sic nunc jungat amator! atque fiet.

V.

Cum jungit pedibus pedes poëta,
Cudit carmina. Quid pedes amator,
Conjungens pedibus? Nimis profecto
Res est clara, nimisque factitata,

Et

Et semper facienda res: nec ullo
In hac est opus Oedipo: vel ullo
Si sit forte, suæ poëta solves
Hæc ænigmata tota Margaritæ.

VI.

MORHOFII virtus numeris perfecta videtur,
Omnibus, & quicquid defuit, addit amor.
Ingenii vis tota coit. Debentur Amori
Omnia: quod scribit fortius, atque facit.

VII.

En fingit vates vena saliente Camœnis
Grata, cui vires afflat Apollo suas.
Et pariter fingit vena saliente Cytheræ
Grata, cui vires fervidus afflat Amor.
O longum venæ saliant, & fonte perenni,
Et multum vena manet utraque boni.

VIII.

Et sese, benè pasta rore dulci,
Margaritiferam solet probare
Eois generata concha terris:
Et sese quoque, benè pasta, concha
MORHOFI Tua, cara MARGARITA,
Margaritiferam probabit usu.
Imò, quo magis æstimes, amator,
Margarifera ipsa magarita est.
Et, sicut sapis, æstimabis: illam
Nec Tu spreveris, illiusve concham, *
Quam nec spreverit ipsa Diva conchæ.

* Plaut. Rud. A. 3. Sc. 3. v. 42.

IX.

Est frigens aqua dulcis æstuanti,
Lac est dulce recens, & uva dulcis,
Et dulce est oleum catæ Minervæ:
Est ficus tenera, estque dulce morum,
Et dulci siliquæ placent sapore,
Atque amygdala saccharo coacta,
Et præstant melimela svavitate.
Et sunt dulcia sesamum, & papaver.
Est sumen tenerum, & medulla dulcis,
Et dulce est jecur anseris tumescens.

Radix dulce ſapit, vocata dulcis:
Olim vulva fuit ſuilla dulcis.
Et ſunt dulcia liba, ſunt placentæ,
Et ſunt cruſtula, quæ calent ab igni.
Mulſum dulce ſapit, ſapitque mulſa,
Et muſtum, & ſapa ſvavitate præſtat.
Eſt paſſi quoque mira dulcitudo.
Mel eſt dulcius hiſce, ſaccharumque
Adhuc dulcius. Et (licebit addam)
Dulce eſt lac Jovis, & Jovis cerebrum,
Et bellaria, quæ dabant Athenæ,
Et jus eſt Helenæ. Eſtque dulce nectar,
Et eſt ambroſia, in cibis Deorum.
Queis gaudent homines, iis in ipſis
Venus dulcior omnibus putanda eſt.

X.

Grandia nulla Tibi mittuntur munera, vates
MORHOFI, nullum, quale mereris epos.
Vilia ſunt: igitur generoſius iſta probabis,
Nec tibi corrumpent aurea dona nuces.

XI.

Verſiculis nucibus noſtris licet eſſe minutis,
Et levibus: ſaliunt ſic crepitantque nuces.

SIc Tibi, qui teneros luſiſti carmine amores,
Præmeditatus amor ſeria vincla parat.
Blandaque, quæ docta pinxiſti ſpicula penna,
Sentis, & tacto palpitat inde jecur.
Labuntur manibus calami, neque plectra tenentur
Amplius, abjectæ conticuere fides.
Virgineus Pindi cœtus quoque ſpernitur, uxor
Ducitur, innuptus ſordet Apollo Tibi.
Blanditias, Riſus, Amplexus, Baſia, quondam
Ficta Tibi, à pulchra Virgine vera capis.
Noſtrum eſt, devotas Tibi Sponſo hic addere voces.
Optatum reddat fœnus ut iſta Venus.

faciebant

Commenſales.

Per

PEr mare, per terras, per tot discrimina rerum
In thalamum tendis, Magne Poëta, tuum.
Inferias dederam, cum te fera fata tulisse
Diceret Aonium Fama perosa chorum.
Tunc tetigi & movi & pulsavi & pectine chordas,
Et chordæ lentum vix retulêre sonum.
Exaudita fuit querulæ tunc vocis imago,
Heu fuit Holsatici svavis Apollo Soli!
Quem toties sacrâ recreabat Castalis undâ,
Obruit hunc salsis Doris amara vadis.
MORHOFIUS *demersus aquis!* Plorate, Camœnæ,
Et gemat ad lessum Cyrrha verenda meum.
Æolias ego tunc furias, tot sæva Charybdis
Antra, tot infestas sæpè querebar aquas.
Cur, decus O nostrum, Neptuni prælia tentas,
Æolias spernis cur, miserande, minas?
Sat tibi, sat retuli, quæ sit constantia ponti,
Sat retuli puppis damna timenda meæ.
Me licet incolumem servarint fata, vel idem
Qui tibi promisit sævior augur erat.
Argutum blandus devexit Ariona delphin,
Ne daret indomito nomina mœsta salo,
At vatem, svavi qui vinceret Orphea cantu,
Omni destituit dura salute Salus!
Funera cantavit, nunc undis funus oberrat,
Cantator quondam funeris ipse sui.
Qui placidas fuerat Veneres cantare peritus,
Cur hunc non tenuit compede grata Venus?
Heu Veneres scripsit! tenet alta mente repostum *Allud. ad lib. Excell. V. qu. inscribuntur Funera & Veneres.*
Judicium in Veneres invida Juno tuas.
Sic pius Æneas Veneris dum jactat amorem,
Hunc penè immersit Juno severa freto.
Nunc jacet ignota svavis modulator arena,
Vel potius sævis piscibus esca fluit!
Ergò meis, Cimber, Lacrymis confunde querelas,
Dum mihi, dum periit vel decus omne tibi.
Hic titulos & signa dedit mihi prima; sed almo
Parnasso lumen contulit ille tuo.

Hol-

Hoſaticis habitet nunc mœſta in vallibus Echo,
Non labra, quæ reboans nunc imitetur, habet.
Najades, Sacri quæ lambitis ora Kiloni,
Siſtite nunc curſum, flete, rigete gelu.
Dum querimur, Docto vulgavit Fama Kilono;
In portu Vates navigat ille tuus.
Sic tua *Diva potens Cypri* ſic carbaſa rexit,
Sat Venus in Veneres officioſa tuas.
Parnaſſus plauſit, ſteterat ſua gloria Pindo;
Fluxit & Aoniis largior unda vadis.
In pelago Tibi blanda Venus reſponſa dediſſe
Creditur, ex ſpumis orta venuſta venus;
Mollia qui toties Veneris tot jura notaſti,
Exemplo diſcas ipſe calere novo.
Nunc aliud Pelagus ſulcandum, ac altera puppis
Pareat imperio, Navita Docte, Tuo.
Sit tibi Sponſa ratis, clavus prudentia, venti
Innocui luſus, candida vela Fides.
Vis merces? pulchros vehat iſta carina gemellos,
Tyndaridas fortes Aſcaniosq; pios.
Tu Triton, tu Tiphy, Tuam modo ſolve carinam,
Sic Helenæ fratres ſic Cytherea micet.
Pronuba nunc fauſtum Tibi Juno ſternuit omen,
Et ſibi Lucinæ nomina blanda cupit.
Non Te votivus paries deterreat, aſtra
Ægæas hyemes Joniasq; doment!

f.

M. Adam Laurent. Nicolai,
Lubecenſ.

Grande Poëtarum Columen, quô noſtra ſuperbit
Teutonia, & neſcit generoſis cedere Belgis,
Morhofius calet & Sponſus ſuccumbit Amori,
Optatosque tori celebrat florentis honores;
Lubecæ celebrat præponens tecta Lubecæ,
Chila venuſta, Tuis. Sponſam cur patria tellus
Non ſociat Sponſo? non culta Roſaria Varni,
Quæ toties traxit divinô carmine Vates?
Cimbria non potuit Nympharum maxima Nutrix?

Exte-

Extera nec tellus? Batavos accedit, & urbem
Londini celebrem; diſtinctum triplice Regnum
Murice Sponſus adit, ſed non dant oſcula Nymfæ;
Non Sponſum faciunt. Cur non? ô pandite Divæ:
Sic fuit in fatis (fatô connubia fiunt,)
Sic fuit in fatis, Vatem ſuccendier Aſtris
Margaridos Sponſæ, hinc certantes ignibus ignes
Sentit, & ad Sponſam feſtinat flammiger Heros.
Lubecam properat, Chilaque relinquit amata
Ad tempus tempe. roſeô ſpectabilis ore,
Memnonis alma Parens diſpellit nubila Cœlo
Temporiùs, paſtosque roſâ fragrante jugales
Gurgite Sol vaſtô revocat, majore Serenô
Ut Vatum Soli, & mundo nova lumina fundat.
Heliadum ſalve Genitor! Lux aurea ſalve,
Exoptata diu, toties optata Camenis
Phocidos & Divis. venit lux aurea venit.
MORHOFIUS tandem blandos ſectatur amores
Ad Sponſam properans. tenerorum Mater amorum
Cypris, Amyclæos ad frena reducit Olores.
Collocat & Sponſum trabeisque auroque nitentem
Gemmatô in curru. Currum Riſusque Jocique
Et chorus Aligerûm ſequitur plaudentibus alis,
Dulciſonisque modis ſacri dant jubila montes.
Auditis? reſonant dulcis faſtigia Pindi:
Auditis? reſonant Parnaſſi culmina, & Hæmi:
Auditis? reſonant ſvaves Heliconis alumni.
Auditis? Phœbus modulatur carmina feſtis
Digna toris Sponsûm, quæ reddunt omnia ſilvæ.
Buccina dat ſonitum, reſonant TARATANTARA colles.
Buccina dat ſonitum, reſonant TARATANTARA valles.
Trava Pater creſcit, ſolitô majorque videtur,
Et Wakeniſſa tumet, recinuntque in flumine Nymfæ.
Fallor an ipſe venit? venit, & deſcendit eburnô
Curru: Palladii Proceres comitantur euntem.
Sponſa veni, tuus ignis adeſt, Tua ſumma Voluptas;
Sponſa veni & niveis Sponſum amplexare lacertis:
Adſpice fulgentes oculos, frontemque ſerenam.
Fronte ſub hac doctâ, ſi credis (crede Venuſta)

Docta Minerva latet. quam prêndis, dextera CIMBRÛM
Diligitur SOLI; ſcriptis ſuper æthera notam
Suſpicit Hanc PRÆSES KILEMANNUS, nobile Sidus
Et Spes Aonidum; quos ſecula nulla ſilebunt.
Approperat Tua Lux, Vir Præclarisſime, pulcra
MARGARIS approperat, generoſæ frontis honores
Lampadiumque Comæ ſpecta, teretesque Cylindros,
Iridas & pulcrùm per eburnea colla nitentes,
Et geminos Oculorum orbes, duo ſidera frontis,
Et dignas Junone manus: ſic pulcra minores
Luna premit cœli ſtellas: ſic magna Deorum
Incedit Mater, rutilatque Aurora renaſcens.
Felices Animæ! dextras innectite dextris,
Pectora pectoribus: connectite labra labellis.
Oſcula poſcit Amor: toties quas fingis Amores
Nunc Sponſe exerce. fulgenti Jaſpide ſtratos
Inſtaurat thalamos Cypris, ſpargitque Roſarum
Nimbos, at nitido ſaliunt ſuper æthere Stellæ.
Vivite felices: ſimilem producite Prolem.
Naſcantur Phœbi, Muſæ, Charitesquæ decoræ
MORHOFIO ſimiles Patri; Matrique venuſtæ
MARGARIDI ſimiles: voto ſubſcribat Olympus.

ſcrib.

David van der Brügge,
Schol. Lub. Sub-Rect.

AD DOMINUM SPONSUM.

CErtabant variis inter convivia gryphis,
Arva palaſtini qui coluere Viri.
Sic ænigma ſuis olim exponebat amicis,
Allophylum fortes quem timuere manus.
Æmulor exemplum, quamvis rudiore Minerva,
Nodus &, ut ſolvas, Gordius eſto Tibi:

ORe meo geſtans ramum viridantis olivæ,
Placati felix Numinis augur eram.
Maxima ſalvifico mihi laus eſt parta lavacro,
Exhibet immenſum dum mea forma DEUM.

Si

Si quoque nunc Veteres fas est audire Poëtas,
Gentibus haud uno commate nota cluo.
Nam Dodonæas animavi gutture lauros,
Dicor & œbalii mobilis arte Senis.
Simplicitate probor, Paphiæ sum grata Dione,
Ex oculis decus est, ex nive forma mihi.
Si Memphim, aut Cypri delubrum Diva subiret,
Dicta fui roseo subdere colla jugo.
Me celebrat populus, rapidum qui potat Orontem,
Sum quoque vestifluis non inhonora Syris.
Felix quod monstro augurium, neque lætius ullum,
Augustis quondam Regibus omen erat.
Littore in Ausonio per me regione notata,
Accola Taygetæ grande struebat opus.
Quandoque occultas pedibus gestando tabellas,
Exolvi cives obsidione gravi.
Utilis est generi nostro tinnunculus hospes,
Qui sævos repulit sæpius accipitres.
Non temero lasciva torum, sum pignus amantûm,
Imperio casti pareo casta maris.
Neve est, quod timeam tristi divortia lite,
Cum pax in nostro regnet amœna toro.

Ergò age, Sponse, moras rumpas, exsolvito gryphum,
Solve age, namque Tuæ est dexteritatis opus.
Solve age, sic faveat grato Tibi Sponsa labello,
Atque columbinis rideat ex oculis.

Justus Tribbecho,
L. S. Collega.

Cum obitum Parentis lugeret MORHOFIUS, eumq; Wismaria efferret die 8. Aprilis, Anno 1675.

DOcte Vir, Aonii quondam Collega laboris,
Pectoris antiqui nunc quoque dimidium:
Olim oculis, dextra, ac animo junctissime toto,
Nunc autem sola mente ligate mihi.

Dividor; atq; veteris sunt sarta ligacula pacti:
Ecce adsum; quando Tu mihi dexter abes:
Audio; sim licet & terra semotus & undis,
Sit neque; qui teneras vellicet auriculas:
Cerno; licet medios inter se lumina ponant
Thyrigetum saltus, Hercyniumque nemus:
Tangor; ab amplexu quamvis disterminer omni:
Sentio; quod minus his sensibus objicitur.
Sentio mordaces intra tua pectora curâs:
Tangor; quando tuis ungvis in ulceribus.
Cerno tuos patrio pallentes funere vultus.
Audio, quos gemitus pectora rupta sonent.
Ecce adsum, fleo, comploro, tecum alter & idem,
Dumque is exequias, ipse ego busta sequor.
Hisce tamen liceat nunc ad Te vocibus uti;
Ut Mea, quæ Tua, sunt; sint quoque nostra Tua.
Eloquar, ut rumpas infausta silentia; vellam
Aurem; & sunt medicæ, quæ tetigere, manus.
Plorasti, satis est; & sunt modo justa soluta,
Absque modo justos plangere, crimen erit.
Plangere cœlicolas, mentem æternumque beatam,
Nil juvat & fine est res caritura suo.
Quem raptum defles, habet hunc DEUS Optimus, ille
Si rapuit, nostris fletibus eripuit.
Quem ploras obiisse, ipsis sublimior astris
Luceque formosa clarior exoritur.
Mortuum eum dicis? sed vivit, credito, vivit
Amplius, & sua post busta superstes agit.
Vixerat hoc ipso certe haud inglorius ævo,
Quando ambita ipsi gloria nulla fuit:
Vixerat, & patriæ multum florentibus annis
Serviit, hoc ipso nobilis officio:
Vixerat, & vitâ fuit omnibus utilis actâ,
Non ulli in vita quando molestus erat.
Vixerat, æternum & vivet, cui vita pudori
Non fuit, & cui nex non fuit ipsa neci.

Adamus Tribbechovius, S. Th. D.
Consil. Eccl. Saxo Gothan.

SCAZONTES.

DIvine Vates, dulce seculi nectar,
Ocelle, Lumen, & Decus Poëtarum,
MORHOFIANÆ gentis unicum Sidus,
Quot Choliambos illa protulit vena,
Quæ Castalin, Permessiasque Musarum
Undas, favosque planè Hymettios vincit?
Quot mella Tu mihi subinde misisti?
Quot ingenI ignes, quot videre thesauros,
Messes, & aureas opes dabas olim?
Nil tersius, sväviusque nil vidi,
Quàm tale si quod miseras manu pignus.

Suas in iras non Jambus ardere
Abs Te solebat, sed serenus omnino,
Et unus insidebat omnibus vultus,
Non leniùs, non cera molliùs flecti,
Tranquilliùsve flumen ire consvevit,
MORHOFII quàm leniter fluit Jambus.
Sed nos Jambis nænias damus nigras,
Minùsque blanda verba, præficas atras,
Funesta signa, funerumque præsaga.
Non reddimus vel integros, vel electos,
Succi nec, ut decebat, admodum plenos;
MORHOFIANOS nemo reddit heic Jambos,
Sed vultuosos, pallidos, & ægrotos.

Sic cogit & jubet Minerva me pingvis,
Hoc aridum pectus, senilis hoc langvor,
Jejuniorque quæ Tuâ est mihi vena;
Hoc tristis ille me jubet rogus, nec non
Quod ducimus, *Parentis Optimi*, funus.
Quis non Jambos flêret hîc magis claudos,
Quàm luderet? jacet Senex probus, vixit,
Vixit Sacerdos ille juris, ac cœlô
Sese recêpit, unde, & ante descendit.

Vicena eheu! post lustra penè mutavit
Coloniam, tribunal alterum quærens,
Optatius, beatius, pios inter,
Forum suum, inter mille cœlitum cives.
Is vixit, & vivit tamen, mori nescit,
Qui vixit in terris probè, piè, & sanctè,
Qui Spiritum deponit in DEI dextrâ.
Sed exprimit mortalibus dolor nobis
Lacrymas, genisque abire *grandævus*
Noster *Senex*, nec *Filio* potest siccis,
Nec omnibus bonis, mihi nec inprimis,
Qui pars senectæ magna, parsque sum luctûs.
Hinc est, mihi quòd sponte claudicat versus,
Exsucca gressu quòd vacillat infirmô
Mihi Poësis, atque luridô vultu;
Quòd *tot Senum Senex* videre compellar
Funesta fata, quòd superstes externos
Sic computare cogar, haud meos, annos.

Ast, calculum si pono rectiùs nostrum,
Recolligamus nos, *Amice* MORHOFI;
Nil nos juvare fletus hic potest noster,
Nihil Parentes hæc morantur, aut reddunt.
Quid est, diu Tibi madere quòd vultus
Videmus, & quòd unicè *Senem* quæris?
Wismariensis quòd Senatus in pullâ
Jam tanti Amici lugeat togâ Funus?
Kilonium quòd omne crinibus passis
Adstet, Tibique quòd *Lycéa* permulta
Ad fata complorata Patris occurrant?
Quin desinamus ista flere, quin pacem
Precemur ossibus *Parentis*, & terram
Levem, rosasque; sic *Vale, Vale!* dicas.

Nunc, mi MORHOFI, plurimùm mihi *Salve*,
Quòd Ille Summus Arbiter DEUS rerum,
Adeò secundis luctuosa mutarit
Tibi fata nuper: euge! ter, quater Salve,
Foribus coronas, verna serta suspende;

Jam

Jam Genitor audis quippe masculæ Prolis,
Jam ridet illa sic Parentibus blandùm,
Rident Parentes; Pusio Tibi pulcher,
Tenerque vagit, inter ulnulas Matris
Castæ brevi collusitabit, in Patris
Charique gestiet sinu modis miris.
Reseminavit sic *Pater* Tuus sese,
Phœnicis instar, in *Nepote* adhuc vivit,
Avus Paterq; nonne gaudii læta, &
Pro lacrymis seges sat amplâ succrevit?

In medio luctûs & gaudii positus f.
Paulus P. F. Sperling/ SS. Theol. D.
& Prof. Ordinarius,
Præpositus per Holsatiam Ducalem.

Cum eodem die, scil. 8. Aprilis, 1675.
Quo Patri exsequias ibat MORHOFIUS,
Filius ipsi primus nasceretur.

DUm Patrem decoras fletu, VIR MAXIME, flentem
Filiolus Patrem natus ovare jubet.
Gaudia sic fletus inter nascuntur obortos;
Explicat ut nimbos inter Apollo comas.
Cura benigna DEI reparat dispendia, gentem
MORHOFIAM servat cura benigna DEI.
Obstupuit Natura Parens miracula rerum,
Phœnices postquam vidit adesse duos:
Obstupuit Pindi geminos ut vertice Soles
Conspexit Saltus luce beare novâ.
Ast Heliconiades cinctæ Parnasside laurô
Corde serenatô jubila læta sonant.
Infantis saliunt circum Cunabula Musæ;
Lætantur pariter tresque novemque Deæ.
Dant Cunis Violas, dant Lilia pura Napææ;
Dat puero Tellus dædala veris opes.
Strata Rosis Nardoque micant, gemmantia strata,
Molliter ut Parvi membra tenella cubent.

Sic

Sic Puer Ascanius Roseam sublatus in Idam
Floribus adspersus membra sopore levat:
Sic Veneris recubat gremio Charissima Proles,
Et capiens somnos basia mille capit,
Fortunate Puer! præsentibus edite Divis,
Edite felici sidere, magne Puer,
Lætantes inter Charites, Pindique triumfos
Nasceris, Aonidum Gemma, venuste Puer.
Te Gemmam peperit Mater pulcherrima, GEMMIS
Pulcrior Eois MARGARIS, ore Deæ.
Salve Cura DEÛM! nova Lux, nova Gloria Secli,
Te certant studiis demeruisse Deæ.
Lac præbet PIETAS; Natum CHARIS ipsa salubri
Lactentem pascit Nectare & Ambrosiâ:
Sancta suos animos generosa in pectora PALLAS,
Inspirat mentem Diva THEMISTA suam.
Ipse Pater Vatum caput ad cunabula flectens
Delibat manibus, sic dat & ore sonos:
Huc, huc Pierides; hic sunt Compendia Divûm:
Fronte sub hac tenerâ Numina cuncta latent.
Hoc est MORHOFII Germen venerabile Vatis;
Æquabit Vatem nemo, vel iste Puer.
Insita Vis niveô resplendet in ore Puelli;
Lumina pro! quantum Numinis instar habens.
Sic fatur: simul & formosis serta Capillis
Aptat, & hos iterum fundit ab ore sonos:
Te colimus, divine Puer, submittimus ultro
Palladios fasces Sceptraque Nosque Tibi.
Te venerabuntur Divæ, summique Dynastæ:
Divisum Imperium cum Genitore cape.
Nascere, noster Amor, Divûm Decus atque Voluptas,
Par Soboles Patri, nascere noster Amor.
Aurea divini relegens vestigia Patris
Pande Puer, quicquid Roma vel Hellas habet.
Patris ad exemplum Cicerones atque Marones
Exsupera, Summos exsuperaque Deos!

fir.
David van der Brügge.

PRO-

PROGRAMMA,

Quo

PRO-RECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ KILONIENSIS
ad cohonestandas frequentiâ suâ exequias,
quas
Nobilissimæ omnibusq́; sui sexûs Virtutibus ornatissimæ

MARGARETÆ MORHOFIÆ;
NATÆ à DEGING,
Conjugi suæ desideratissimæ,
VIDUUS MOESTISSIMUS,
VIR Nobilissimus, Amplissimus & Consultissimus,
DN. DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS, J.U.D.
Eloquentiæ ac Historiarum Professor Celeberrimus,
Hodie, die 12. Junii, Anno 1687. horis consvetis paratas cupit,
CIVES ACADEMICOS
officiosè ac peramanter invitat.

* * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * *

PRO-RECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ KILONIENSIS
CIVIBUS SUIS
S. P. D.

EFfertur hodie, Cives Academici, ipso Solstitii die, Nobilissimæ honoratissimæque Matronæ funus, quæ in ipso ætatis suæ solstitio immaturo luctuosoque fato extincta est. Cujus exequias, cum ob eximias piè defunctæ virtutes, ob honorem, quem nos optimo Collegæ, Vos Doctori præstantissimo debetis, quàm ornatissimas cupiamus; Vos ut frequenti cohonestare præsentiâ velitis, pro more veteri publica hac oratione invitamus, & simul amplissimum pietatis magnarumque virtutum theatrum in ejus elogio Vobis ob oculos ponemus. Quandoquidem verò optimum illud monumentum est, quod sibi quis ipse bonâ vitâ piisque moribus statuit, omnium compendiosissima ad laudem piè defunctæ via est, si in vitam ejus velut in speculum intueamur. Non *illam quæsiveris extra*, non ab assentatorum vanis logis quicquam illi pretii accedet. Satis in se virtutum habuit,

habuit, quibus se bonorum hominum memoriæ, cum viveret, commendaret, ut illud Procopii Sophistæ Muselium laudaturi summum elogium instar omnium esse videatur; μόνην τὴν σιωπὴν ἀρκεῖν πρὸς ἔπαινον, *solum ad laudem sufficere silentium.* Etiam hic valet illa Attici eloquentia, quæ in tacendo consistit, quamque summus eloquentiæ magister Tullius prædicare solebat. Publicæ hic omnium voces, etiam nobis non dicentibus, ejus laudes decantant. Quare supersedere hoc officio poteramus, nisi more publico, & Matris, Mariti, liberorumque votis ac solatio quicquam hîc indulgendum esset. Ordiemur illam vitæ ejus telam, unde ipsa vita orditur, Parentibus scil. & majoribus. Ex optima stirpe non degeneres provenire fructus solent. Primùm, si vel ipsum gentilitium nomen videamus, nihil nisi virtutem bonosque mores polliceri videtur. Antiquis enim Saxonibus, unde hujus nostræ Majores oriundi, *Theginorum* vel *Deginorum* commune virorum fortium, Equitum ac virtute præditorum nomen fuit, ut optimè norunt, qui veterum ejus gentis Heroum historiam rhythmis antiquis Germanis scriptam legerunt. Antiquissima ac nobilissima *Deginorum* vel *Degingorum* jam ab aliquot seculis apud Westphalos familia fuit, ac fuere in illa viri pacis bellique artibus insignes, quos hîc enumerare nihil attinet. Primum hîc nominabimus Avum Paternum HERMANNUM à DEGING, Equitum Tribunum, & Tremoniæ urbis Imperialis liberæ, olim Consulem, in quem Augustissimus Imperator gloriosissimæ memoriæ, Ferdinandus III. nobilitatis insignia, ob singularia ejus majorumque, ut verba Diplomatis habent, erga se Antecessoresque suos merita contulit, vel potiùs veterem illam restauravit: ac supersunt hodièque in illa gente cognati, qui pleno nobilitatis jure fruuntur fundosque illîc & prædia possident. CASPARUS à DEGING, Hermanni Filius, Nostræ Parens, Lubecam concessit, cumque ad vitæ civilis otia magis propenderet, ad mercaturam animum applicuit, quam non cœcâ, ut multi, fortunâ, sed singulari perspicacitate exercuit, Vir animi sedati, antiquis planè moribus, ab omni fraude doloque remotus. Qui postea in Senatum cooptatus ita se in amplissimo hoc munere gessit, ut desiderium omnibus morte sua reliquerit. Tantum verò abfuit, ut illo honore janctantiùs se efferret, aut aliquam à nobilitate gloriolam affectaverit, ut potiùs dissimularit, bonamque mentem inter optima insignia semper numeraverit. In uxorem duxit MARGARETAM, JOACHIMI MIDDENDORPII, Civis ac Mercatoris Lubecensis filiam. Florebat ille Vir opibus, quas DEUS ipsi larga manu concesserat: sed

quod

quod in singulare exemplum commemorari hîc debet, optimeque ejus urbis cives norunt, sua etiam DEO hinc donaria obtulit: nam domus ejus pauperum & afflictorum quasi asylum quoddam fuit, quibus ille nummis, auxiliô, consiliô & quibus potuit officiis promptissimô animô semper subvenit. Filia verò, piæ defunctæ Mater, sincerâ pietate honestissimisque moribus singulare sexûs sui exemplum semper ostendit. His nata parentibus Nostra MARGARETA à DEGING (fuit autem ejus dies natalis XXIV. Novembris, Anno clↄ Iↄc XLIX.) cum, præter igniculos menti ab ortu ipso insitos, assidua parentum, matris præcipuè, curâ & educatione ad bonos mores, pietatem cæterasque virtutes, quibus sexus ille ornatur maximè, formaretur, in amorem sui pellexit DANIELEM GEORGIUM MORHOFIUM, hujus Academiæ Professorem Celeberrimum, Collegam nostrum honoratissimum, qui illam sibi matrimoniô junxit, nuptiasque cum illa Lubecæ Annô 1671. die 23. Octobris celebravit. Magnum ille sibi rebusque suis præsidium in hoc conjugio, magnum Divinæ Gratiæ beneficium etiamnum agnoscit, quo cum nunc excidit, ejus magnitudinem vel è jactura metitur. Habuit ille piam, castam, gravibus, sed svavitate quadam temperatis, moribus uxorem, non ad delicias seculi natam, sed quæ domum custodiret, rem familiarem curaret, mariti utilitatibus prospiceret, optimæque & omnibus numeris absolutæ Matrisfamilias partes tueretur. Prudentiam illa & constantiam plus quàm muliebrem variis in casibus ostendit. Erat adversus egenos benefica, neminemque temere à se tristem dimittebat: tenuioris præsertim fortunæ homines, quibus in morbis aliisque vitæ necessitatibus, etiam cum suo incommodo, consilio auxilioque sæpè fuit: cumque consultum illis sua ope videret, pia tacitaque voluptate animus ejus perfundebatur. Pompam omnem & apparatum odiô prosequebatur maximè: cumque moribus seculi interdum quid indulgendum fuit, tardior illa ac invita eò processit. Pietatem seriò profitebatur, non in summis labris natantem, sed in pectore ipso habitantem: nam in angulum aliquem domûs secedens, remotô omni arbitrô preces suas fundebat, fortè ne qua ὑποκρίσεως suspicio oboriretur; adeò ab omni affectatione in sacro etiam cultu aliena fuit. Liberis ad pietatem bonosque mores, ad lucernam illam DOMINI, faces prætulit, nunquam, quod familiare matribus vitium esse solet, indulgentia & lenitate peccans: ut in illos rigidior interdum sibi ipsi visa sit. Quatuor enim filios è matrimonio hoc suscepit, bonæ omnes indolis, commodis moribus, nec in-

infelici, quantum ætas illa & permittit & promittit, ingeniô, è quibus tres superstites, CASPARUS DANIEL, FRIDERICUS & ERICUS GEORGIUS: nam GEORGIUS MARQUARDUS, qui secundô locô natus, bellus elegansque puer, completô nondum tertiô ætatis annô, decessit. In hoc svavissimo felicissimoque consortio propemodum decem & sex annos exegit, quæ in mariti domum magna ejus felicitatis pars venit. Ominabatur hanc illi felicitatem præcipui in hac provincia nominis Theologus, qui cùm avum ejus maternum Middendorpium, matremque olim noverat, ultrò gratulatorias ad novum tum maritum misit, quarum hoc argumentum fuit: non posse infeliciter contrahi cum illa matrimonium, quæ ex Middendorpii, piissimi Viri, propagine in thalamum mariti veniret; adfuturum illi conjugio singulari suâ gratiâ DEUM, certissimum veræ sinceræque pietatis remuneratorem. Hærent illa in animo Vidui æternumque hærebunt, neque unquam divini beneficii obliterabitur memoria. Nunc ad illam optimæ vitæ, Marito quidem meritò liberisque luctuosam, sed felicissimam profectò, qualem piæ sibi optare mentes velint, catastrophen accedemus. Ex quo tempore se illa gravidam sensit solitoque pejus habere cœpit, statim illi animus extrema quævis præsagiit. Præludebat illi memorabile somnium: nam à marito, cui capitis supplicium decretum erat, divelli sibi videbatur, assistente ac consolationibus suis animum erigente Viro illo Reverendo, qui nunc sub ejus è vita excessum hoc extremum illi pietatis officium præstitit. Ac fuit hoc capitale Marito supplicium, cum carissima Uxor, quam caput familiæ vocare JCti solent, ex illius amplexibus excussa, cum pectus ejus dolorum telis acutissimis confoditur, & cor ipsius è pectore evelli videtur. Mensis est, cum iter Lubecense vehementius urgeret, ut ad Matrem cognatosque inviseret, cum sibi ultimum hoc fore iter auguraretur. Obtemperatum illi est. Verùm à reditu inclinari sensim in deterius valetudo cœpit. Nam XXII. Maji, ipso TRINITATIS festo, cum ex æde sacra domum circa meridiem rediret, queri de doloribus dorsi cœpit. Hora VIII. vespertinâ febris illam ardentissima aggressa est, quæ sine intervallo ad 24. horas duravit. Dolores dorsi per inunctionem quidem sedati, verùm nullus somno & quieti locus relictus fuit. Supervenerat tertio hinc die abortus, quo in lucem editus est fœminini sexus infans, vivus ille quidem, & qui, si absque morbo fuisset, servari fortè potuisset: verùm imbecillitas fœtûs obstitit, qui baptismi lavacro à Patre, cum necessitas hoc imperaret, Christianis sacris initiatus est, & horâ à partu quar-

quartâ excedens ſolem neque orientem neque occidentem vidit. Perculit ille obitus ægrotæ animum, etſi quàm maximè dolorem diſsimularet. Exivit tertius dies & quarta jam nox inter flebiles illas vigilias trahebatùr, fruſtrà adhibitis remediis, cum illa die inſequente, XXVI. ſcilicet Maji, Maritum ad ſe vocans, triſtiſsimis vocibus eum ita compellaret: Sentio ad finem ſpectare omnia, & in cœleſtem patriam me à DEO evocandam. Itaque gratias tibi pro amore conjugali ago, ac liberorum noſtrorum ſalutem Divinæ primùm gratiæ ac deinde tuæ curæ commendo. Ac quoniam paroxyſmum quendam, qui mentis uſu privare poſsit, metuo, ut primo quoque tempore ſacrô inſtruar viatico, omnem, ſi me amas, operam impende. Maritus hìc quaſi fulmine proſtratus, cum obteſtaretur, ne ſibi graviorem ſuſpicionibus morbum faceret: non defuturum precibus ſuis DEUM, qui priſtinæ illam ſanitati reſtitueret: Illa perſiſtebat tamen in ſententia, ſe jam ea de re monitam dictitans. Quare advocato primario hujus urbis Paſtore, Viro plurimùm Reverendo DN. M. JOACHIMO GISENIO, confesſionem ſuam clara voce edidit, animæque cibo & multis ab illo conſolationibus confirmata totam ſe DEO permiſit. Nam ad preces ſermonesque ſacros ſe convertens adſtantes rogavit, ut ſe in pietatis officio juvarent. Elata ergò voce preces, quaſi in exceſſu quodam mentis poſita, ipſa pronunciavit, quas præibant, qui circa lectum ſupplices procumbebant. Sorori quoque ſuæ chariſsimæ, quæ Honoratiſsimo Collegæ noſtro DN. D. HELDBERGIO matrimoniô juncta eſt, liberos ſuos magna ſollicitudine commendavit. Superveniebat illi poſtea quaſi ſenſuum quidam ſtupor, unde ægrè refocillata circumſtantes & Matrem, eo ipſo momento Lubecâ advenientem, vix agnoſcebat. Subſecuta hinc quædam emotio mentis eſt, qua ſibi in caliginoſo loco inter larvatos verſari videbatur, totaque illa nocte ad quinti diei meridiem duravit: ſed tamen poſt unius alteriusque horulæ turbulentum ac interruptum ſomnum ad ſe redire viſa eſt. Ubi illud memorabile accidit, quòd verborum, quæ, durante illo delirio, proferebat, accuratam retinuit memoriam, quorum veniam à ſingulis, quos offendiſſe ſibi viſa erat, rogavit. Meliuſculè tùm habere cœpit, jamque diebus criticis exactis omnes animum recipiebant. Ipſa quoque meliora, quanquam timidiusculè, ſperare videbatur. Quam illi ſpem confirmabat in mentis illo exceſſu objecta ſpecies, de qua ipſa hæc poſtea narravit: Verſari ſibi in tenebroſo carcere, inter oſſeos ac pulverulentos homines, viſa eſt, in cujus pariete per exiguum quaſi vitrum, in vaſtiſsimum candidiſ-

ſimæ lucis ſpatium, cui Æternitatis nomen, proſpicere potuerit. Ubi DEUM in nube aliqua ſedentem conſpicata, de vitâ ſibi ſervanda ſupplex rogaverit: quod cum & alii circumſtantes fecerint, ut verè tùm factum fuit; vidiſſe ſe narrabat eorum preces, columbarum inſtar, cum ſtrepitu aliquo in aërem ſe tollentium, cœlô receptas, vocemque inde remiſſam: VIVES. Quam cum terrenam aliqui interpretarentur vitam; æternam eſſe intelligendam docuit eventus, & alterum illud, quod pridiè ante beatam mortem habuit ſomnium, declaravit. In paradiſo enim ſe fuiſſe ſomniaverat & varia illic ſe vidiſſe narrabat, quæ verbis jam titubantibus exprimere non poterat. Cum virium hinc dejectio notabilis ſequeretur, pituita quædam craſſior obſidere lingvam faucesque cœpit, quæ primùm neglectiùs habita, liquore per ſiphonem immiſſo poſtea eluebatur, ſed exiguo ſucceſſu: cum pituitæ copia omnem operam eluderet, & virium imbecillitas per dies imò per horas incrementum capiens, levi interdum ſpeculâ per intervallum injectâ, conatum excernendi intercluderet. Aderat jam frigidus glutinoſusque ſudor mortis prodromus, & V. Junii die, eâ Dominicâ, qua in Eccleſia de hominum ad magnam cœnam vocatione agitur, ipſa quoque evocata eſt. Non deſtituit illam in extremo etiam agone mens. Nam ad verba, quibus verbi divini præco tùm præſens illam appellabat, vel labra movit, vel capite annuit: ac tandem inter adſtantium lacrymas & preces præclaram illam DEOque dilectam animam annô ætatis trigeſimô & octavô efflavit. Æternùm benè ſit animæ candidæ! quæ nulli unquam, dum vixit, gravis fuit. Illa jam in poſſesſionem bonorum cœleſtium miſſa eſt à Salvatore ſuo, quæ pro totius generis humani ſalute ille moriturus exoraverat. Hujus illa inauguralibus precibus, quæ apud Johannem Cap. XVII. leguntur, ex inexhauſto amoris divini oceano derivatis, adeò delectabatur viva, ut ſibi ex illis verbis: *Pater, volo, quos mihi dediſti, mecum ſint, videantq; gloriam illam, quam mihi dediſti:* ſermonem funebrem ipſa aliquando optaverit. Videt illa nunc gloriam, vivit cum Salvatore ſuo atque æternos in civitate DEI triumphos agit. Viduus mœſtisſimus, qui mortem ejus nunc inconſolabiliter luget, dictum ſibi putet illud, quo S. Ambroſius ſuper obitu fratris animum erigebat, quod levi immutatione ad illum applicabimus: *Ingratus divinitati eſſe non potes. Lætandum enim eſt magis quod talem conjugem habueris, quam dolendum, quòd conjugem amiſeris. Illud enim munus, hoc debitum eſt. Ita perfunctus es, quamdiu licuit, commiſſo tibi fœnore. Qui depoſuit pignus, recepit, nihil intereſt, utrum abjures depoſitum, an doleas re-*

ſtitu-

ſtitutum. Quæ illi ſuperſtes eſt Mater, Mariti, duorum filiorum, nuruum, nepotum funeribus jamdudum obdurata & in hoc patientiæ gymnaſio exercita facilè è divinis fontibus, quos domi habet, qua eſt pietate, exſuccam tot mœroribus animam refocillabit. Filios, cognatos ſuô ſolatiô Spiritus ille Paracletus confirmet: & illis quidem præcipuum in Patre & Avia præſidium ſervet. Ejus quod reliqvum eſt, hodiè horâ II. efferetur. Veſtrum eſt, Cives optimi, ultimum illi perſolvere officium. Si Ægyptii olim, Diodoro Siculo teſte, impenſiùs honorarunt, quos ex parentibus & familiaribus ad æternam habitationem translatos crediderunt: quantò rectiùs nos honore proſequemur, quos longè certior ſalutis vitæque æternæ ſpes ad beatarum mentiûm ſedem transtulit. Quare ut frequenti exequias præſentiâ ornare velitis, Vos rogamus. Solabuntur illa humanitatis officia proſtratum Vidui mœſtisſimi animum. Ipſa denique pietas &, quam Doctori veſtro debetis, obſervantia hoc efflagitare videntur. Valete. P. P. Kiloni d. 12. Junii, Annô MDCLXXXVII.

CARMINA FUNEBRIA.

SIt modus in lachrymis, ſit certus denique finis.
Nam lugere mariti eſt, & frænare dolorem,
Officium ſcis eſſe tuum, mors æquè tabernas
Regaleſque quatit turres, nec vis humana reſiſtet.
Sic benè, ſic vixit, nulli virtute ſecunda
Digna eſt exequiis, & ſummo laudis honore,
Nunc tumulus tegit oſſa, die reddenda ſupremo.
Mens capit æternæ cœleſtia gaudia vitæ.
Colloquio & ſuperûm fruitur felicior aula.
Horum ut participes CHRISTI nos gratia reddat,
Quilibet asſiduis veneretur Numina votis.

Matronæ Beatisſimæ ultimi honoris ergò ſcribebat

Bernhardus Schultz/ J. C. Pro-Cancell. & Anteceſſor Primarius.

ESt magnum, benè naſci: eſt majus, nubere fauſte:
Aſt rectè moriens omnia puncta tulit.
Ter felix igitur MORHOFIA. Nobili in urbe
Ac perhonorifica naſcitur illa domo.

Nupſit

Nupſit & ipſa Viro, toto qui claruit orbe;
Conjugiumque illud non niſi ſvave fuit.
Tandem etiam vitam finit feliciter. Et ſic
Omnia nunc bona ſunt, clauſula quando bona.

Quæ ſanctè vixit, ſanctius obiit, Matronæ nobiliſsimæ ſupremo honori ſcrib. L. M. Q. largisſimum ſimul à Cœlo ſolatium Dn. Viduo, liberisq; ſuperſtitibus & cognatis mæſtisſimis ex animo precatus,

Chriſtianus Kortholt / D.

Ad Mæſtisſimum DN. VIDUUM, Collegam conjunctisſimum.

MORHOFI, Aonidum Decus immortale Sororum,
Quem Vatem egregium Pieris ipſa colit,
Carmina Pegaſeo Phocis cui perpluit imbre,
Ac Aganippæo nectare Penna fluit.
Cui Pandionios aperit Doctrina Receſſus,
Et Latii oſtentat nobilioris Opes.
Maſcula cui Lingvam Veterum Facundia fingit,
Dicentis quoties Pulpita voce ſonant.
Eloquioque potens, docta applaudente Corona,
Alter ut Arpinas, verba diſerta facis.
Teutonius quem jure ſuum Polyhiſtora Phœbus
Prædicat, ac Civem gaudet habere Foſus.
Quem Gallus, Batavusque colunt, doctusque Britannus,
Cantaber, Oenotrium & qui tenet hoſpes agrum.
Quæ Tibi lugenti Sociam ſolatia ſcribam?
Quidve querar Thalami vincula rupta Tui?
Pharmaca quæ ſævo depromam digna dolore?
Quæ dabitur tanto par medicina malo?
Jure quidem rapta graviter pro conjuge plangis,
Et ſeſe lachrymis egerit iſte dolor.
Cara Tibi Conjux obiit, præ millibus unam,
Virginei Sexus, quam Tibi junxit Eros.
Filiolam hæc, Mater, peperit, Junone ſecundâ,
Sed quam mox rapiunt aſpera Fata Tibi.
Forſitan hunc unum potuiſti ferre dolorem,
Et fuit hæc luctus portio parva tui.

Aſt

Aſt ubi ferales repetit truculentior ictus,
Et Sociam Lecti Mors quoque ſæva rapit,
Triſtior hinc plenos lacrymarum effundere rivos
Incipis, ac totum Te dolor altus habet.
Arria quæ Sponſo, Soboli Cornelia vixit,
Queis, Conjux, Mater, blanda, benigna, fuit.
Quam non una Domus, ſed Kilia tota peremptam
Deflet, & hanc vellet non periiſſe ſibi.
Hæc luctus menſura Tui eſt, hinc flumina mœſto
Ora rigant, finem nec Dolor iſte capit.
Quid facies, *Vir Amice!* DEO num bella movebis?
Qui Tibi dilectam major Amator habet.
Quid juvat incaſſum voces opponere Cœlo?
Sidera quid prodeſt poſcere Vindicias?
Eurydicen (verum nobis ſi Carmina dicunt)
Scribitur in vitam Vir revocaſſe chely.
Dum rigidos planctu Manes, & Tartara mulcet,
Et Jovis inferni limina triſtis adit.
At Tibi nec Muſæ quicquam, nec Carmina proſunt,
Nec Cyrrha in luctus officioſa Tuos.
Qui toties aliis dulcisſima Carmina pangis,
Laurigeri Præſes quæ ſtupet ipſe Chori.
Ipſi nunc Tibimet perierunt Carmina Vati,
Et cupit infelix tangere plectra manus.
Non datur è Cœlo reditus, neque MARGARIS ipſa
Quâ rogites etiam Voce, redire volet.
Ne repete in thalamum, quam nunc ſibi vindicat Æther,
Facta DEI eſt; jam non amplius Illa Tua eſt.
Nec Tibi mancupio, ſolo ſed contigit uſu.
Ergò tuum eſt, ultrò *reddere Depoſitum*.
Vox ea communis Populorum Juris ubique eſt;
Alterius quod ſit, redditò, ſi quid habes.
MARGARITE non tota Tua eſt, pars illius una eſt,
Altera pars CHRISTI eſt; Tertia ſola tua eſt.
Quid caſu hoc facies? noli pugnare duobus;
MARGARITE *CHRISTO nam ſua jura dedit.*
Quam bellè cecidit noſtræ Sors iſta beatæ!
Cœlitibus junctam quam modo Sponſus amat.

Hæc Tibi mœrenti tristis solamina scribo,
Quæ mihi, qui tecum est, suppeditavit amor.
Quæ desunt, Tua Te Pietas, Tempusque docebunt.
Majorem hoc luctu Te decet esse Virum.

Doloris haud exigui monumentum
scripsit

Nicolaus Martini, JCtus

QVis teneat lachrymas, aut tali in funere luctum
Suspendat repetens, quàm nunc privemur amando
De Cœlis donô, dum sic MORHOFIA pallet?
Namque hujus certè laudum primordia quærens
Hæsito, cum video tot in unô corpore dona,
Quæ secum certant, & quævis prima videntur.
Hinc recti mores, & honestæ gratia formæ:
Hinc pudor & sacri veneratio maxima lecti:
Inde decens probitas miserosque in dextera larga:
Inque DEUM pietas constans, charosque parentes,
Pignoraque & fratres junctasque stirpe sorores.
Singula quî memorem? brevibus comprendere oportet:
FOEMINEI PERIIT SPECULUM MEMORABILE SEXUS.

*Supremi honoris ac doloris contestandi
causâ scrib.*

Henricus Opitius, Prof. Publ.
& Fac. Phil. h. t. Decanus.

Ad beatè Defunctam.

ERgò etiam, quam nunc extremùm hic alloquor, eheu!
Tu nos atque Tuum deseris atque Tuos!
Sic mundo, nobis sic omnibus, Optima, dicis
Præpropera extremum morte perempta vale!
Nempe fuit dudum hæc votorum summa Tuorum,
Hoc Tua Te docuit relligio & pietas:
Ex misera hac vita migrare vocante JEHOVA,
Et promptè mundi linquere delitias:

Cum

Cum CHRISTO in cœlo meliores quærere ſedes,
Et pura ritè vivere mente DEO.
Ergò, quem pura minimè jam triſtis adoras
Mente, Tuo & noſtro vive beata DEO,
Vive DEO, cujus frueris ſanctisſima vultu,
Vive; nec invideo, vive beata DEO.
Interea noſtris Tua fixa hærebit imago
Pectoribus, dum nos ſpiritus intus alet.
Lugebit virtus, pietas, candorque fidesque:
Dicam uno verbo; flent Tua buſta boni.
Ergò vale, nobis longè felicior, atque
Vive Tuo CHRISTO, vive DEO, atque vale.

mæſtus ſcrib.

Georgius Erneſtus Heldberg/ D.
beatè Defunctæ Affinis.

SIſte Tuas, quæſo, lacrymas, dilecte MORHOFI!
Nil etenim lacrymis aſtra ciere juvat.
Eſt abrepta Tibi fatorum lege Marita,
Altera pars animæ, deliciumque tuum.
Sed nihil injuſti Tibi contigit: Ætheris uxor
Dos fuit, & tantum pignore capta Tibi.
Nam pia quæ ſemper vixit, ſpiravit & aſtra,
In cœlis etiam debet habere locum.
Illic participat dulcisſima gaudia vitæ
Perpetuæ: lacrymas ſiſte, Marite, Tuas!

J. L. Hanneman, M. D.
Phyſices Prof. Ordin.

SIccine pulchrarum pia gloria Matronarum
Ante diem triſti funere merſa jaces!
Siccine Te frigidæ rapit inclementia mortis,
Æthereæque animæ plurima dona Tuæ!
Te pietas cœlo, probitas mortalibus ægris,
Summa Viro charam reddideratque fides.

Te miseris gratam laudabat quisque Patronam,
Splendor eras Sexus, Stemmatis atque Tui.
Hinc luget Pietas, luget rarissima Virtus,
Cùm Sobole & Conjux conqueritur miserè:
Lugent cognati, luget quoque Patria tellus,
Auxilioque omnes quot caruere Tuo.
Nec viridi doctæ ludunt Helicone Sorores.
Deposuitque dolens magnus Apollo chelyn.
Et Tua non modicum faciunt mihi funera luctum,
Funera, quæ meritò lacryma nostra rigat.
Sed quid lugubri fatalia funera versu,
Quid juvat & summum sollicitare DEUM?
Nil prodest mœsto suffundere lumina fletu,
Ægrotæ longùm Mors adeunda fuit.
Illa quidem sors, dura Tibi sobolique svavi,
Dum placuit cœlo, non trepidante tamen.
Mors quæ felici perduxit ad otia vitæ.
Illam, una in cunctis sit Medicina malis.
Cùm Tua nunc vivat meliori parte superstes
Conjux, læta DEUM cantat in arce poli.
Fine suo fruitur summo Mens insita Cœlo,
Gaudia ubi finem non habitura videt.

Testanda συμπαθείας ergò scribere voluit, debuit
M. Johannes Georgius Wasmuth/
Homil. Prof. P.

HEi mihi! quis rumor stupefactas vulnerat aures?
Quæ pectus lacerat tristissima Vox: *FUIT* illa,
MARGARIS illa *FUIT*, pulcherrimus *UNIO* Matrum:
MARGARIS exemplum sanctæ venerabile vitæ;
MARGARIS illustris Conjux generosa *MORHOFI*
Genua labant, fateor; gelidos stupor occupat artus
Nec sum, qui fueram. *FUIT*: ô lacrimabile verbum!
Jam mihi displiceo, jucundi tempora Veris
Injucunda mihi; nostris nec amabile quicquam
Occurrit Silvis. Rivique Hortique valete,

Hor-

Hortorumque decus, pulcerrima Sidera *FLORES:*
Nam *ROSA* rosa Nuruûm cecidit, Charitumque Voluptas.
O quam discrutior! quoties hæc verba voluto:
MARGARIS, heu! *VIXIT*, quando *TE*, *Gloria* Secli,
In lacrumas abiisse noto, caræque Creusæ
Fletibus assiduis mœstissima fata rigare.
Nil nisi flere libet! mea lumina flumina fiunt:
Obruimur fletu nimio. Divine Poëta,
Dulce Decus Pindi, rerum Tutela mearum,
Desine, quid crucias Vatem, fidumque Clientem?
Erige *TE:* redeant exstinctæ in pectore vires.
Mens invicta malis, veluti Marpesia cautes,
Oceanum reprimat, cœlesti robore fulta,
Ne cor edas lacerum. Tua funera, nobilis Heros,
Funera nostra puto. Salvum vis esse Clientem,
Magne *Patrone*, tuum serva melioribus horis
Transfossum pectus: sævo ne cede dolori,
Aut *moriar* tecum; vitæ sic lumine cassus
Triste *CADAVER* ero — — — —

Davidis van der Brügge,
Lycéi Lubec. Sub-Rect.
& Bibliothec.

LACRYMÆ MARITI IN FUNERE *DULCISSIMÆ CONJUGIS* MARGARETÆ MORHOFIÆ.

DUlcis Marita, dulce nomen, ô meum
Tuæque gentis, & Tuæ prolis decus,
Meumne vero? fallor, heu quondam meum:
Sed nunc meum, sed unicum, sed postumum,
Mihi superstes ipsi & æternum decus!
Quô nunc abisti? quo recedis lux mea?
Quæ nox ocellis, ô Bona, incubat Tuis?
Quis ille vultus luror occupat Tuos?

Vultus pudicos, vividos, amabiles.
Quis ille membra ferreus tendit rigor,
Amplexibusque ſaxeam rapit meis?
Quis obdit ille peſſulum lingvæ ſtupor?
Ten' ejulatibus laceſſam ac næniis,
Dulcis Marita? nulla vox mihi redit,
Surdasque vanus cædit auras ſpiritus,
Hæretque in ipſis vox inanis faucibus.
An inter umbras additus comes Tuis
Vagabor? exorare quis Manes queat?
An è ſupernis Te reducam ſedibus?
Non tanta vis eſt Carminum, nec Tu velis.
Ergò querelis ipſe ſuccumbam meis.
Juvat perire. Me meus paſcat dolor.
Dolere pulchrum eſt. Id meas ſolabitur,
Et unicè curas meas ſolabitur.
Has inter anxii effluant mihi dies,
In his ſeneſcam, (ſi ſeneſco) luctibus,
Mortesque lentæ funeri excubent meo.
Me dulcis oblectabit interim Tui
Vultus imago: in his medullis, hoc meo
Condetur illa pectoris ſacrario:
In hoc ſepulchro vivet illa: ſic mihi
Moriendo vivam mente ſuffultus Tuâ.
Vivent Amores, nulla quos delet dies,
Novisque ſeſe nutrient doloribus.
Vivent dolores, nulla quos delet dies,
Suisque ſeſe nutrient Amoribus.
Venient amoris hinc & in partem mei
Hîc quæ Tui meique ſunt imagines,
Illa illa lecti conjugalis pignora.
Hæc intuebor: illa me jungent Tibi:
Jungemur omnes uno amoris vinculo,
Jungente, qui nos ſolvit & junget, DEO:
Mea ſic futura es, ſic ero totus tuus,
Dulcis Marita, dulce nomen, ô meum
Tuæque gentis, & Tuæ prolis decus.

VIRO

VIRO
DE REPUBLICA LITERARIA OPTIME MERITO,
AC POLYHISTORI INCLYTO,
DN. DANIELI GEORGIO MORHOFIO,
MAGNO APOLLINI SUO,
Post gravem morbum, LUBEÇAM ipsis Nonis Quintil. M. DC. XC. feliciter ingresso, & de recuperatâ prosperiori valetudine. & de optatissimo in urbem nostram ingressu gratulans, perennem omnis generis prosperitatem precabatur
MICHAEL Freud/ Lycéi Lub. Sub-Rect.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS,
Per Anagramma:
SOL, VIGOR IGNEE, OH DA FIRMUS!

ERgò MEUS VIVIT MORHOFIUS ILLE? Suorum
Grande decus, Pindi præsidiumque sui.
ILLE MEUS VIVIT MORHOFIUS! Unus APOLLO,
Cui similem nondum doctior orbis habet.
ILLE MEUS VIVIT MORHOFIUS, atque serenô
Irradiat vultu mœnia nostra suô!
Exoptatus ades, SOL AUREE! Nubila, fortè
Si qua premunt mentes, Tu redeundô fugas.
Exoptatus ades! Tibi vota dicavimus omnes,
Proque salute Tuâ reddere quisque parat.
SOL ORBIS DOCTI, DECUS IMMORTALE TUORUM,
O ET PRÆSIDIUM, DULCE DECUSQUE MEUM!
Exsere divinos radios & sparge per orbem,
Qui jubar hoc fulgens cernit ubique Tuum.
Exsere divinos radios, VIGOR IGNEE, gazam
Profer, quam dives condidit ingenium.
Absolvas, quem cœpisti Polyhistora, dudum
Exspectant quem tot nomina clara virûm.
Fœcundæ mentis complures edito fœtûs.
FIRMUS ES, O porrò DA, rogo, digna legi.
Discute Cimmerias tenebras, quas ille minatur
Dux Stygis. Antiqvum Tu prohibeto chaos.

FIR-

FIRMUS ES OH! SOLIDÆQUE SUO STENT ROBORE VIRES!
TU, PRECOR, IN COELUM SERIOR UT REDEAS!
VIVE! VIGE! FLORE! Nam, Te florente, PATRONE,
Non poterit nobis non ſupereſſe vigor.

Ad POLYHISTOREM ſine pari DANIELEM GEORGIUM MORHOFIUM, SUÆ & MAJORAGIANÆ DE AURO ORATIONUM EDITOREM.

FErrea nunc verè ſunt ſecla, orasque per omnes
Æruſcatorum falſa moneta volat,
Nil puri argenti, ſpurii plus cuditur æris,
Solus & imperium nummus adulter habet.
Damna dolet populus, quæ ſentit grandia, morbum
Teutoniæque iſtum tollere Saxo parat.
Temporis hac noſtri rigida ferrugine in ipſa
Per Te aurum radios exſerit, ecce! ſuos.
Aurum nempè Tuum, Polyhiſtor maxime, & *auri*
Ex cujus verſo nomine *imago* * micat.
Obryzi inprimis vis paucis nota metalli,
Ornata eloquio, Cimbrica Svada, Tuo;
CARPZOVIOque inſcripta, ſuæ qui Lipſidos aurum eſt,
Cujus & Aonium fulget ubique jubar.
Nec mirum, docti cum ſis Sol aureus orbis,
Aurum ſi promas efficiasque merum.

* *Auri imago* κατ' ἀνάγραμμα exhibet nomen *Majoragius*, ſi ab eo ultimam literam demas, ut in oratione (*pag.* 258. *Orat. Vol.*) indicatum eſt.

f.

Lipſiæ, ipſis Kal. Januarii,
M DC XCI.

L. Joach. Fellerus, Poeſ. Prof. Publ.
Academ. Bibliothecarius, & Colleg.
Philoſ. h. t. Decanus.

IN OBITUM MORHOFII.
LUBECENSIA.

CUm subito nostras funestus nuncius aures
    Perculit: *Extincta est lux mea MORHOFIUS!*
Haud aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
    Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.
Qualis ubi extinctum Patroclum audivit Achilles,
    Qualis in Euryali funere Nisus erat.
Ergò jaces, dixi, *clara spes magna juventæ,*
    Siccine Musarum gloria magna jaces.
Heu vates, cujus se pectore cuncta vetustas
    Condidit, atque parem non habiture jaces.
Ergò jaces, simul atque jacet nunc carminis illud
    Fulgur & ingenii vis generosa Tui,
Ingenii multis qui fœtus fœtibus acris;
    Dum moreris, cogis secula multa mori.
Heu novus his nostris discedis sedibus hospes,
    MORHOFI & fato Te retrahente fugis.
Quique videbamur lætum Tibi dicere salve,
    Mox damus invito tristius ore vale.
O dolor! ô fatum nullis revocabile votis!
    Ferrea vox: *Magnus MORHOFIUS moritur!*
Sed quid! *non moritur*, meliori parte superstes
    Vivit & in cœli vertice lætus ovat.
Et jam sub pedibus quicquid mortale beatus
    Calcat, & his major sidera celsa premit.
MORHOFII & clarum fertur super æthera nomen,
    Dumque erit hic orbis, fama perennis erit.
Sic Tibi nil moritur, MORHOF clarissime vivis,
    Ipse Tibi suppar, ipse superstes eris.
Tu modo mœsta domus, durus quam obnubilat æther,
    Surge, nec à tristi sorte pericla time.
Sufficiet DOMINUS fautorem, quique Parentis
    MORHOFII in terris possit obire vices.
Denique MORHOFIUM qui nostrum poscis, Olympo
    Tu nobis alium reddito MORHOFIUM.

Quos elegos difficili & molesta vena fudit

Augustus Pfeiffer/ D. Superint. Lubec.

ERgone ſenſim docta noviſſimam
Defectionem lumina ſentient?
Quæ literatorum ſacellis
Et jubar, & radios dederunt.
Caligo lamentabilis ingruens,
Orbi minatur triſte crepuſculum,
Summique jacturam nitoris,
Priſca ſcientia quô refulſit.
Quot fulgurantes luce ſcientiæ,
Subactioris judicii viros,
PINDUS ſtupeſcens interiſſe,
Triſtitiâ memori requirit.
Fallor? dolenter mens mea percipit
Non læva, cladem multiplicem ſuam,
Perluctuoſo muginantem
Hoc gemitu reſonare PINDUM.
Non unus ictu turbo graviſſimè
Noſtrum laceſſit perpete verticem;
Sed clade ſemper fœda clades
Culmina contremebunda pulſat.
Atrox fatigat continuè malum,
Ut tota, caſus præcipitis metu,
Perculſa moles literarum
Concutiatur & expaveſcat.
Stat ſordidatis iſta receſſibus,
Cedroſque mœret diminui ſuas,
Quas hinc & illinc concidiſſe,
Luctifico recolit ſtupore.
Tandemne pullus noſter apex tremat,
Et ſpe relictâ pertenui gemat?
Spiſſaſque nubes evaporet
Flebilium querimoniarum.
Non palma ſemper firma regerminat,
Roburve cedri fit ſolidum citò,
Quamvis ſtolones pullulaſcant,
Et frutices vireant minores.
Sat turbulentis ſæva tonitribus
Formidoloſæ ſortis hyems, (dolor!)
Vaſtavit afflixitque PINDUM
Commemorabilibus ruinis.

Dum

Dum ſtragis amplæ commemoratio,
Et mors Virorum multa celebrium,
Eheu! locorum plurimorum
Mœſtitiam refricat ſtupentem.

Deſideraris, TUTE, noviſſimè,
Inſigne docti præſidium chori,
VIR MAGNE, jam dudum reſplendens
Cognitione pereruditâ.

Rerum peramplam, plus vice ſimplici,
Et conglobatam notitiam tuam
Communicâſti literatis
Tu, mare grande ſcientiarum,

Sed ſingulorum quando voluminum
Illuſtriores conficis ordines,
Conſumtus attritusque curis,
Funereâ macie fatiſcis.

Jam jam tacebit vox Polyhiſtoris?
Jam jam jacebit penna diſertior,
Res concatenatas adornans
Sedulitate laborioſâ.

Abs quo proborum pabula dogmatum
Sunt erudito tradita ſeculo,
Hic pabulum tumbæ voracis
Eſcaque fiet inanitatis?

Pertæſus orbis futilium modò
Proſceniorum, ſchemate lubrico
Fallentium mortalitatem,
Ne ſapientior eſſe diſcat.

Palatiorum ſidereæ domus
Factus renidens incola, jugiter
Cœleſtium myſteriorum
Relligioſior eſt Epopta,

Telluris hoſpes qui fuit haud diu,
Durante civis ſede perennior,
Jus ſanctioris civitatis
In ſuperis adytis capeſſit.

Nunc perbeatum dicere TE licet,
Ornatiori conſpicuum loco:
Fas eſt triumfalem coruſci
Indigetem celebrare cœli.
Poſt buſta vivax clarus honor Tuus,
Septeriorum pectoris in tholo
Nunquam ſeneſcens pervigebit,
Inclyte carminibus MORHOFI.

Enochus Svantenius, R.

SCilicet id VATUM Fatum eſt, qui Fata triumfant?
Ceu Fatuus, Vates ultima Fata ſubit.
Sic olim cecini, cum BRUGGI Fata dolerem;
Sic cano, MORHOFI nunc quoque Fata dolens.
Omnes Fata replent Numeros. Ignoſcite! Muſa,
Commoriens neſcit nil niſi Fata loqui.
Eſſe quid hoc dicam? Dum fato fungitur Autor,
Debile Opus ſupereſt Charta, Liberque manet.
Scripta manent manuum Doctorum, Manibus iſtis,
Et POLYHISTOR eſt, Scriptor ut ejus abeſt!
MORHOFII VENERES & FUNERA ubique videntur;
MORHOFIUMque IPSUM nemo videre poteſt?
Candidus in Vita MAURUS; jam candidus AULA
MORHOFIUS functus ambulat ætheriâ!
Laudabunt alii Doctrinæ ingentis Abyſſum,
Tàm varias Lingvas, & meminiſſe potens.
Laudabunt alii ſublimis Acumina Mentis;
Innumeras Dotes non numerare queo.
Laudabunt alii divinæ Carmina Venæ;
Iſta leves Elegi grandia non capiunt.
Cumque ſuis PEDIBUS graditur ſuper Aſtra Beatus,
Quid nunc alterius curat & hoſce PEDES?
Forſitan & fruſtra, quem auſus reprehendere nemo,
Laudatur, Merces ipſe Poëta ſibi.
Fata ILLI è Manibus Calamum excuſſère, mihique:
Magnus & hôc Dolor eſt tempore mutus —

Exile hoc Munus; Aſt Amoris nunc extremum

B. M. D.

C. F. Kienius.

Plan-

PLangite, Pierides, citharamque aptate dolori,
Lætaque turbatis demite serta comis!
Atratoque habitu lachrymis accedite nostris,
Aptaque funesto dicite verba die:
Et dictate mihi carmen. Pater occidit! Eheu!
Occidit, & secum gaudia nostra tulit!
Care, jaces, Genitor, nec Te tua dextera, nec Te
Eripuit subitæ gloria parta neci.
O utinam! possem pro Te sub marmore condi,
Fasque Tibi nostrâ vivere morte foret!
Esse merebaris nostris diuturnior annis.
O eadem, quæ Te, me quoque terra tegat!
Ah! quoties conjuncta meæ tua dextera dextræ,
Atque tuo nostrum nomen in ore fuit.
Eheu! me miserum! quis me manet exitus? Eheu!
Quæ nunc est sine Te vita futura mea?
Occidimus! tandem solantia tollite verba!
Tollite! nulla meis est medicina malis.
Nec possum superare meos, nec ferre dolores.
Nec se, nec motûs mens capit ægra suos.
Jamque dolor vires adimit vocemque loquenti,
Nec superant vitæ tempora longa meæ.
Intereà lachrymis & perpetuô ululatu
[Si quædam superant tempora] tempus agam.

Casp. Dan. Morhofius.

KILONIENSIA.

ER/ der unsterblich war/ hat dennoch sterben müssen/
Der Tod/ den Er besiegt/ der hat Ihn weggerissen/
Er/ der stets leben wird/ Herr Morhof/ lebt nicht mehr/
Der Maro dieser Zeit/ des Phœbi Preiß und Ehr.
Apollo weint und schwert/ der Tode soll nicht sterben/
Apollo teusch uns nicht/ wir sehn Ihn ja verderben
In seiner finstern Grufft/ Parnassi Zier und Krohn/
Der Tod hönt deine Macht in deinen theuren Sohn.
Nun schweigt sein güldner Mund/ der weit und breit gethönet/
Die Famam überstieg/ mit Beyfall stets gekrönet;
Im Staube liegt die Hand/ die Aganippens Quell
Trug aus Bœotien in diese Länder schnell.

Euro-

Europa wird nicht mehr durch seinen Schall vergnüget/
Der manches Ohr und Hertz durch seine Krafft besieget;
Es triest kein Nectar mehr von seinem Lorbeer-Krantz/
Hinfort gibt nicht sein Kiel mehr unsrem Kiele Glantz.
Weil unser Pindus hat die Zunge selbst verlohren/
Schweigt Er/ kein edles Lied erklingt in seinen Thoren;
Es fehlt Jhm Hand und Geist zu leisten solche Pflicht/
Die vielen dargestellt hat das entzückte Licht.
Jhr Musen aber/ die ihr an der Sene sitzet/
Die stoltze Tiber schaut/ am reichen Tago schwitzet/
Euch in der Donau netzt/ die Tems und Ost-See ziert/
Weint/ daß euch diesen Schatz/ dis Glied der Tod entführt.
Es misch das Thränen-Saltz sich zwar mit euren Fluhten/
Und du auch Phœbe kühl mit Zehren deine Gluhten;
Doch reicht Jhm/ die ihr habt noch grössre Gaben dar/
Und baut aus Lorbeern Jhm ein ewges Denck-Altar.

Diese Trauer-Zeilen hat aus schuldiger Pflicht
entworffen

Simon Heinrich Musæus, D.
h. t. Pro-Rector.

SIc moreris, nostri decus immortale Lycéi,
Sic moreris, vivas ut sine fine tamen.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Inclyta MORHOFII fama superstes erit.

IN EFFIGIEM MORHOFIANAM.

ERgò Te nobis, sculptor, Polyhistora posse
MORHOFIUM rigido sistere in ære putas?
Falleris. Artificem Temet probat hæcce tabella;
Artes sed tanti haud exprimit illa viri.
Quidquid conetur cælum; depingere novit
MORHOFIUM rectè non nisi MORHOFIUS.

*Honori debito Dn. Compatris, inq; duabus
Academiis Collegæ, scr.*

Christianus Kortholt, S. Theol. D.
Academiæ Kilon. Pro-Cancellarius
& Professor Primarius.

Hic

HIc jacet Hiſtoricus, Vates, Orator & almæ
Naturæ Myſtes, Græcus & Auſonius.
Candidus & ſimplex, nulli gravis, utilis omni:
Clarus amore domi, clarus honore foris,
Magnus MORHOFIUS: Satis eſt. Nam cætera novit
Solis & Eoi tractus & occidui.

In tumulum beatè defuncti Amici atq; Collegæ deſideratiſſimi f.

Henricus Opitius, S. Theol. D. & P.

TU quoque Cimbriacas, VIR MAXIME, linquis Athenas!
Tu quoque, Tu, (proh! quid lingva minaris?) obis!
Nec Te noſter Amor, nec Te tot Pectora cara,
Pectora manſuro preſſa dolore tenent!
Quid Pyrmontanos latices medicamina poſcis?
Nobilius cur non ex Helicone petis?
Iſto Helicone tuo, totum quem mente tenebas,
Carmina qui toties ad tua promptus erat.]
Ex quo Pegaſeæ fons purior effluit undæ,
Quam modo Pyrmonti dat ſalebroſus acor.
Scilicet humanæ dudum Te tædia vitæ
Ad ſanctæ Euſebies Templa ſerena vocant.
Diſplicuit Romana Tibi Sapientia, & omnis
Quam Sophien Nobis Græcia priſca dedit.
Celtarum Druidas temnis, Phariosque Magiſtros,
Nec Te Perſa potens exſatiare Magus.
Enthea quæ totum ſpirabant Pectora Cœlum,
Te meliore frui conditione jubent.
Depoſitum Cœli, cognataque ſideribus Mens,
(Serius atque utinam!) ſidera celſa petit.
Æthereæ adventum Mentes gratantur ovanti,
Et Paradiſiacæ mox patuere Fores.
Obvia tot Vati procedunt agmina Vatum,
Gaudet & adjunctum Te Pia Turba Sibi.
Interea lacrymas Nobis luctumque relinquis,
Cui nullum ſtatuent tempora longa modum,
Ereptum Sibi Collegam, Nomenque ſvave
Deflet Apollinei ſanctior Ordo Chori.

Docto-

Doctorem amissum queritur Studiosa Juventus,
Luget & hunc vellet non periisse Sibi.
Quid? cunctos dolor unus habet, neque finibus arctis,
Aut una sese continet ille Domo.
Tristia lugendum deplorant Pulpita Fatum,
Mœstaque Cupressi limina squalor habet.
Erigit æternos mœrens Academia cippos,
Nominis ut magni sint monumenta Tui.
Pieris immenso mentem confecta dolore,
Hæc Tumulo inscribit tristia Verba Tuo:
MORHOFII, hac, quicquid potuit, concluditur urna.
Unum quem decuit non potuisse mori.
Debile, quod solum poterat Mors invida, Corpus
Vindicat, exuvias has sibi dira rapit.
Ignea Mens, Cælum, cognataq; Sidera tentat,
Lethéa spernens vincula vana Domus.
Egregium superat post Funera Nomen, & illa,
Marpesi vincens robora, Fama Viri.
Parcius Aoniis manabunt Fontibus undæ,
Mutaq; erit posthac, ante sonora chelys.
Parcius heu! solitas edet Facundia voces;
Carmine namq; MARO, TULLIUS ore fuit.
Belgica Salmasium, Bœclerum Alsatia plangat,
Julia Schraderum, Cimbria MORHOFIUM.
Tu, quisquis spectas hæc Marmora, disce Viator,
NEC SUMMIS PARCAS PARCERE NOMINIBUS.

E præmaturo Collegæ conjunctissimi, nunc eheu! desideratissimi, VIRI omni immortalitate dignissimi, obitu concepti Doloris æterni Monumentum exiguum posuit

Nicolaus Martini, JCtus,
& Ant. Primarius, Pandect. & Phil.
Civil. P. P. Facult. Jurid.
p. t. Decanus.

CONstituunt sic Fata viam, cursumque gubernant,
Quorsumcunque homini tendere in orbe datur.
Absolvit sic ipse igitur, qui vivere dignus
MORHOFIUS fuerat, non revocandus iter.

Et

Et præter lacrymas nobis nil in orbe reliquit,
Queîs cinerem Aonium Præfica Musa riget
Conturbata sedens, Cinbrûmque affata Lycéum,
Haud facilè (ingeminet) par Tibi Phœbus erit.

Paucis hisce debitum luctum ob præmatura VIRI dum viveret Celeberrimi atque Amplissimi, DN. MORHOFII fata, testari voluit

W. H. Waldschmidt / Med. Lic. & Prof. Publicus.

OCcidit, (occasumne doles Holsatia?) lumen,
MORHOFIUS nostrum, Castalidumque decus!
Ut successorem quæras Holsatia mitte,
Perlustrare jube solis utrumque latus.
Cum benè per terram, vastique per æquora ponti
Quæsieris, nullo præteritoque loco;
Quantum MORHOFII Tibi tristi funere raptum
Agnosces, quantum perdiderisque Virum!

Mæstus fecit

J. L. Hannemann, D. & Phil. Nat. Prof. Ord. Leopold. Soc. Curios. Assess. dictus Nestor II.

CImbria quem luget; Germania quærit ademtum;
Omnis & Europæ Natio docta gemit:
Heîc recubat multâ præstans MORHOFIUS arte,
Qui fuit Aonii gloria magna chori!
Wismaria hunc genuit: roseâque professus in urbe,
Cimbriadum docuit, clarus in orbe, jugis.
Aurea, quis fuerit, doceant Te scripta, viator,
Quantula de DOMINI funere rapta fui.
Quis jam pertexet notum Polyhistora, summi
Non sperata viri quod fuga rupit opus?
Heluo librorum vires dum carpit, & istas
Fontis aquâ medici restituisse parat;
In cadit ecce! via. tamen, orbe cadente, resurget!
Tum suus ex merito quemque manebit honos!

Franc. Ditericus Colenius, Sch. Kil. Rect.

PIIS MANIBUS
Celeberrimi Polyhistoris,
DANIELIS GEORGII MORHOFII,
VIRI incomparabilis,
SACRUM
ab
Henrico Muhlio, Bremensi.

SIccine, post raptum nobis sine *Felle* Poëtam, (1)
Flebile, MORHOFI, Tu quoque funus eris?
Tene etiam rigidi premit inclementia fati?
Extremumque vehit Parca severa diem?
Tene querar? Te Tene sibi suspiret ademtum,
Attonitusque levi voce parentet Amor?
Tene querar, cineresque Tuos, manesque sepultos!
Et numeros repetant tristia Verba suos?
Scilicet hic cumulus deerat, pars ista dolori
Additur, & nostris causa suprema malis.
MORHOFI, Te, Tene querar? nomenque decusque?
Et Tua per populos busta rogosque feram?
Invisum est, quod pangit, epos, refugitque laborem,
Et stupet ad mœstam fracta Thalia chelyn.
Triste manus detrectat onus, detrectat Apollo,
Et tardæ veniunt ad sua plectra Deæ.
Non luctus satis unus erit, simplexque querela
Deficit ad lacrymas Te moriente suas.
Hic partes sibi quisque tenet, MORHOFIUS orbi
Occidit, & secum publica damna trahit.
Ex æquo sors ista nocet: non solus Atridas,
Sed magis affligit plurima regna dolor.
Non tantum sibi Smyrna suum lugebat Homerum:
Visa fuit passis Græcia tota comis.
Cui non dictus Hylas? cui non jactura Maronis?
Arcta nimis spatiis Ausonis ora suis.
MORHOFI moreris, vah quanti nominis umbra!
Heu moreris, lacrymis usque rigande novis!
Vatum grande decus, quo se Germania jactat,
Vindice, sed post hac vix habitura parem.

Ipse

Ipſe Poëtarum norma es: Te ſuſpicit unum,
Et petit à tanto lumine Muſa facem.
Sive Sophocleo veniat ſpectanda Cothurno,
Seu potius Socco currat amœna ſuo.
Tu gentis laus magna Tuæ, pars maxima famæ;
Hinc pretium, hinc nobis creſcere cœpit honos.
Per Te Teutonicis Helicon celebratur in oris,
Creditur in noſtris Caſtalis unda plagis.
Quisque Tuos ambit numeros, plenusque Camænis
Puncta domi poteras, puncta merere foris.
Omnis in Ingenio favor eſt: Te Belga, Britannus,
Et procul externo ſidere Roma colit.
PETITUS ſtudiis, & par MENAGIUS auſis,
Te canit in patriis magnus HUETUS agris.
HEINSIUS has olim partes, nunc GRÆVIUS explet,
FRANCIUS in Batavis GRONOVIUSque ſcholis.
Applaudit doctis ſtirps SECKENDORFIA curis,
Hic Tibi VIR judex, Hic Tibi Cenſor adeſt.
Jamque placent molles Elegi, luſusque Catulli:
Jam placet Heroum quod modularis epos.
Quæque ſales fundit gravitas, ſpargitque lepores,
Quos Tecum Vates terſius Ipſe dedit.
Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi.
Hic alio poterit teſte Poëta legi.
Hic Phœbi delubra movet. Vincuntur Athenæ,
Romaque dat faciles ingenioſa manus.
Scribant degeneres malè ſalſa Poëmata Vates,
Et ſtrepat ignavis turba profana ſonis.
Non piper, aut crudos metuunt hæc Carmina ſcombros.
Cogitur hoc ipſo ſtare Thalia gradu.
Scribit victuris labor & ſolertia chartis,
Nec careat nervis pagina docta ſuis.
Singula non tenui cura limantur, & arte,
Sollicitæque notas ſedulitatis habent.
Nil protrita juvant, nil frigora, quisque fatemur;
Non iſtâ tradi ſomnia poſſe manu.
Difficiles ſordent nugæ, febresque logique,
Quæ totis paſſim perſtrepuere ſcholis.

Nil vulgare ſapit, gliſcit ſub pectore Numen,
Et fugit ignava ſerpere Scriptor humo.
Doctrinæ menſura ſuæ, menſura laboris,
Et variis ſpirans Bibliotheca libris.
Seu Phyſicum ſcrutatur opus, cauſasque latentes,
Et quantis mutent ipſa metalla modis. (2)
Seu Patriæ monumenta ſuæ, monumenta loquelæ
Vindicat, & cunis aſſerit illa ſuis. (3)
Seu ſecreta docet, fractique recondita Vitri; (4)
Quæ cum KIRCHERO (5) BARTOLE docte probas. (6)
Seu Patavina ſui defenſa Vocabula LIVI.
Explicat, ac fato dat meliore frui. (7)
Seu facili magnum dextra Polyhiſtora condit,
Et calamo ſignat ſcripta Viroſque ſuo. (8)
Nil leve, nil parvum chartis depromitur iſtis:
Hic vanæ ſpecies futilitatis abeſt.
Divinas heic pandit opes, heic totus Apollo eſt:
Qua patet, hic Pallas prodigioſa latet.
Pondera ſunt Verbis, doctæ ſua gratia lingvæ,
Et diſtincta ſuis plurima rara locis.
Scribunt indocti doctique volumina paſſim,
Corraſamque petunt, ſed ſine fronte, ſtipem.
Scrinia compilant, rapiunt tua vellera Jaſon;
Aut eadem Patres quæ cecinere canunt.
Hic nova multa leges. Non heic Æſopia cornix.
Non hic furtivæ cernimus artis opus.
Non agit Hic actum, chordâ vel oberrat eâdem,
Nec toties crambe cocta recocta placet.
Pulchra nitet rerum facies, cultusque decorque,
Judiciique fidem litera quæque facit.
Dum curæ fuit apta loqui, dum ſcribere docte,
Nec ſine delectu plura referre labor.
Dent alii mala mixta bonis, dent ordine nullo,
Parturiantque novum Secula pigra chaos.
Non confuſa ſuis fallunt heic æra lupinis.
Quæ proſint ſolidâ digerit Iſte manu.
Quam nihil inviſa eſt Novitas, inviſa Vetuſtas:
Omnia momentis ponderat Ille ſuis.

Nil te

Nil temere quicquam damnat, nil Zoilus afflat,
Respuit insanam mens generosa Crisin.
Deliret senio Seclum, defloreat ætas,
Arcadicumque magis rudat ubique pecus.
Barbariem doluisse sat est, streperasque cicadas,
Et quicquid rauco Vulgus ab ore crepat.
Palleat ad dentem malus, heic stylus exulat atrox:
Nullus in ingenuo pectore Livor adest.
Cuique suum tribuit genti, favor omnibus idem,
Inque pari pretio Tros Rutulusque vigent.
Invideat nobis Batavus, sint Gallus & Anglus
Nomina Teutonicis non satis æqua Viris.
Hic nostris adstat meritis, parat Ille theatrum,
Quo prostent titulis conspicienda suis. (9)
Civibus Ille studet doctis, ne fama laboret,
Et patriæ laudis gloria prisca cadat.
Non piget Arctoæ mysteria volvere terræ;
Jam tum materies hæc juvenilis erat. (10)
Sed nunc RUDBECKI pars est: VERELIUS olim,
Hanc quoque STIRNIELMUS cœpit inire viam.
Ista minor series: quales non surgis in ausus!
MORHOFI, quæ non ardua mente notas!
Qui Te conatus, quæ non promissa morantur!
Non modus, aut Voti terminus ipse Tui,
Quam varium Tibi fervet opus! non una palæstra est,
Non unâ vigiles lassat in arte manus.
Semper Apelleo Tibi linea more polita est.
Nulla Tuis cœptis noxque diesque gravis.
O quoties vivos rosisti molliter ungves!
Quam sudata Tibi pagina crebra fuit!
Non ignota loquor, doctæ molimina dextræ,
Ingenii novi pignora magna Tui.
Ille ego convictor multoque domesticus usu,
Parsque Clientelæ quantulacunque Tuæ.

O quoties vultus ſubeunt! candorque decorque!
Quam ſubit ingenii vis operoſa Tui!
O quoties dixi: quantos tenet illa receſſus!
Quam ſaturum rerum pectus, & ampla penus!
Seu judex mecum doctum rapereris in orbem,
Cenſeretque novos Dædala Svada libros.
Seu ſenſus obſcura ſuos Te teſte referrent:
Excuteresque Piis abdita multa Sophis.
Adjecit majora Tuæ præſentia famæ,
Materiâque minor gloria facta ſuâ eſt.
Partimur Doctrinam alii, Tibi contigit uni:
Indulſit totos prodiga Muſa ſinus.
Quod ſapimus, nimis anguſtum eſt. Non ſufficit idem
Omnibus; hic calamo, voce ſed ille placet.
Laurus utrinque Tua eſt; vel Momo Scripta probantur.
Phidiacumque ſtupet, quod facis Auctor, opus.
Quam Tua facundas mirata eſt Cimbria voces!
Quam ſtetit attentis Kilia docta togis!
Non clamoſa Tibi ſapientia pulpita rupit,
Non vox, ſed rebus verba diſerta ſuis.
At nunc, Morhofi, Dixisti, hæc ſumma laborum eſt:
Scripsisti, hæc chartis ultima meta Tuis.
Nil Muſis ſupereſt, morti deberis & umbris.
Hic ſtatuit puppes anchora jacta Tuas.
Heic operæ pereunt, docti tot pectoris artes,
Naufragioque ruunt ſingula merſa ſuo.
Speratus Polyhiſtor abit, quæque orba Magiſtro eſt,
Aſſertrix noſtræ pagina gentis obit.
Interrupta jacent tot doctis eruta curis,
Extremamque dolent deſtituiſſe manum.
Jam moriens Doctrina ſilet! ferale Lyceum eſt,
Et tacitos mœret preſſa Cathedra ſonos.
Exequias videt ipſe ſuas & funera Phœbus;
Muſa gemit DOMINUM penè ſepulta ſuum.
Tota ſuos patitur manes cum manibus Iſtis,
Dumque decus moritur, cogitur ipſa mori.
Crudelis nimium Lacheſis! quænam iſta ruina eſt?
Tot bona cur nobis eripit una dies?

Quod potuit gens noſtra nefas? quâ noxia culpâ eſt?
  Numine quo læſo plaga cruenta venit?
Obruit ah dulces quanta caligine meſſes!
  Quotq́ quantumq́ue ſpei vilis arena tegit!
Flebilis urna tenet, quod non tenuiſtis Athenæ,
  Heu tenet ingenii cuncta ſcientis opes!
Hæ tineas paſcunt, paſcunt hæc pabula vermes;
  Æternoq́ue perit dextera docta ſitu.
Poſteritas agnoſce Virum, dignumq́ue relinque
  SCALIGEROS inter SALMASIOSq́ue locum.
Suſpice MORHOFI manes: heic Palladis umbra eſt:
  Hic tumuli partem doctior Orbis habet.
Hic rogus, & Phœbi cinis eſt, hoc carcere claudit,
  Exuviasq́ue tegit culta Camæna ſuas.
Hoc uno poterant tot Numina ſtante renaſci,
  Hoc eadem poterant deficiente mori.

(1) Joachimus Fellerus, Poëta Lipſienſis Celeberrimus, inopinato obitu ereptus d. 6. Aprilis.

(2) De transmutatione Metallorum Diſſertationem Epiſtolicam edidit Hamburgi Anno 73. in 8.

(3) Unterricht von der Teutſchen Sprache und Poëſie, deren Uhrſprung/ Fortgang und Lehr-Sätzen. Kiel 82. in 8.

(4) Stentor ΥΑΛΟΚΛΑΣΤΗΣ ſeu de Scypho Vitreo per certum humanæ Vocis ſonum fracto. Editio altera, KiloнI 83. in 4.

(5) Athanaſ. Kircherus in Phonurgia.

(6) Daniel Bartoli in libro Italico del Suono tratt. 5. cap. 8. *Lettolo avidamente, ne giudicai dotto l' Autore, e l' opera piena d' eruditione e d' ingegno, &c.*

(7) De Patavinitate Liviana, KiloнI 85. in 4.

(8) Polyhiſtor ſeu de notitia Auctorum & rerum Commentarii, Lubecæ 88. in 4.

(9) *De meritis Germanorum in rem literariam* Diſſertationem ſingularem meditabatur, cujus publicè etiam ſpem fecit in Polyhiſtore, pag. 209.